


E.K. Waterhouse

# ANTIQUITATES
# BENEVENTANÆ

[illegible]

# THESAURUS
## ALTER
# ANTIQUITATUM BENEVENTANARUM
## MEDII ÆVI




ROMÆ MDCCLXIV.

EX TYPOGRAPHIA PALLADIS

EXCUDEBAT MARCUS PALEARINI

PRÆSIDUM FACULTATE

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO PATRI DOMINOQUE

# CLEMENTI XIII.

## PONTIFICI OPT. MAX.

JOANNES EPISCOPUS REATINUS
FELICITATEM



LIENUM fortaſſe, ac propè injurioſum tum Pontificiæ Majeſtati, tum Apoſtolicæ Virtuti tuæ, PATER BEATISSIME, hoc Munus videbitur, non modò ſi Libri materies, atque argumentum, verùm etiam ſi Auctoris, atque offerentis præſens conditio ſpectetur. Quid enim moleſtum magis, atque Poſteri-

ſteritatis memoriâ indignum, quàm Longobardicum Nomen; quod vix auditum, horrorem injicere ſolet, triſtemque illorum temporum recordationem revocare, quæ Italiam, rerum dominam, religionis, ac virtutum domicilium, Barbarico quingentorum propè annorum jugo preſſam, barbaricam induiſſe faciem, barbariciſque aſſueviſſe moribus oſtendunt? Quid etiam mihi peregrinum magis, ac quodammodo indecorum, ut qui Epiſcopus ſim, talia manibus etiamnum verſarem, manibuſque meis nedum in lucem dilabi ſinerem, verùm etiam Pontificio Solio ſiſtere auderem? At neutra res, penitiùs perſpecta in cauſſâ erit, ut ſuſcepti conſilii pœnitendum mihi ſit; dum mihi probè ſim conſcius, nec Libro pretium, neque Auctori meritum, quale id cunque ſit, omninò defuturum. Ad Librum enim quod attinet, id tutò ſpondere, id affirmare certò auſim, plurima in eo contineri, explicarique, quæ aliam profectò, quàm præjudicatæ opiniones ſibi vel metuunt, vel confingunt, Medii Ævi, ſive Longobardicorum Temporum fuiſſe conditionem demonſtrabunt: itaut Religionis, atque Eccleſiæ res, ſi non tum maximè floruiſſe, ſtetiſſe tamen, immo & pleraque Nobis, quæ imitari nunc ſatius eſſet, exempla, ac documenta reliquiſſe videantur: Accedit præterea accuratiùs inſtituta mihi de Eccleſia Beneventana pertractatio: Nec alia denique deerunt, quæ Apoſtolicæ Sedis jura in præclariorem lucem vindicabunt. Meæ autem induſtriæ, ac laboris id ſanè commodum, ac veluti emolumentum referam, ut nunc primùm ad Epiſcopatum promotus, quas olim ſtudiorum meorum, dum privatus agerem, atque ab Eccleſiaſticis muneribus meis vacuus paulliſper eſſem, tenuerim rationes, Tibi, PONTIFEX OPTIME, hoc Libro, re ſcilicet, factoque ipſo oſtendam: ut Tu æquè jam agnoſcas, me nullum unquam tempus, nullas ſubſecivas horas mihi perire

paſ-

passum, quas non vel necessario, vel honesto labore aliquo olim transigerem, paratum modò, totaque animi contentione excitatum ad perpetuos illos, sanctissimosque labores accedere, quos, delato Pastorali munere, mihi subeundos jussisti. Atque id quidem, quod mihi à Clementia tua (postquam Liber typis mandatus, proximè in lucem proditurus erat) advenit Beneficium, opportunam paravit occasionem, qua non solùm debitas Tibi grates persolverem; verùm id simul obsequentiùs profiterer, ingens scilicet imbecillitati meæ & præsens solatium, & futurum illud subsidium, quod Tu me elegeris, qui nonnisi Dei Nuncius eligis, electosque tuos ita Virtutum exemplo, cohortationumque tuarum vi informas, & incendis, ut Teipsum formam Pastorum præbens, illos formam sui gregis efficias: Quod vel mihi uberiùs factum continget, cui Tu, ampliore clementiâ, Consecrationem sanctissimis tuis Manibus impendens, illapsam vehementiùs in animum meum Episcopalis spiritus gratiam voluisti. Hanc igitur teneo Beneficiorum tuorum summam, cui tunc me responsurum scio, si oneri, munerique meo nunquam desim: Neque enim aliud Tu probare scis, quàm ut hi, quos in solicitudinis tuæ partem vocasti, non tam laborem Tibi minuant, quàm potiùs laborare ex Te uno discant. Interim Pastorali solicitudini meæ nihil omninò detractum crediderim, quin etiam satius muneri meo facturum me arbitror, dum Te diutissimè sospitem, & incolumem assiduè optem, atque enixiùs à Deo deprecer, ratus non tam privatis Ecclesiæ meæ utilitatibus, si voti compos sim, prospexisse, quàm publici Boni caussam egisse, ac maximum omnium Beneficium universæ Christianæ Reipublicæ impetrasse.

Dabam Romæ III. Id. Decembris MDCCLXIV.

# ILLUSTRISSIMIS DOMINIS

JOHANNI BAPT. URSOLUPO
CARMINO VENTURA
CAROLO SBORDONE
BARTHOLOMÆO JESUALDO
IGNATIO MARGIACCA
JOSEPHO PELLEGRINIO
NICOLAO LIMATA
LAURENTIO CARDONE

# BENEVENTANIS
## COS

JOHANNES DE VITA
S. M. E. CANONICUS



VESTRIS ſub auſpiciis, veſtroque Nomine inſignitus in lucem prodire geſtit Beneventanarum Antiquitatum THESAURUS alter. Neque enim aliis ſiſtere Opus debebam, cujus argumentum iis temporum intervallis continetur, quibus veſtri ampliſſimi Ordinis origo agnoſci, auctoritas vero, atque majeſtas mox explicari cœpta eſt. Et ſanè, quum de Barbarica Ætate, quam ut minùs ipſo nomine horrentem efficiant, MEDIAM Eruditi vocitare amant, tractatio mihi inſtituta ſit, ingens profectò decus comparatum eidem fuerit, ac jucundior quædam venuſtiorque affulgebit facies, quòd inter incondita illa ſua, ſtridentia undique, Munerum, aliarumque rerum propè omnium ſuborta vocabula, non alio, quàm CONSULUM nomine appellatos Vos audiat; quo ſcilicet Nomine non modo elegantiorum olim temporum inſonare aliquid, verum etiam veteris Romanæ Majeſtatis nonnihil eluceſcere in mediis illis tenebris videatur. Atque hac quidem re neſcio quid priſcæ illius æmulationis in mentem mihi venit, quâ olim exurgentem Romanæ Reip. fortunam Majores noſtri Samnites non remorari tantùm, ſed penè in ſuas partes trahere moliti ſunt: ut ſcilicet, quum per temporum, rerumque vices licuiſſet, Ordo veſter ad Beneventanæ Reip. adminiſtrationem inſtitutus, à Romanis auguſtum illud Nomen vel acciperet, vel ſuo ſibi jure vindicaret. Non ipſa autem Nominis vel umbra ſolùm, vel fortaſſe ambitio: cui ritè,

ac dignè gerendo, & Patriæ, cui præeſtis, majeſtas conſentit, & illa adſtipulatur, quæ veſtris inſidet Roſtris, Juriſdictionis auctoritas. Hanc Juriſdicundi poteſtatem, cui coercitionem habenti ſui quoque Faſces præſto ſunt, partim deſuetam, partim deminutam, non ſolum integram florentemque reſtituit, ſed in latiores quoque fines extulit Optimus ille Maximuſque Pontifex, de univerſis Beneventanis Rebus, Ordinibuſque tùm eximiè tùm immortaliter promeritus BENEDICTUS XIII.; ratus ipſe certè, meritò ſplendidiſſimo, ac ſupremo Ordini veſtro & honores amplificandos, & auctoritatem conſervandam, quam ſapientiſſimus Pontifex Innocentius III. luculentis datarum plurium ad Beneventanos Conſules Literarum teſtimoniis non ſolum probavit, ſed aliquandò etiam in publicæ rei diſcrimine adhibendam ſibi voluit: Sed hæc aliàs: Hujus potius loci fuerit in veſtras laudes excurrere; quibus tamen ſatis a me factum iri arbitror, ſi in hanc brevem quidem, ſed locupletiſſimam materiæ ſummam contraxero; ut ſcilicet nihil ſit, quod ſolicitius, providentius, ſanctius deſiderare a Vobis Reſp. queat: Munerisque veſtri amplitudini, æquo ſe extollens faſtigio, virtus veſtra reſpondeat. Ad hæc verò peculiaris illa laus veſtra cenſenda eſt, in omne duratura ævum, nulliſque fortaſſe aliis æmulanda, quòd mihi, ut Patrias Antiquitates illuſtrare proſequerer, eas cohortationes, ea ſubſidia contuliſtis, ut calcaribus veluti additis, qui ad opus abſolvendum progredi tantùm videbar, jamdemum celerrimo curſu, atque operâ ſeduliore abſolutum præſtarem. Quamobrem quò uſque immortalis Beneventanæ Urbis gloria, Opere hoc conſignata, manebit, ſtabit ſimul Nominis veſtri fama: illudque utrâque ex re emolumentum in noſtros Poſteros promanabit, ut tum Patriæ nobilitate, tùm veſtris exemplis, geminis videlicet ſibi perpetuò appoſitis incitamentis provocati, ad optima quæque, quibus Reip. felicitas conſtat, ſtudioſiùs vacare, ac certatim contendere enitantur. Dabam Kal. Martiis An. MDCCLXII.

PRÆ-



# PRÆLOQUIUM



UPERIOREM Librum THESAURI ANTIQUITATUM BENEVENTANARUM editurus, pluraque tunc de ipso præfatus, illud mihi universi suscepti Operis consilium esse aperui, ut, absolutis priore eo volumine Antiquitatibus, quæ a Beneventanæ Urbis origine ad Romani Imperii collapsam in Italia majestatem perducerentur, Liber subsequeretur secundus; qui temporum rerumque affinitate, ac consortio, ejusdem THESAURI appendix esset, ac locupletior quædam veluti accessio. Arcum enim Imp. Trajani, κατ' ἐξοχὴν PORTAM AUREAM, orto cum ipso opere, vel certè ab ipsa priore Antiquitate ad posteros transducto vocabulo, appellatum (cujus prospectum pari fide elegantiaque ærea Tabulâ incisum, ac peculiari Dissertatione generatim illustratum exhibuisse satis tunc visum fuit) curis secundis, novâque operâ per partes repræsentandum, uberioribusque observationibus exornandum despondebam. Hoc ego perfunctus munere, ac longiore ea mora solutus, quæ me tandiù intra amæniora illius ætatis spatia detinuisset, tunc demum reliquo Operi postremam manum admoverem; atque ad eam excolendam ætatem progrederer, quæ ex Longobardorum adventu, diuturnâque dominatione, altera Beneventanarum Antiquitatum veluti Epocha, amplissimam Libro III. materiam præberet.

Hac me fide obstrictum tunc volui, quâ tamen, ne ociùs liberum me præstarem, plura nec facilè, nec honestè submovenda, intercesserunt impedimenta: Præter enim eorum munerum administrationem, cui melior temporis, animique portio tribuenda fuit, ea quoque subiit occasio, quæ subsicivas horas ad alia studia conferendas impelleret: an verò conferendi vel necessitas, vel utilitas fuerit, ex binis illis libris, quos interea *De Institutione Clericorum*, ac *De Origine, & Jure Decimarum*, in publicam lucem emisi, alii judicabunt. Sed quæ reliquæ animo semper obversabantur, patriæ Antiquitates, repetendæ tandem aliquando erant; sed ita repetere libuit, ut admota Operi manus, posthabito Trajani Arcu, alteram Antiquitatum partem libentiùs pertractandam susciperet: susceptam autem, vehementique animi atque ingenii contentione elaboratam, nuncdemum (quod felix faustum fortunatumque sit) in hominum lucem emitto.

Erunt fortasse, qui novum hocce meum consilium probare nolint, qui etiam veterem me fefellisse fidem expostulabunt, hi videlicet, qui Romani nominis studiosissimi nihil jucundius, nihil eruditius sibi habent, quàm diurnâ manu, ac nocturnâ Romanas versare, tereque Antiquitates, a quarum finibus paululum discedere penè horrescunt, ne, si ad ipsa Barbaricæ ætatis limina accedant, ejus fæcibus, ac luto fœdentur: ut jam ægrè ferant, præproperè mihi elaboratum argumentum, quod prò suo vix merito, statutaque universi Operis methodo, postremo loco pertractari debuisset; quod etiam neglectum, ac omnino prætermissum, facilè mihi abjectæ operæ veniam impetrasset.

Quibus ita primùm reponam: nihil me de eo Arcu, præclarissimo scilicet, ac propè singulari non Beneventanarum modò, sed & Romanarum Antiquitatum monumento, quod novum, quod peculiare, quod observatione præcipuè dignum videbatur, desiderandum reliquisse: uti certè superiorem Librum legentibus, vel etiam spectantibus probare promptum erit. Quod verò reliquum in eadem re suppetit, uberrimum quidem, sed Romanarum duntaxat

taxat Antiquitatum argumentum eſt, atque ad latiſſimum eum campum pertinet, in quo excolendo (excoluiſſe autem aliquando otium, ac voluptas mihi fuit) illud hodiedum facile accidit, ut ex aliorum laboribus non tàm profeciſſe, quàm centies milliesque dicta recinuiſſe, difficile verò illud, ut ſpicilegium feciſſe, aut ſaltem quæ non nova ſunt, noviter dediſſe videamur. Non ita verò de Medii Ævi Antiquitatibus res ſe habet. Quum enim ad Literarum, Artiumque bonarum omnium inſtaurandam dignitatem, atque uſum, Italorum ingenia (quorum perpetuum, ac nullius invidiæ obnoxium decus eſt, cæteras nationes exemplo, atque inſtitutis præiſſe) excitari cœpiſſent, ad cultiores, ac ſuperſtitibus adhuc Scriptoribus, monumentiſque ſuis facilè pervias Romanorum, ac Græcorum ætates, operam induſtriamque omnem adhibendam duxerunt: ac felices quidem extitere conatus; quos tamen præjudicata quædam ſubſequuta opinio eſt, ut aliquid præter Romam, Græciamque veterem, excipere, probareque Reſp. Litteraria nollet; quare factum eſt, ut inſanabile illud ejuſmodi argumenti exornandi cacoëthes multos adhuc teneat; paſſimque, ac certatim Libri prodire, ac veluti pullulaſcere videantur, quorum Scriptores otio ſuo abuſi, ne otioſiſſimos alios, lectores demerentur. At quum tandem Barbaricæ ætatis reſerari oſtia, æquioribuſque, ac perſpicacioribus oculis eorum temporum caligines perluſtrari cœptum, non ſolùm ſuum illis pretium, ſuum decus, ſuum quoque ſtudioſis emolumentum compertum eſt; verum etiam pudori, quodammodò fuit, tamdiù id Ævum deſpexiſſe, unde & genus, & mores ducimus: *ſive enim* (uti rectè obſervat V. C. Ludovicus Muratorius) *nos ab antiquiſſimis Italis, aut à Romanis, ſivè à Gothis, Longobardis, Francis, & Germanis deſcendemus, ſemper Gentis noſtræ Hiſtoriam perſequimur, quoties res geſtas, & mores inveſtigamus Barbarici Ævi ..... nam tot Ritus, non ſolum Sacri, ſed & Domeſtici, & Politici nobis in uſu ſunt, quoram origo non Romanis tribuenda eſt, ſed Barbaricis* (1).

Præſtabit itaque Barbaricam inviſere ætatem, majoreſque noſtros, quos ſanguine, inſtitutis, artibus, religione proximè attingimus, celebrandos ſuſcipere. Laus etiam nobis erit per eadem inceſſiſſe veſtigia, quæ Viri doctiſſimi, ac clariſſimi, difficilem hanc viam ſternentes, vel præmonſtrantes, nobis reliquerunt. Facem cæteris Carolum Sigonium prætuliſſe Muratorius cenſet: ac ille quidem poſt operam Romanis Antiquitatibus egregiè navatam, in Barbarica ſæcula, pluribus *De Occidentali Imperio* Libris lucubratis, longiùs ſanè, nec ſine laude ſe invexit. At de hac re, ſi mihi quoque dicere fas ſit, non palma iſthæc Andreæ Alciato præripienda eſt; qui de Juriſprudentia optimè promeritus, quam humi veluti jacentem, Barbaricoque luto undique obvolutam, ad priſtinum decorem, nativamque dignitatem erexit, Barbaricam tamen ipſam ætatem non modò non abhorruit, ſed perſcrutari ipſe aggreſſus, nonniſi cum nominis laude, cum eruditionis fructu, cum Reip. emolumento, aliis penitiùs pervadendam, ac familiariùs excolendam repræſentavit. Præſtitit id certè Alciatus tum aliis lucubrationibus, tum præſertim illâ Veterum Mediolanenſium Inſcriptionum Collectione, quâ plurima ingentis pretii ex inferiore Ævo monumenta complexus, non ſolum exemplo cæteris fuit, ne poſteriora illa, ceù quiſquilias, ſordeſque, abjicienda exiſtimarent, verum etiam non exiguam penum reliquit, ùnde Gruteri, ac Muratorii Theſauri locupletiores prodirent. Quid denique de Barbarica ætate, exteriſque Gentibus, ac præcipuè Longobardis Italiæ dominis Alciatus ſentiat, illa ſatis elegans docebit Præfatio, quâ laudatæ Collectioni exordium fecit; ubi, inter alia hæc ipſe ad rem noſtram: *Nec verò curioſè ego contenderim, utrum præſtat à Romanis, vel à Longobardis originem duxiſſe: cum enim videam in illo Romani Imperii occaſu, omnes Provincias Barbaris patuiſſe, & ab Arctoo Cælo omnes ferè inundatas (ut ita dicam) terras, quid honorificentius nobis eſſe poteſt, quam à Longobardis eſſe progenitos? quos Cornelius Tacitus totius Germaniæ nobilitatis nomine præcipuos adteſtatur? quoſque & Chriſtianos, & Orthodoxos, priuſquam in Italiam deſcenderent, Procopius Cæſarienſis diligens Auctor ſcribit: Ut plurimùm mirer, cur adeò illis infenſus in Hiſtoria ſua Blondus fuerit, quum fortaſſis & ipſe ab illis deſcenderit ..... Mihi certè, quiſquis ille fuerit, verè Romanus cenſebitur, qui Quiritum Artes, ſtudia, Mores probè teneat* (2). Vides, quàm bellè, ac modeſtè inſaniſſima illorum ſtudia, ſeu ſomnia Alciatus ſugillet, qui ipſius tempore, deſpectâ, ac pedibus veluti proculcatâ media ætate, ad priſcos Romanos tranſilire geſtiebant, non ut eorum mores virtuteſque ſibi imitandas proponerent, ſed ut ſolâ nominum, cognominumve affinitate ſeſe in Romanam ſtirpem extollerent. Vides (quod rei caput eſt) Alciatum

(1) Muratorius in Præfat. ad tom. 1. Antiqu. Medii Ævi.

(2) Alciati Præfat. hanc in lucem edidit Cl. P. Franc. Zacaria tom. 1. Excurſ. Literar. per Ital. pag. 74.

tum satis æquum Mediæ ætatis æstimatorem, manifestum verò Longobardorum patronum, amplius mihi audendum erit: ita enim Longobardorum me patronum præstabo, ut eorum Rebus gestis accuratiore stilo singillatim expositis, ipsi veluti redivivi Longobardi suam egisse caussam videantur; probeturque certum illud, atque manifestum, haud me frustrà Patriis Antiquitatibus continenter illustrandis posteriorem hanc navasse operam, quâ suus ei Genti honos, sua ejus Posteris gloria constabit; nec sua deerunt universæ tum Politicæ, tum Ecclesiasticæ, tum denique Litterariæ Reip. emolumenta.

At quid magnum (fortasse quis inquiet) quid novi hoc opus parturiet, quod non de Medii Ævi Antiquitatibus Cl. Muratorius prodiderit, quod de Longobardorum rebus non edisseruerit Camillus Peregrinius, nuperrimèque Bernardinus Zannettius ennarrarit? Fateor quidem maxima Muratorii promerita, cui plurimùm ea debet Antiquitas; non enim Scriptoribus synchronis penè omnibus undequaque erutis, atque in unum corpus collectis, loquentem tantùm nobis, effecit; verùm etiam peculiari opere, ac studio visendam dedit, illius mores, ritus, militiam, artes, literarum studia, & horum similia sex voluminibus persequutus; atque hoc opere suæ consilium fuisse testatur, ut *faciem Italici Populi delinearet, qualis fuit a Sæculo Christianæ Æræ Quinto usque ad Millesimum, rerumque singularum fontes aliis generatim indigitaret* (1). De Longobardis autem, qui per eadem Sæcula, Italiæ domini, Italicarum rerum præcipua pars, ac materies fuerunt, vix aliqua sparsim, tenuiterque delibavit, id quod etiam cursim, frustratimque in suis Annalibus præstitit. Zanettii certè postmodum curâ, atque industriâ factum fuit, ut quæ Longobardica apud Muratorium occurrerent, simùl coalescerent, unumque sub aspectum exhiberentur: hinc se Zanettius Muratorianorum Annalium pedissequum in contexendis Longobardorum gestis, chronologicaque ratione servanda fatetur, in eo solùm descifcens, quod Veterum Scriptorum sensus afferre maluerit, quorum ille verba ipsa (meliore fortasse consilio) recitare curavit. Sed quod ad Longobardos attinet, nihil, aut certè parum è penu sua depromsit Zanettius, in externas res pervagatus, quibus satis *eruditioni* (ut ait) potiùs, quàm instituto argumento factum voluit (2). Illud denique Viro doctissimo omninò deest, quod post Regis Desiderii captivitatem cum ipso simul Longobardici Regni interitu perpetuum operi suo finem indicens, de Beneventanis Longobardis, qui ad Sæculum XI., tribus videlicet post Regis Desiderii fata labentibus adhuc Sæculis, Cistiberinæ Italiæ Principatum tenuerunt, nihil adtexendum sibi duxit; immò ea, epilogi loco, habet, quæ in ejusdem Principatus injuriam cessisse videntur: Postquam enim illius institutionem ab Arichi factam commemorasset, mox ista subdit: *Di non molta durata fù questa superiorità di Arigiso; perocchè liberato appena da alcune sue spedizioni, che dovette frattanto prendere contro de Sassoni, infesti a suoi stati, ritornò Carlo di quà da monti, e lo ridusse ben presto a dovere; onde convenne alla fine, che il miserabil destino di quasi tutta l' Italia chinasse il capo al fortunato ascendente del Franco Rè vincitore.* Qui verba isthæc, quibus Zanettianum opus explicit, lecturi sint, nil, nisi de Francis cogitare incipient, extinctumque omninò cum Regio jure, ac potestate ipsum simul Longobardorum nomen in Italia reputabunt; & tamen tria adhuc Sæcula excurrere exinde cœperunt, quæ Longobardorum nomine, gestis, imperio satis illustria, Longobardici Regni majestatem in Benevento Principatu servatam, atque in universa Cistiberina Italia incolumem, florentemque aspexerunt.

Superest de Peregrinio dicere; cujus nomini hanc laudem libenter assentiar; ut Longobardicæ Historiæ Parens Peregrinius dicendus sit. Ejus enim industriæ, laboribus, ingenio, atque eruditioni debemus, quod plurimis illius Gentis, atque Ætatis editis Scriptoribus, aliisque



(1) In ead. Prefat. tom. 1. Antiqu. Med. Ævi.

(2) Del Regno dè Longobardi in Italia. *Memorie Istorico-Critico-Chronologiche*. Venet. 1753. Porro Zanettius sic inter alia præfatur: *L' imcomparabile Sig. Ab. Muratori, nome di fama immortale nel Mondo Letterario, dovendo a squarci trattare ne' suoi Annali di questo stesso argomento, non ha fatto, che render volgari gli Autori antichi, che ce ne hanno lasciato le memorie. Io, che ho stimato diverso il mio dovere da quello di un' Annalista, non ho potuto appagarmi di questa semplice traduzione ..... così però non ho fatto in collocare i successi per quanto mi è stato possibile a' suoi veri luoghi; ho voluto in ciò farmi imitatore di scorta sì luminosa &c.* & paullò superiùs de Operis sui œconomia loquens, sic habet: *Per dare un' idea del contegno de' Longobardi, che sono l' oggetto primario del mio Ragionamento, non ho potuto talvolta dispensarmi di passare alle Corti dè Rè Franchi, dè Romani Pontefici, e sopra il tutto alla Imperial di Constantinopoli ..... Ben' è vero però, che alcune fiate nel parlar delle procedure de' Greci Augusti, non ho osservato quel rigore di ristrettezza, che forse avrebbe incontrato nel genio di taluno; ma la mira di dare quella contezza, che si ricerca all' intera cognizione de fatti, è quella, che guadagna una giusta scusa alla digressione; e dove questa non basta, supplisca l' erudizione, in grazia di cui mi son fatto lecito di descrivere i successi delle guerre di Persia, l' ignoranza, i progressi, e gli effetti perniziosi dell' Eresie de' Monoteliti, e degl' Iconoclasti con penna alquanto diffusa &c.*

que monumentis, quibus etiam illustrandis notas, observationesque adjecit, Longobardicæ Antiquitates barbaricam frontem ita demum exererent, ut jam tum quandam induisse venustatem, magnam verò utilitatem præseferre cœperint: Cœpit, inquam, Peregrinius Longobardos demereri, Beneventanos præsertim, quorum Ducatum, tùm peculiari lucubrata Ducum a Zottone ad Arichim usque II. Chronologia cum Æræ Christianæ annis comparata, tùm Dissertationibus aliquot illustravit: quarum Dissertationum argumentum in eo versatur, ut *Quando*, & *Cur* Ducatus ipse institutus, tùm qui illius *Fines*, quæque fuerit *Distributio*, ostenderetur. Plura is gravioris quidem momenti, negotiique difficilioris differere meditabatur, quæ vel elaborata perierunt, vel potiùs elaborasse spatium non fuit, nam & illas, quas præproperè edidit, memoratas paullò ante Dissertationes, *non omni, qua potuisset, diligentia lucubratas*, ore ipse suo fatetur; illæque lecturis per se ipsas facilè ostendunt (1).

At præter hos, quos hactenus recensuimus, Clarissimos Scriptores, habuisset certè Urbs Beneventana Scriptorem, domesticum quidem ipsum, patriasque non Ævi tantùm medii, sed Ætatum quoque omnium Antiquitates absolutissimè prosequutum, nisi pro Opere ipso, Auctoris solum nomen reliquum nobis esset. Ac Nicolaus quidem Toppius testis est, se anno MDCL. à nobili Cive Beneventano, *multæque litteraturæ* viro, Alphonso de Blasio epistolam accepisse, quâ is affirmabat, universam Beneventanam Historiam, ingens triginta annorum opus, condidisse, quæ in quatuor ætates, sivè Dynastias, totidemque volumina dispertita, qualis I. Sub Samnitibus. II. Sub Romanis. III. Sub Longobardis. IV. Sub Pontificibus Summis, Beneventanorum fuerit status, quæ illustriores res gestæ, qui celebriores eventus, quæ denique vetusta ad posteros pervenerint monumenta, in lucem hominum proferret. Alphonsi literas (quas heic subnectendas quoque ducimus, ut ex ipso Titulo, atque Auctoris consilio, quanti opus æstimandum fuisset, censere quis possit) in *Bibliotheca sua* servatas voluit Toppius, qui anno MDCLXXX. opus suum edens, hæc subdit: *Dove al presente, & in mano di chi si conservino tali dotte fatiche, con tutte le deligenze, che vi ho usate, non si è penetrato. Così si trascurano, e perdono le cose di tanto momento? Miserie pur troppe grandi del Secolo presente, e di questo Regno, privo di Mecenati, e degli accurati, e buoni investigatori delle belle Opere altrui smarrite, e quasi sepolte nella perpetua obblivione* (2). De ejusdem Operis fato etiam conqueritur, Toppium sectatus Petrus Jannonius, hæc pari stilo de Alphonso effatus: *Morto al piacere dell' immortal suo nome, che senza dubbio per cotal opera sarebbesi acquistato, non potè vederne il fine; ed i suoi manoscritti con tanta trascuraggine non curati giacciono ora sepolti in profonda caligine, senzachè vi fosse stato, chi se ne avesse preso cura, o pensiero di farli imprimere* (3). Opus autem ad umbilicum non pervenisse ipse Alphonsus fatetur: quare faciliùs post ejus mortem disperire potuit (uti etiam noster Nicastrus observat in sua Pinacotheca) ejus Pestis calamitate, quæ anno MDCLVI. in Neapolitano Regno grassata, universos penè Beneventanos Cives, ejusdemque Alphonsi familiam absumpsit: nam neque Toppio post viginti ab acceptis Alphonsi literis annos de eo Opere diligentissimè perquirenti, compertum aliquid fuit. Nihil itaque ex hoc Scriptore Longobardica Historia sibi comparatum habet, nisi quòd illius conatum sciamus, ac nomen, majore fortasse suæ laudis emolumento, quam post Toppium, & Jannonium adhuc deferendam existimavimus.

Hic itaque Longobadicæ Historiæ status: hæc in Beneventanas Medii Ævi Antiquitates collata hactenus Literatorum Virorum studia, atque conatus: non exigui illi quidem, qui tamen nec aliorum votis, nec rèi dignitati respondisse videntur. Enitendum igitur mihi fuit, ut quod

(1) Cam. Peregrinius in præfat. ad Differt. I. tom. V. Opp. edit. Neapol. pag. 199.

(2) Biblioteca de Scrittori Napolitani pag. 356. edit. Neapol. 1680. Alphonsi Epistola à Toppio relata sic habet: *Io mi ritrovo per lo continuato studio di trent' anni in rintracciare i fatti di Benevento, quasi che persa la salute, e scemata la borza, e vedendo, che non potevo ordinar l' Istoria coll' autorità di Srittori senza che in altri non la trovasse contrariata, o almeno in fatto ampliata, o diminuita, da ove pigliai motivo di scriverla per contradizione, con esemplarci quanto prò, e contra dagl' Istorici antichi ne trattano: e l' ho intitolata:* Istorie controverse dell' antichissima Città di Sannio, oggi Benevento, da Alfonso de Blasio concordate: *Ed ancorchè dagli Eruditissimi Cluverio, e Salmasio si niega la sossistenza della città di* Sannio; *io li convinco coll' autorità di quattro Istorici autichi, e con molte prische espressioni, che l ho trovato a penna. L' Opera l' ho ripartita in quattro Volumi per Capitoli &c.* Quæ sint ea prisca MSS. monumenta, seu *expressiones* de vero *Samnii, vel Samniæ* vocabulo, Beneventanæ Urbis quondam proprio, omnino ignoramus: neque scisse refert, quæ neutiquam idoneum rei testimonium præstare nobis possunt: ex antiquis autem *quatuor* Historicis rem ipsam falsò asseri, vel perperam extundi, in Differt. I. superioris Libri satis probavi. Cæterum ex indicato operis *Titulo*, ejusque *Methodo*, ac denique *Stylo*, vereor, ne meliora, atque uberiora, quàm quæ ex Vincentio Giarlante in suo opere: *Memorie Istoriche dell' Antico Sannio*: habemus, Alphonsus nobis dedisset.

(3) Istor. Civil. di Napoli lib. XXVI. cap. VI. tom. III. pag. 392.

quod prioribus præstitissem, posteriores adhuc patrias Antiquitates illustrandas susciperem: atque hæ quidem, quod illas non una re antecellerent, in eandem lucem prodire gestientes, moranti mihi, seram operam contra susceptam jamdiu fidem, ac Civis officium, quodammodo exprobrabant: sed satis jam, si non pro ipsarum præstantia, pari tamen methodo, accuratiore fortassis opera, factum est: parem dixi servatam methodum, qua in priore lucubrando Libro usus sum; Longobardicam enim Historiam universam ita exhibuisse libuit, ut præcipua ejusdem Historiæ Capita propriis Dissertationibus sigillatim pertractanda, atque illustranda selegerim: Majorem scilicet, quàm ut tantùm Historicus viderer, laborem mihi statutum volui; ut quicquid ad præclarissimum quodpiam propositum argumentum pertineret, in unum locum, seu Dissertationem pertractandum, opportunisque observationibus uberrimè illustrandum conjicerem; eam demum Longobardicæ Historiæ, seù Beneventanarum medii ævi Antiquitatum faciem exhiberem, quæ nobilioribus, atque utilioribus partibus sigillatim patefacta, elegantior, eruditiorque appareret, nec delectare modo, verumetiam prodesse posset.

Summam igitur Operis hanc habeto. Ab Longobardorum Originibus exorsus, sequutum ipsorum in Italiam adventum, constitutumque cum Italico Regno Beneventanum Ducatum, primo loco aperiam. Mox de Longobardorum *Religione* (quæ rerum omnium Caput esse debet) accuratissime differetur. Deinde illorum *Nummos*, illorum præterea *Leges* distinctis Dissertationibus ita illustrare licebit, ut rei utriusque non modo occasione, verum etiam subsidio, universæ, quæ memoratu dignior sit, Longobardicæ Historiæ tum fides, tum series, tum denique dignitas, luculentiùs constare videantur. Ad eandem verò Historiam quum maximè *Ecclesia Beneventana* pertineat, de ea quoque uberrimè egisse, operæ pretium duximus, ut qualis quantaque per mediam ætatem illius præstantia, splendorque extiterit, spectandum tribuatur. Suam quoque *Res Literaria* Dissertationem sibi vindicabit, ubi non tantum Viros, qui *Sanctitate*, & *Dignitate*, sed qui etiam *Literis* quam maximè inclaruerint, barbaricasque illas ætates singulari Doctrinæ laude illustrarint, ita celebrabimus, ut quod eorum honori, memoriæque restituendæ institutum est, præsentium quoque temporum eruditioni argumentum ipsum profuisse noscatur. Postremò de Longobardici Principatus *Occasu*, ejusdem Caussis sermo instituetur, addeturque simul, quo præsertim tempore, quo etiam jure tum Beneventanus Principatus, tum ipsa denique Urbs in Apostolicæ Sedis dominium, administrationemque translata, feliciorem, quàm olim, Reip. statum auspicata sit. Hæc, inquam, Operis summa: quam sequens Prospectus in distinctiorem formam enucleabit.

Aderit Operi ex pluribus variorum ejus ætatis Monumentorum adhuc superstitum Simulacris, æreis Tabulis ad Archetyporum fidem insculptis, conquisitum decus, atque ornamentum; itaut hac quoque re nihil priori Libro invidendum sibi sit. Non heic quidem alteram habebimus Portam *Auream*; sed quam exhibemus *Æneam*, anaglyptico opere insculptam, ac in nostra Æde Majore extantem, non minoris profecto quis fecerit, qui non tam materiæ, temporumque rationem, quàm expressas ibidem Sacrarum, Ecclesiasticarumque rerum effigies spectabit. Habent ista sequioris ætatis Cimelia, unde maximi æstimentur; nam & illorum temporum imaginem vividiùs nobis repræsentant, & plerumque synchronis Scriptoribus eloquentiora, atque sinceriora, vel illorum supplent silentium, vel tenebras illustrant, vel fidem confirmant: Quantum denique emolumenti ex vetustis id genus monumentis tum Ecclesiastica Historia, tum ipsa quoque Christiana Religio sibi comparaverint, jam omnes norunt, atque ex nostro Opere ampliùs didicisse nunc promptum erit.

Sed & altera Operi accedet, majori fortasse pretio ac splendori futura, Monumentorum suppellex; quæ & illius erit *Appendix*. Priori Libro Appendicem quoque dedimus, ubi Veteres Inscriptiones Beneventanas omnes tùm editas, tum ineditas undequaque collectas, in suas Classes distributas, opportunisque notis illustratas, postremam scilicet, sed imprimis conspicuam ejus Thesauri partem, edidimus. Posteriori huic Libro insignem pariter Coronidem præstabunt Veteres Chartæ ex MSS. Beneventanæ Bibliothecæ Longobardicis Codicibus summa fide, diligentiâque descriptæ; quas vel nunquam hactenus, vel mendosè, aut mutilè editas, in ipso Opere (ubi res postulavit) vel tantùm commemoravimus, vel etiam justis Commentariis exornavimus. Has autem in unum rejicere locum, satius visum fuit, ne (uti in aliorum Libris plerisque experimur) si in ipso Opere passim interjectæ

essent, Lectorem plus æquo remorarentur; qui tamen legendi cupidus, quam sibi libebit, promptam ex indicato ejusdem Appendicis numero ad manus habebit. Ejusmodi Monumentorum satis locluples nostra Bibliotheca est, de cujus præstantia, quum de Ecclesia Beneventana differendum erit, speciatim agemus. Ex ipsis vero Monumentis non solum quæ vel temporis vetustate, vel rerum gravitate præstantiora sunt, dabimus (ne in eorum morem, seu vitium incidamus, qui ejusmodi sequioris ævi chartis sine ullo delectu coacervatis Libros onerare potius, quam ornare, legentesque fastidire magis, quam juvare solent) immo ex præstantioribus ipsis, selecta tantùm aliqua, quæ pro re nata Operi illustrando necessaria essent, in medium depromsimus.

Hæc de Thesauro altero Beneventanarum Antiquitatum, Operisque argumento, atque œconomia, præloquenda habui. Si hujus Libri fatum ex prioris Libri successu conjicere, atque argumentari fas est, in certam spem erigor, posteriores hosce, aut certè postremos, quos jure suo sibi Patria vendicabat, labores meos, apud eos iri probatos, qui instituti argumenti non tam gravitatem, quàm difficultatem animadvertant. De prioribus Beneventanis Antiquitatibus, dum Romana res, ætasque stabant, propereaquod sua se luce illustrarent, haud ita arduum, aut operosum, immo obvium ferè, ac jucundum fuit, disseruisse: At sequutæ Barbarici Ævi Antiquitates, ut in bono lumine collocatæ splendescerent, è mediis tenebris eruendæ fuerunt; expolienda ipsarum ruditas, detergendæ fæces, situsque omnis, atque squalor, quo obducebantur, ita dispellendus, excutiendusque, ut quod in eis lateret pretium, quæque dignitas, atque utilitas inessent, in apertam lucem, ac novam veluti faciem prodirent. Ausis non animus defuit: an ingenium responderit, alii judicabunt; apud quos ipsa saltem argumenti difficultas mihi, non omnia dignè, ac luculenter exequuto, veniam impetrabit: id certe probaverint, quod hanc Antiquitatum partem alteram, qua præcipuum Patriæ decus continetur, quibus valui ingenii viribus, illustrandam, atque absolvendam susceperim. Mihi verò, dum Patriam exornare elaboraverim, id unum fuit consilium, id superest votum, ut Civibus profuisse simul videar: Quibus nihil proderit nobilissimam jactitare Patriam, quam non meruisse probentur: Ut digniùs autem, ac faciliùs mereri possimus, tùm terrestris ista, ac temporaria, quùm cœlestis illa, ac sempiterna cogitanda nobis Patria est, ad quam omnia dirigere munera, operasque nostras, omnia denique, quæcunque sint, studia nostra conferre debemus.

CON-



# CONSPECTUS OPERIS TOTIUS

AD-



# ADPROBATIONES

JUſſu Reverendiſſimi P. M. Thomæ Auguſtini Ricchinii Sac. Apoſtolici Palatii Magiſtri legi Librum cui titulus: THESAURUS ALTER ANTIQUITATUM BENEVENTANARUM MEDII ÆVI: auctore doctiſſimo Viro D. Johanne de Vita Sanctæ Beneventanæ Eccleſiæ Canonico, & quum in eo nihil prorſus contra Catholica Dogmata, rectamque morum diſciplinam animadverterim, immo pura compererim cuncta, ingenuumque in toto Opere veritatis ſtudium admiratus ſim, nec non innumera ferè reconditæ antiquitatis monumenta a Scriptore rerum Eccleſiaſticarum valdè perito diligenter explicata ad regulas exactiſſimæ criticæ non intemperantioris quidem omnia convellere conantis, ſed ſanæ illius, quæ, ſummotis fabulis, vulgique erroribus, veritatem vindicat, atque confirmat, ideo ad Beneventanæ Urbis decus, Reipublicæque Literariæ incrementum in lucem prodire poſſe cenſeo. Ex Aedibus S. Calliſti Kal. Auguſti MDCCLXIV.

D. P. ALOYSIUS GALLETTI ROMANUS
*Abbas SS. Salvatoris & Cyrini ad Inſulam Congregationis Caſinenſis, in Vaticana Bibliotheca Linguæ Latinæ Scriptor.*

---

SIngulari legi voluptate ANTIQUITATUM BENEVENTANARUM doctiſſimi, eruditiſſimique Viri Johannis de Vita S. Beneventanæ Eccleſiæ Canonici Volumen alterum, a Rm̃o P. Thoma Auguſtino Ricchinio S. Palatii Apoſtolici Magiſtro, ut meum de eo ferrem judicium, interpellatus; & in eo nihil cenſurâ dignum in iis, quæ ad Religionem, & Mores pertinent, notavi; immò plurimùm illa probavi, quæ in hoc Opere a Clariſſimo Auctore tam doctè. perſpicuè, eruditèque enucleantur, & Vetera Monumenta, quæ producentur, ac illuſtrantur. Quare vaſtiſſimus hic Eruditionis Oceanus Antiquitatis cùm Sacræ, tùm profanæ Amatorum bono typothetarum operâ publici juris per me quantocius fiat. Sic cenſeo. Romæ Nonis Sextilibus MDCCLXIV.

PROSPER PETRONIUS
*Abbas S. Mariæ in Fonte Laureato.*

---

*IMPRIMATUR*

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſt.

*D. Archiep. Nicomed. Viceſg.*

---

*IMPRIMATUR*

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ord. Præd. Sacri Palat. Apoſt. Mag.



# DISSERTATIO PRIMA

## LONGOBARDORUM ORIGINES

### Eorum in Italiam adventus, Italicique Regni exordia: Ducatus Beneventani inſtitutio, atque incrementa recenſentur.



OSTEAQUAM Romanorum res cecidere, & perfracta ſemel Italiæ oſtia Barbararum Gentium excurſionibus patere impunè conſueverunt, quod Italorum cervicibus imminere cœpit, barbaricum jugum mutari perſæpe, excuti nunquam amplius potuit. Qui Herulorum, Vandalorum, Hunnorum nomina non ignorant, norunt pariter petitam illorum multitudine Italiam, ſed torrentis inſtar, qui omnia depopulatus, nihil ſuiipſius, niſi illatas calamitates ſpectandas lugendaſque relinquit. Primus, qui Italiam, Regiæ potius dominationis Sedem, quàm temporarium, expoſitumque cædibus prædiſque Campum, ſibi propoſuit, Odovacer Turcilingorum Rex memoratur: atque is Momyllo, ſeù Auguſtulo poſtremo Occidentis Imperatore devicto, Italicum Regnum auſpicatus, ad annos circiter XVII. tenuit: ſed à Theodorico Gothorum Rege gemino prælio ſuperatus, ac denique per fraudem interfectus, ſuas veluti vices Gothis ſubeundas reliquit: Non diù poſt, Imperialibus Copiis, Narſete Duce, Bizantio miſſis, Gothicum Regnum deletum eſt; ſed quæ ſub Gothicis Regibus veluti conquieſcere Italia cœperat, in veterem libertatem vix revocata, dum Romanis iterum parere arbitrabatur, dominos Longobardos accepit. Ac Longobardis tandem ſervatum videbatur, ut qui ſemel Italiam ſibi ſubegiſſent, Regiam ibidem Sedem, dominationemque ſuam ita ſtatuerent, ut Itali ſubinde, Longobardique in unam coaleſcerent Gentem, eademque utriſque communis patria Italia efficeretur. Regia Sedes *Ticinum*: ſed binis jam lapſis Sæculis, Regio extincto nomine, *Beneventum* adhuc *Ticinum alterum* fuit. Beneventum itaque Longobardorum dominationem, mox ut Longobardici Regni fundamenta locata ſunt, non ſolum ſui Ducatus inſtitutione ſuſcepit, ſervavit, atque ad extremos ejuſdem Italiæ fines provexit; verum etiam ejuſdem Regni, quod Francorum armis exciſum videbatur, regerminantem veluti dignitatem in ſe unam collegit, ac contutata eſt; adeò ut Beneventano Longobardorum Principatu ſuperſtite, ipſum idem Longobardorum imperium ad quinque uſque Sæcula non tàm in media ſteterit Italia, quàm multâ maximarum rerum gravitate, varietateque floruerit.

Dum igitur Longobardica Sæcula percurrenda, atque illuſtranda nobis erunt, illud primùm noſſe intererit: unde ei Genti Nomen factum; quod genitale ſolum; quæ virtutis olim fama extiterit; quo demum tempore, quaque occaſione in Italiam advenerit; an ſimul cum Italico Regno exortus Beneventanus Ducatus fuerit; quæ tandem priorum Ducum operâ incrementa acceperit.

Longobardorum nomen ab ipſo florentis Romani Imperii ævo audiri cœpit: nam vetuſtis Romanorum Scriptoribus Vellejo, Straboni, Tacito, aliiſque celebratum conſtat. Quare vero inter cognatas Germaniæ gentes eo nomine inſignes haberentur, nequaquam Romana Antiquitas prodidit. Qui primus Longobardorum ſatis illuſtris, ac vetuſtus Scriptor, Gentis ſuæ res peculiari opere poſterorum memoriæ commendavit, Paullus videlicet Diaconus Warnefridi filius (1) dictos Longobardos ex eo affirmat, quod *longam* barbam promittere in more haberent: ſiquidem *Lang* longum, *Bard* barbam vernaculo Gentis idiomate appellatam, ſignificatamque diſertè teſtatur. Mirum autem, quot Paullus de hac etymologia adverſarios ſibi excitaverit; mirum adhuc, quot in aliis perquirendis etymologiis Scriptorum inter ſeſe diſcordiæ, ac commenta potiùs, quàm opiniones eruperint. Alii enim à *Lagna*, Regionis Finmarchiæ ſinu, *Lagnoandros* primùm, dein Longobardos: vel ex *Lingonibus*, atque *Bardis* populis coaleſcenti ei genti conflatum ſimul Longobardorum nomen: vel quia ſtolidos, craſſæque minervæ homines, quos *Longobardos* Saxones ſua linguâ vocant, eandem ſubiiſſe appellationem: vel à corporum proceritate *Longobarbaros* olim Romanis dictos, mox contracto vocabulo Longobarbos, ac denique Longobardos appellatos cenſuerunt (2): Doctioribus verò pleriſque, quaſi à Diaconi auctoritate diſceſſiſſe vel nullum omnino nefas, vel tutiùs fortaſſe jam fuerit, ad *Alebardas*, ſeù *Hallebardas* confugere libuit, ut, quia *Bard* Germanorum linguâ *Bipennim*, *Securem*, *Haſtam*, aut ejuſmodi armaturæ genus ſignificet, indè Longobardis, longâ cuſpide illam vibrantibus, id factum nomen maluerint (3). Quid, quod Cl. Ant. Caracciolus in ſuis ad IV. Chronologos Propylæis Herempertum ex eo vel corrigendum, vel redarguendum velit, quod pro Langobardis Longobardos ſcribere conſueverit? *Sic fere* (inquit) *Herempertus, ſequutus fortè etymon à Longis Barbis; quod ſanè falſum: lege Latium de migrat. Gentium* (4). Grates profecto tot claris Viris referendæ à Longobardis eſſent, quod præ quibuſque aliis antiquis Populis tanti habitos ſeſe videant, ut tamdiù, tamque ſolerter, diverſèque de ſui nominis origine quæſitum, diſceptatumque ſit; niſi varias illas derivationes, totidem ingenii nugas eſſe animadverterent, ac ſatius ſibi, ac ſplendidius ducerent, uni Diacono, domeſtico ſcilicet, ſatiſque idoneo Scriptori integram ejus rei fidem præſtitiſſe: Atque à Paul-

lo

(1) De Geſtis Longobardorum lib. I. cap. IX. inter Scriptor. Ital. tom. I. part. I. pag. 411. Litem de tradita ejus Gentis origine Paullo movit Phil. Cluverius *Germ. Antiq. lib.* III. *cap.* II. Bodinus in *Hiſt. Method.* At Diaconi teſtimonium ſtrenuè tuetur Hugo Grotius in Proleg. ad *Hiſt. Goth. Longob.* & Erycius Puteanus *Hiſt. Inſubr.* cap. II. num. VII.

(2) Jo. Ant. Summontius *Hiſt. Neap.* lib. II. pag. 113. Bernandum etiam Saccum laudans; quibus aſſentitur Nic. Parth. Giannettaſius in ead. Hiſt. lib. IV. pag. 60.

(3) Eam Longobardi nominis etymologiam primus omnium, quem ſciam, excogitavit Voſſius in *De Vit. Lat. ſerm.* cap. XVII., quem poſtea non ſolum ſectati videntur, ſed amplius eam ſententiam comprobare adniſi ſunt VV. CC. Jo. Bollandus *in not. ad Vit. S Antonini Abbatis Surrentini ad* XIV. *Februarii to.* II. *pag.* 796. *edit. Venet.* & Angelus de Nuce in not. ad Chron. Caſin. lib. I. cap. 2., quos tamen jamdiù refutatos reperio ab erudito Com. Valerio Zano in Diſſertatione ad marmoream Regis Luitprandi Pelvim à Cl. Malvaſia inter Marmora Felſinea editâ pag. 201. quo loco hæc inter alia Zanus. *Nè mi ſi apponga, ſe a' ſentimenti degli antichi Autori aderendo, mi ſcoſto dall' erudito parere di Monſignor Angelo della Noce ne' dotti Commentarj del Cronico Caſſinenſe; o de' ſapientiſſimi, e da me amatiſſimi Padri, Autori degli Atti de' Santi, impreſſi in Anverſa nella Vita di S. Antonino Abate di Sorrento, i quali forſe traendolo dal ſecondo libro de Vizj della latina lingua del Voſſio cap.* XVII. Longobardi non à latina voce *Barbarum* nuncupati, ſed a *longis bardis*, ſeù *bartis*, *hoc eſt bipennibus*, quas geſtarent, *dalle Allabarde, arme uſate da quella guerriera nazione, denominati li credono.* Malim tamen a veteri vocabulo *Barde*, quod Bipennim, Aſciam, Dolabram ſignificat, quàm a *Baert*, ideſt barba deduci &c. Nomen inde factum *Longobardis* conjicio, quod iſtiuſmodi geſtarent, & dextrè vibrarent longa cuſpide contos &c. *Mentre dal dotto Sig. Du-Cange ricavar sì può, che quella nazione più adattamente ſimil nome con altro motivo imponeſſe a queſt' arma.* Hallebardas vocant, voce a Germanis ducta, quibus *Hall*, vel *Haell* eſt Palatium, Aula, & *Bard* bipennis, quaſi aulicas lanceas, vel bipennes: *e prima di lui notollo l' erudito Cluverio nel primo libro cap.* 44. *dell' antica Germania &c.* At nugari amplius voluit Cl. Bollandus, qui Paullo Diacono Paullum ipſum Diaconum opponere ſategit, ut quam ille de ea re *certam* protulit ſententiam, *ridiculam*, atque ideo contemnendam, ex ipſiuſmet ore dein efficiat. Præmiſerat quidem Paullus lib. I. cap. 8. acceptam a majoribus fabulam de cujuſdam Freæ conſilio, quo Winilorum (quod priſcum Longobardis nomen) mulieres in aciem prodeuntes *ſolutos crines erga faciem ad barbæ ſimilitudinem componerent, maneque primo cum Viris adeſſent ..... quas cum Wodam conſpiceret, dixiſſe*: qui ſunt iſti Longobardi? *Tum Fream ſubjunxiſſe: ut quibus* nomen tribueret, *victoriam condonaret.* Quid vero ad hæc Paullus? *Hæc* (ſubdit) *riſu digna ſunt, & pro nihilo habenda.* Tunc ad alia pergens, atque ad caput IX. progreſſus, ſic ipſe orditur. *Certum eſt Longobardos ab intactæ ferro Barbæ longitudine, cum primitus Winili dicti fuerint, ita poſtmodum appellatos: nam juxta* illorum linguam Lang *longum*, Baert. *barbam ſignificat.* An igitur rectè procedet Bollandi argumentatio, ut quia Paullus *ridicula*, quæ circumferebantur commenta, præfatus ſit, *ridiculam*, etiam ſuam etymologiam fecerit, quam alia prorſus ex cauſſa atque omninò ſeriò *certam* ſubjunxit?

(4) Tom. V. Scriptor. Ital. Muratorii pag. 12. quo loco Caracciolus *barbara aliquot & ſoloeca in Heremperti opere occurrentia* recenſet.

lo Diacono certè neque veteres Scriptores, neque Eruditi recentiores quamplurimi recedendum censuerunt (1): Quorum sententiæ illud addimus, Longobardos ipsos nonnunquam abjectâ, unde nomen coaluit, priore dictione, solum *Bardos* in antiquis ac carmine ferè semper scriptis Monumentis, appellatos se voluisse (2).

Sed neque de nominis pronunciatione (uti paullò superiùs ostendebat Caracciolus) omnino convenit. Alii namque *Langobardos*, alii *Longobardos* scribendos, appellandosque censuerunt: Utrisque veterum monumentorum favet auctoritas; itaut perperam Caracciolus Herempertum, ceterosque, Longobardos nuncupare malentes reprobare ausus sit; sed integra potius alterutrè pronunciandi facultas cuique esse debeat (3). Nec illud quidem (nisi vocabulorum novitas invidiosa haberetur) absurdum foret *Longobarbos* dixisse; quemadmodum (nisi mendum putare quis velit) à Gregorio Turonensi semel appellatos reperio (4): appellandos certè optima ratio suadet; quum enim Latium ad quinque usque sæcula Longobardos Cives suos simulque Dominos aluisset, auditumque olim Latio *Barbatorum*, atque *Ænobarborum* nomen extitisset, jam suo jure Longobardi, quibus à Barba nomen factum omnino constat, integro vocabulo *Latiare* illud effici, seseque *Longobarbos* appellari nequaquam abnuerent. At non tanti Longobardorum nomen, ac Barba erit, ut diutiùs heù remorari nos debeat (5).

ALTER A 2 Lon-

(1) Etiam ante Paulli ætatem idem statuerat S. Isidorus *Etymol. lib.* IX. *cap.* 2. hæc ajens: *Longobardos vulgò ferunt nominatos à prolixa barba, & nunquam tonsa.* Post Paullum verò eadem sententia insedit Ottoni Frisigensi *lib.* II. *cap.* XIII. *de Gest. Frider. Imp.*: Gunthero lib. II. cujus illa versus est: *Dicitur à longis ea Longobardia barbis*: Constantino Porphyrogenito *lib.* II. *de Thematibus cap.* XI. eamque sententiam probant, tuenturque inter alios laudatus Zanus, Hugo Grotius *in Prolegom.*: Cangius *in Glossar. med. & infim. latin.*: Horat. Blancus *in not. ad d. Paulli Diac. locum*: Cl. Assemanus *tom.* I. *Ital. Histor. Scriptur. cap.* III. *pag.* 34. *& seqq.* ubi de hac re diligenter, atque eruditè sermocinatur.

(2) Sic adhuc legimus in Tumulis nostrorum Principum, scilicet Siconis, Ursique filii Radelchis, uti quoque Neapolitanorum Consulum Cæsarii, & Boni apud Muratorium *tom.* II. *Scriptor. Ital. part.* I. *pag.* 311. 313. *&* 342. & alibi. In Tumulo autem Grimoaldi Principis filii Arichis binæ, ex quibus nomen Longobardorum coalescit, dictiones ita sejunguntur vers. 9. *Gloria magnificis de Lango maxima Bardis*. Bardi autem solitariè dicti, non tam per aphæresim, vel sinonymicè, quàm κατ' ἐξόχην; quandoquidem in Italia constituti Longobardi Italos reliquos, qui barbam vix, aut nullo modo alerent, eo oris habitu præstantes, solo *Bardorum*, idest Barbatorum vocabulo satis noti haberentur. Sed de Longobardorum barba mox alia in sequenti nota observabimus.

(3) De hac re satis sit Inscriptionem attendisse, quam Romanis characteribus marmori inscriptam Rex Liutprandus Ecclesiæ S. Petri ab se ædificatæ in *Civitate nova* agri Mutinensis apposuit: in cujus versu 5. ita legitur: SIC VIRTUS ALTISSIMI FECIT LONCIBARD. De qua lectione nullimodè dubitari fas erit, ob Cl. Muratorii, qui eundem Titulum propriis oculis lustravit, suisque descripsit manibus, testimonium, quod is hisce verbis præstitit in Antiqu. Ital. Med. Ævi Diss. XXI. tom. II. pag. 195. *Diligentissime inspexi, legiturque ibi, non* LANGOBARD. *sed* LONCIBARD. *quam lectionem in aliis quoque, paucis tamen, antiquis monumentis reperi, itaut in posterum si Longobardorum nomen per O, non per A, scriptum iis temporibus occurrat, non continuò inclamandum sit, latere illic fraudem, sive imposturam. Equidem in germanis Caroli Magni Diplomatibus, atque aliis in chartis, exaratis sub Carolinis Imperatoribus fere semper* Langobardos *per A, non per O, memoratos animadverti* ...... *verum qua ratione hoc nomen scriberetur, regnantibus ipsis Langobardis, Lapides tantum, ac libri tunc scripti indicare certò possent. Interea habemus heic Inscriptionem sine dubitatione in Civitate nova positam sub Liutprando Rege circiter annum Christi* DCCXXX. Sed & heic quæ ex autographis Caroli Magni Diplomatis observavit V. C. Mabillonius, ex ejus *De Re Diplomatica* præclaro opere pag. 74. num. 12. afferre libet. *Neque illud* (inquit) *animadversione indignum, quod in omnibus, quæ hactenus viderimus Diplomatibus Caroli M. autographis* (*vidimus autem permulta*) *nomen Caroli a litera C utique ante initum ab ipso Imperium incboatur, initio cujusque Diplomatis, & in subscriptione, quæ monogrammati adscribitur: at Monogramma ipsum litera K constat &c. Item dicendum de nomine Langobardorum, cujus secundam literam per A. constanter efferunt autographa, non per O, ut passim in editis &c.*

(4) Hist. Franc. lib. IV. cap. 36. & 39. apud Du-Chesnium tom. I. Scriptor. Francic. pag. 320. & seq.

(5) Quandoquidem Langobardorum Gens, atque nomen veteribus, veluti Straboni, Vellejo, Tacito haud ignotum fuerit, dubium exoriri potest, an quæ à Paullo Diac. traditur eorum nominis derivatio, à priscis illis manarit Auctoribus, vel potius per famam acceptam oculisque, seù barbæ adhuc servato cultu comprobatam, Diaconus exceperit. De Moribus Germanorum agens Tacitus hoc illis usitatum refert, ut *crinem, barbamque summitterent, nec nisi hoste cæso exuerent votivum, obligatumque virtuti oris habitum*: Itaque *Hircinis* suis (quales prolixiores barbas, ac in hircorum morem productas appellat Acron *in Horat. Poet. n.* 298.) potius juvari posse existimabant Germani, ut sic hosti terrorem facerent, quam Alexandri consilium sequi, qui (ut Athenæus meminit lib. 13.) *Barbam militibus radi jussit, ne hosti prædæ ansam præberet*. Si igitur communis Germanorum mos iste fuit, non est, cur inter reliquos Germaniæ populos, solis id nomen Longobardis attribui debeat. Adde nunc apud ipsum Paullum, si traditam excipias nominis etymologiam, vel nullam, vel fortè contrariam barbæ mentionem haberi: Quum enim de Palatio à Regina Theodolinda Modoetiæ extructo, expressisque ibi pictis coloribus ejus Reginæ jussu præclarioribus aliquot Longobardorum gestis, meminisset lib. IV. cap. XXIII.; *in hac* (subdit) *pictura manifestè ostenditur, quomodo Longobardi eo tempore* (binis scilicet ampliusque à quo scribebat tempore sæculis) *comam capitis tondebant, vel qualis illis vestitus, qualisve habitus erat; siquidem cervicem usque ad occipitium radentes tondebant, capillos a facie usque ad os dimissos habentes, quos in utramque partem in fronte dis-*

Longobardis Regio illa vaſtiſſima, *ſeptem ſubjecta Trioni* (1) Patria fuit, tellus ſcilicet, Cœlo rigens, ſolo ſterilis, ſed hominum fœcundiſſima, quam ſatis aptè *Vaginam nationum, gentiumque officinam* Magnus Gregorius (2) Goticuſque Jornandes (3) appellarunt. Inter

*diſcrimine dividebant: Veſtimenta verò iis erant laxa, & maximè linea, qualis Angloſaxones habere ſolent, ornata inſtitis latioribus, vario colore contextis: Calcei verò iis erant uſque ad ſummum pollicem pene aperti, & alternatim laqueis corrigiarum retenti.* Nulla quidem in hac ſatis curioſa narratione Longobardicæ barbæ vel veſtigia habentur; quam etiam barbam aliquando a Longobardis detonſam non ſiluit Paullus, dum l. l. cap. XL. Taſoni Forojulienſis Ducis filio Eugenium Romanorum Patricium pollicitum narrat, *ut ei barbam (ſicut moris eſt) incideret, eumque ſibi filium faceret .... ſed in opitergio doloſa fraude peremit ..... & propter jusjurandum, quod dederat, caput Taſonis ſibi deferri jubens, ejus barbam, ſicut promiſerat abſcidit.* At non iſta turbare debent: nam Longobardi, qui Winili prius (eodem Paullo teſte) vocabantur, an poſterius id nomen ipſi ſibi fecerint, vel ipſis a Romanis inditum fuerit, parum refert, dum a *longa*, quam præ cæteris alerent, vel primum a Romanis viſa *Barba* id acceperint. Eos autem barbæ ſtudioſos fuiſſe, in eaque excolenda decus, in radenda ignominiam collocaſſe idem Paullus diſertè docet; nam Grimoaldum Beneventi prius Ducem, dein Regem a corporis habitu laudare inſtituens lib. V. cap. 33. eum *Barba prominenti* fuiſſe ſpeciatim commemorat: tum lib. VI. cap. 20. Rotharim Bergamenſem Ducem perduellionis reum a Rege Ariperto capitis, *barbæque abraſione* damnatum refert. Sed & ut aliunde paria heic exempla conferam, Epitaphium Doctrulfi, unius ex primis Ducibus Longobardis apud Rubeum Hiſt. Ravenn. lib. V. ſub anno 586. a Barbæ longitudine eundem celebrandum quoque præfert his verſibus:

*Terribilis viſu facies, ſed corda benigna,*
*Longaque robuſto pectore Barba fuit.*

Affert etiam id Epitaphium Paullus Diac. lib. III. c. XIX. in quo tamen prior verſus ſic deſinit: *ſed mente benignus.* Nihil verò magis majores noſtros Longobardos nutriendæ Barbæ tenaciſſimos probabit, quàm Lex illa à Carolo Magno indicta obſidi Grimoaldo Principis Arichis filio; *cui* (ut ait Herempertus in Chron. tom. V. Scriptor. Ital. Murator. pag. 17.) *jus regendi Principatus largitus eſt; ſed priùs eum pactis hujuſmodi vinxit, ut Longobardorum mentum tonderi faceret, chartas quoque Nummoſque ſui nominis characteribus ſupraſcribi ſemper juberet.* Poſteriori pacto de Chartis, Nummiſque parumper obtemperaſſe non piguit, quemadmodum alibi utriuſque rei exempla oculis ſpectanda dabimus: at quæ præcipua erat *menti*, ideſt Barbarum detonſio, nec fœderis religione, nec novi metu diſcriminis induci Longobardi potuerunt, ut vel uno temporis momento, vel minima ex parte id ſibi permitterent. *In ſuis aureis* (ita pergit Herempertus) *Grimoaldus Caroli nomen figurari placuit; ſchedas ſimiliter aliquanto juſſit tempore exarari, reliqua autem pro nihilo duxit obſervanda.* Cur verò ea de re adeò ſolicitus fuerit Carolus, ut fœderis leges a tondendis barbis inciperet, non aliam video fuiſſe cauſſam, quàm receptum tum fortaſſe apud Italos reliquos morem radendæ barbæ; itaut neque ipſo oris habitu ab aliis diverſos, ſibique pari jure ſubjectos Longobardos oſtenderet Carolus. Sed non id tutò affirmare auſim; illud verò certum, barbæ raſionem nonniſi in Eccleſiaſticorum more, inſtitutiſque per ea ſæcula fuiſſe, ut Græci propterea Latinos calumniandi occaſionem arripuerint, quibus, Photio auctore, eam rem exprobrare auſi ſunt, inter alias quamplures, quas omnes recenſet Nicolaus I. in Epiſt. ad Hincmarum; latèque obſervat Chriſt. Lupus ad can. VIII. Synod. Conſtantinop. Latinorum ritum ex pervetuſta Eccleſiæ diſciplina promanaſſe teſtatur Gregorius VII. lib. VIII. epiſt. X. Ejus autem ritus ratio ex terrenarum rerum abdicatione, quam non ſolum moribus, ſed eo quoque oris habitu Eccleſiaſtici profiterentur, ipſorumque ad perfectionis culmen adniſu (uti S. Gregorius M. explicat lib. II. Moral. cap. 3.) præcipuum fundamentum ducebat: Hinc illæ S. Petri Damiani ad Alexandum II. lib. I. ep. XV. adverſus Eccleſiaſticos ſui temporis querelæ, quod eos ſcilicet *a ſæcularibus Barbiraſium quidem divideret, ſed actio non diſcerneret.* S. Carolus Borromæus vetuſtiſſimum, ac propè ſingularem Mediolanenſis Eccleſiæ morem, ac laudem teſtatus, quod illius Clerus omni retrò ævo, veteris diſciplinæ tenax Barbam raſiſſet, nutriendæ invectum paulatim uſum abolendum decrevit, edita Paſtorali Epiſtola, quæ in Actis Eccl. Med. *Vol.* II. *pag.* 916. *edit. Patav.* 1754. habetur; ubi & gaviſum vehementer ſe ait, pleroſque è ſuo Clero, ſua neque expectata lege, neque exemplo propoſito, Barbam quantocius depoſuiſſe; ut jam ipſe ſanctiſſimus Archiepiſcopus conſueto tum ſuæ Eccleſiæ, aliarumque regionum more Barbam aliquando aluiſſe probetur: Et ſanè non illud inficias ibimus, variam in Eccleſia Latina fuiſſe diverſis temporibus ejus rei diſciplinam, quæ quum Viris Eccleſiaſticis Barbam permitteret, non id a Clericalis vitæ honeſtate, immò & gravitate, niſi delicatior quidam cultus adhiberetur, alienum ducebat. Ex Concilio Provinciali Beneventano Archiepiſcopi Jo. Baptiſtæ Foppa, celebrato anno 1656. Beneventanum Clerum Barbam geſtaſſe liquet, nam in tit. XXVII. pag. 521. ſancitum legitur, ut *Sacerdotes a ſuperiore latio barbam ita tondeant, ne ſalutare Corporis, & Sanguinis Chriſti Sacramentum ſumentibus impedimentum afferat.* Ernulphus certè Epiſcopus Roffenſis tom. II. Spicilegii Dacheriani, quærens, cur ſacer Calix Laicis propinandus non detur, *Evenit enim,* inquit, *frequenter ut barbati, & prolixos habentes granos* (quo vocabulo ea barbæ pars ſignificatur, quæ infra nares eſt, vulgò *Moſtaccio*) *dum poculum inter epulas ſumunt, prius liquore pilos inficiant, quàm ori liquorem infundant.* An veram ejus rei cauſam Epiſcopus Ernulphus tradiderit, non heic eſt obſervandi locus: rectè verò ſe habuit noſter Archiepiſcopus, qui *granos* tondendos Beneventanis Sacerdotibus juſſit: ex quo diſcimus, ſæculo ſuperiore Beneventanum Clerum, atque Beneventanos univerſos Barbam adhuc nutrire conſuetos, quam à majorum, progenitorumque ſuorum Longobardorum ævo nunquam depoſuiſſe per ſequuta ſæcula ad proximam Patrum noſtrorum ætatem, aſſirmare licebit. An verò, eo oris habitu, extincto licet Longobardico Principatu, Beneventani adhuc Longobardi videri vellent? Illud ſatis conſtat, Majoribus Longobardis ſolemne, ac prope religioſum fuiſſe, *Barbatos* incedere. Hoc illis decus, ac Gentis velut inſigne, hoc imprimis ſtudium, ut quod nomini originem fecerit, re quidem ipſa ſervarent. Non Regis Caroli potentia animos flexit, aut deterruit: Imperet ille quæ velit, ægrè, ſed tamen impleta: nullum in Longobardicam Barbam imperium erit: ut barba incolumis ſit, fœdera fregiſſe, Caroli ultoris arma excitaſſe, *pro nihilo* Longobardis fuit. Sed de Longobardorum Barba jam ſatis luſimus.

(1) Virgil. Georg. III. v. 381.
(2) Dialog. lib. III. cap. 3.
(3) De Reb. Getic. cap. IV.

Inter alios igitur Germaniæ Populos fuere Longobardi, eò reliquis nobiliores, quò pauci ipſi illorum multitudinem bellica virtute nunquam ſibi aut perniciofam, aut dominantem permiſiſſent. Hinc Germanorum mores deſcribens Tacitus, *Longobardos* (inquit) *paucitas nobilitat, quod plurimis, ac valentiſſimis nationibus cincti, non per obſequium, ſed prœliis, & periclitando tuti ſunt* (1).

Mox verò quum in ingentem numerum propagati eſſent, patriis finibus, quibus contineri, alique haud ampliùs poterant, egreſſi, novas ſibi ſedes quæritantes, longo ſane tempore, neque ſtabiles, neque pacatas habuere, donec Imp. Juſtiniani ævo, permiſſuque, in Pannonia conſiſtentes, Romanorum etiam fœdere, amicitiâque inclaruere: *Hac ætate* (inquit Auctor Hiſtoriæ Miſcellæ (2)) *Gens Longobardorum amica tunc Populi Romani apud Pannonias degebat, quibus in Regni gubernaculo Audoin praerat*. Ac profuit quidem Romano Imperio fœderatos habere Longobardos: Horum quippe auxiliaribus copiis ſuffultus Narſes belli Dux adverſus Gothos, jamdiù in Italia dominantes, Gothicam Tyrannidem cum ipſo Totila Rege extinguere valuit, *univerſamque Italiam* (ut idem ſubdit Scriptor) *ad Reip: jura reducens, Longobardos honoratos multis muneribus ad propria remiſit; omnique tempore, quo Longobardi poſſederunt Pannonias, Romanæ Reip. adverſus æmulos adjutores fuerunt*.

Fuit is primus Longobardorum in Italiam adventus; felix profectò, atque ob deletos Reip. hoſtes ſalutaris; ſed haud diù de Longobardorum bellica virtute, operâque præclarè geſtâ lætari potuit Italia: nam partim ex victoriæ merito, partim ex ſuis moribus nihil non ſibi licere arbitrantes, quaſi Italos ſubacturi, non Gothos expulſuri adveniſſent, antiquis hoſtibus deteriores eſſe cœperunt; unde & Narſeti laborandum fuit, ut, ſervato fœdere, ſed recuſatâ deinceps militiâ, eos multis muneribus, pecuniàque donatos in ſuas Pannonias tandem remitteret (3).

At quis illud verum crediderit, hunc ipſum ſcilicet Narſetem, qui Italiæ quieti, ſalutique conſulens, Longobardos ex ipſa Italia, immo è Romani Imperii finibus aliquandò ejecit, eoſdem mox in eandem Italiam hoſtium jure opprimendam potius quam poſſidendam revocaſſe? Putabimuſne Virum tum fortitudine, tum Religione clariſſimum, qualem omnia ejus ævi monumenta perpetuo conſenſu nobis commendant, non aliam profectò ob cauſam, quàm ut unius Auguſtæ, ipſum utpote Eunuchum ad colum, & fuſum revocantis, muliebres minas vindicaret, quaſi non ipſas ſpernere, atque etiam deridere debuiſſet, vel iniquos quoslibet furentis fœminæ conatus non ſuis ipſe viribus, copiiſque adhuc apud Italos ſibi devinctiſſimos conſiſtens fruſtrari potuiſſet, illâ potius nefariâ proditione adeò ingentium malorum publicorum ſeſe præſtare auctorem, eoque atrociſſimo vulnere univerſæ Italiæ inflicto, æternam quoque ſuo nomini infamiam inurere maluiſſe? Rei fidem nemo certè ita temerè, aut oſcitanter probaverit; non ego certè, qui abnuendam omnino cenſui in ſuperioris Libri Differt. x. cap. III. pag. 287. quo loco Narſetis cauſam ex inſtituto agens, multis adductis monumentis, rationibuſque, contrariis verò opportunè refutatis, ab ejuſmodi invidia illius nomen vindicandum curavi. Reſtat igitur, ut Longobardos nullâ Narſetis operâ accitos, ſed Cœli, ſolique, quâ paullo ante frui contigerat, felicitate, atque opibus allectos, reduces in Italiam ſpectemus.

De poſterioris hujuſce Longobardorum adventus Epocha laudatus *Miſcellæ* Scriptor hæc nobis tradit: *Hujus* (*Imp. Juſtini*) *anno* XI. *qui eſt annus Divinæ Incarnationis* DLXVIII. *Indictione* I. *in ipſis Kalendis Aprilis egreſſi ſunt Longobardi de Pannonia, & ſecunda Indictione cœpere prædari in Italia; tertia vero Indictione dominari in Italia coeperunt* (4). Statutæ hujus Epochæ fidem binæ comprobant S. Gregorii M. Literæ, cui oculato teſti præſentiſſimam (ut in rebus aſperis aſſolet) rerum, temporumque recordationem continuatæ Italiæ calamitates faciebant. *Viginti jam & ſeptem annos ducimus, quod in hac Urbe inter Longobardorum gladios vivimus*: Sic ipſe ad Auguſtam Conſtantiam Indictione XIII. i. e. An. DXCV.

(1) De Moribus Germanor. ex edit. Plantin. cum not. J. Lipſii an. 1607. pag. 449.

(2) Lib. XVI. in tom. I. Scriptor. Ital. Murator. pag. 107.

(3) Rem hanc Auctor *Miſcellæ*. Gentis ſuæ nomini fortaſſe parcens, omninò ſiluit; teſtatur autem Synchronus, integræque fidei Scriptor Procopius, cujus hæc ſunt verba ex lib. IV. cap. 33. Belli Gothici tom. I. Scriptor. Ital. Murator. pag. 367. *Narſes ſucceſſu lætus, ad Deum omnia, verum utique auctorem, referebat perpetuò, atque inſtantia digerebat. Ac primùm redimere pretio voluit indignam licentiam Longobardorum, quos ſecum duxerat; cum præter alia inquinatiſſimæ vitæ ſcelera, obvias domos delerent igni, & fœminis, quæ ſacris ædibus ſe commiſerant, turpem vim afferrent. Quare magna pecunia donatos remiſit in Patriam, Valeriano, ac Damiano Nepoti ſuo, eorumque copiis demandata cura, eos ad Rom. Imperii limites deducendi, ut in via ab injuria, & maleficio temperarent.*

(4) Lib. XII.

DXCV. (1) Ad Phocam verò Imperii invaſorem, poſteriore gratulatoria epiſtola dat. Indict. XIII. i. e. An. DCIII. *qualiter*, inquit, *quotidianis gladiis, & quantis Longobardorum incurſionibus, ecce jam per trigintaquinque annorum longitudinem premimur, nullis explere ſuggeſtionis vocibus valemus*. (2). Utriuſque igitur Epiſtolæ indictiones, exurgenteſque ex ipſis noſtræ vulgaris æræ annos, ſi cum iis ab Longobardorum adventu, diverſo, quo Gregorius ſcribebat, tempore commemoratis conferamus, retroque ad ſtatutam deducamus Epocham, utrobique Annus DLXVIII. à Miſcellæ Scriptore deſignatus, nobis conſtanter occurret (3).

At qui Longobardorum in Italiam adventum, progreſſioneſque adeo exacta temporum deſignatione tradidit, de ſequuta poſtmodum Longobardici Beneventani Ducatus inſtitutione obſcura nobis omnia Paullus ipſe Diaconus reliquit; itaut qui Paulli verba oſcitanter attendant, non ſolum in errorem prolabi, verum etiam contra illius ſententiam agere convincentur: Non antea enim Paulus Beneventani Ducatus, primique Zottonis Ducis verba facit, quàm Autharim Longobardorum Regem (quem circa Annum DLXXX. ſeſqui anno regnaſſe conſtat) *per Spoletium Beneventum perveniſſe, eandemque Regionem cepiſſe, & uſque Rhegium perambulaſſe*, ibique Longobardici Imperii fines conſtituiſſe, nullo certo veterum monumento teſtatus, mox præfati Zottonis meminit, cujus Ducatui viginti annorum ſpatium attribuit (4). Si igitur Paulli verba, ſeù ejus narrationis locum attendamus,

(1) Lib. V. epiſt. XXI. al. XXXIV.

(2) Lib. XIII. epiſt. XXXVIII. al. XLV. Poſt extinctum Mauritium, arreptumque mox à Phoca Imperium, gratulatorias adhuc literas Gregorius dedit, quarum prior eſt in eod. lib. XIII. num. XXXI. ex eiſque nonnulli Gregorium arguunt, quaſi de Mauritio iniquius, de Phoca adulatoriè ſcripſerit: ſed injuriâ id fieri demonſtrant eruditi PP. Benedictini S. Mauri in Comment. ad d. ep. XXXI. & Cl. Orſius tom. XXI. Hiſt. Eccleſiaſt.

(3) Hanc eandem Epocham illuſtres ſequioris ævi Chronographi ſequuntur. Otto Friſing. Chron. lib V. cap. V. Hermannus Contractus ad eundem An. DLXVIII. ubi ſic habet. *Longobardi Rege Alboino menſe Aprile Venetiam ingreſſi, paucis Civitatibus exceptis, ſibi ſubjiciunt*; mox anno DLXIX. *Alboinus Rex cum Longobardis Liguriam invaſit, Mediolanum, & alias pleraſque Urbes cepit; Papiam plus triennio obſedit*: quam denique anno DLXX. ad deditionem veniſſe commemorat. Edit. Francofurti ab Urſtiſio curatæ an. 1670.

(4) Eundem Paulum Diaconum *Miſcellæ* Hiſtoriæ, ac Operis *De Geſtis Longobardorum* æquè auctorem aſſerui, certâ ductus ratione, quam heic exponere licebit. V. C. Muratorius, qui præclaram Scriptorum Italicorum collectionem ab ipſa *Miſcella* eſt auſpicatus, in ejus Præfatione diſcrepantes graviſſimorum Virorum, uti Voſſii, Cavei, Dupinii, Baronii ſententias protulit, quorum alii Diaconi fœtum indubitanter agnoſcunt, alii omninò inficiantur, alii demum partem dumtaxat admittunt; in hanc poſtremam ſententiam propendere videtur Muratorius, rectè monens, tutius eſſe, ut quando ejus Hiſtoriæ teſtimonio utendum ſit, prætermiſſo nomine, *Miſcellæ Auctor* citetur: ſed non ideò (ut is cenſet), quod integrum opus non ipſum Paullum certum habeat auctorem; ſed potiùs, quia opus ipſum & Paullum, & alios ſimul habeat auctores; itaut expeditiùs ſit, ut locus quilibet ex eodem opere citandus, communi *Miſcellæ Scriptoris*, quam alterum Auctoris certo nomine afferatur. Quod autem priores octodecim libri ad Paullum pertineant, exploratiſſimum habeo ex vetuſtiſſima Romana editione Muratorio ignorata, quæ prima omnium prodiit hoc titulo: *Incipit Eutropius Hiſtoriographus, & poſt eum Paullus Diaconus de hiſtoriis Italicæ Provinciæ, ac Romanorum*. Non ultra librum XVIII. hæc editio progreditur, ſed in eundem omninò deſinit, atque concluditur: *Eutropius Hiſtoriographus Romæ impreſſus ann. Dñi* MCCCCLXXI. *die lunæ* XX. *menſis Maji. Ponti. S. in Chriſto Patris, ac Domini noſtri dom̃i Paulli divina Providentia Pape ſecundi anno ejus ſeptimo explicit*. Eutropianæ Hiſtoriæ plura Paullum inſeruiſſe, eamque triplo uberiorem effeciſſe pluribus argumentis demonſtrari poteſt. Adeſt primo loco Leonis Hoſtienſis teſtimonium ex lib. I. c. 15. ſui Chronici Caſſinenſis, ubi de Paullo agens, *ejuſdem* (inquit) *Adelpergæ rogatu in Hiſtoria Romana, quam Eutropius breviter compoſuerat, plurima hinc inde de Hiſtoricis Eccleſiaſticis addidit. Ad ultimum verò duos libellos a tempore Juliani Apoſtatæ, in quem ipſam Hiſtoriam Eutropius terminaverat, uſque ad tempora primi Juſtiniani Imperatoris eidem annexuit*. Non autem turbare debet, quod *duos* duntaxat libellos Eutropianæ Hiſtoriæ a Paullo annexos inquiat Oſtienſis; nam quum certas temporum notas, in queis Eutropius primùm, ſubinde Paullus ſubſtitit, præclarè afferat, aut in eo numero mendum cubare, aut potiùs, qui *duo* Oſtienſis ævo erant, in plures poſtea ab amanuenſibus diſtinctos libellos fuiſſe dicendum eſt. Certè quod poſt librum X. uſque ad integrum XVII. conſcriptum habetur, uno ſe complexum libello Paullus ipſe indicare videtur, dum in fine ſic habet: *Quia vero reſtant adhuc quæ de Juſtiniani Auguſti felicitate dicentur in ſequenti, Deo præſule, libello promenda ſunt*: quaſi poſterior libellus hic anteriori alteri reſpondere videatur. Præterea Miſcellæ certum auctorem Paullum probat genuina Eutropii Hiſtoria in eodem Paullino opere paſſim, conceptiſque verbis diſſeminata, quæ poſt Pauli lucubrationem neglecta (uti fit) oblivionique data, neceſſariam lucem non priùs anno 1546. aſpexit cura Antonii Sconhovii, elegantique Jo. Operini Baſileenſi editione, cui hoc G. Caſſandri diſthicon præfixum legitur:

*Hactenus Eutropii titulum, nomenque, ſed ipſum*
*Nunc demum lector conſpicis Eutropium.*

atque ad hujus exemplar poſteriorem Eutropii editionem Amſtelodami puto factam cum hoc titulo: *Eutropii Breviarium integritati ſuæ reſtitutum per Eliam Vinetum*: quam primam omnium Muratorius memorans, mirari haud debuit, pluribus eam carere, quæ contrà in *Miſcella* leguntur. Denique ipſa ſuperius laudata vetuſtiſſima Romana editio rem definire videtur: nam in libri X. fine hæc habet. *Hucuſque Eutropius Hiſtoriam compoſuit; cui tamen aliqua Paulus Diaconus addidit, jubente Domina Adilberga Chriſtianiſſima Beneventi Ductrice, conjuge Domini Archi ſapientiſſimi Principis: & ideo quæ ſequuntur, idem Paulus ex diverſis auctoritatibus propriis ſtilo connexuit*. Eutropius quidem ad Julianum,

mus, nonnisi decennio post Longobardorum adventum, id est An. circiter DLXXX., atque ab ipso quidem Authari Rege jacta Beneventani Ducatus fundamenta dicentur; qua re nihil absurdius dici potest; uti *absurdissimam* declaravit V. C. Cammillus Peregrenius (1): in eo tamen falsus, quod eam *germanissimam* Paulli fuisse sententiam ajat, idque adeo sibi persuasum habeat; ut *de tanta viri hallucinatione vix sibi fidem præstare posse* subdat. At (quemadmodum superiùs dixi) nullum Paullo, quum de Ducatu Beneventano meminisse primùm contigit, de ejusdem institutione verbum excidit; itaut ejus Epocham vel omnino incertam reperiens dissimulavit, vel curiosiùs perscrutari neglexerit. Fateor itaque nonnisi absurdum nobis ab eo tradi, qui adeò seram Beneventani Ducatus originem statuit, non quod auctore Paullo, sed Paullo oscitanter lecto, id sibi permittat. Probandam autem non abnuo ipsius Peregrinii sententiam, qua instituti Ducatus Epocham ad An. DLXXI. retrahit, ex eaque ad designandos sequutorum Ducum annos usque ad Arechim II. gradum sibi facit. Utinam vero in sua is sententia perstitisset, quam paullò ante à V. C. Antonio Caracciolo traditam noverat (2): sed (ut quædam sublimiora ingenia sunt, quæ aliorum calcare vestigia pudori veluti sibi ducunt, ac præeuntes alios vix sibi ferant, sibi verò, suisque novis conjecturis plus æquo blandiuntur) non tam à Caracciolo, quàm a se ipso discedere postmodum Peregrinius voluit. Quid igitur? De tempore, quo Beneventanus Ducatus institutus fuerit, disserere exorsus, iterumque in Paullum excandescens, quod ejus Ducatus exordia *tum infirmà, tum irrationabili exposuerit fide*, quippe qui ad Annum DLXXXV. illa produxerit, sui tamen vel simulatè immemor, vel importunè pœnitens, qui ad An. DCXXI. satis aptè revocaverat, altiora tempora pervadere conatus, Longobardorumque adventum haud expectandum, morandumque ratus, tunc institutum Ducatum conjectat, quum primùm sub Narsete auxiliares Longobardorum Copiæ paullisper in Italia consederant (3). Sed posteriorem hanc Peregrinii sententiam, quasi nugari potius, quàm verisimile aliquid afferre is voluerit, omninò reprobandam Eruditi omnes jamdiù censuerunt; ac si mihi quod sentiam dicere liceat, haud meliorem lucem, sed molestiores huic Epochæ affundere tenebras Peregrinius laboravit.

Quid verò, si ex ipso Paullo longè antea, quam Ducatus Beneventani meminisset, ejusdem contigisse institutionem, argumentari promptum fuerit? Non heic autem (ut rem ita esse ostendam) laudati Caraccioli interpretationem moror, qua is Paulli locum de Rege Authari *per Spoletium Beneventum adventante, eaque Regione captà ad Rhegium usque excurrente* ita intelligendum existimat, ut non Urbem ipsam, quæ Longobardis jam suberat, sed Beneventanam Regionem nondum subactam Autharis sibi subjecerit, indeque ad Italiæ cistiberinæ fines, quà Hadriæ mari terminatur, Longobardicum imperium protulerit: alioquin non solum (inquit) Beneventum, sed quæ eadem oratione conjungitur, Spoletium quoque, Longobardis jamdiù subjectam, cepisse Autharis dicendus esset. Libenter illud quoque concesserim, nonnisi per prolepsim loquutum Paullum tùm, quum Italicas Regiones, quarum divisio à veteri forma nonnihil discrepans suo ævo vigebat, accuratissimè

lianum, sive potiùs Jovianum usque, atque ad ipsum Librum X. opus suum perduxit: Igitur quod a Libro XI. ad XVIII. ab ipsa Romana editione exhibetur, è sola Paulli manu prodiisse debuit; itaut nec de ipso postremo libro XVIII. dubium esse possit, cujus se futurum auctorem in fine libri XVII. Paullum ipsum pollicitum superiùs audivimus; confecisse autem præclare ostendit laudata editio, quæ post eundem librum XVIII. absolvitur. Cur verò Paullus Justiniani tempora percurrens, atque ad Leonis Iconomachi primordia progrediens i. e. ad an. 717. conquieverit, qui diù post, i. e. ad annum usque 799. vitam produxit, hanc omnino puto fuisse caussam, quod is Longobardorum (quorum priora gesta dicto Libro XVIII. jam delibaverat) peculiarem historiam aggressus, supervacuum putaverit *Miscellam* prosequi, ratus ad majorem Gentis suæ gloriam cessurum, si Longobardicæ res in præcipuum Operis argumentum evaderent, uti jam perfecit: Sicque factum est, ut sivè Landulfus Sagax, sivè Joannes Diaconus, sivè alius incerti nominis vetustus Scriptor eandem *Miscellam* a libro XIX. (non verò a libro XVII. uti perperam statuit Fabricius Bibl. med. Latin. lib. XV. pag. 214. edit. Venet. ubi etiam *undecim libros* Eutropio tribuit) ad Librum XXIV. perficiendam curaverit. Quid, si eadem Romana editio ex eo exemplari MSS. prodiisse dicatur, quod eodem Paullo, eademque Adilperga, atque Arichi viventibus exaratum fuerit? Non levem conjecturam facit *Christianissimæ* titulus, qui Adilpergæ, *Sapientissimi*, qui Arichi tributus legitur in ea adnotatione, quam in fine libri X. interpositam superius recitavi. Illud tamen verisimillimum haberi potest, istud ipsum, quod laudata Romana editio præfert primigenium, servandæ. Paulli esse opus, à quo posteriores ejusdem Miscellæ editiones, uti Basileensis anni 1569. atque ipsa Muratoriana postremo loco curata, Amanuensium sive vitio, sive licentia, plurimùm discrepare probantur.

(1) In Præfat. ad Chron. Duc. & Princip. Benevent.

(2) In Propylæo ad IV. Chronologos tom. V. Scriptor. Rer. Ital. pag. .

(3) In Dissert. *Quando Ducatus Beneventanus sit institutus*. Peregrinii sententiam inanem inter alios probat V. C. Horatius Blancus in not. ad Paul. Diac. lib. 3. cap. 32. num. 211. tom. I. part. I. Scriptor. Ital. pag. 452.

tiſſimè deſcribens, *circumpoſitarum Provinciarum Caput ditiſſimam Beneventum* appellat (1). Si enim inconſultò hæc ſpectemus, multò citiùs Beneventani Ducatus exordium, dignitatemque ex Paullo habebimus, qui tamen nonniſi poſt longa temporum intervalla de eo ſcribere continenter inſtituit. Illud itaque ex hoc loco, ubi Paullus in anteceſſum, ac ſumma cum laude Beneventi meminit, ſeriò animadvertendum velim, conſuetum ſcilicet eidem fuiſſe, narratas ſibi res, non ſuo quaſque tempori, ſed ſermonis opportunitati attribuere; itaut multa præpoſtere referat, multa in commodiorem locum referenda reponat: id quod de Beneventano Ducatu factum ab eo cenſebimus; tunc enim de ejuſmodi Ducatu agendum ſibi propoſuit, quando non ſolum Autharis excurſionem, verum etiam Caſſinenſis Monaſterii vaſtationem, ac demum Arichis, qui defuncto Zottoni ab Agilulpho Autharis ſucceſſore ſuffectus Dux fuit, feliciora ſcilicet exordia Beneventanarum rerum, reſque ipſas memoratù dignas, atque exiguo temporis intervallo ſibi velut cohærentes. Simul complecti, unoque veluti intuitu ſpectandas dare voluit.

Præterea ſi ipſe Paullus, qui certus *de Geſtis Longobardorum*, idem (ut jam probatum fuit) *Miſcellæ* ſimul cenſeri Auctor debet, nonne is *tertia Indictione* (i. c. An. DLXX.) *Longobardos in Italia dominari coepiſſe* affirmat? Quid igitur? Poſt Regis Alboini, ſuorumque Longobardorum irruptionem An. DLXVIII. ſequutam, expugnataſque mox pleraſque illuſtriores Venetiæ, Liguriæque Urbes; poſt ſubactam demum triennali obſidione, atque in deditionem receptam, quæ reliquæ Italiæ propugnaculum veluti ſupererat, Papienſem Urbem, putabimuſne victorem Alboinum, aſſuetoſque prædæ, perpetuarumque ſibi ſedium locandarum ſolicitos Longobardos, abjecto cum ipſis armis Italiæ univerſæ poſſidendæ conſilio, otio ſubinde, ac ſomno ſeſe dediſſe? Immopotius ex eo tempore vidiſſe ipſos fuerit, ſubactâ Papiâ, quaſi abrupto vallo, torrentis inſtar in ulteriorem Italiam, nullis munitam viribus, præſidiiſque, metu quoque ipſo, atque extremâ annonæ inopiâ jam perculſam, ac penè proſtratam, novoque jugo cervicem ſuam offerentem, irruiſsè. Sat erit Anaſtaſium audire, qui de Benedicto I. An. DLXXIII. Pontificatum adepto agens, ejus inquit *tempore Gens Longobardorum invaſit totam Italiam, ſimulque fames nimia, ut etiam multitudo Caſtrorum ſe traderet Longobardis*: quod nec ipſe tacuit Paullus: Mortuo enim initio An. DLXXV. Rege Clepho Alboini ſucceſſore, Anarchiam ab Longobardis inſtitutam refert, qui ſuos ſibi præeſſe Duces, Regnique univerſi, ſeù Gentis curam apud eos manere ſtatuerunt: Hos autem Duces haud quidem ea novâ Regiminis formâ invectos, ſed majoribus Urbibus ab Alboino, & Clepho Regibus jam antea præpoſitos, non ad triginta, neque ad ſex & triginta, ſed ad quinque & triginta extitiſſe Paullus diſertè commemorat (2): *atque per eos* (ſubdit) *Longobardorum Duces ſeptimo anno ab adventu Albuvin, & totius gentis..... exceptis regionibus, quas Albuvin ceperat, Italia ex maxima parte capta, & a Longobardis ſubjugata eſt* (3). Itaque ſi ex Anaſtaſio res iſthæc definienda eſſet, jam ab An. DLXXIII. quo Bene-

(1) Lib. II. a cap. XIV. ad XXIV.

(2) Sex & triginta hos Longobardicos fuiſſe Duces ex Paulli loco diligentiùs perſpecto, ſe primùm noviſſe ait Cam. Peregrinius in Diſſert. *Ducatus Beneventanus cur inſtitutus*: Nam Triginta fuiſſe ſolummodo *recentiores* (inquit) *ferè omnes perſuaſum habuere*. Sed vereor, ne Peregrinius ipſe in Paulli loco perluſtrando hallucinatus quoque fuerit: Paulli locus tum ex Muratorii, tum ex ipſius Pereginii editione ſic ſe habet: *Poſt cujus* (Clephi) *mortem Longobardi per annos decem Regem non habentes ſub Ducibus fuerunt. Unuſquiſque enim Ducum ſuam Civitatem obtinebat, Zaban Ticinum: Wallari Bergomum: Alacties Brixiam: Eacin Tridentum: Giſulphus Forumjulii: ſed & alii extra hos in ſuis Urbibus Triginta Duces fuerunt.* Præter igitur hos reliquos *Triginta*, non alios niſi *Quinque* nominatim Paullus enumerat; quos ſane Duces omnes haud equidem poſt Clephi mortem, ſed jamdiù inſtitutos ex eo potiſſimum liquet, quod ſublatâ Anarchia, Autharique poſt decennium in Regem aſſumpto, non ii Duces evanuere, ſed adhuc conſtiterunt, qui etiam (ut idem Paullus tradit lib. 3. cap. 16.) *ob reſtaurationem Regni omnium ſubſtantiarum ſuarum medietatem regalibus uſibus tribuerunt, ut eſſe poſſet, unde Rex ipſe, ſive qui ei adhærerent, ejuſque obſequiis per diverſa officia dediti alerentur.*

(3) Lib. II. cap. XXXII. Non id vero de Italia dumtaxat Tranſtiberina, quæ adhuc Longobardiæ nomen retinet, intelligi debet; ſed noſtra adhuc Ciſtiberina Paullo demonſtrata videtur, quippe qui in ea Italiæ, quam accuratè ſatis peregit, deſcriptione, eodem *Italiæ* nomine & *Samnium*, & *Calabriam*, & *Apuliam* contineri voluit lib. II. cap. XX. & XXI. Quod vero ad Samnium pertinet, longe ante annum 580. atque novi Regis Autharis inaugurationem, verſatos in ea Provincia Longobardos, præter Paulli auctoritatem, probat Gregorii Magni teſtimonium ex Dial. lib. III. cap. XXVI. Laudat enim eo loco Gregorius *Mennam ſolitarium in provincia Samnii ante decennium defunctum* (i. e. Ann. circiter 583. nam ann. 593. Dialogos a Gregorio ſcriptos ſatis conſtat) *quo adhuc vivente* (i. e. aliquot ante annis) *Longobardus quidam in* (ejuſdem ſolitarii) *apibus voluiſſet rapinam ingerere, priùs ab eodem Viro verbo correptus eſt, & mox per malignum ſpiritum ante ejus veſtigia vexatus eſt, unde contigit, ut ſicut apud omnes* Samnii incolas, *ita etiam apud* Longobardos *ejus nomen*

Benedictus I. Pontificatum agebat, cum ipsa *tota* Italia, quam à Longobardis subjugatam certus affirmat, Beneventanum simul Ducatum subortum necessariò consequetur; si verò Paullum audire præstabit, qui non *totam Italiam*, sed hujus *maximam partem* in Longobardorum ditionem cessisse maunlt; non is quidem de eodem Ducatu tunc temporis, idest ante repetitam à Longobardis Regii nominis, dominationisque formam, instituto dubitandum relinquit: veriora siquidem præ Anastasio Paullus nobis tradidit; nam incolumes tunc non Ravenna modo atque Roma, sed aliæ quoque Urbes steterunt, uti Patavium, Cremona, Genua, atque in Cistiberina Italia pleræque cum Neapoli maritimæ Urbes; quas si excipias, reliqua Italia, in qua Beneventum nec Paullus excepit, nec, nisi contra Paulli fidem, excipere ullus poterit, Longobardis parere omninò cœpit.

Quam autem ex Paulli auctoritate diligentiùs animadversa Beneventani Ducatus Epocham certissimâ conjectura assequuti sumus, ex Cassinensis Monasterii vastatione à Longobardis Beneventanis patratâ amplius confirmatam haberemus, si de ejusdem vastationis anno certum nobis Antiquitas servasset monumentum, aut saltem de ea re Recentiores convenirent. In eo autem statuendo anno doctissimorum Virorum, veluti Peregrinii, Angeli de Nuce, Bollandi, Mabillonii, Bacchiniique ingenia plurimùm laborarunt; quorum tamen discordia majorem rei incertitudinem, aut etiam caliginem injecisse videtur: Quid? quod ipse Ecclesiasticorum Annalium parens Baronius rem satis præpostere, ad annum videlicet DLXXIII. retrahendam censuit (n. 24.): Contrà vero Hermannus Contractus satis serò ad postremum ejusdem Sæculi annum protraxit: sic enim ad An. DIC.: His *temporibus Monasterium S. Benedicti in Castro Cassino situm, fugientibus ex eo Monachis, à Longobardis omnino destructum, & desolatum est*. Itaque post clarissimorum tot Scriptorum dissidium, satius mihi duxissem rem missam facere, ex qua nihil certi ad comprobandam Beneventani Ducatus Epocham extundi videbatur, nisi illum Cassinensis vastationis annum, tutissimam ejusdem Epochæ fore facem animadvertissem.

Monasterii igitur Cassinensis à Longobardis vastati meminit disertè S. Gregorius Dialogorum lib. II. cap XVII. *Nocturno* (inquit) *tempore, & quiescentibus Fratribus nuper* (1) *illic Longobardi ingressi sunt diripientes omnia &c.* Dialogos autem Anno DXCIII. aut sequenti à Gregorio lucubratos explorata hodie res est, tum ex laudato Mabillonio, tum ex Cl. PP. S. Mauri editoribus: hinc si ejus particulæ *nuper*, quam ad designandum ejus facinoris tempus Gregorius adjecit, ratio habeatur, uti habenda profectò erit, non aliò certè ipsius vis, significatioque nos perducet, quàm, ut ante tres, ex quo is scribebat, quatuorve annos, vel paullò ante Annum DXC. rem evenisse existimemus. Constat præterea ex Paullo Diacono (2), extremo Zottonis Beneventani Ducis tempore hanc patratam prædatio-

ALTER B

*men celebre haberetur*. Quo ex loco non solum ante annum 580. considentes habemus in Samnio Longobardos, verum etiam ex S. Mennæ Solitarii cellula, cujus locum Gregorius non indicat, eosdem tunc temporis Beneventi constitisse discimus. Eadem enim in monte Oppidi Vitulani positam quatuor vix milliariis Benevento distantem fuisse, non solum traditio, sed ipsa quoque manifestè probat vetustissima Ecclesia in ejus Sancti honorem eo loco ædificata, quæ hodieque magna incolarum, finitimorumque veneratione frequentatur.

(1) V. Cl. Jo. Mabillonius Annal. Bened. lib. VII. in ea fuit sententia, ut Monasterii Cassinensis eversionem anno 580. adsignet; idque sibi ex eodem Gregorii loco persuasum habuit, quem haud quidem de brevi admodum tempore particulam *nuper* usurpasse censet, dum de longiusculo exprimendo tempore & ab eodem alibi, & à plerisque non infimi latii Scriptoribus usurpatam probat: Illud etiam addit, Gregorium initio libri II. Dial. meminisse Valentiniani, Boniti, sub quo eversio illa accidit, successoris, qui *annis multis Lateranensi Monasterio præfuit*, quo Pelagius II. fugientes Cassino Monachos excepit, locavitque: Ex queis ita Mabillonius argumentatur: *Gregorius Dialogos suos scribere aggressus est anno nonagesimotertio* (sæculi VI.) *Jam vivere tum desierat Valentinianus, qui multis ante annis, hoc est annis minimum decem Lateranensi Monasterio præfuit: ergo longe ante annos decem eversum fuerat Cassinense Monasterium*. At ni fallax, dubia saltem, atque incerta est Mabillonii argumentatio. Possunt enim *multi* illi *anni* ad longævam Valentiniani ætatem referri; possunt etiam de utriusque tum Cassinensis anteà, tum Lateranensis postmodum Monasterii regimine intelligi: potuit etiam Gregorius *multos* illos *annos* non propriè, servata scilicet *adjecti* significatione, sed muneris conditione, in quo quicquid ultra tres quatuorve annos excurrit, multum esse videtur, usurpare: itaut, sicut Mabillonio libet, particulam *nuper* pro longiùs certe indicando tempore Gregorio fuisse usurpatam, ita quos *multos* Gregorius scripsit annos, nonnisi de quatuor, aut quinque annis cum intellexisse, dicere nobis licebit. Interea, donec certa Gregorii sententia aliundè afferatur, quæ contrariam ejus particulæ *nuper* significationem comprobet, Gregorii testimonio standum erit, qui tempore quo scribebat, i. e. Ann. DXCIII. Monasterii Cassinensis eversionem *nuperam*, idest paullo ante fuisse affirmat.

(2) Lib. IV. cap. XVIII. & seq. Sacrilegum Prædonum furorem (uti S. Benedictus Divina revelatione rem post suum obitum futuram prænoscens, id suis ad Deum precibus impetrasse prædixerat) omnes evasere Monachi, qui Romam aufugerunt, *suumque* (uti Paullus subdit) *Codicem sanctæ Regulæ, quam præfatus Pater composuerat, & quædam alia scripta, nec non pondus panis, & mensuram vini, & quicquid ex supellectili surripere potue-*

dationem, propterea quod cum ejusdem Zottonis sequuto mox obitu Paullus illam conjungit; Zottoni autem jamdiù eum Ducatum administranti Regis Autharis paullò antea Cistiberinam Italiam excurrentis adventum, præsentiamque, vel consilium, vel audaciam patrandi facinoris præstitisse verisimillium censeri debet. Certissimum denique ex ipsomet Gregorio habemus, Anno DXCII. Arichim in Zottonis jam defuncti locum Beneventano Ducatui præfuisse, uti ex ejus Epistolæ XLVI. al. XXII. Libri II. discimus, in qua Arichim ipsum cum Rege Agilulpho Autharis successore Neapolitanæ Urbi obsidionem parare conqueritur: Zottonem autem Beneventi *per viginti annorum curricula principatum esse*, Paulli, cui hac de re nemo controversiam fecit, testimonio compertum habemus. Si igitur Cassinensis Monasterii eversio *nuper* ex Anno DXCIII., aut sequenti, quo Gregorius scribebat, & ea quidem nedum à Zottone, sed extremo etiam Zottonis tempore patrata statuetur, qui Zotto viginti sui Ducatus annos numeravit, jamque Anno DXCII. Arichim successorem habebat, facillimum atque æqui fidissimum illud fuerit, ut retrò per has certissimas temporum notas gradientes Annum DLXX. aut sequentem obvium habeamus, cui anno Beneventani Ducatus institutionem affixam relinquimus.

Cur verò is Ducatus à Longobardis fuerit Beneventi institutus, Cammillus Peregrinius Dissertationem lucubravit (1). Paucis itaque quid in Peregrinio probandum, quidque respuendum sit dicendum nunc nobis erit. Laudaverim certè Peregrinium, qui Sigonii, Palmeriique sententiam vel invitus, ac vix pro sequutæ ætatis ratione, quum nempè Longobardorum res maximè florere cœpissent, ternos illos satis celebres Ducatus *præcipuo quodam* (ut ait) *consilio* tum Forojuliensem, tum Spoletanum, tum Beneventanum ideò institutos admittat, *quod iis universa Longobardorum Reip. iretur consultum, quandoquidem sic per Italiæ longitudinem distributi haberentur, ut tum ad hostes repellendos, tum ad Regni fines producendos opportunissima futura erant propugnacula: hoc est Forojuliensis ad externos repellendos incursus: Spoletanus ad Romanos, atque Græcos ex Ravenna: Beneventanus autem ad eosdem Romanos, & Græcos Cistiberinos, quibuscum perpetua Longobardi exercuere bella*. Nihil hac re verius dici poterat; nihil etiam eo Longobardorum consilio prudentius fieri potuisse adhuc

& nos

*potuerunt, detulerunt*. Mensuram vini, quam secum detulisse Cassinenses Monachos Paullus commemorat, *Heminam Beneventanam* fuisse reperio, atque ex optimis testibus certum teneo, Hildemarum affert V. C. Mabillonius in Præf. Sæc. IV. num. 100. & 162. antiquissimum (quippe qui Ludovico Augusto imperante floruit) ejusdem Regulæ expositorem, ac proinde sequutæ rei satis gnarum, sic scribentem ad Cap. XL. *Sciendum est, quia unaquæque Regio suam mensuram habet, & idcirco Doctores cum de mensura dicunt, secundam sui loci consuetudinem dicunt .... Ita S. Benedictus cum Heminam dicit, secundum consuetudinem sui loci dicit: Similiter de officiis facit, & ceteris: unde Carolus Rex* (Magnus scilicet, ac merito Magnus, tum ex aliis maximis rebus, tum ex suo in instauranda monastica disciplina impenso vehementiùs studio) *qualiter ipsam Heminam intelligere, & scire potuisset, misit Beneventum ad ipsum Monasterium, videlicet S. Benedicti* (melius S. Sophiæ Hildemarus dixisset, quod ab Arichi Duce pari pietate, magnificentiaque olim excitatum, eo maximè ævo florebat, ut suo loco observabimus) *& ibi repperit antiquam Heminam, & juxta illam Heminem datur Monachis vinum; similiter & juxta illam habemus & nos &c.* Quid verò sit Hemina isthæc, de qua Plautus in Mil. 3. 2. 18. Persius Satyr. 1. 130. Gellius N. Act. 12. 14. aliique veteres meminerunt, plura te Budæus, Villalpandus, Pætus, Portius, Agricola, aliique recentiores de antiquis ponderibus, mensurisque ex instituto scribentes docebunt: at ne ignorans fortè lector aliunde quærere laboret, *Heminam à medietate*, quæ græcè ἥμισυ, deducit Festus, ab ἥμιν verò, idest *Semis* Vossius mavult, propterea quod dimidiam Sextarii partem contineat. Hanc *Heminæ* mensuram inesse Fannius præclarè tradit, à quo *Cotylam* eam synonimicè appellatam quoque scimus, dum ait:

*At Cotylas, quas, si placeat, dixisse licebit*
*Heminas recipit geminas sextarius unus.*

Rém omnem paucis Volusii Metiani verbis conficiam, ejus nempe Jurisconsulti, quo (uti Capitolinus refert) duo Antonini Pius, & Philosophus usi sunt, alter in jure dicundo, alter in addiscendo: Hæc itaque in suo de *Ponderibus* libro extremo is habet: *Mensurarum liquoris, atque grani expeditior & forma, & appellatio est; nam Quadrantal, quod nunc plerique Amphoram vocant, habet Urnas duas, Modios tres, Semedios sex, Congios octo, Sextarios quadragintaocto, Heminas nonagintasex, Quartarios centum nonagintaduos, Cyathos quingentos septuagintasex*. Quantum igitur (inquies) vini hæc nostra excipiebat Hemina, vel appendebat, ut eandem ad suorum Monachorum usum, sobrietatemque servandam, adhiberi S. Benedictus maluerit? Hanc inire rationem, remque ad nostri ævi mensuras referre non operosa modo, sed incertissima res fuerit, dum veteris hujus nostræ Heminæ exemplar nullum superest. Plurima certè de hujus Beneventano-Cassinensis Heminæ capacitate contra Gallici Dissertatoris sententiam laudatus differit Mabillonius l. l. à num. 156. ad 165. concertationisque summa hæc est, nullam Romani Congii, Sextarii, Heminæque (quæ ad posteros evaserunt) rationem, quam Dissertator tuebatur, habendam, ut nostræ Heminæ mensura ad illorum exemplar exigatur, quam pro variis ætatibus, regionibusque, immò ad solum *Principum* vel Judicum arbitrium, variasse Mabillonius contendit. Sed si de Beneventana Hemina agatur, tutius fuerlt (donec certum aliquid afferatur) eam ad Romanorum mensurarum Leges æstimare, quas adhùc inferiore hoc ævo servatas verisimile est, sicuti vetere florente Beneventana Colonia omnino certum probavi in Appendice Libri superioris in not. ad nostros Lapides clas. III. num. x. lit. D.

(1) Differt. II. Ducatus Beneventanus cur institutus Tom. v. Operum novæ edit. pag. 212.

& nos dicimus. Neque enim Longobardis quamvis ad exactiorem politicam nondum institutis, eam mentem defuiffe putabimus, quam Veteres Romanos in Coloniis deducendis habuiffe fcimus: Non ut tantummodo in emeritæ Militiæ præmia devictarum Provinciarum agri cederent, neque ut excrefcentis Plebis fæce Urbs princeps exhauriretur, fed illud præterea confilii in cauffa fuit, ut nempe eæ Coloniæ in Reip. fubfidium, tutelam, atque amplificationem conftituerentur; *Hoc in genere* (fic Cicero ajebat (1)) *ficuti in ceteris Reip. partibus eft operæ pretium diligentiam Majorum recordari, qui Colonias fic idoneis in locis contra fufpicionem periculi colocaffent, ut non Oppida Italiæ, fed propugnacula Imperii effe viderentur*. Laudavi olim Ciceronis locum, quum fuperiore Patriarum Antiquitatum Libro de variis veteris Beneventanæ Coloniæ deductionibus agere inftituiffem (2); laudandus etiam nunc mihi fuit, quum de Longobardis fermo eft, qui Italicum Regnum poft Romæ fata fibi ftatuere molientes, Beneventum ipfam, Veterum Romanorum exemplo, Ducatus fui fedem conftituerunt. Ac Romani quidem poft variam diuturni quatraginta novem annorum belli fortunam, quo & fub jugum aliquando adacti, & percuffi fœderis violatores, duplicem fuo nomini ignominiam pepererunt, fractis demum Samnitum viribus, nihil fibi gloriofius, partæque victoriæ emolumentis perpetuò confervandis fecurius effe duxerunt, quam ut in Beneventanam Urbem, Samniticarum facilè principem, viribus certè, nobilitate, locique opportunitate præcipuam, Coloniam protinùs deducerent; quà & devictæ Gentis obfequium fibi confirmarent, & ad ulteriores Regiones arma, imperiumque proferrent. Hæc ipfa à Longobardis, fimulac Benevento potiti funt, cogitata exiftimabimus, re certè ipfà jam gefta novimus, Ducatufque fui, qui paullò poft prolatis finibus in ingentem molem excrevit, jacta illicò fundamenta manifeftè teftantur.

Quæ quum ita fint, mirari profecto fubit, cur idem Peregrinius inftituti à Longobardis Beneventani Ducatus cauffam ad fortuitum quendam rerum eventum, feu ad *cafum*, ut is loquitur, referendam maluerit. *Cur* (inquit) *Beneventanæ potius Urbi, quàm alteri talis fuerit dignitas attributa? Quæ fcitu digna, necdum à quopiam decertata quæftio unico illo, eodemque pronuntiato folvi facilè poffe arbitror, quo altera de tempore inftituti Ducatus eft refoluta: Cafu fcilicet paucos numero Longobardos ad Beneventum convenientes, æque cafu exigua magnæ Dinaftiæ, qualis poft fuit, primordia ftraviffe, nullo tunc nec fapientiori fuo confilio, nec alterius celfioris Poteftatis arbitrio ductos* (3). Mirum, inquam, eruditum, ac perfpicacem alioqui Virum tanti eam, quam vocat, *quæftionem* feciffe, ut *fcitu dignam*, aliis tamen intactam hactenus, peculiari Differtatione pertractandam exiftimaverit; mox vero rem ipfe totam *uni Cafui* attribuens, uno verbo expeditam voluit. Cur ita factum fit, facile ipfius Peregrinii *de inftituti Ducatus tempore* Differtatio altera oftendit. Non aliunde ibi agnofcenda cenfuit Beneventani Ducatus initia, nifi ex illis *paucis numero Longobardis*, quos olim Narfetis auxiliarios, haud verò cum cæteris popularibus fuis in Pannoniam reverfos, fed elusâ (quis credat?) Narfetis, univerfos abire Italia enixè fatagentis auctoritate, fortuitò, *cafuque ad Beneventum convenientes* ratiocinatur. Idem igitur cafus, qui paucis illis umbraticis, atque imaginariis Longobardis clancularios Lares apud Beneventum dedit (dum à ftatuta femel fententia difceffiffe nefas Peregrinio videretur), idem fcilicet *cafus* inftituti poftmodum Ducatus auctor pronunciatur. Itaque adverfus unos Beneventanos (fi res penitiùs infpiciatur), ex inquirendâ illa inftituti Ducatus caufsà occafionem fibi faciens, differuiffe eo loco Peregrinius convincitur (4). Rem *cafu* acci-



(1) Orat. Agrar. cap. XVII.

(2) Differt. I. cap. II.

(3) Iniquiùs adverfus Sigonium fe habet Peregrinius; neque enim illius fententiam tolerandam fibi voluit in *De Reg. Ital. lib.* 1. fic expreffam. *Rex Autharis exercitu ad has regiones ex improvifo adducto, tum alia oppida, tum ipfum caput Provinciæ Beneventum ad deditionem adduxit, ubi Zottonem Ducem inftituit, ac, reliqua omiffa Italia, Samnium in formam Ducatus redegit; ficque ad duos Ducatus infignes Forojulienfem, & Spoletanum tertius Beneventanus eft additus*. Non id, inquam, paffus eft Peregrinius, veritus, ne in hac (quæ verifimilis Sigonio, aliifque videbatur) Ducatus inftitutione, Longobardi Regis præfentia, auctoritateque, primi Ducis defignatione, aliorum ab ipfis Longobardis inftitutorum Ducatuum exemplo, confilii aliquid, induftriæque adhibitum agnofceretur. Omnia Peregrinio inverifimilia, omnia falfa funt, quæ fuæ, quam femel tulit, præjudicatæ fententiæ adverfentur: immò pertinacior factus non alium, nifi *cafum* unum, perpetuum rei auctorem, comitemque affirmare, ac tueri pergit.

(4) A Beneventanis certè veniam, injuriofum fefe ipfis futurum prænofcens, deprecatur Peregrinius, qui æqua parum de illorum Urbe dicere moliebatur: *Cujus* (inquit) *præclaræ quidem Urbis dignitati cum ego haud detractum quicquam velim, quin potius hifce meis lucùbrationibus celebriorem eam reddere cum pro virili conar, æqui bonique facient Beneventanos Cives exoro, qui fuum in ceteras Ciftiberinas Urbes primatum non ab an-*

diſſe, ex eo potiſſimum comprobare is conatur, quod non tanti ea eſſe Urbs videretur, ut vel Longobardi è ſua re fore perſpicerent, Ducatus ſedem ibidem conſtituere; vel ut priſtinæ ſuæ dignitati recens ea dignitas meritò acceſſiſſe exiſtimaretur. Quid enim? Urbem Beneventum (ſic Peregrinius Diſſertationis ſuæ paginas ſatis importunè congeminat) inter Samniticas initio numeratam, Auguſtus Italiæ Regiones deſcribens Apuliæ attribuit; poſthac à *quopiam* alio Imperatore (quem omnis tamen Antiquitas ſilet) Campaniæ adjudicatam, Campanam eam fuiſſe, ac deinceps perſtitiſſe, tum S. Januarii I. Acta à Campano Præſide martyrio affecti, Campaniſque Præſidibus pluribus erecta à Beneventanis marmorea adhuc extantia honoris monumenta; tum S. Januarii II. Sardicenſi Concilio præſentis ſubſcriptio, tum Auſonii carmen, tum denique priſca Itineraria demonſtrant. Atque hæc quidem Peregrinius; cujus quidem has omnes fuiſſe nugas, ſuperiore Libro, pro inſtituti tunc Operis, ætatiſque ratione uberrimè oſtendimus (1); Non ea itaque heic repetere oportebit; id potius perſcrutari modo præſtat, quare Peregrinio aliud tunc agenti, *cur* ſcilicet *Beneventanus Ducatus inſtitutus ſit*, differenti, in mentem venerit, inter Campaniæ ſuæ fines Beneventum conſcribere: citò dicam: Ex inſtituto Longobardorum Ducatu, qui in ingentem poſtea molem, dignitatemque ſeſe erexit, atque adeò diuturnè viguit, floruitque, illa certè Urbs, quæ princeps, & ſedes delecta eſſet, tum veteris dignitatis ſuæ meritum demonſtraſſet, tum majus deinceps ſibi decus conquiſiſſet: Si igitur Campana Urbs Beneventum, Longobardici verò Ducatus inſtitutio conſilio aliquo eveniſſe dicenda eſſet, ea Ducatus Sedes, idque decus haud alteri, quàm principi Campaniæ Urbi Capuæ debebatur. Cogitabat ſiquidem Capuam ſuam Peregrinius, illiuſque poſthabitam neglectamque à Longobardis conditionem veluti indignatus, omnia ad *Caſum* deducenda proclamat, *Caſumque* ipſum ex mediocri quadam haud talia merentis Beneventi forte ſtudioſiùs, quàm opus, aut veritas eſſet, confirmare conatur.

At ſalva, atque integra (quod per me perpetuò licebit) Capuanæ Urbis priſca maneat dignitas, amplitudo, nobilitas, pulcritudo, opulentia, præclaritas (2). Fuerit ipſa *Roma altera*, uti Ciceroni pro præſentis tunc cauſſæ ſtudio, Oratoriſque munere appellare libuit; Fuerit *Romæ æmula*, qualem Auſonius ceciniſſe legitur: non eſt tamen, ut hiſce aliiſque Capuæ ornamentis, ſuis omninò contenta, ſatiſque locuples Beneventum invidere debeat. Sat enim ſibi id unum, quo ſua ſibi conſtet dignitas, atque præſtantia, ut ſivè *caſu*, ſivè *conſilio* Longobardi Ducatus ſui Sedem ibidem ſemel conſtituentes, nunquam facti pœnituerint, nunquam Capuam poſthàc cogitarint; quam ſibi per eadem tempora ſubjugatam, inter reliquas univerſi Samnii, ac totius propè Campaniæ Urbes, ſibi ſubditam agnoſcentes per *Gaſtaldos* ſuos regendam curarunt.

Cur verò Longobardi, quum in Ciſtiberina Italia imperium ſibi ſtatuere molirentur, Beneventum Ducatus ſui ſedem non elegiſſent? Quantumvis ignoratam peregrinis, barbariſque populis velimus ejus Urbis præſtantiam, vel dum Samnitcum nomen, virtuſque floreret, vel dum Romæ ſubdita Romanos accipiens Colonos Romanam etiam ſibi mutuata eſt, diuque præſetulit magnificentiam, mores, ipſam denique majeſtatem; quæ omnia ſuperiori Patriarum Antiquitatum Libro omnium oculis ſpectanda dedimus: ſpectare ſaltem Longobardi tunc debuerunt, quæ tunc temporis Beneventanæ Urbis felix verum omnium eſſet conditio: Verſari certè ante illorum oculos debebat ſoli fœcunditas, Polybio olim celebrata (3), loci ad proferendos circumquaque inſtitutæ ditionis fines opportunitas, Civium opulentia, Urbis denique non ſolum amplitudo, ac ſplendor, verumetiam tutela, atque munitio. Scimus certè paucis admodum ante Longobardorum adventum annis, nihil Gothorum Regi Totilæ magis curæ fuiſſe, quàm Beneventanæ Urbis vires, quas bellicis ſuis conatibus adverſaturas probè noverat, labefactare, atque excidere; hinc *trajecto* (ut Procopius tradit (4)) *flumine Tiberi, Romæ finibus abſtinens, in Campaniam, ac Samnium repentè ingreſſus, Beneventum*

*antiquiori, quam ab Longobardorum inſtitutione deducere me comperient*. Scilicet Beneventum Longobardis unis debet, immo *caſui*, qui Longobardos eò inconſulto pertraxit, ut ejus nomen in Terrarum orbe audiretur.

(1) Diſs. I. cap. I. pag. 49. & Diſs. IV. à p. 150. ad 158.

(2) Elogia Capuanæ Urbis è Veteribus Scriptoribus ſtudiosè collegit, unumque ſub aſpectum protulit laudatus Peregrinius in Præfat. ad dictas ſuas Diſſertationes.

(3) Polybii verba ex lib. III. pag. 206. editionis Aldinæ ann. MDXXI. hæc ſunt: *Poeni devaſtatis prædictis locis, ſuperatoque Appennino Samnium tranſeunt in foecundiſſimam Italiæ oram, & longo jam tempore bellorum expertem; ubi tantum commeatuus, rerumque neceſſariam copiam nacti ſunt, ut nec quotidiano uſu, nec continua devaſtatione abſumere prædam poſſent, hinc & Beneventum Romanorum Coloniam depopulantur*.

(4) De Bello Gothico lib. III. cap. VI. edit. Scriptor. Ital. Muratorii tom. I. pag. 306.

*ventum Urbem validam in poteſtatem ſuam redegit, ejuſque muros æquavit ſolo; ne advectæ Bizantio Copiæ, factis è munito loco eruptionibus, Gothos infeſtarent.* Vides igitur (ut id primùm moneam) è Romanis finibus in Campaniam, atque è Campania in Samnium Totilam properantem, ubi, in Samnio ſcilicet, Beneventum reperire, diripereque ſibi erat; Habes præterea, quantum per eamdem ætatem, quæ paucos poſt annos Longobardos in Italiam excepit, una ipſa Urbs Beneventum cæteras tum Campaniæ conterminas, tum ſocias Samnii Urbes non ſolum opulentiâ, rerumque omnium felicitate, verumetiam munitione præſtaret: Ciſtiberinæ certè Italiæ propugnaculi loco ſtetiſſe, præclariſſimus omnium teſtis ipſe Totila eſt, qui eâ unâ ſubacta, cæteras finitimas regiones non ſolum ſibi facilè ceſſuras, ſed tutò etiam obſequuturas exiſtimavit. Quod ſi furentis Totilæ juſſu ſpoliatam muris audiſti; mox victoris Narſetis providentiâ, immò inſigni munificentia, eoſdem inſtauratos muros, totamque Urbem magnificentiùs reſtitutam oſtendere licebit; atque oſtenſum quidem nobis fuit ſuperiore Libro, Diſſertat. X. cap III. quo loco de *Veteris Beneventi publicis Operibus* egimus. Ejuſmodi igitur tunc erat Beneventanæ Urbis conditio, ut præ cæteris Ciſtiberinæ Italiæ Urbibus inſtituendi Ducatus digna Sedes videretur: viſaque profectò Longobardis fuit, qui loci opportunitatem, munitionem, opulentiam, præſtantiam denique omnem probè animadvertentes, eam Longobardici Ducatus Arcem ſibi conſtituerunt.

Illud modo quæſiſſe intererit; an ſcilicet Ducatus, Duciſque titulum, quem Longobardi ab ipſa Italicæ Dynaſtiæ origine, poſt Regium nomen ſibi uſurparunt, priores ipſi in Italiam invexerint, vel potius Romanorum moribus jam receptum ſibi arrogarint: ac poſterius veri quidem ſimilius: neque in hac re, ſi ejus nominis, muneriſque, qualis apud Romanos obtinuit, conditio explicetur, Longobardorum conſilium defuiſſe videtur. Ducem itaque, florente Reipublicæ, non alium Cicero fuiſſe docet, quàm *Belli gerendi adminiſtratorem* (1), ſeù *cujus auſpicio Bellum geritur*, uti explicat Livius (1). Non aptius profectò aliud ei muneri nomen, quo qui Exercitui præeſt, militares copias quò Reipublicæ utilitas, neceſſitaſve poſtulat, ſuo imperio ducit: Hinc *Ducis* potiùs, quàm *Imperatoris* nomine eos, qui ſuprema auctoritate Bellum adminiſtrarent à priſcis Juriſconſultis paſſim vocatos legere eſt (3). Poſtea verò quàm Imperatoris nomen in novam utriuſque tum militaris, tum politici principatus ſignificationem evaſit, placuit Auguſtis, hiſque potiſſimùm, qui Imperii ſedem Conſtantinopoli tenuerunt, Ducis nomen, ac munus inter plures dividere, atque in ſingulis fere Imperii Provinciis eum, qui rem militarem curaret, Ducem conſtituere (4); præſertim vero iis attribuere, qui in Imperii finibus circumpoſiti, tueri eos potius, quàm proferre, ac conterminos hoſtes, ne irrumperent, cohibere magis, atque arcere, quam armis laceſſere debuiſſent. Sic *Duces Limitis*, & *Limitum* generatim, ſpeciatim vero *Dux Limitis Ægyptiaci*, necnon Euphratenſis, ac etiam Tripolitani in Juris Libris occurrunt (5). Apud Vopiſcum in Aureliano, *Ducem Limitis Scythici*, *Illyriciani*, *Thracii*, *Orientalis* legere eſt; qui etiam Vopiſcus inter illos, qui eodem Aureliano imperante, tyrannidem affectarunt, Saturninum memorat *Ducem Limitis Africani*, deindeque Bonoſum *Ducem Limitis Rhætici*: quo quidem in limite conſiſtendum nobis tandem monet peculiaris ejuſdem Rhætici Ducatus Formula, quam exhibet Caſſiodorus (6): ſatis namque ex illa Formula didiciſſe fuerit, collapſo Rom. Imperio, Gothiſque Italiæ dominis, adhuc ejuſmodi *Limitaneos Duces* perſtitiſſe, quorum neceſſarium, plenumque ſolicitudinis, fideique munus Rex Theodoricus declarat, electum ſic alloquens Ducem: *Ducatum tibi credimus Rhætianum, ut milites & in pace regas, & cum eis fines noſtros ſolerti alacritate circumeas; quia non parvam rem tibi reſpicis fuiſſe commiſſam, quando tranquillitas Regni noſtri tua creditur ſolicitudine cuſtodiri.*

Frequentiores vero, quàm olim, Duces aſpexit ſequuta mox ætas; nam pro nova temporum ratione, Reique publicæ neceſſitate, quos antea nonniſi Provinciis, atque Limitibus, ſingulis deinde validioribus Urbibus conſtitutos Duces fuiſſe conſtat: Hanc novam Regi-

(1) De Orator. I. 48.

(2) Lib. IV. cap. 20.

(3) Sic *Duces* Sylla, & Cotta dicuntur in leg. 4. Dig. De Re Milit. reliqua exempla congerit ex Juris Libris Barn. Briſſon. in De Verbor. ſignif., verb. *Dux*.

(4) In Notitia utriuſque Imperii recenſentur Duces ſingularum Provinciarum, nempe per Orientem ſex, per Ægyptum duo, per Ponticam unus, per Thracias duo, per Illyricum totidem, præter alios in Occidente conſtitutos. Cæterum *Duces Provinciarum* generatim memorati habentur in leg. 1. & 3. Cod. Theod. De Comit. rei milit. leg. 1. eod. Cod. de Comit. & Trib. Schol. Novell. Theodoſii, & Valent. De Tribut. Fiſcal. &c.

(5) Leg. 1. Cod. de Luſor. Danub. leg. 5. Cod. de Fil. App. leg. 5. De Adv. diverſ. Jud. in d. Cod. Theod.

(6) Variar. lib. VII. 4.

Regiminis formam post extinctum Narsetis operâ Italicum Gothorum Regnum, ab eodem Narsete institutam arbitratur V. C. Scipio Maffejus (1): At ejus rei auctorem Longinum ab Imp. Justiniano Narseti regendæ Italiæ Exarchi nomine suffectum testatur Blondus (2): Illud tamen constat Longobardis advenientibus eam tunc in Italia repertam regiminis formam, eamdemque eos sibi servandam, retinendamque statuisse, ut scilicet Imperialibus Ducibus, quos ex illustrioribus Urbibus expulissent, Longobardicos successores sufficerent: quâ quidem in re eodem sive Narsetis, sive Longini consilio, sed feliciore successu Longobardi usi sunt, dum qui devictis Urbibus præessent, peculiares Duces faciliùs illas in obsequio continere poterant: sed & novum, ut sic facerent, accessisse videtur consilium, dum servatâ veteris regiminis formâ, eodemque magistratuum nomine (quæ etiam præfati Regis Theodorici prudentia fuit) minus certè Italorum animis horreret barbarorum imperium, sed facilè novis dominis assuescere scirent, à quibus patrio more, institutisque regendos se nossent: Atque hùc etiam (quod animadvertisse præsentis operæ pretium erit) illud pertinet, quod videlicet Regibus omnino suis *Flavii* prænomen usurpatum voluerint. Sublato enim decennali Ducum regimine, instaurataque Regia Dignitate, Autharim decessoris Regis Clephi filium Regem salutarunt, *quem etiam* (ut ait Paullus Diac. III. 16.) *ob dignitatem Flavium appellarunt: quo prænomine omnes, qui postea fuerunt Longobardorum Reges feliciter usi sunt.* Quis enim ignorat, ob priorum optimorum Principum in Remp. merita, qui Flavii appellari gaudebant, maximum ei prænomini decus, & gratiam accessisse (3); quod utrumque, eodem assumpto prænonime, Regibus suis Longobardi conciliare studuerunt: quemadmodum, quos Duces regendis Italiæ Urbibus constitutos repererunt, eosdem, sua tamen è gente delectos, tum nomine, tum magistratu constitutos voluerunt.

Restat modo, ut cujus jacta perspeximus fundamenta, incrementa nunc Beneventani Ducatus videamus. Huic illustrando argumento adlaboravit, immo omnium laborum suorum præcipuam partem facit jam sepiùs nobis laudatus Camillus Peregrinius, qui Viris Clarissimis Gaspari Berettio, ac Ludovico Muratorio præivit, alteri scilicet in lucubranda *Tabula*

(1) Histor. Veron. lib. x. pag. 265.

(2) Histor. lib. VIII. ubi de Longino hæc habet Blondus: *In administratione Urbium, quæ in Justini Imperatoris partibus cum Roma, & Ravenna duraverant, hunc primus servavit morem, ut non Provinciæ, aut regioni præesset Præses, sive quispiam Magistratus, sed singulæ Urbes, singula oppida à singulis custodirentur, regerenturque Magistratibus, quos appellavit Duces, paremque faciens Urbem Romam aliis Italiæ Urbibus, hac una in re illam honoravit, quia impositum tum Magistratum Præsidem appellarit; sed qui successerunt, appellati sunt Duces &c.*

(3) Neque inter vetera Romanorum genuina, neque inter peregrina alia à Romanis adscita Prænomina (quæ Car. Sigonius collegit, confirmavit Raph. Fabrettus Vet. Inscr. cap. I. pag. 22.) *Flavium* invenire erit. Nomen tamen Gentis inter Romanos fuit, non illud quidem cum Vespasiani Imperio tunc primùm auditum, quem ex T. Flavio Petronio Municipe Rheatino Avo, Flavioque Sabino Patre prognatum refert Svetonius cap. I. Longe enim antea non una Flavia Gens apud Romanos vigebat. Gn. Flavii Ædilis Curulis ex L. Pisone meminit *Agellius N. A. Lib.* VI. *cap.* 9., *qui ille ipse Ap.* Claudii Scriba fuit à Cicerone *in Pisonem, & ad Att.* 6. I. *à Livio lib.* IX. *à Val. Maximo, Plinio*, aliisque veteribus celebratus, qui formularum, & solemnitatum ad judicia legitimè exercenda, subdolo Veterum Jurisconsultorum artificio conditarum librum populo vulgavit; unde & Jus Civile Flavianum dictum fuisse, ipsumque Flavium a Populo & Tribunum Plebis, & Senatorem, & Ædilem Curulem factum testatur Pomponius *in leg.* 2. *§. postea Dig. de Orig. Jur.* Atque ad hujusce veteris Flavii Gentem fortasse pertinet L. ille Flavius Tribunus Plebis, à quo Lex Flavia Agraria lata fuit, Ciceroni pariter memorata ad Attic. I. 19. dum scribit. *Agraria Lex à Flavio Trib. Pl. vehementer agitabatur auctore Pompejo; quæ nihil populare habebat præter auctorem.* Quumque in Jurisconsultos inciderim, *Flavium* quoque *Melam* Jurisconsultnm illum appellatum invenio, qui pluries solius Melæ nomine laudatur ab Ulpiano, atque Paulo in *leg.* I. *§. quod ait Prætor. Dig. de Cloacis.* At cujus superius meminimus Vespasiani non tam fortuna, quàm, quæ privatum Imperio dignum effecit virtus, amplius celebritatis, ac deinceps dignitatis, majestatisque ejusmodi nomini promeruit; itaut felicius, quàm paullo ante *Antoninorum*, qui non diù perseveravit, in successorum Imperatorum perpetuum, ac familiare propè prænomen evaserit. Quemadmodum igitur Cæsaris, Augustique, ita Flavii appellationem sibi Constantinus attribuit, exemplum, moremque successoribus relinquens, qui simul cum Imperio *Flavios* se appellari gauderent: At quemadmodum partim virtuti suæ, partim alienæ adulationi Vespasianus debuit, ut ex ipso ad veteres Romanas Tribus, *Flavia* recens Tribus adjiceretur, & quamplures Urbis, Coloniæquæ (quas recenset Fabrettus l. l. pag. 105.) *Flaviarum* cognomen sibi affectarent; ita auctor Constantinus fuit, ut eadem *Flavii* appellatio non solum inter Romanos reflorescеret, verum etiam in peculiarem quandam Imperialis Majestatis notam adhiberi consuesceret: Hinc factum, ut non solum qui ad Imperium capescendum jure meritoque deligerentur, verum hi quoque, qui per tyrannidem invadere molirentur, eo statim prænomine appellari studerent, uti de Sylvano (quem sub Constantio Constantini filio Imperatorum in Galliis ab exercitu proclamatum refert Ammianus lib. XV.) adsunt etiamnum testes ejus nummi apud Goltzium pag. 151. deque aliis Tyrannis passim monumenta occurrunt: inter quos tamen Regem Autharim, sequutosque Longobardorum Reges accensere non omnino licebit: qui Italico regno sibi confirmato, quod sibi usurparunt *Flavii* prænomen non in solum ambitionis, aut adulationis argumentum, sed non raro suis in Remp. promeritis jure sibi impositum comprobarunt.

*bula Chorographica Italiæ medii Ævi* (1); alteri vero de Regno Italiæ, ejusque finibus differenti (2): Ac Muratorius quidem, qui se à Berettio *in eo studio præoccupatum* fatetur, sed tamen quæ ante illum prælo paraverat, apprimè necessaria, publici juris facere sibi permisit, quum ad Beneventanum Ducatum pervenisset, *postremam* (uti vocat) *sed amplissimam, atque nobilissimam ad Orientem Regni Italici portionem*, ipsius Ducatus fines summatim indicasse contentus, lectorem ablegavit ad *Tractatum, quem edidit egregius illarum partium Scriptor Camillus Peregrinius in Opusculo edito T. V. Rerum Italicarum*. An igitur Peregrinii dicta recoquenda mihi erunt? non ita. Ut Peregrinius ad eam rem studiosiùs incumberet, permotus (uti is præfatur) fuit aliquorum insectationibus, quod ipse scilicet aliàs *vana jactantia, atque assentandi studio angustos terminos antiquæ Provinciæ, seù Ducatus Beneventani, quem cum Carolo Sigonio De Regno Italiæ lib.* VII. *persuasum habebant, antiquo fermè Samnio inclusum, finibus præstantissimi Regni Neapolitani æquiparatos affirmarit*. Hinc totus Peregrinii in eam rem conatus flagravit, ut quàquà maximè patuissent, fines *quadrifariam ad coelestis aspectus normam* dispertitos, multis etiam opportunè importunèque interjectis observationibus, minutim describeret, addita etiam Chorographica Tabula, cujus aspectu res ipsa perspectior haberetur. Sed quando in Peregrinii opera laudatus Berettius supplendum aliquid, aliquid etiam corrigendum repererit; sitque post Berettium supplendi, corrigendique adhuc locus; ac præterea quibus vario tempore factis accessionibus, suis veluti gradibus Beneventanus Ducatus ad suum fastigium conscenderit, nec Peregrinio, nec ulli hactenus demonstratum sit, operæ pretium fore duximus, ut res rursùm ipsa, quæ instituti nostri est, breviore quidem sermone, lumine tamen meliore instaurata, in medium proferatur.

Ad Ducatus itaque Beneventani incrementa quod attinet, si Imp. Constantinum Porphyrogenitum audimus, Longobardi, Narsete evocante, Italiam ingressi, ac juxta Beneventum, urbeculam quandam, quæ ea de re *Civitas nova* dici cœpta est, sibi ædificantes, mox vero Urbem ipsam dolo occupantes, non solum suum ibi Ducatum constituerunt, ubi Imperialis Patritius (qui tunc temporis Narses) regendæ Italiæ delectus, sedem habere consuebat, verumetiam *indè excursione in omnem ditionem Thematis Longobardiæ, ac Calabriæ facta, subjecerunt eam usque ad Papiam, excepta Hydrunto, Callipoli, Rusiano, Neapoli, Cajeta, Surrento, & Amalpho...... & sunt in hodiernum usque diem, quæ septima Indictio est, anni à condito Mundo 6457. Christi 949.* (3). Si igitur Porphyrogenito fides, ortus vix Beneventanus Ducatus in eam ingentem molem exurrexisse apparebit, ut non in Italiam modo cistiberinam, sed transtiberinam quoque ad ipsam Urbem Papiam imperium protulerit. At qui plura comminisci, plura confundere solemne habet, non ipse nobis Parphyrogenitus idoneus erit rei præsentis vades, ac testis; nisi excursionem illam, etsi multa falsitate permixtam contectamque,

(1) Sect. XXII. Tom. X. Scriptor. Rer. Italic.

(2) Antiqu. Med. Ævi tom. I. Dissert. II. pag. 56.

(3) De administrando Imperio cap. XXVII. ex edit. Banduri tom. XXII. Hist. Byzant. pag. 68. Venet. 1729. Tum in nostro Tomo I., tum in hac Dissertatione jam dictum mihi est de hoc commento, quo Narsetis fama ob accitos ad occupandam Italiam Longobardos in invidiam vocata est. Libet nunc rem ipsam ex Porphyrogenito audire, ut ex ipsa narratione commentum ipsum manifestiùs se prodat. *Temporibus Imperatricis Irenes* (Sophiæ) *missus Patricius Narses & Beneventum, & Papiam administrabat; Romam verò Papa Zaccarias Atheniensis. Accidit autem ut in Papiæ partibus bella gererentur, Narsesque Patricius Fisco assignatas ex pacto pecunias in exercitus usum impenderet; & ordinarius ab illo reditus non tantum non mittebatur, sed contra, se potius illinc pecunias sibi missum iri, sperare significabat. His auditis Imperatrix Irene, ira accensa, fusum illi, ac colum misit, hisce verbis ad illum scribens.* Accipe hæc, quæ tibi conveniunt; nere enim te magis judicavimus, quàm armis tanquam virum uti: *Quibus intellectis Narses Patricius rescripsit Imperatrici hoc modo*: Postquam nere me rectius, & filum torquere tibi videtur, veluti fœminam, telam me ordiri nosse scias, quam nunquam Romani detexant. *Tunc autem temporis Longobardi Pannoniam incolebant, quæ nunc Turcarum sedes est, & missis ad eos fructibus omnis generis ista hæc ipsis significavit*: Venite hùc & videbitis pro vetere verbo, terram lac & mel fluentem, quâ, ut puto, neque Deus meliorem habet, & si vobis placuerit, hanc inhabitabitis, ut in perpetuum me faustis *precationibus, & benedictionibus persequamini. His vero auditis persuasi Longobardi cum familiis Beneventum venerunt; Cives autem Beneventani cum intra Urbem illos admittere nollent, extra eam prope murum ad flumen habitarunt, ædificata Urbe parva, quæ* CIVITAS NOVA *appellatur, extatque etiam hodie: Intrabant autem etiam Urbem, & Ecclesiam, soloque superiores facti habitantibus omnibus, eos universos occiderunt, Urbemque occuparunt; gladiis enim intra fustes occultatis, Ecclesiam ingressi, pugna excitata, universos, ut supra dictum est interemerunt. Inde excursione in omnem ditionis Thematis Longobardiæ facta &c.* Qui hæc legerit, nonnisi nugas reputabit, quas tantum retulisse, refutasse simul erit. Illud tamen mihi animadvertendum de Civitate nova ad Beneventi muros à Longobardis ædificata, quam suo adhùc ævo, ideſt medio sæculo X. extare ait Porphyrogenitus, verum id esse, si opus ipsum non ad priores Longobardos, sed ad primum Beneventanum Principem Arichim referatur, qui circa ann. 774. binis nempe ab instituto Ducatu sæculis flagrante bello cum Carolo Magno, ad augendam Beneventanæ Urbis munitionem teste Ostiense lib. I. cap. 12 *Francorum metu perterritus* Civitatem novam *Benevento addidit*; vel

ctamque, indicare voluerit, quâ Rex Longobardorum Autharis longè post Narsetis obitum, anno scilicet DLXXXVII. non ex Beneventana, sed ex Papiensi, seu Ticinensi Urbe, quæ tunc Longobardici Regni sedes erat, *per Spoletium Beneventum pervenisse, eandemque regionem cepisse, & usque etiam Regium, extremam Italiæ Civitatem vicinam Siciliæ perambulasse traditur* (1).

Non Beneventanam quidem Urbem, ubi jamdiù ab anno DLXXII. Zottonem Ducem ab Rege Alboino constitutum superius probavimus, sed Beneventanam Regionem in suam tunc potestatem Autharim redegisse satis patet; quæ quidem Regio nonnisi de circumjacentibus locis ad antiquum Samnium, vel proximam Campaniam pertinentibus intelligenda est, quibus tunc primùm Beneventanus Ducatus latiores fines accepit: Siquidem Dux ipse Zotto usque ad Autharis adventum, haud fortè necessario milite satis instructus, aut potius prædandi, quàm dominandi studio detentus, Beneventanam Urbem, velut Regionis Caput, validissimumque Ducatus, Gentisque suæ propugnaculum, habere sibi subditam satis habuit: nec certè parum idfuit in ipsa Urbe Benevento Beneventanum exortum fuisse Ducatum, cui ex ipsius Urbis situ, ac præstantia regiones aliæ facilè accessuræ videbantur.

Et sanè, qui post Zottonem anno DXCI. defunctum, missus ab Rege Agilulpho Arichis Beneventanum Ducatum regendum suscepit, angustorum ejus finium impatiens, conjunctis cum Ariulpho Duce Spoletano militaribus copiis, in præcipuas Campaniæ Urbes expeditionem paravit; eo veteri consilio usus, quo Beneventum olim Longobardi occupandum duxerunt, ut munitiores scilicet primariasque Urbes, quarum sortem aliæ minores spontè, vel facili negotio sequerentur, primo conatu sibi subderet: Hinc ad Neapolim expugnandam vehementer exarsit Arichis, uti scimus ex S. Gregorio M., qui rem Johanni Episcopo Ravennati his verbis denunciat. *De Neapolitana Urbe vobis indicamus, quia Arogis, ut cognovimus, cum Ariulfo se fecit, & Reipublicæ contra fidem venit, & valdè insidiatur eidem Civitati, in quam si celeriter Dux non mittatur, omninò jam inter perditas habetur* (2). Ariulphum hunc Faroaldi successorem, non Beneventanum (uti ad Gregorii Epistolam Gussanvillæus, Paulli Diaconi locum licet indicans, hallucinatus tamen dixit) sed Spoletanum Ducem fuisse constat, quem *bellum contra Romanos in Camerino gessisse, victoriamque patrasse* narrat Paullus (3). Ariulphi itaque vires sibi sociavit Arichis, ejusque satis fidelem expertus est operam: nam idem Gregorius testis est, noluisse Ariulphum publica pacis fœdera, quæ cum Rege Agilulpho sancita erant, suscipere, si ad cohibendos Arichis bellicos conatus milites mitterentur, itaut liberum Arichi expeditiones suas prosequi, liberum sibi maneret auxilia præstare: *Indicamus* (inquit Gregorius ad Theodorum Ravennæ Curatorem) *Ariulphum de servanda pace, non ut Rex ipsius juravit, sed sub conditione, si sibi in quoquam excessum non fuerit, aut si nullus contra Arogis exercitum ambulaverit, Sacramenta præstitisse; quod quia iniquum, & dolosum est, nos, tanquam si non jurasset, habemus* (4): Hinc illud à Gregorio in superiori Epistola dictum intelligimus, tum Ariulphum, tum Arichim *contra Reipublicæ fidem venisse*, quod Neapolitanæ Urbis expugnationem molirentur. Sed quod ad Neapolim attinet, irritus tunc fuit Arichis conatus: Quid vero juris in eandem Urbem sequenti ætate nostri Longobardi adepti sint, opportuniore loco dicemus. Interim ipsum Arichim in eadem Campania Ducatus sui fines proferentem sequemur.

Urbem Capuam totius Regionis olim caput, præclarosque ejus, ac latos campos, interioremque Campaniam omnem Longobardos *ab suo fere adventu* occupasse ipse libenter fatetur Peregrinius, non id tamen bellicæ ejus Gentis virtuti, sed præsenti tunc loci conditioni adscribens, qui nullâ murorum tutela præditus *vel solo adceßu* obtineri poterat, neque enim, inquit, *præter Neapolim, Cumasque alia Urbs, teste Procopio, muris tunc munita erat* (5) Patriæ Urbis infeliciorem statum maluit fateri Peregrinius, quàm ut Longobardo-

ut ait Cronographus Vulturnensis To.I. part.II. Script. Ital. pag.402. *juxta Beneventi moenia* Civitatem novam *construxit*: Unde Civitatis *veteris*, Civitatisque *novæ* discrimen, & appellatio ipsi Benevento sequuto mox tempore facta; de quo alibi opportuniùs agemus.

(1) Paul. Diac. de Gest. Longob. lib.III. cap.XXXI.

(2) Lib.II. ep. XLVI. al. XXII.

(3) De Gest. Long. lib.IV. cap. XVII.

(4) Lib.IX. ep. XCVIII. al. CIII. Porrò *Arogem* vocat S. Gregorius, quem *Arigim* Paullus Diaconus, atque alii *Archim*: nos Arichim heic, & deinceps scribemus, non MS. atque editorum Codicum dubiam fidem, sed certissimam sequuti auctoritatem marmoreæ Inscriptionis sepulcralis Beneventani Principis Arichis II. quem prioris Ducis cognominem fuisse satis constat. Sunt, qui *Arichisium* nullo veterum exemplo scribere malunt, ut nomen ipsum ad Romanorum nominum majestatem conforment, nam Romanorum fuit, ut nomina propria in IUS terminarent; at si id lubeat, non *Arichisius*, sed *Arichius* scribendus videtur.

(5) De fin. Ben. Duc. ad Merid. pag.242. tom.V. opp. Neque id ipsum abnuit Peregrinius in alio Opere vernacula

bardorum virtuti aliquid daret, quasi Procopius non de Neapoli, atque Cumis veluti munitioribus Urbibus loquutus videatur; credereque quis debeat, aut Capuanos, lapso post Gothicum Bellum dimidio ferè Sæculo, suam adhuc Urbem muris destitutam tulisse, aut accedentibus vix Longobardis se victos, servosque statim dedidisse. Ut vero ea res sit, non equidem, nisi posterioris Ducis Arichis ævo, atque operâ Capuam Beneventano Ducatui accessisse nos fatebimur. Ante, vel post expeditionem Neapolitanam, quæ, uti ex S Gregorii Epistola, Indictionem x. præferente, anno DXCII. suscepta fuit, Capuam Campaniamque sibi Arichis subjecerit, incertum est: indubium verò illud, Arichim ea Urbe, ejusque Regione auctum Ducatum Successoribus reliquisse. Grimoaldus Dux quintus, qui post Ajonem, Radoaldumque solo sexennii necdum integro intervallo Arichi successit, Trasemundum Comitem Capuanum, domo utique Longobardum, Beneventanique Ducis beneficio, nutuque eâ Præfecturâ fungentem, ad occupandum Longobardicum Regnum sibi adhibuit, nam *per Spoletium, & Tusciam direxit, ut per eas Regiones Longobardos suo consortio cooptaret; qui imperata sibi strenuè perficiens, ei cum multis adjutotibus apud Æmiliam in itinere occurrit*. Sub eodem Grimoaldo jam Rege Longobardorum, Romualdoque ejus filio Beneventanorum Duce, Mittulam quoque scimus Capuanum Comitem, qui Imp. Constantis à Beneventanæ Urbis obsidione recedentis exercitum *vehementer attrivit* (1): qui quidem Mittula in Trasemundi locum suffectus videtur, nam Trasemundum optime de se meritum Grimoaldus ad Spoletanum Ducatum evexerat (2): Sed ante Trasemundum fuisse Capuæ Comitem Audoaltum, qui primus omnium eo munere insignitus fuit, non levem conjecturam præbet vetustus sepulcralis lapis Capuæ servatus, ac inter Peregrinii opera nuper editus, non Longobardicis, sed Romano-barbaris, pluribusque literarum inter se nexibus expressis characteribus inscriptus, ita legendus: ROGO VOS OMES, QUI LEGITE TUMULUM ISTUM ROGATE DEUM PRO AUDOALT ILLUSTRIS QUI FUIT NATUS EX GENERE DE AUDOALT PRIMUS COMES CAPUE (3).

Atque ex his discimus, qualis, amplificatis Beneventani Ducatus finibus, in eodem regendo, atque administrando, Beneventanorum Ducum πολιτεια simul haberi cœperit. Majoribus Urbibus Comites, minoribus Gastaldos præficiebant. Quos initio Comites Capua suæ Regionis Caput accepit, eos postmodum Gastaldos appellatos vetusta monumenta testantur (4). Quod cur factum sit, mox dicemus; non enim putare quis debeat duplici eo vocabulo unum idemque munus fuisse demonstratum; quum plenè constet ea vocabuli diversitate, muneris etiam discrimen designatum. Id primùm ipsi docent Beneventani Du-



nacula linguâ conscripta, cui *Apparato alle Antichità di Capoa*, titulum fecit: immo hac etiam de re factum putat, ut Longobardis rerum potitis, ac Beneventum Ducatus sui sedem habentibus, quidquid Capuana Urbs subdita inter insigniores, celebratasque res jactare olim soleret, *Beneventanum*, adscito ex dominantis Urbis nomine, epitheto, dici cœptum sit. Audi illum *disc.* III. *pag.* 564. sic loquentem. *Quì forse potrebbe applicarsi quel, che si legge in uno de medesimi Glossarj pubblicati da Errico Stefano, di una tal sorte di Pelli Babiloniche*, Βαβυλωνικον δέρματος εἶδος; *latinamente con un sol vocabolo dette*, *Beneventanum*, *dal profumarsi in Babilonia nello stesso modo, che si usava nella Regione, e nel Ducato di Benevento, che fu istituito da Longobardi, in cui Capua, e i luoghi della Campania fra terra furono poi compresi; posciachè disusatosi il nome di questa Regione, divenne celebre quel nuovo*. Scilicet *Beneventanum*. Cur verò fieri potuit, ut si iis mercibus Campania insignis esset, ejus Regionis desuesceret nomen, à qua *Campanam* Beneventum ipsam ad sæculum usque VII. effecisse alibi voluit Peregrinius? Tanti autem res ista Peregrinio visa est, ut ea ratiocinatione Capuæ suæ vindicandam existimarit. At ex istis, aliisque id genus artificiis, quibus Beneventanorum industria priscis Scriptoribus commendatur, quale, quantumque per me diam ætatem ejus Gentis fuerit decus, differere non hujus est loci, temporisque. Satis vero de hisce *Pellibus* Peregrinio memoratis *Cangianum* Glossarium adisse sit, ubi sub eodem vocabulo sic legitur. BENEVENTANUM. *Pellis species, ita appellata* à Benevento Urbe Italiæ. Gloss. Lat. Græc. *Beneventanum* Βαβυλωνικων δέρματος εἶδος. Glossæ Isidori. *Flamineum Babilonicum*. Le Roman de Bertrand du Guesclin.

*Et getta on sur lui un drap de Bonnivent*.

Hæc Cangius.

(1) Paul. Diac lib. IV. cap. 53.

(2) Idem lib. V. cap. 16.

(3) Tom. III. pag. 95. edit. Neap. ann. 1751. Contra ejus lapidis fidem, cujus ipse ectypon exhibet, editor de suo ingenio addit: PRO ANIMA ADUALT: oscitantiùs verò pro AUDOALT, semèl, atque iterum ibidem inscripto, bis etiam ipse ADUALT scribere maluit. Ex Literarum forma, earumque frequentibus nexibus arguere licebit lapidis ætatem, quæ sæculo x. posterior videtur, quando ea scribendi forma in more esse cœpit. Specimen dabimus lapidum consimilium Beneventi extantium in sequenti Dissert. II. cap. V.

(4) Charta Tabularii Cassinen. apud Petrum Diaconum num. 180. scribitur data *anno* II. *Sicardi Benev. Princ. Ind.* XI. *Mense Octubri cum consensu Radelgari Capue Gast.* ideft anno 833. Chronicon Comitum Capuæ inter Opp. Peregr. tom. III. pag. 146. sic orditur. *Landulph Maticu Fil. Pald Gast. Capue. A Sicone Benev.* (Principe) *Gast.* (Gastaldus) *factus est*, & paullo post: *Gastaldeos Ratelgar & Agvenardu &c.* Ostiensis Agenardum, & Landulfum Capuanos *Gastaldeos* vocat Chr. Cassin. lib. I. cap. 23. & 24. De eodem Landulfo Erchempertus num. XV. *Eodem tempore Landulphus Capuæ præerat Gastaldus &c.*

ces, Principesque, qui in suis Chartis, quas passim legere est in Chronicis, Sansophiano, Vulturnensi, Casauriensi, hanc solemnem formulam adhibebant: *Si quis ex nostris Comitibus, Gastaldis &c.*: docet etiam insignis locus S. Gregorii M. in Epistola ad Sabinianum Diaconum nam *Si ego*, inquit Pontifex, *in morte Longobardorum misceri voluißem, hodiè Longobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet* (1). Quæ duo loca si nosset Peregrinius, animadvertissetque Berettius, prior non ex altero Gregorio Turonensi, atque è Francis Comitum Longobardorum morem tam longe repetisset (2); alter verò eosdem Comites apud Longobardos *rarò occurrentes* nullatenus dixisset (3). Frequentissimos certè, tum ipsi Longobardi Duces demonstrant, qui Comitibus suis, ne Diplomatibus, sivè Præceptis ab se datis contrairent, vetare solebant; frequentissimos etiam ab suo ævo, idest paullò post Longobardorum adventum, ac in Longobardorum medio positus, Gregorius ostendit, qui post Regem, ac Duces, non alios Longobardorum Magistratus agnoscit, quam solos Comites. Adde his Imperat. Ludovici II. Constitutionem *promotionis exercitus in partibus Beneventi sub Indictione XV.* idest anno DCCCLII. ab Ignoto Cassinensi in sua Historiola recitatam, ubi Ludovicus opem Beneventanis ad arcendos Saracenos laturus, imperat, ut in habendo militum delectu *nullum* ab ea expeditione *aut Comes, aut Gastaldus, vel ministri eorum excusatum* velint (4).

An Comitum nomen Longobardi à Romanis hauserint, apud quos tum ante, tùm maximè post Constantini ævum obtinuerat, itaut eandem (quemadmodum de Ducibus superiùs observavimus) quam in Romano Imperio invenissent dignitatem, dignitatisque vocabulum retinuerint; vel potiùs è patriis Germaniæ moribus secum duxerint in Italiam, haud statuere promptum est. Tacitus sanè Germanorum Principibus Comites speciatim attribuit, subditque, *Gradus quin etiam ipsum Comitatum habuisse judicio ejus, quem sectabantur: Magnamque & Comitum æmulationem, quibus primus apud Principem suum locus, & Principis, cui plurimi, & acerrimi Comites* (5). Sed hæc potius ad primam Comitum institutionem pertinent, quum scilicet in Romana Aula (ad ejusque exemplum in Germania, alibique) delecti proceres Imperatoris, seu Principis lateri domi, militiæque adhærerent. Quod subinde amplioris juris, potestatisque Comitibus accessit, novum Romanorum, inferiorisque ætatis institutum fuit. Malim igitur, non Romanum tantummodo vocabulum, sed eandem quoque apud Romanos tunc temporis invectam significationem sibi Longobardos adscivisse, ut scilicet Comites sui, non eam quidem Romanorum Comitum Classem, quæ in Officiis Palatinis, seu Domus Augustæ versabatur, sed eorum munus æmularentur, quibus res militaris, Provinciæque administratio mandabatur, quorum exemplo ipsi quoque majoribus Urbibus, earumque circumjacenti Regioni tùm juridicundo, tùm militari potestate præessent; uti ex Comitibus, quos a Beneventanis Ducibus Capuæ constitutos jam novimus, præclarum habemus.

Comites sequebantur numero majores, sed inferiores dignitate Gastaldi: quos etiam Castaldios, Gastaldeos, Gastaldiones barbaro æquè vocabulo appellavit Antiquitas, ut videas in ejus muneris vocabulo Longobardis patriam linguam servandam placuisse: nam à Saxonico *Gast*, & *Aldian*, seù *Aldius*, vel *Halden*, hoc est, *Hospitum*, sive *Hospitii Custos*, aut *Famulus* deductum censent Spelmannus, Amerbachius, ac Vossius: vel potius à *Gestellen*, hoc est *præponere*, *constituere*, ut Eccardus opinatur in notis ad Legem Salicam. Vossio non adsentitur Muratorius, illius ætimologiam aspernatus (6). Sed neque nos Muratorio adsentiemur, arbitranti, *in Beneventano Ducatu Gastaldios, & Comites sub duobus diversis nominibus idem fuiße* (7). Repugnant planè omnia, quæ paullò ante de Comitibus observavimus: Sicubi verò qui Comes, idem ipse ejusdem loci Gastaldus vocatus occurrit, inde accidit, quod vel utrumque munus ab eodem exerceretur, vel qui olim Gastaldus, ob sui postea, aut loci meritum ad Comitem promotus, vel contrà ob culpam aliquam ex Comite ad Gastaldum redire coactus sit. Quod in Capuano Comitatu factum constat: nam qui ab ipso Ducatus

(1) Lib. IV. Ep. XLVII. ex edit. PP. S. Mauri.
(2) Differt. III. pag. 221. tom. V.
(3) In Tabula Chorographica Sect. VII. num. 24.
(4) Tom. II. Scriptor. Ital. Muratorii pag. 265.
(5) De Moribus Germanorum pag. 441. ex edit. Plantiniana cum notis Lipsii: ex quo Taciti loco, ac Cæsaris altero, nostros Prælatos majorum Civitatum à Germanicis Comitibus Comites dictos censet Cluverius *Germ. Antiq. lib. I. cap. 48.* At longè diversum illorum munus ex ipso Tacito ostenditur, nosque superiùs animadvertimus.
(6) Antiq. Med. Ævi Tom. I. Differt. X. pag. 524.
(7) Ibid. pag. 528. lit. B. idemque affirmavit Tom. II. Differt. XXI. pag. 193.

Ducatus Beneventani exordio Comites fuere, jam Gaſtaldi eſſe juſſi ſunt, occaſionem præbente Landulfi, Capuanorumque perfidia, qui Siconolphi partes adverſus Principem Radelchim fovere auſi ſunt; ſuetam veluti pœnam ſuetis ſuis moribus dignam reportantes, quam olim à Romanorum fide deſciſcentes ad Præfecturam redacti ſubierunt (1). Capuani autem ſub Gaſtaldis dein fuerunt uſque ad Atenulphum, qui (uti Erchempertus diſertiſſimè ait n. LXV.) *Gaſtaldatum Capuanum ſingulariter* (ideſt ejectis fratribus ſolus) *ſuſcipiens continuò ſe Comitem appellari juſſit*, eadem ſcilicet ambitione, quâ demum Anno DCCCC. Principatum Beneventanum adeptus fuit. Atque Erchempertus certè, qui Gentis ſuæ res optimè novit, ceteriſque & tempore & fide Scriptoribus præſtat, ſummum inter Comites, Gaſtaldoſque diſcrimen fuiſſe docet tum alibi ſæpè, tum præſertim n. VIII. ubi ſic loquitur: *Interea Radelchis Comes Conſinus, & Sico Agerentinus Gaſtaldeus, quem Grimoalt* (Princeps) *dudum proſclytum receperat .... gladio eum peremerunt*. At in re ſatis manifeſta non aliundè melius Muratorium refutabimus, quàm ex ipſius muneris explicata conditione.

Non Actores tantum, Procuratoreſque *Curtium*, ſive Villarum, Prædiorumque, ſed mox ſingulis minoribus Urbibus Præfecti, jura populo ſibi commiſſo Gaſtaldi reddebant, militumque ſtatutum numerum alebant, ad Domini, ſivè Ducis nutum in Caſtra deducendum. De judiciali auctoritate teſtes ſunt Leges Longobardicæ, Placitaque ipſa, quibus Gaſtaldi præſentiam, adprobationemque ſuam impartiebantur. Militarem poteſtatem oſtendit memorata nobis ſuperius Imp. Ludovici Conſtitutio: ampliùs verò Anaſtaſii teſtimonium, qui Gregorii II. tempore Cumanum Caſtrum à Longobardis occupatum narrat, ſed paullòpoſt à Neapolitanis recuperatum, qui *Longobardos penè trecentos cum eorum Caſtaldione interfecerunt* (2). Quare & illud à Rege Rothari in Lege XXIV. cautum fuit. *Si Gaſtaldius exercitalem* (ideſt militem) *ſuum contra rationem moleſtaverit, Dux eum ſolatiet*, ideſt ab injuria relevet: Ex qua lege mirari certè ſubit, cur idem Muratorius, qui Gaſtaldios ad Comitum dignitatem, nomine tantùm diſtinctam extollebat, jam ipſis Gaſtaldiis longè diverſum, inferiuſque munus, quàm quod Lex ipſa præclariſſimis verbis adſcribit, tribuendum voluerit, ſic ajens: *ex Rotharis Lege* XXIV. *conſtat Gaſtaldeos quoque ad militiam adhibitos, in eo nempè munere, quod olim geſſere Procuratores, Rationales &c. & nunc* i Commeſſarj di Guerra (3). Nihil ineptius, vel ſolâ Rotharis Lege redarguente, dici poterit. Sed ut rei ſummam attingamus, Gaſtaldos in Beneventano Ducatu, tum nomine, tum munere, tum dignitate à Comitibus omnino diſtinctos agnoſcemus, ac ſatis tutò affirmamus; quippe qui poſt Comites, civilem militaremque poteſtatem, anguſtioribus ſanè finibus ſibi à proprio Duce temporariè attributam obtinuerint.

Singulare autem, ſingularibuſque ex cauſſis profectum cenſeri debet, Alzeconis, ſive Alzeci Bulgarorum olim Ducis exemplum, cui Dux Romualdus Regis Grimoaldi filius plures, atque inſignes conceſſit Urbes, Gaſtaldi nomine poſſidendas. Ea de re Paullum Diaconum audire præſtat. *Per hæc tempora Bulgarorum Dux Alzeco nomine, incertum quam ob cauſam, à ſua Gente digreſſus, Italiam pacificè introjens cum omni ſui ducatus exercitu, ad Regem Grimoaldum venit, ei ſe ſerviturum, atque in ejus Patria habitaturum promittens: Quem ille ad Romualdum filium ſuum Beneventum dirigens, ut ei cum ſuo populo loca ad habitandum concedere deberet, præcepit: Quos Romualdus gratanter excipiens, eiſdem ſpatioſa ad habitandum loca, quæ uſque ad illud tempus deſerta erant, contribuit, ſcilicet Sepinum, Bovianum, & Iſerniam, & alias cum ſuis territoriis Civitates, ipſumque Alzeconem, mutato dignitatis nomine de Duce Gaſtaldium vocitari præcepit: Qui uſquehodiè in hiis, ut diximus, locis habitantes, quanquam & latinè loquantur, linguæ tamen propriæ uſum minime amiſeruut* (4). Habes



(1) Vellejus Paterc. lib. II. cap. 44. Livius lib. XXVI. cap. 6. Porrò quod ad Capuam Longobardis ſubditam attinet, Landulfum, qui ei Urbi *præerat Gaſtaldus*, improbis ſanè moribus imbutum deſcribit Erchempertus num. XV. qui etiam num. XX. Capuanorum perfidiam aperit, ac *fallaciam* narrat.

(2) Anaſtaſius in Vit. Gregorii II. Tom. III. part. I. Scriptor. Ital. pag 155.

(3) In nota 25. ad legem XV. ejuſdem Regis Rotharis Tom. I. part. II. Scriptor. Ital. pag. 19.

(4) De Geſt. Long. lib. V. cap. XXIX. Paullo conſentit Ignotus Caſſinenſis, qui num. III. ſic brevi rudique ſtilo habet: *Alzecus Vulgarius cum hominibus ad habitandum ſuſcipitur*. Auctor verò Hiſtoriæ *Miſcellæ*, quam nos alibi eidem Paullo adjudicavimus, à Paullo diverſus, Ducis nomen ſilens, ſed diſceſſus è patrio ſolo cauſam aperiens, eum nequaquam Beneventum acceſſiſſe, ſed in Pentapoli cum ſuis conſtitiſſe affirmat: *haud procul ab Urbe Ravenna in Pentapolim veniens, ſub Chriſtianorum Imperio factus eſt.* Sed hæc quæ in ejuſdem Hiſtoriæ libro XIX. leguntur, non habent Paullum auctorem, qui ad lib. XVI. ſcribere deſiit, nec ultra Longobardorum adventum opus produxit, à Landulpho dein Sagaci, ſive quovis alio continuatum, cui certè

bes quidem Alzeconem plurium Urbium, amplissimæque Regionis constitutum Gastaldum; at si rectè animadvertas, habes potius à Duce Romualdo in eam *desertam* Ducatus Beneventani regionem, tùm indigenis, tum Longobardis habitatoribus destitutam, deductas veluti Bulgarorum ad se advenientium Colonias, quibus eorum locorum frequentia instauraretur: permittendum igitur fuit, ut peregrina gens suis legibus, sua lingua, suoque Duce uteretur, ut paulatim ad Beneventanorum, seù Longobardorum imperium, moresque assuesceret; ut verò se subditam sciret, probaretque, abjudicandus Alzeroni Ducis titulus fuit, ne pari, ac communi dignitatis vocabulo supremum Dominum æmulari videretur; denegandus autem, veluti ambitiosior inter ipsos Longobardos Comitis titulus; solus denique Gastaldi permissus, quo manifesta obsequentioris subjectionis nota continebatur. An verò Urbes illas cum adjacentibus locis Dux Romualdus perpetuò, atque in Feudum, vel solius Gastaldatus jure, idest temporariè, precario, & quasi *Actoris* loco, uti Cujacius censuit, Alzeconi tradiderit, opportuniore loco videbimus, quum scilicet de Longobardorum Legibus differemus, à quibus Feudorum Jus originem habuisse demonstrabimus.

Interim quum de Longobardorum Comitibus, Gastaldisque egimus, nihil ab instituto argumento divertisse videbimur; nam cum ipsis Beneventani Ducatus incrementis explicari simul debuit, quæ in eo administrando servari cœpta fuit regiminis forma. Alzeconis autem exemplum ad ipsum omnino rei caput pertinebat, ut scilicet eo facto jamjam ex ea parte, qua digressi fuimus, ad succrescentes Ducatus fines perspiciendos rediremus. Itaque ex Alzeconis Gastaldatu, seu è veteri Samnio ad finitimas Regiones Marrucinorum qui sub Samnitibus olim fuerunt, sive ad Theatensium, quas Erchempertus vocat *tellures* progrediemur: Has Beneventanis Ducibus subditas laudatus prodit Erchempertus iisdem verbis, quibus amissas narrat n. v.; nam flagrante bello inter Pippinum Caroli Magni filium,

tè præferendus est Paullus, rem ipsam meliori fide, stiloque accuratiore prosequutus. Sed hæc levia. Animadversione multa dignum illud est, quod de ipsis Bulgaris in Beneventano Ducatu, Urbibusque sibi olim concessis, ad suam usque ætatem propagatis addidit, *ut quanquam latinè loquerentur, linguæ tamen propriæ usum adhuc servarint*. Quid *latinæ linguæ* nomine intellexerit Paullus, diù, à multisque quæsitum est, ac variè explicatum. Peregrinius, eumque sectatus Horatius Blancus nota 120. ad Paulli locum, ita explicant, *ut fuerit communis, popularisque Italicus sermo, nam sic* loqui latinè, *apud Dantem Aligherium, Petrarcham, & Boccatium dicti sunt, qui haud prisca, & latiari, sed usurpata nunc nobis Italis lingua utebantur;O.to etiam Frisingensis lib.* II. *cap.*13. *eadem verbi usus est acceptione, quum Longobardos Italos* ab Latini sermonis *elegantia laudat*. In eandem sententiam abire videtur Muratorius in Differt. *De Origine linguæ Italicæ tom.* II. *Antiqu. Med. Ævi pag.* 1016. qui *latinam* linguam à Paullo Diacono memoratam, eam ipsam fuisse arbitratur, *quæ à Populis Apuliæ tunc usurpabatur*, utique à prisca latina omnino diversam: At nemo hactenus ostendit, nec ullus unquam ostendere poterit, Apulorum, seù potiùs Italicorum populorum linguam, aliam tunc fuisse, quàm priscam latinam; Itaque magis probaverim, quæ de hoc argumento ex instituto agens tradit Cl. Fontaninius in Opere Della eloquenza Italiana pag. 200. edit. Rom., cujus inter alia hæc sunt verba: *Il Muzio nelle Battaglie s' inviluppa in equivoci in rispondere al* Varchi, *supponendo ancor' egli, che* Dante *per la lingua volgare degli antichi, e de' susseguenti* latini *intenda la* nostra volgare Italiana, *quando egli intende la naturale del volgo, e senza regole, cioè diversa dalla più culta, ed appresa con regole, la quale usavasi nello scrivere, nè era comune agl' indotti. Gasparo* Berti *è pure di tale sentimento, e dopo* Dante *il furono* Lorenzo Valla *contro il* Poggio, *e* Francesco Fidelfo *contra* Lionardo Aretino, *che prefero la lingua del volgo* latino antico *per la nostra* volgare Italiana. *Il* Bembo *stesso nella Prose ragiona di queste due lingue, che sono la* Latina *Grammaticale con regole, e quella del Volgo senza regole; la qual seconda lingua ei fa, che da Ercole* Strozzi *si pigli per la nostra* volgare Italiana, *dovendo pigliarsi per la lingua* latina del volgo degli antichi latini, e de' susseguenti, *ma senza regole, e non già per la* lingua nostra volgare Italiana; *dell' origine, e dell' accrescimento della quale si è trattato nel libro antecedente: di questa lingua latina senza regole, già propria, e comune al volgo de' secoli antichi tratta il* Cittadini *nel suo* Processo, *adducendo molte Iscrizioni lapidarie in tal lingua senza regole di Grammatica, e molte altre se ne portano dal Grutero, dal Reinesio, dal Fabretto, ed alcune da me ancora nel Commentario del Disco Votivo*. Nihil verius dici, nihil manifestius haberi potest, dum ante sæculum XIII. ipso teste, ac judice Muratorio, *usurpatam nunc nostris Italis linguam quærere* frustra est; inanius verò ipso sæculo VIII. quo Paullus Diaconus scribebat. Non igitur, nisi ipsam latiarem primævam linguam Paullus intellexit, sine grammaticalibus quidem regulis, multis etiam barbaris vocabulis ex externarum nationum alluvie, præsertim verò diuturno Longobardorum dominio corruptam, sed tamen latiarem, quæ in vulgi ore ad sæculum XIII. perseveravit. Nisi enim latinam linguam in Italorum usu usque ad recentis Italicæ originem admiserimus propriam, atque vernaculam, à majoribus nempe suis derivatam, nullam Italis fuisse linguam fateamur oportet, quâ se homines esse ostenderent; vel absurdum illud consequeretur, iisdem linguis statim loquutos, quas secum barbaræ quæque gentes suo adventu in Italiam invexissent. Bulgari igitur patriam linguam servantes, dum in Beneventano Ducatu consederint, latinæ usum, quæ apud indigenas obtinebat, didicerunt. Didicisse etiam post eorum adventum Longobardi debuerunt, quos quum Frisingensis sua ætate, idest sæculo XIII. *à latini sermonis elegantia* laudat, verè, ac propriè antiquæ latiaris linguæ usum habuisse dicendum est; jam enim ad id ævi plura effluxerunt sæcula, quibus ipsi patriæ linguæ obliti, unam ipsam antiquam latinam Italicis communem profitebantur; *eleganter* verò non prò veteri ipsius linguæ dignitate, sed prò illorum temporum ratione loquutos dicemus.

lium, ac Grimoaldum II. Principis Arichis II. filium, *tellures Theatenſium, & Vrbes tum à Beneventanorum dominio ſubtractæ ſunt*. Has autem univerſim Regiones jam olim ab eodem, de quo ſuperiùs loqui cœpimus, Duce Arichi I. Beneventano Ducatui additas omnino credas. Atque ipſum quidem Arichim non ſolum, uti probavimus, Campaniam penè omnem, univerſaſque Samnii Regiones ad Hadriaticum uſque mare, Spoletanique Ducatus terminos, verum etiam ex altero Beneventani Ducatus veluti latere longiùs ad Apulos, & Brutios uſque, imperium ſuum provexiſſe conſtat. De Apulia certiores nos reddit Ajonis factum, qui ejuſdem Arichis Filius, & Succeſſor, Sclavos, qui *cum multitudine navium venientes* ad Sipontum *caſtra poſuerunt*, inconſultò aggreſſus, necemque ab iis paſſus, vix ad ſeſquiannum Ducatum tenuit (1). Sclavos igitur ſi ab occupanda Siponto prohibendos (uti mox ſucceſſor Rodoaldus feliciore ſucceſſu propulſavit) Ajo ſibi duxit, ea certe Urbs cum ſua Regione ad Beneventanum Ducatum pertinebat, jampridem ab Arichi ſubacta. Sed ad Brutios ut progrediamur, fidiſſimum Ducem habemus S. Gregorium Magnum: Extat ejus Pontificis Epiſtola ad eundem Arichim; à quo flagitat, uti *aliquantas trabes* inſtaurandis SS. Petri, & Paulli Eccleſiis neceſſarias, *ex partibus Brittiorum* ad mare, quo Romam traiicerentur, convehendas curet: *Gloriam veſtram paterna charitate petimus, ut Actionariis veſtris, qui in loco ſunt, deputetis, ut homines, qui ſub eis ſunt, cum bobus ſuis tranſmittere debeant* (2). De hac Gregorii ad Arichim Epiſtola iterum, atque uberiùs in ſequenti Diſſertatione dicemus; etenim Gregorius, qui Arichis conatus in Neapolitanam Urbem retundendos olim ſatagebat, ejus poſtea expertus virtutem, ac religionem, amplificatum dominium non æquè tantum ferre, ſed etiam adprobare viſus fuit. Interim quos in ea Epiſtola Actionarios vocat Gregorius, eoſdem ac Gaſtaldos intelligemus, ex primæva tamen ejus nominis ſignificatione, munerifque olim conditione; dum verò Gaſtaldis in ipſo Ducatu Beneventano major attribui poteſtas cœpta fuit, ut ſuperiùs obſervavimus, alio vocabulo uſus eſt Gregorius ad præſentem rem tùm accommodato: Sivè vero per Gaſtaldos, ſive per Actionarios Brittiorum (uti tunc Brutii dicebantur) regionem adminiſtrabat Arichis, illud æquè certum conſequitur, ad Beneventani Ducis dominium Brutiorum pertinuiſſe Regionem.

Ut igitur rem omnem hactenus pertractatam in ſummam contrahamus, jam ab anno DXCI. quo Arichis Beneventanum Ducatum auſpicatus fuit, ipſius quidem operâ, ſed vario tempore factum eſt, ut qui ſub Zottone primo Duce ſolâ Urbe Benevento, ejuſque circumjacente territorio Ducatus continebatur, mox Samnites univerſos, Campanos penè omnes, Apulos, atque Brutios ſubditos ſibi adjectos habuerit: Neque mirum videri debet, tam longè latèque Beneventani Ducatus fines ab Arichi I. prolatos fuiſſe, qui militari virtute imprimis præditus, diutiſſimo etiam tempore Ducatu potitus fuit, quem ad annos uſque quinquaginta adminiſtravit; Vir certè amplificandæ Reip ſtudioſiſſimus, cujus rationes ſanguinis neceſſitudini ſingulari quidem exemplo adeò antetulit, ut præ Ajone filio, quem minus idoneum noſſet, Rodoaldum, & Grimoaldum advenas Longobardos, fortiſſimos, nobiliſiſſimoſque, ſibi Succeſſores deſignarit: uti ſuo loco dicendum erit.

Poſt Ducem Arichim I., non aliam invenio factam Beneventano Ducatui acceſſionem uſque ad memoratum ſuperiùs Romualdum I. Grimoaldi Ducis, dein Regis filium, ac Ducatus Succeſſorem. Satis amplum, pluribuſque ex Provinciis jam in ingentem molem promotum Ducatum Arichis reliquerat, cujus à præteritis vaſtitatibus frequentiam, cultumque inſtaurari, fines verò à Græcis, amiſſum dominium haud æquè, neque diù toleraturis, incolumes tueri ſatiùs videbatur, Poſtea verò quàm profligatis Græcorum copiis, ab Imp. Conſtante ad Beneventanæ Urbis, ejuſque Ducatus everſionem Anno DCLXII. ductis, nullus deinceps à Græcis metus fuit, Romualdus Dux, rerum ſuarum felicitate rectè uſus, ſubigendam ſibi duxit reliquam illam Regionem, quæ Conſtantinopolitano Imperio adhuc ſubdita, ſuperiore, ſeu ſiniſtro extremæ Italiæ cornu, Hadriatico, ſeu Supero mari alluebatur; nam quæ in inferiore cornu Siciliam reſpiciente, atque ad Mare Thyrrenum, ſeu inferum procumbente, Brutios, Lucanoſque complectebatur, jam ab prioris Arichis tempore Beneventanis Ducibus ſuberat. Quare Romualdus *congregata exercitus multitudine, Tarentum expugnavit, & cepit; parique modo Brundufium, & omnem illam, quæ in circuitu eſt, latiſſimam regionem ſuæ ditioni ſubjugavit* (3).

Si

(1) Paul. Diac. lib. IV. cap. XLVI. (2) Lib. XII. Ep. XXI. al. XIV. (3) Paul. Diac. lib. VI. cap. I.

Si Conſtantino Porphyrogenito, cujus verba initio recitavimus, fides aliqua eſſe debet, duæ duntaxat Urbes in universa ea Regione à Romualdo ſubacta, reliquæ Græco Imperio permanſerunt, *Hydruntum*, & *Gallipolis*, quibus Urbibus hinc inde poſitis cornu illud Italicum in mare deſinere incipit. De Hydrunto (quam Odrontum, Ydruntem, & Otcrantinam Urbem ſequior ætas ſcripſit) dubiam adhuc rem efficit Pontifex Paullus I.; qui ad Pippinum ſcribit, Ducem Beneventanum, advenientis Regis Deſiderii iram declinantem, *fugam arripuiſſe in Otorantinam Civitatem*; *& dum diu immineret* Deſiderius, *ut ex ipſa ſua Civitate exire eundem Ducem ſuaderet*, *& nequaquam ſuam in eo adimplens voluntatem*, *conſtituit Ducem alium in eodem Beneventano Ducatu nomine Argis*, ideſt Arichim (1) Pontificem Paullum *minimè diſcrepare à Porphyrogenneta* cenſet Peregrinius, propterea quod nullum ſecurius Beneventano Duci perfugium quæri potuiſſe opinetur, quàm Græcam Urbem, eo loco adhuc poſitam, unde in Græciam transfretare promptum eſſet (2). At Pontifex Otorantinæ Civitatis dominum præclarè agnoſcit Beneventanum Ducem, cui, *ut ex ipſa ſua Civitate exiret*, ſuadere Deſiderius nullatenus potuit. Sed de Urbe iſta nec Peregrinio, nec ipſi Auguſto Porphyrogenito litem faciemus, cui extremam illam Regiunculam libenter dimittimus, immo, & alteram in inferiore cornu poſt Urbis Coſentiæ fines poſitam, quam is majore negligentia, quàm damno præteriit: quarum tamen vice is reliquam Regionem, aliaſque præterea Ciſtiberinæ Italiæ Regiones, excepta Neapoli, Cajeta, Surrento, & Amalphe, *Longobardiæ* nomine tùm præclarè, tùm libenter appellavit; qua quidem appellatione ampliſſimam, juribuſque ſuis jam confirmatam Beneventani Ducatus ditionem teſtari, comprobareque non recuſavit (3).

Itaque, ſi Urbes paucas litorales à Porphyrogenito recenſitas excipias, habemus jam univerſam Ciſtiberinam Italiam, à Campania ad fretum Siculum ſive Brutios procurrentem, ac ſupero, inferoque mari intercluſam, lapſo vix ſæculo ab Beneventani Ducatus inſtitutione in ejuſdem imperium perveniſſe: itaut utrumque mare, veluti impenetrabilis naturæ terminus, non tam illius, quæ ſequerentur, incrementa coercere, quam fines ſtatuiſſe videretur: A' Supero autem mari, quâ intimus Hadriæ ſinus exoritur, Piſcariæ fluvius, Oppidumque, ab infero vero Cajetæ Caſtrum retrocedentis Ducatus fines excipiebant. Sed quâ parte Ducatus ipſe è ſua Campania veteri Latio, alteri ſcilicet Campaniæ conjungebatur, quæ ſequiori ævo Romana dicta eſt, adhuc prolatos Beneventani Ducatus fines invenire nunc erit.

Satis celebris variâ Eruditorum interpretatione illius Epiſtolæ locus eſt, quam Pontifex Gregorius II. ad Imp. Leonem Iconomicum ſcripſit. *Scis* (inquit ad Leonem Gregorius) *Romam Imperium tuum ulciſci non poſſe*, *niſi forte ſolam Urbem propter adjacens illi mare*, *& navigia*; *ſed ſi ad quatuor*, *& viginta ſtudia Roma fuerit egreſſus Papa*, *nihil tuas minas extimeſcit* (4). De Cœmeteriorum latebris, in quas ſe abderet, loquutum Pontificem opinati ſunt docti Viri, quos meritò redarguit Nicolaus Alemannus (5), ratus ipſe multo veriùs, Beneventani Ducis præſidium iis verbis indigitatum, à quo vix Romanis mœnibus egreſſus Pontifex validiſſimam opem fuiſſet experturus. Sed Beneventani Ducatus fines tam proximè Urbem Romam attingentes non tulit Peregrinius, arbitratus breviſſimum illud quatuor, & viginti ſtudiorum, ſive trium milliarium ſpatium non à Romæ mœnibus; ſed à Ro-

(1) Inter Epiſtolas Pontificias Codicis Carolini ordine XV. tom. III. part. II. Scriptor. Ital. pag. 122.

(2) Diſſert. VIII. tom. V. pag. 269.

(3) De Adminiſtr. Imp. cap. XXVII. cui capiti hunc titulum fecit. *De Longobardiæ Themate*, *ejuſque Principatibus*, *& Ducatibus*. Rurſus idem Porphyrogenitus in *de Thematibus* lib. II. undecimum Thema *Longobardiam* appellat, de qua hæc inter alia habet: *Afri*, ideſt Saraceni, *trajecerunt in Longobardiam*, *ubi Caſtro Baris obſeſſo immorati ſunt*, *omnibus Caſtellis expugnatis cum univerſa Longobardia*, *ac reliquis Calabriæ oppidis Romam uſque*. Fuit quidem Græcis in more ita appellare Ducatus Beneventani partem, & præſertim Apuliam, quanquam à Longobardis ablatam aliquando ſub Græci Auguſti ditione adminiſtrarint. Sic Symbaticius Patricius; qui anno 891. Beneventum occupavit, ibique ſedem ſuam locavit, *Strathegus Macedoniæ*, *Thraciæ*, *Cephaloniæ*, *atque Longobardiæ* appellatur ab Oſtienſi lib. I. cap. 49. Georgius, ſive Gregorius ejus ſucceſſor eandem appellationem ſervavit in ſuo Diplomate apud Johannem Monachum, & Chronographum Vulturnenſem tom. I. part. II. Scriptor. Ital. pag. 413. cui hoc præſtat exordium. *Ego Georgius Patricius*, *Imperialis Prothoſpatarius*, *& Stratigos Cephaloniæ*, *atque Longobardiæ*: *Cum reſiderem in Dei nomine intus Palatio Beneventi &c.* Cæterum ciſtiberina hæc Longobardia à Scriptoribus *minor* vocari ſolebat, ut à Longobardia *majore* diſcriminaretur, ubi ſcilicet Regia Longobardorum ſedes habebatur; de qua Longobardia videſis Cl. Muratorium in Diſſert. *De Regno Italiæ ejuſque finibus*. Tom. I. Antiq. Med. Ævi pag. 70. *& ſeq.*

(4) Epiſt. I. ad Leonem Imp. apud Baronium ad Annum 729.

(5) De Parietin. Lateran. cap. XV.

à Romanæ ditionis finibus dimetiendum videri. Manifestis Gregorii verbis contraria profecto Peregrinii interpretatio est; Alemanni verò sententiam ita probaverim, ut Pontifex non Longobardici Ducatus territorium, sed ipsos Longobardos intellexerit, qui è suis finibus non longe alioqui positis, in Romana ditione, atque ipso suburbano agro cum militibus suis versari consuebant: Præsto itaque Gregorio erat, vix Româ dilapso, in Longobardorum manus sese committere, quorum satis validis viribus, fideque sibi probata adversus hostiles impiissimi Leonis conatus certissimam tutelam sibi compararet. Ceterum paucis ante Gregorium ipsum annis, ideſt anno DCCII. Pontificatum Joanne VI. gerente, Gisulphus (uti Anastasius narrat) *Dux Gentis Longobardorum Beneventi, cum in omni sua virtute in Campaniam* (Romanam) *veniret, incendia, & deprædationes multas exerceret, cumque Captivos non paucos cepisset, & usque ad locum, qui Horrea dicitur, fossatum fecisset, nullusque extitisset, qui ei potuisset resistere, denominatus Pontifex* (Joannes VI.) *missis Sacerdotibus cum Apostolicis donariis, universos Captivos de eorum manibus redemit, & illum cum suo stolo ad propria repedare fecit* (1): non igitur quatuor, & viginti stadiis, sive tribus passuum millibus Romam attingebat Beneventanus Ducatus, quem Gisulfus paullo antè in Romanam Campaniam proferre conatus, atque ad Horream usque, XL. circiter ab Urbe lapide progressus, Joannis quidem Pontificis opera *ad propria repedavit*; ideſt intra suos pristinos fines iterum se recepit.

Fines autem ipsos ex eadem Campaniæ parte idemipse Gisulphus jampridem adauxerat, Sorâ, Arpino, atque Arce Romanorum Urbibus in suam potestatem redactis. Testem ejus rei habemus Paullum Diaconum. *Hac ætate* (inquit) *Gisulfus Beneventanorum Ductor Suram Romanorum Civitatem, Hirpinos, atque Arcem pari modo oppida cepit* (2): Quæ sanè res novæ excursioni ab Anastasio narratæ, ab eodemque Paullo subinde commemoratæ occasionem fecisse debuit: Siquidem ex felici prioris expeditionis successu animos sibi addens Gisulphus, longiùs progredi, Ducatusque sui fines in Romanam Regionem proferre vehementiùs conabatur: At rem ipsam iterum molitus, validissimum omnium propugnaculum, sibi oppositum expertus est, debitam Apostolicæ Sedi reverentiam. Gisulphus enim, *quum nullus extitisset, qui ei potuisset resistere*, solâ Pontificis voce à cœpto destitit, suosque fines repetiit, Soram scilicet, Arpinumque, atque Arcem, quas paullò ante Urbes cum suis Territoriis in suam potestatem redegerat (3). Atque hi quidem Romanam Regionem versùs perpetui deinceps fuere Beneventani Ducatus fines, quos eadem, quæ semel statuerat, Longobardorum Beneventanorum erga Romanos Pontifices studiosior in dies reverentia, ac Religio servavit. Hinc Pontificis Gregorii II. qui anno DCCXIV. sedere cœpit, adversus Græcum Augustum ex Beneventani Ducis ope, quâ se tutum ajebat, parata præsidia: hinc quoque ejusdem Ducis in Cassinensi Monasterio instaurando collata cum eodem Pontifice studia: Sed hæc sequenti Dissertationi, suo videlicet loco, pertractanda servamus.

Hæc

(1) Acta hæc an. DCCII. censet Card. Baronius, *nec ego* (subdit Blancus ad Paul. Diac. not. III.) *illius Chronotaxim quoad hanc Gisulfi excursionem loco movere ausim ex continuata Anastasii narratione*. Peregrinius autem anni numerum a Ducis Zottonis Epocha repetendum aliis reliquit hisce verbis in Differt. IV. pag 228. *Gisulfus Beneventanus Dux centesimo post anno ab Zottone Soram usque & ad proxima oppida terminos suæ Dynastiæ promovit; qui tempore Joannis Papæ cum omni sua virtute Campaniam venit &c.* En tibi tertiam à Peregrinio (cujus inconstantiam mireris) Beneventani Ducatus Epocham: Nam sivè *centesimum* illum annum ad Zottonis initia, sive ad obitum referas, dum Gisulfi excursio ad annum DCCII. pertinet, jam in anno DCII. vel in anno DLXXXII. institutum Ducatum Peregrinius tibi præstabit. Quid, quod ipse excursionem Gisulfi, quàm sub Joanne VI. factam omninò constat, ad Joannis V. tempora retrahendam adhuc contenderit in Chronologia Duc. & Princ. Benev. tom. V. pag. 44. At de hac re jam antea diximus, dicemusque iterum, quum de Duce Gisulfo agendum erit.

(2) Vitiatæ apud Paullum horum nominum lectioni medicinam attulit ad dictum annum DCCII. Cardin. Baronius, domo Soranus, proindeque ejus Regionis probè gnarus, ac pro *Sura* Soram, quo *Hirpinos* Arpinum, pro *Arce* Arcanum restituit, quod & præstitit Cluverius Ital. Antiq. lib. III. cap. 8. Ac quum apud Erchempertum num. XXI. XXV. & alibi, & apud Ignotum Cassinensem num. XXIII. constanti lectione *Sura* scripta legatur, veri quidem similius est, ita tunc eam Urbem appellatam, quàm postea *Soram* dixerunt, restituto Urbi nomine, quo antiquitus Livius, Plinius Strabo, ac Silius vocarunt.

(3) Urbem Soram Romanis ablatam (qui teste Livio lib. 7. eam olim Marco Fabio, & Ser. Sulpicio Cos. à Samnitibus abstulerunt) in Beneventanorum ditione deinceps constitisse præclarè docet Erchempertus, qui d. num. XXI. Landoni filio Landulphi Capuani Gastaldei, sive Comitis assignatam refert: ab Ademario dein occupatam, ac Widoni traditam subdit num. XXV., quod & Ignotus Cassinensis tradit num. XXIII. Sed & Beneventanus Princeps Radelchis in Beneventani Principatus divisione anno DCCCLI. (juxta Chronologiam Ostiensis lib. I. cap. 28.) *Soranum* Gastaldatum inter alia Siconolpho concessit, uti ex ejus Capitulari num. IX.

Hæc igitur Beneventani Ducatus fuerunt incrementa ; hæc tota illius quanta unquam maxima amplitudo ; ad quam per ſuos veluti temporum gradus, locorumque acceſſiones provectum demonſtravimus. Demonſtratum autem breviore via, clarioreque methodo arbitror, quam ut ad quatuor Cœli plagas, ſivè *ad cœleſtis aſpectus normam* per vices converſi Peregrinium quatuor Diſſertationibus pervagantem ſequamur. Quod vero ob oculos veluti poſitum à me fuit, uno adhuc oculorum ictu perſpiciendum dabit Chorographica ejuſdem Ducatus Tabula, in qua ad ejuſdem Peregrinii, ac Clariſſimi Berettii diligentiam, diligentiorem fortaſſe operam meam, qua res ipſa omnino confecta haberetur, impenſam reperies.

An demum Ducatus ipſe (quod poſtremum Peregrinio fuit differendi argumentum) *in antiquas Provincias fuerit tributus*, res eſt ſupervacuæ operæ, quam, ne nobis præſtita à Peregrinio diſſimulaſſe videamur, leviter attingemus. Scio Paullum Diaconum in ſua Italicarum Provinciarum deſcriptione, ubi ad Samnium, ejuſque Urbes pervenit, *harum Provinciarum Caput* appellaſſe *ditiſſimam Beneventum*. Quare autem ſic appellavit, quam non Italiæ univerſæ, ſed ſolis Ciſtiberinis Provinciis ſuo ævo imperaſſe ſciret, diù Viri docti, ſed hactenus fruſtra quæſivere; nos verò inferiùs explicabimus (1). Interim in Beneventano Ducatu, quod ad politicas rationes attinet, antiqua Provinciarum nomina, ac fines inveſtigare omnino vetat nova illa Regiminis forma cum ipſo Ducatu inſtituta, de qua ſuperius loquuti ſumus, ut ſcilicet per Comitatus, ac Gaſtaldatus univerſam Dynaſtiam ſuam

(1) Univerſæ Italiæ partitionem in XVIII. Provincias à Paullo factam, atque in *de Geſt. Longob. lib.* II. *à cap.* XIV. *ad* XXII. explicatam, utpote veteribus Provinciarum diviſionibus non omninò reſpondentem, Viri docti plerique improbarunt, uti obſervat Cl. Blancus *not.* 155., qui tamen ex frequenti Italicarum Provinciarum variatione, lacunaque illa penè immenſa, quæ labente Rom. Imperio Hiſtoriæ accidit, Paullo aſſentiendum monet, *ejuſdem Regionis homini*, adde etiam ſui ævi doctiſſimo, nobiliſſimoque, *qui viciniorem ſibi rerum ſtatum noviſſe debuerat*. Hæc pro ipſius Italiæ generali deſcriptione à Paullo facta. Ad peculiarem Samnii, ſive Principatus Beneventani deſcriptionem quod attinet, perpetuus ille Paulli inſectator Peregrinius, *quem aliàs Paullum non ſemel taxaſſe* veluti gloriatur, *nec modo in re præſenti irreprehenſum dimittere* exiſtimavit: *Siquidem* (inquit) *ipſe Paullus lib.* II. *cap.* II. *ſive* 20. *quum decem & octo priſcas Italiæ Provincias deſcriberet, ac Samnium decimumquartum locum obtinere tradidit his verbis*: Quartadecima Samnium intra Campaniam, & Mare Hadriaticum, Apuliamque, à Piſcaria incipiens habetur; *ſtatim ſubdidit*: In hac ſunt Urbes Theate, Aufidena, Hiſernia, & antiquitate conſumpta Samnium, à qua tota Provincia nominatur; & ipſa (*editio Frobeniana*, & eſt) harum Provinciarum Caput ditiſſima Beneventum. *Quibus verbis primatum ſuper plures Provincias ex Longobardorum inſtitutione Urbi quum adſcribat Beneventanæ, ut quidem eſt expoſitum; id de iis Provinciis ab eo ante enarratis capi certè haud debet; ſed de præfatis tantum Urbibus Samnio aſſignatis; nomen enim Provinciæ, ut poſt dicam, tributum etiam quandoque ſingulis fuit Urbibus, agrum paulò ampliorem, atque oppida pluriuſcula ſub ſe habentibus.* Vide nugas, quas ipſummet paulò poſt Peregrinium puduerit effudiſſe. Quid enim? Paullus, qui de ſua ætate, ac de Italicis Provinciis ex inſtituto loquebatur, ita Peregrinio loquutus videtur, ut Samnii *Urbes*, Theatem, Aufidenam, Hiſerniam, *conſumptamque*, ſive commentitiam Samnium, in ipſa Provincia Samnio in totidem *Provincias* progerminatas aſſereret; itaut ipſarum ſolummodo caput eſſe oſtenderet *ditiſſimam Beneventum*. Sed pergentem Peregrinium audiamus: *Ni forte quis dicat, quod pleriſque recentioribus placuiſſe video, Beneventanum Ducatum ſolum Provinciam Samnium complexum eſſe, eundemque iccircò ab Oſtienſi, & Erchemperto locis pridem relatis appellari* Provinciam Beneventi, *vel abſolutè* Beneventum: *quem Ignotus auctor fragmenti Hiſtoriæ Langobardorum, ut obſervabam*, Samnium *nuncupavit; eademque de cauſa Beneventanos Dynaſtas* Samnitium Duces *paſſim dictos; quos quidem minimè rejicerem expoſitiones, ni de priore ſententia pleniſſimè jam conſtaret.* Quare Beneventani Dynaſtæ, ſe *Samnitium* Duces appellare gauderent ſuperius diximus, ubi etiam de vocabuli *Provinciæ* ſignificatione actum eſt. Supereſt itaque, ut Paullum explicamus. Occaſionem Italiam deſcribendi Paullo fecit Regis Alboini ingreſſus, qui à Venetiarum Provincia paullatim poſt captam Aquilejam Longobardicum Regnum provexit, quod poſtea ſub ſequutis Regibus in univerſam penè Italiam cum ipſo Beneventano Ducatu ſeſe effudit. Igitur Paullus inter Italicas Provincias *Samnium* XIV. loco enumerat, ac XV. *Apuliam cum ſociata ſibi Calabria*. Dum verò Samnium deſcribit, ejuſque Urbes, eodem tunc loco, tanquam naturali ſede Beneventum adnumerat, Samniticam & ipſam Urbem, ſed *ipſam* quoque appellat, *harum Provinciarum Caput ditiſſimam Beneventum*. Abſurdum jam liquet fore illud, ſi Samniticarum tantum *Urbium Caput* Beneventum à Paullo appellatam explicemus. At falſus contrâ videri Paullus poteſt, ſi Italicarum Provinciarum caput appellavit; nam præter Campaniam, Lucaniam, ſeu Brittiam, quibus ſextum, & octavum locum tribuit, præter etiam Apuliam Calabriamque, rectè is noverat reliquas trans tiberim Provincias non ad Beneventanos Duces, ſed partim ad Spoletanos, maximè verò ad Reges ipſos Longobardicos pertinere. Sed animadvertendum erit, quâ ætate Paullus hæc ſcriberet; quando ſcilicet Longobardico Regno à Francis everſo, univerſa Longobardorum fortuna in Beneventanum Ducatum ſeſe collegerat: Ibi Arichis II. abjecto Ducis ſueto titulo, Principem ſe vocavit, conſtituitque; quo nomine, additis etiam Adelbergæ conjugis, Deſiderii poſtremi Regis filiæ juribus, Longobardicum Regnum inſtaurare, interim vero inſignia, poteſtatemque ſupremam ſervare molitus fuit. Quid ni igitur Paullus, qui fidem ſuam non ſine capitis diſcrimine erga Reges ſuos nunquam depoſuit, quique apud ipſum Arichim honeſtiſſimè ſuſceptus, diù Beneventi verſatus eſt, non ſolam hanc prærogativam Benevento honoris cauſa detulit, verum etiam in Beneventanos Principes revera tranſlatum Longobardicum Regnum agnoverit; ita ut quæ olim Ticinus fuerat, jam Italicarum *Provinciarum Caput* jure meritoque facta ſibi videretur *ditiſſima Beneventus*?

ſuam diſtributam Beneventani Principes Comitibus Gaſtaldiſque ſuis adminiſtrandam curarint. Manifeſta res eſt; quam ex Beneventi Principis Radelchis Capitulare probare ſatis promptum eſt; nam is Principatum univerſum cum Siconolpho anno DCCCLI. partitus, *in parte veſtra*, inquit, *ſint iſta Gaſtaldata, & loca integra cum omnibus habitatoribus ſuis, Tarantum, Latinianum, Caſſanum, Cuſentia, Lainus, Lucania*, (ideſt Pæſtum olim Lucaniæ caput) *Conſia, Montella, Rota, Salernum, Sarnum, Cimiterium* (ideſt Nola) *Furculum, Capua, Teanus, Sora, & medius Gaſtaldatus Acerentinus*. Quare vides dimidiam, vel ferè Principatus partem Tyrrheno mari adjacentem, atque antiquis Provinciis, Campaniâ, Lucaniâ, Brutiis contentam, nulla prorſus tum in recitato loco, tum in univerſo Capitulari dictarum Provinciarum mentione facta, in ſolos Gaſtaldatus (quo nomine velut celebriore etiam Comitatus intelligebantur) diviſam, ac veluti minutim diſſectam: Legas potiùs in eodem Capitulari memoratam *Beneventanam Provinciam* num. I. & XXIV. qua tamen appellatione univerſum Principatum, cujus Caput Beneventum erat, ſignificatum ipſe oſtendit Radelchis, qui nullum fœdus cum Saracenis, *qui in omni Provincia Beneventani Principatus ſunt*, initurum ſe, ſpondet. Quemadmodum, quod ipſi Beneventani Duces ſe nonnunquam *Samnitium* Duces inſcriberent, ipſaque Longobardorum, ſive Beneventanorum Gens *Samnitium* nomine aliquando ſe appellare gauderet, non inde illud ſequitur, quod antiqua ſaltem Samnii Provincia primævos ſuos fines adhuc ſervaret, vel quod univerſus Ducatus ipſe (uti à pleriſque ſtultiſſimè cogitatum eſt) ſolam Samnii Provinciam complecteretur; ſed quod ipſi Duces, vel potius ipſa Gens ab eo nobiliſſimo Populo genus ſuum ſe ducere oſtenderet; gloriata quidem, Samnites majores ſuos tum nomine, tum virtute redivivos æmulari, quorum olim præclarum inter egregia alia illud ab univerſa Antiquitate celebratum decus eſt, non ipſam qnidem Romanam Urbem, ſed quos Urbs imperii majeſtatiſque ſuæ auctores, propagatoreſque habebat, Romanos ſubjugaſſe.






# DISSERTATIO II.

## De Religione Longobardorum.

### CAPUT PRIMUM

*Priores Longobardorum Labes ſpeciatim recenſentur: Mox ſincera, ac conſtans Catholicæ Religionis Profeſſio, Chriſtianæque Pietatis argumenta plurima ab iis præſtita commemorantur.*



Actis ſuperiore Diſſertatione cum Longobardorum origine, Beneventanique Ducatus inſtitutione ſuſcepti quoque mei Operis fundamentis, verendum modo mihi erit, ne exordia ipſa rerum, quæ mihi hactenus pertractandæ fuerunt, parùm feliciter proceſſiſſe exiſtimentur; itaut neutiquam, *quod felix fauſtum, fortunatumque ſit*, ejuſdem Ducatus natali ritè meritòque occinatur. Quod enim nullo alio, quàm armorum jure, advenientes Longobardi Italiam Conſtantinopolitanis Auguſtis (priſcis videlicet Dominis, qui etiam, expulſa ingentibus diuturni, acerrimique belli laboribus Gothorum tyrannide, Romano Imperio nuper reſtituerant) jam tum ſubditam, invadere auſi fuerint, ſibique demum ſubjecerint; neque inſolens id, neque omninò invidioſum cenſeri debet: quandoquidem nec diverſo jure quamplures Principatus alios ab eodem Romano Imperio, ſive Orbe per manifeſtam vim, atque injuriam avulſos, atque eodem ipſo ævo, vel poſthac exortos, non ſolum adoleviſſe, verum etiam tum longa temporum præſcriptione, tum tacito populorum conſenſu, tum denique ſalutari Reip. adminiſtratione, juſtam iniquè olim quæſitæ dominationis cauſam, poſſeſſionemque ſibi effeciſſe, nemo non affirmarit, ac libenter conceſſerit. Deterior tamen Beneventani Ducatus cauſa fortaſſe videbitur, nam quem injuſta armorum vis peperit, mox inaudita ſacrilegi facinoris impietas alere cœpit: quàm enim deteſtabile, atque horrendum illud fuerit, primum omnium Ducem Zottonem, furentium Longobardorum ſuorum cohorte ſtipatum, in Caſſinenſe Monaſterium irruentem intueri: Zottonis conſilio, operæque (nam certa alioqui de Longobardis auctoribus res ipſa eſt) nefarium facinùs vulgò tribuitur; itaut Zottonem intueri jam liceat, nec loci Religione, nec incolentium Sanctimonia, nec præſentis Numinis majeſtate deterritum, omnia, quæ aſportari poſſent, in ſuam prædam ducere, reliqua igni devoranda tradere, indèque opima ſecum referentem ſpolia, ac veluti de profligata Monaſterii, Monachorumque ſanctitate, triumphataque Chriſtiana Religione, ac Pietate, Beneventum, Tyrannidis potiùs, quàm Ducatus ſui Sedem, lætabundum reverti (1).

Hæc non tam Gentis, quæ nullam noſſet Religionem, quàm Longobardicæ impietatis fuere primordia; quibus pares deinceps reſponderunt ſucceſſus: Quid enim non auderent

rent

(1) Haud piget hanc Caſinenſis Monaſterii everſionem Cl. Mabillonii calamo deſcriptam, ac veluti depictam proferre ex Annal. Benedict. lib. VII. tom. I. p. 159. ubi annum DLXXX. ſic orditur. *Inſcrutabili divinæ Providentiæ judicio factum eſt, ut ſacra Domus Caſinenſis, quæ acceptiſſimi Deo patris Benedicti, ſanctorumque ejus diſcipulorum opere, ac ſudore ædificata fuerat, impiis Langobardorum manibus vaſtata ſit, ac penitùs everſa. Quippe in ulteriores Italiæ partes progreſſo Zottone, ut perhibent, Duce truculenta cohors, humani ſanguinis non minus avida, quàm prædæ, nocte intempeſta in ſacrum montem involat, univerſa contaminat, diripit, evertit, & quod auferre, aut evertere non valet, igne flammiſque corrumpit. Sic una dies, immò unius diei hora, quinquaginta annorum opus, quibus Caſinus Monaſterium ſteterat, excidio ac ruinis dedit.* Sacrilegum, atque immane facinus ſpectandum dedit Mabillonius, à quo tamen nulla Beneventi, dubia etiam, atque ex ſola fama, ac traditione addita Zottonis mentio: & ſane nihil vel de Benevento, vel de Zottone apud S. Gregorium M. occurrit, qui in Dial. lib. II. cap. 17. factum enarrans, *Longobardorum gentem*, & Longobardos duntaxat commemorat: Nihil denique habet Paullus Diaconus, qui in de Geſt. Longob. lib. IV. cap. 18. *Circa hæc tempora* (inquit) *Cænobium B. Benedicti patris, quod in Caſtro Caſſino ſitum eſt, à Longobardis noctu invaditur; qui univerſa diripientes &c.* Quidni igitur, non univerſi Longobardi, qui ſub Zottone Duce Beneventi conſederant, in illud facinus conſpiraſſe cenſendi ſunt; ſed pauci aliquot (neque enim multorum vi opus erat, ut locus ille prædationi ſubjiceretur) ex ea gente incertis adhuc laribus per eam regionem vagantes, non alio duce, quàm avaritiâ, in ejuſmodi ſcelus proruerint?

rent Longobardi, quos initio & morum barbaries, & delinquendi impunitas ad ſanguinem, & prædam alacriores reddebat. Infandam illorum temporum infelicitatem, quibus Italiæ æque, ac Religioni interitus parabatur, avertere quidem ſatagebat Sanctiſſimus Pontifex Gregorius Magnus, ad quem tunc Rerum ſumma, lacrimanteſque Italorum oculi converſi erant (1); at qui neque Sanctitatem Virtutibus inclytam revereri, neque auctoritatem viribus orbam timere ſcirent Longobardi, omnia in extremam prope perniciem adducturi, in populorum vitas, fortunaſque debacchari non deſinebant. Præſtat ejuſdem Gregorii gemitus audire potiùs, quam verba: *Effera*, inquit, *Longobardorum gens de vagina ſuæ habitationis educta, in noſtram cervicem graſſata eſt; atque humanum Genus, quod in hac terra præ nimia multitudine, quaſi ſpiſſæ ſegetis more ſuccreverat, ſuccisum aruit: nam depopulatæ Urbes, everſa Caſtra, concrematæ Eccleſiæ, deſtructa Monaſteria Virorum, ac Foeminarum, deſolata ab hominibus prædia; atque omni cultore deſtituta in ſolitudine vacat terra; nullus hanc poſſeſſor inhabitat; occupaverunt beſtiæ loca, quæ prius multitudo hominum tenebat: & quid in aliis mundi partibus agatur, ignoro; nam in hac terra, in qua nos vivimus, finem ſuum mundus jam non nunciat, ſed oſtendit* (2). Has teterrimas Italiæ calamitates aſſiduo animi mœrore, frequenti quoque calamo deplorabat Gregorius; cujus illa ſunt ad Eulogium: *Quantum nos à Longobardorum gladiis in quotidiana noſtrorum Civium deprædatione, vel detruncatione, atque interitu patimur, narrare recuſamus, ne dum dolores noſtros loquimur, ex compaſſione, quam nobis impenditis, veſtros augeamus* (3). Alios doloribus ſuis ſociare parcebat Gregorius, ne amicitiæ gravis quodammodo videretur; ſuæ vero non parcebat charitati, ut alienis ærumnis non ſolum ipſe ſpiritu, ſed corpore etiam affligeretur, ingenti animi dolore in valetudinis perniciem redundante. *Quod multis ſcriptis veſtris minimè reſpondi* (inquit ad Joannem Epiſcopum) *non hoc torpori meo, ſed languori deputate: quia peccatis meis facientibus, eo tempore, quo Ariulphus* (Dux Longobardorum) *ad Romanam Urbem veniens alios occidit, alios detruncavit, tanta moeſtitia affectus ſum, ut in cholicam moleſtiam caderem* (4).



(1) In ſuperiori Diſſertatione Gregorium ex ejus ad Conſtantinam Auguſtam, & Imp. Phocam Epiſtolis audire incœpimus; quid is ad eandem Conſtantinam ſcribere pergat, referre heic libet: *Viginti & ſeptem annos ducimus, quod in hac Urbe inter Longobardorum gladios vivimus; quibus quam multa hac ab Eccleſia quotidianis diebus erogantur, ut inter eos vivere poſſimus, ſuggerenda non ſunt: ſed breviter indico, quia ſicut in Ravennæ partibus Dominorum Pietas apud primum exercitum Italiæ* Sacellarium *habet, qui cauſis ſupervenientibus quotidianas expenſas faciat; ita & in hac Urbe in cauſis talibus eorum* Sacellarius *ego ſum; & tamen hæc Eccleſia, quæ uno eodemque tempore Clericis, Monaſteriis, Pauperibus, Populo, & inſuper Longobardis tam multa indeſinenter expendit &c.* Ex qua quidem Epiſtola illud jam intelligimus, cur idem Gregorius in Ep. 31. al.40. lib.1. Joann. Ex-coſ. ſuæ ad Pontificatum electionis certiorem faciens, ſe *Longobardorum Epiſcopum factum* dixerit: *Sicut* (inquit) *peccata mea merebantur, non Romanorum, ſed Longobardorum Epiſcopus factus ſum, quorum Synthiciæ* (id eſt pacta, ſeu fœdera) *Spathæ ſunt, & gratia poena .....gemo quotidie occupationibus preſſus, & reſpirare non valeo*. Quemadmodum enim Clericos, Monaſteria, Pauperes pro ſuo Epiſcopali munere, ita pariter Longobardos circumpoſitos, alia tamen ratione, ut ſcilicet à prædationibus, & cædibus abſtinerent, alendi curam Gregorius ſuſceperat; itaut quoad eam quotidianam largitionem illorum quoque eſſe Epiſcopus videretur: ſicuti in eundem ſenſum Longobardorum *Sacellarium* ſe in priore ad Conſtantinam Epiſtola appellavit; dum ſcilicet munus illud ſubire cogeretur, quo olim Quæſtores, & Ærario Præfecti fungebantur: hos enim Sacellarios vocavit ſequior ætas, vocabulo à *Sacco*, vel *Sacculo* deducto; dum Saccum, ſeu Sacculum (unde Saccellus, Saccularius, & Sacellarius) pro marſupio, commune, loculis, & reconditorio, & repoſitorio nummorum uſurpant paſſim Juriſconſulti veteres apud Briſſonium, de V. S. v. *Saccus*. Non igitur ad Gregorii epiſtol. 34. libri IV. audiendus Binius, qui Sacellarium à Sacco deducens à Sacellario diſtinguit: promiſcuè enim alterutrum vocabulum eadem uſurpatum ſignificatione invenitur. Cave verò, ne *Saccularium* eòdem ducas; criminoſum enim ejuſmodi vocabulum, etſi eadem ex Sacculi, ſaccive voce derivatum, ſonare veteres voluerunt, eumque ſignificari, qui *vetitas in Sacculis artes exercens partem in Sacculos ſubducit, partemque ſubtrahit*, uti explicat Ulpianus in leg.7. Dig. de Extr. Crim. Unde generatim pro *Impoſtoribus* Saccularii accipi ſolent, & ſpeciatim pro *Peculatoribus* accepit Aſconius Pedianus in *Catilin.*; nunquam vero, ut monui, pro indicando *Sacellarii* munere; uti à Græcis poſterioris ævi factum falsò cenſuit Voſſius in *Sacci* Etymologia, quo loco Præfectum Sacculis, ſive Pecuniis Eccleſiæ *Saccularium* appellatum affirmat: Sacculos enim Eccleſiaſticos qui vocarint, Græci Scriptores habentur, nulli vero, qui *Saccularios*, ideſt Sacculorum Eccleſiaſticorum cuſtodes, dixerint; quos perpetuò, ut à *Sacculariis* diſtingueret, tum Latium, tum Græcia *Sacellarios* appellavit.

(2) Dialog. lib. III. cap. XXXVIII. Rem ipſam iiſdem penè verbis commemorat, ac deplorat in Homil. VI. alias XVIII. in Ezechiel. lib. II.

(3) Lib. VI. epiſt. LX.

(4) Lib. II. Ep. XLVI. alias XXII. Hunc Ariulphum Beneventanum Ducem Faroaldi ſucceſſorem facit Guſſanvillæus in notis ad eandem Epiſtolam: *Ariulphus* (inquit) *Dux Beneventanus poſt Faroaldum. Videndus Paulus Diaconus Hiſt. Longobardorum lib.* IV. *cap.* 17. At non rectè is vidit Paullum, qui *Spoletanum*, non *Beneventanum* Ducem Ariulphum ſcribit. *Sequenti anno Ariulfus Dux, qui Faroaldo apud Spoletum ſucceſſerat, moritur*. Hæc Paullus.

Asperrima hæc quidem Italiæ fuere fata: quæ tamen ex una recentium Longobardorum vel avaritia, vel crudelitate proficiscebantur. Adde nunc eorumdem Longobardorum vel Idolatriæ tenebris, vel Hæreseos erroribus adhuc servientium inflictas passim Catholicæ Religioni injurias. Hac certè de causa gravissimam, ac sempiternam Longobardorum nomini infamiam Romanum Martyrologium efficere videtur, ubi Martyrum octoginta, qui partim carnes immolatas comedere, partim caput Capræ adorare nolentes à Longobardis in Campania sævissimè cæsi sunt, anniversaria memoria celebratur (1). Gregorius idem, ex quo ejus rei mentionem accepimus, aliorum quoque malorum testis est, quibus aliundè Ariani Longobardi Catholicos divexarunt (2); satisque heic fuerit ea, quæ post Regis Autharis obitum ad universos Italiæ Episcopos scripsit, recitasse. *Quoniam* (inquit) *nefandissimus Autharit, in hac, quæ nuper expleta est, Paschali solemnitate, Longobardorum filios, in Fide Christiana baptizari prohibuit, pro qua culpa eum Divina Majestas extinxit, ut solemnitatem Paschæ alterius non videret, vestram fraternitatem decet, cunctos per loca vestra Longobardos admonere, ut quia ubique gravis mortalitas imminet, eosdem filios suos in Ariana Hæresi baptizatos ad Catholicam Fidem concilient &c.* Parum fuit Gregorio *Regis* titulum defuncto Authari denegasse: sed eum, qui splendidissimum *Flavii* prænomen sibi affectabat, *nefandissimi* elogio digniorem putavit (3).

Ne verò universa hæc, quæ hactenus ex Pontifice Gregorio delibavimus, paullò inclementius, ac veluti exæstuante ejus animi mœrore, adversus Longobardos effusa quis suspicetur, Gregorii fidem ex eo homine potissimum confirmare nunc libet, qui Gentis suæ Historiam ex instituto conscribens, hanc vulgò notam à recentioribus eruditis subiit, ut plus æquo, & illius dedecori pepercisse, & honori, atque laudi studuisse probetur. Quid igitur Paullus Diaconus? Postquam is extincto Rege Clepho, Longobardos suis se Ducibus regendos submisisse narravit, hæc statim subdit: *His diebus multi Nobilium Romanorum ob cupiditatem interfecti sunt, reliqui verò per hostes divisi, ut tertiam partem suam frugum Longobardis persolverent, tributarii efficerentur: Per hos Longobardorum Duces septimo anno ab adventu Alboini, & totius Gentis, spoliatis Ecclesiis, Sacerdotibus interfectis, Civitatibus subrutis, populisque, qui more segetum excreverant, extinctis, exceptis his Regionibus, quas Alboin*

(1) Ad D. VI. Martii: Horum autem Martyrium in An. DLXXIX. consignat Cardin. Baronius in not. lit. E. edit. Rom. 1586.

(2) Dialog. lib. III. cap. XXIX. & lib. II. Ep. II. ubi ad Episcopum Narniensem hæc habet: *Fraternitatem tuam modis omnibus suademus, ut à Longobardorum, sive Romanorum, qui in eodem loco degunt, sive admonitione, sive exhortatione nullo modo cessetis, & maximè à Gentilium, & Hæreticorum, ut ad veram rectamque Fidem Catholicam convertantur.*

(3) Lib. I. Ep. XVII. Solemne penè habet in Annalibus suis Cl. Muratorius, ut tum ex aliis, tum ex eo magnum Ecclesiasticorum Annalium Parentem Baronium sugillet, quod is insigniores quasdam privatas, publicasve calamitates, gravia flagitia quandoque sequutas, Deo ultionum attribuens, fidenter nimis, licentiusque quàm deceat, oporteatque divinorum Judiciorum abyssum humanis oculis obseratum, introgredi ausit. Audacior fortasse aut suopte ingenio, aut Muratorii exemplo nuperus Scriptor libri, cui Titulus: *Memorie Istarico-Critico-Cronologiche del Regno de Longobardi in Italia. Venet.* 1753. in Gregorium assurgit; quod tam facilem in eadem *Judicia* introitum sibi fecerit. *Io venero* (inquit) *il buon riflesso del zelante Pontefice: per altro non è sì facile l'entrare ne' giudizj di Dio*: tùm indigna Gregorio, qui Autharim *nefandissimum* vocat, blaterare pergit pag. 137.: At nonne scimus, Autharim deterrimam illam, totiesque profligatam Hæresim in media Italia, & sub ipsis Urbis Romæ oculis, non solum fovisse, verum etiam minis, terroribus, cædibus Catholicam Religionem, interdicta ubique Catholicorum ministeriorum, Baptismi susceptione, abolendam sibi proposuisse? Impiissimos Autharis conatus cum ejus vita maturata veneno mors paullò post præcidit: An igitur cum Antiocho Rege Autharim quoque audire debuissemus exclamantem: *Nunc reminiscor malorum, quæ feci ..... propterea invenerunt me mala ista, & ecce pereo*: aut illam, sub idem Autharis tempus auditam quoque Augusti Tiberii vocem, qua is obtruncatis suos ob oculos filiis, capite & ipse ab invasore Phoca plecti jussus, illa Psalmi verba assiduè in ore habebat: *Justus es Domine, & rectum judicium tuum.* Non ita sane tunc oportebat; nam pro Autharis voce, quæ Dei vindicis judicium palam fateretur, res ipsa vociferari videbatur. Impius profecto Autharis, nec malo suo tantùm Arianus, qui regali fretus, immò abutens potestate, Italiam universam ejus Hæresis veneno inficere vehementius niteretur, nonne veneno mox ipse extinctus, justissimas nefarii sceleris se luisse pœnas ostendit? Quod Gregorio eximia sanctitate præstanti omninò licuit, licebit adhuc cuilibet manifestum ea in re Dei judicium agnoscere, ac fateri: Sunt enim quædam Dei judicia, quæ clausis oculis, humilique corde revereri potius, quàm perscrutari debemus: quæ verò Deus ipse facto pandens humanis oculis reserat, atque eò pertinent, ut ejus Providentiæ fidem, Justitiæ metum, Sceleribus odium, Pietati obsequium conciliare videantur, nonne judicia hæc observasse, prodidisse, pervulgasse fas non modo fuerit, verum etiam proderit? Quantum ex hac una re sibi accesserit emolumenti, sic Rex David professus est, ut cæteros etiam doceret: *Custodivi vias Domini, nec impiè gessi à Deo meo, quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo, & justitias ejus non repuli a me.* Ps. 17. Utinam idipsum saperent plerique nostrorum temporum Eruditi, qui si non in eventis omnibus auctorem *Casum* apertè volunt, ita tamen se comparatos produnt, ut in Epicuri, Pyrronisque magis, quam in sincerioris Critices, Veritatisque Schola profecisse videantur.

*boin ceperat, Italia ex maxima parte capta, & à Longobardis subjugata est* (1). Adde nunc, hanc malorum inundationem, non ipsis Italiæ finibus coercitam, in Gallias quoque irruisse, illùcque Longobardos Duces, Divinæque Justitiæ populorum peccata vulciscentis delectos veluti satellites, quales S. Eremita Hospitius vaticinatus fuerat, immissos, regionem omnem depopulatos, igne mox, ferroque in summam vastitatem redegisse: Neque id Paulo dissimulatum (2): qui demum turpissima quæque de avita ejusdem Gentis suæ Religione posterorum memoriæ commendare non destitit: postea enim quàm *ridiculam*, quam ipsemet appellat, ab *antiquitate* derivatam *Fabulam* de Longobardorum mulieribus, admotis ad genas in barbæ speciem crinibus, Viros suos simulantibus, in eumque aspectum, ut Victoriam impetrarent, patrio numini Wodan sese videndas offerentibus, enarasset, paullopost de eodem numine hæc tradit: *Wodan sanè, quem adjecta litera Gwodam dixerunt, ipse est, qui apud Romanos Mercurius dicitur, & ab universis Germaniæ gentibus ut Deus adoratur; qui non circa hæc tempora, sed longè anteriùs nec in Germania, sed in Græcia fuisse perhibetur* (3).

At ferenda fortasse isthæc fuerint, dum de Gente agatur, patriis Germanici soli laribus adhùc confidente, agresti illà quidem, sacrisque suis nemoribus abdita, quò vix serò Evangelica Lux permeare potuit. Quid vero, si in media Italia jamdemum degentem, ac imperii jura exercentem, deteriore adhuc Idolatriæ labe fœdatam conspexerimus? quantum igitur non impium modo, sed belluinum omnino illud fuerit, Caprinum Caput (quod superiùs indicatum jam est) instar Numinis habere, neque sibi unis, sed aliis etiam, indictâ mortis pœnâ, adorandum proponere: ad hæc, dum cultiores Longobardi Christianam Religionem profiteri cœpissent, adhuc sacrilegas venerari Arbores, ac Viperæ simulacro (quod nostrorum Longobardorum Beneventi consistentium vitio præcipuè vertitur) pertinacissimâ, atque ad seram usque ætatem producta superstitione, divinum cultum impendere: Ex his, multisque id genus aliis perpetua illa apud eam ætatem in Longobardorum nomen manasse infamia videtur, quæ nec melioribus factis, nec diuturno Italiæ dominio deleri unquam potuit: manetque adhuc ex Stephani IV. ad Carolum, & Carlomannum Epistola, publicum veluti, posterorumque omnium oculis perpetuò spectandum, Longobardicæ ignominiæ monumentum; Ubi enim Pontifex rescivit, a Carolo, ac Carlomanno nuptiarum cum postremi Longobardorum Regis Desiderii Filia consilia agitari, nihil is prætermisit, quo rem ipsam exhorrens, atque exsecrans, ne splendidissimi Gallorum nominis dignitas, atque virtus sordidissimâ maculâ hac afficeretur, Longobardorum genus in summam apud eosdem Reges abominationem adducere studuit: *Quæ est enim* (inquit) *Præcellentissimi Filii magni Reges, talis desipientia, ut penitus vel* (fort. *nec*) *dici liceat, quod vestra præclara Francorum Gens, quæ super omnes Gentes enitet, & tam splendidissima, ac nobilissima Regalis vestræ Potentiæ Proles, perfida, quod absit, & fætentissima Longobardorum Gente polluatur, quæ in numero Gentium nequaquam computatur, de cujus natione & Leprosum genus oriri certum est?* Hæc pauca ex pluribus, quæ adversus Longobardos vociferari pergit Pontifex, attulisse hùc sufficiant, quæ si Carolo Carlomannoque, ut ab

(1) Lib. II. cap. XXXII.

(2) Lib. III. cap. I. Gregorio Paulum adjunxisse testem libuit, ut non solum Gregorii fides magis constaret, verum etiam ut ejusdem Pauli fides ab eorum criminationibus vindicaretur, qui (ut superius dictum fuit) Gentis suæ nomini potius, quam veritati inservisse volunt. Haud mitiùs certè Gregorio se habuit Paulus, ex quo uno, etiamsi alter siluisset, invidiosissimum omninò Longobardorum nomen ad nos pervenisset: Non igitur, nisi injuriâ fidem Paulo Longobardorum res gestas narranti abnegabimus, qui eodem, quo Gregorius, stilo, parique veritatis studio deterrima quæque in lucem prodidit: observatum id etiam à V. C. Assemanno fuit, qui tom. I. Scriptor. Ital. p. . Pauli loca Longobardis adversa colligens, ejus Scriptoris auctoritatem tutatus est.

(3) Lib. I. cap. IX. Ignotum Cæsari hocce Germanorum Numen Wodan; dum is in de B. G. lib. VI. cap. 6. de ejus Populi Religione verba faciens: *Deorum* (inquit) *numero eos solos ducunt, quos cernunt, & quorum opibus apertè juvantur, Solem, Vlcanum, & Lunam, reliquos ne fama quidem acceperunt*. Tacitum quoque id Numen latuit, quamvis ad ejus ævum plura de Germanorum religione, moribusque, quos is enarrandos suscepit, innotuissent: nam præter *Velledam*, & *Aminiam*, aliasque Vates, *Deorum* (inquit) *maximè Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hostiis libare fas habent: Herculem, ac Martem concessis animalibus placant: pars Suevorum & Isidi sacrificat: Cæterum non cohibere parietibus Deos, neque in ullam humani oris speciem assimilare ex magnitudine cælestium arbitrantur. Lucos, ac nemora consecrant, Deorumque nominibus appellant secretum illud, quod sola reverentia videat*. Ejus igitur Numinis patrium nomen, non ipsum Numen, solus Diaconus nobis servavit, nam Grecorum, Romanorumque eum esse Mercurium affirmans, Taciti ætate jam notum ostendit. Id autem barbarum Numinis nomen non *Wodam*, sed potius Wondam, vel *Wonstam* legendum arbitratur Lipsius ad Taciti l. l. *à lucro scilicet, cui Mercurius præest; Majoribus enim nostris* (subdit) *ita dictum claret, vel ex Mercurii die, qui veteri, & gentili appellatione nobis Wonstbach*. Lipsii lectionem, interpetrationemque acriter notavit Cluverius in Germ. Antiq. lib. I. pag. 126. acriùs & ipse postea notatus à Grotio in Prolegom. ad Hist. Wandal. &c.

ut ab iis nuptiis abſtinerent, haud ſatis eſſe viderentur, tanquam immanis criminis reos fore declarat, ab eoque admittendo prolixa horrendi anathematis comminatione deterret. Perſuaſum ſcilicet Pontifici erat, quouſque in Italia Longobardi conſtitiſſent, periclitari omnino res Eccleſiæ, ac Religionis; fœdere autem Gallorum, quod eæ nuptiæ ſanxiſſent, augeri Reip. detrimentum, dum Longobardorum Tyrannis, impietaſque conſtabiliri in Italia videretur (1).

Hactenùs de Longobardorum Religione dicere exorſus, ſi non omninò injurioſum, aſperiorem certè eorum nominis criminatorem me præſtiti, qui tot tantaque impietatis, ſuperſtitioniſque exempla, ac veluti monſtra diligentiùs conquiſita, ſimulque collecta ad noſtræ ætatis memoriam revocarim: At iſta mihi, temporum rationem, rerumque geſtarum fidem ſectanti, nequaquam diſſimulanda fuerunt. Fuere hæc olim Longobardorum probra; quibus tamen mox contraria, nec meliora tantum, ſed, quæ ad Religionem pertinent, optima quoque ſucceſſiſſe intuebimur; itaut deterſis jam prioribus maculis, atque è tenebris veluti eductum Longobardicum nomen, non ſolum in lucem hominum tutò prodire, ſed etiam ſplendidiore quodam lumine decoratum aliorum in ſe convertere oculos jam demum queat. Primum autem univerſæ Germanicæ Gentis cauſam haud prætereundam mihi duxi, quâ paucis peractâ, ad noſtros Longobardos deveniam.

Quum igitur de Germania ſermo eſt, hanc doctiſſimorum Virorum animis inſediſſe ſententiam reperio, gemuiſſe ſcilicet, riguiſſeque ſub veterno ſuperſtitionum induratam Germaniam, cujus Populi per omnes Europæ plagas effuſi, nihil, niſi arma noverint: inde barbaras, feroceſque, prodeuntes Nationes, tantum à cæterarum gentium more, ac natura diſceſſiſſe, ut quæ ceteræ pro religionibus ſuis, iſtæ contra omnium Religiones bella ſuſciperent: Germanorum converſionem tentatam non ſemel; ſed innata indigenarum feritate ſemper impeditam ad Sæculum uſque octavum, ſi fortè Rheni accolas excipias, Bojarioſque, qui Theodorico Clodovei magni filio regnante Chriſtianæ Religioni acceſſiſſe memorantur. Hæc quidem V. C. Mabillonii ſententia eſt (2), ut Majoribus ſuis eam virtutem, laudemque adquireret, præcipuè verò S. Bonifacio, ejuſque ſociis hanc palmam traderet, qui non ſolum ſudoribus, ſed ſuo quoque ſanguine vaſtiſſimæ hujus, incultiſſimæque Regionis Apoſtolos ſeſe præſtiterint, invehendæque in eam gentem Chriſtianæ Religioni feliciter adlaborarint. At nemo certè ſanctiſſimis hiſce Viris hanc gloriam inviderit, ut per ſeptentrionales plagas ſplendidior eorum operâ Evangelii lux effunderetur: nemo tamen id ſibi perſuaſerit, prioribus ipſis Germaniam debere, ut Chriſtum agnoſceret, ac profiteretur; Aliter profecto Eccleſiaſtica nos docent monumenta, teſteſque adhuc ſecundi, tertiique Sæculi Patres præclariſſimos habemus, qui jam tum à Germanis ſuſceptam Chriſti Fidem affirmant (3).

Pluribus hujus rei fidem ſequuti ævi teſtibus, monumentiſque confirmare ſupervacaneum arbitror; dum ipſi, de quibus præcipuè agimus, ſtatim præſto ſunt Longobardi, inter Germaniæ Populos *ſatis nobiles* à Tacito appellati, *nobiliſſimi* nunc nobis meritò, atque jure appellandi, qui non modo ante Sæculum octavum, ſed ante ſuum quoque in Italiam adventum, Chriſtianos ſe fuiſſe docentes, non ſolum falſi eos redarguere queunt, qui tam ſera, ac difficillima Chriſtianæ Fidei exordia, incrementaque apud Germanicam Gentem ſtatuerunt; ſed hac ipſa quidem re veterem à ſeipſis invidiam amoliri incipientes, vetuſtiſſimam hanc Longobardico nomini laudem auſpicari videbuntur; ut è patrio ſolo vix tum egreſſi, ac in Pannonia degentes, ſecum Chriſti Fidem jamdiù ſuſceptam perducerent, nec ſolum Chriſtiani ipſi, ſed qui pariter Catholicam Religionem profiterentur. Compertam rem ex Procopio habemus; ortis enim ipſos inter Longobardos, finitimoſque

(1) Habetur inter Epiſtolas Codicis Carolini ordine XLV. Erunt fortaſſe, qui iniquius, ac ſaltem vehementius, quam par eſſet, in Longobardos geſſiſſe ſe Pontificem putabunt, tum maximè, quod Regem Deſiderium de eodem Pontifice à Gallorum ſeditione liberato optime potiùs meritum doceat ſequens Epiſtola XLVI. de qua inferius agemus. Sed manifeſtê tunc publici boni ratio in cauſſa erat.

(2) Præfat. ad Sæc. III. §. 2. & Præfat. ad Sæc. IV. §. V.

(3) Teſtes ſatis fuerit adducere S. Iræneum, atque Tertullianum: quorum prior contr. Hæreſ. lib. 1. cap. 2. & 3. edit. verò Maffæi cap. X. pag. 49. hæc ait. *Eccleſia per univerſum orbem utique ad fines terræ ſeminata, & ab Apoſtolis, & à Diſcipulis accepit eam Fidem .... & neque hæ, quæ in Germania fundatæ ſunt Eccleſiæ aliter credunt, aut aliter tradunt &c.* Alterius verò *contr. Judæos* hæc ſunt. *In quem alium univerſæ Gentes crediderunt, niſi in Chriſtum .... ut jam Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, & Hiſpanorum omnes homines, & Galliarum diverſæ nationes, & Brittannorum inacceſſa Romanis loca, Chriſto verò Deo ſubdita, & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum Gentium ..... in quibus omnibus locis Chriſti nomen regnat &c.*

que Gepædas diffidiis, jamque exardescentibus utrinque ad bellum animis, quisque sibi Justiniani tunc Imperatoris favorem captare, sociumque habere ejus belli sategit: quod ut Longobardorum Legati facilius impetrarent, plures alias, quæ tum ex antiquo fœdere, tum ex Gentis erga Romanum Imperium promeritis, tum ex præsenti, futuraque ejusdem Imperii utilitate suppetere videbantur, rationes, caussasque præloquuti, eam demum omnium justissimam, validissimamque, quam Religionis Consortium suppeditabat, in hæc verba Justiano exposuerunt: *Hæc igitur, Imperator, etsi præ verborum barbarie quadam ineptitudine, pro rerum ipsarum dignitate non explicarim, tute tamen pro tua prudentia si quid fortè defectius, quàm res ipsa deposceret, enarravi, quæ Romanis sint, Longobardisque tuis admodum profutura, ut visum fuerit, peragito: Demum ad cetera Te ejus rei admonitum velim, nos cum Romanis de vera justitia, Divinoque cultu eadem semper, & recta sensisse, hos vero* ( hoc est Gepædas ) *Arianæ Hæreseos Sectatores nulla vobiscum in re conventuros* (1). Justinianum exploratissimâ, gravissimâque ea in re haud certè fallere poterant Longobardi, qui de sua Religione, cujus consensu, ac quodam veluti nexu exoratam ejus Augusti in eo gerendo bello opem, societatemque quammaxime sibi certam despondebant, ni Catholica illa fuisset, mendacii statim redargui potuissent; at res ita se habebat; satisque tunc Justiniano comperta; apud quem tanti communis ea Religionis ratio valuit, ut Longobardorum partes sibi tuendas susceperit, ac, quemadmodum Procopius narrare pergit, auxiliares ipsis adversus Gepædas Imperii copias libenter addiderit.

Non autem turbare debet, quod ipsum tunc temporis Longobardorum Regem Alboinum indubia ejusdem ævi monumenta Arianum nobis prodant. Extat quidem Nicetii Trevirensis Episcopi ad Chlodosuindam ejusdem Alboini Conjugem Epistola, qua illam Nicetius hortatur, ut virum ad nefariæ illius Hæreseos detestationem, Catholicæque Religionis professionem impellat: utque felicem ei conversioni successum pararet, egregiam in ea Epistola operam præstitit Nicetius, nihil prætermittens, quo Regia Conjux, ut Thecuitis altera, eloquentior, pro rei verò dignitate, publicaque utilitate studiosior quoque accederet: ac primum Catholicæ Religionis veritatem tum ex Divinorum Librorum testimoniis, tum ex præsentibus indubiisque miraculis manifestè confirmatam demonstrat: falli eos subdit ( inter quos Alboinum ipsum tacitè sugillat ) qui Apostolorum Reliquias pro ejus ævi more ( de quo paullo inferius agendum nobis erit ) *etiam furtim sublatas* sibi conquirere, ac venerandas proponere satagant, nisi eandem, quam Apostoli prædicarunt, suoque sanguine contestati fuere, Fidem Christianus quisque sectari eniteretur. Tum ad privatas utriusque conjugis rationes se convertens, Chlodosuindæ quidem, quò illam peragendæ rei alacriorem efficiat, Crothildis exemplum offert, quæ Regem Chlodoveum Christo lucrifecit: Alboinum vero quod rebus egregiè gestis, ceterisque suis præclaris naturæ, virtutisque dotibus fœdam hanc inesse maculam diutius ferat, pulchrè in verecundiam adducit. *Talis* ( inquit ) *ornatus, talis Vir, qualis Alboinus Rex esse dicitur, talis forma, quam Mundus sic præponit, quare non convertitur, aut quare tardus ad requirendam viam salutis apparet* (2)? In summa, de Alboini Arianismo manifesta res est: At non inde consequitur, ut cum Alboino Rege Longobardos subditos, Arianos pariter affirmemus. Immo illud satis verisimile existimabimus, in Alboino convertendo haud frustra cessisse Chlodosuindæ operam, quam *Dominæ Clementissimæ in Christo filiæ* elogio exornavit Nicetius, cujus etiam pietatem præclarâ eâ Epistolâ roboravit.

Sed jamdemum Longobardos, Pannoniis relictis, sub Italico cœlo degentes, quique in felicioribus hisce comparatis sibi sedibus, eorum Religionis status fuerit, spectare nunc licebit. In id certè consensuros mecum alios crediderim, post primæva illa scilicet furoris exempla, quæ nunquam non ab invasoribus quibuslibet, ut novos populos metu saltem sibi subigant, exerceri solent, mitescentibus paullatim dominantium Longobardorum animis, non solum à Catholica ipsos Religione non abhorruisse, sed etiam ad illas, quæ in optimè

(1) Procopius de Bell. Goth. lib. III. cap. 34. ex Volaterrani interpretatione *edit.* Basileæ an. 1576. quàm uti Græco textui propiùs, uberiusque respondentem, afferre malui: paullò enim contractior obscuriorque idem Procopii locus ex Claudii Maltreti versione, quàm in sua Scriptorum Italicorum Collectione Cl. Muratorius edidit tom. I. part. I. hisce verbis explicatur. *Tu verò Imperator, ea supplens animo, ac perpendens, quæ breviori, quàm par erat, orationi nostræ desunt, Romanorum, & Longobardorum suorum rationibus consule, adjuncta hac aliis omnibus cogitatione, Romanos jure coituros nobiscum, qui de Deo sentimus cum ipsis eadem, & Arianis* ( i. e. Gepædibus ) *vel eo nomine adversaturos.*

(2) Apud P. Labbeum tom. V. Concil. pag. 833.

optimè inſtituta Rep. quammaximè obtinere ſolent, honeſtatis, atque æquitatis leges mores ſuos compoſuiſſe: Inſtauratâ enim poſt decennalem, quam ſæpiùs memoravimus, Ariſtocratiam, Regiâ Dignitate, quippe quæ publicis, privatiſque rebus utilior videretur, mox alteros nova regiminis forma Longobardos oſtendit, alteram Italia faciem monſtrare cœpit. *Erat ſane* (inquit Paullus) *hoc mirabile in Regno Longobardorum; nulla erat violentia; nullæ ſtruebantur inſidiæ; nemo aliquem injuſte angariabat, nemo ſpoliabat; non erant furta; non latrocinia; unuſquiſque, quò licebat, ſecurus ſine timore pergebat* (1).

De hac temporum felicitate, quæ, Longobardis regnantibus florere in Italia cœpit, locuples, ac fidiſſimus quoque teſtis eſt Lapis, à Rege Liutprando in Eccleſia S. Petri, ab ſe conſtructa in *Civitate nova* agri Mutinenſis, inſcriptus; quem à Cl. Muratorio diligentiſſimè inſpectum, deſcriptumque iterum heic protuliſſe præſtabit:

HAEC XPS FVNDAMINA POSVIT FVNDATORE
REGE FELICISSIMO LIVTPRAND PER...VM CEB....
HIC VBI INSIDIÆ PRIVS PARABANTVR
FACTA EST SECVRITAS VT PAX SERVETVR
SIC VIRTVS ALTISSIMI FECIT LONCIBARD.
TEMPORE TRANQVILLO ET FLORENTISS.
OMNES VT VNANIMES.... PLE..IS PRINC....

Implexas alicubi eſſe literas atque attritas fatetur Muratorius, *itaut colligere omnes ſibi curioſè exploranti non licuerit*; at Lapidem non Longobardicis, ſed Romanis characteribus ſcriptum affirmat (2): qua etiam ex re, præter præclara illa publicæ Felicitatis documenta, quæ lapis ipſe loquitur, ipſorum Longobardorum animos, moreſque ad optima Romanorum quæque æmulanda, jamdiù excitatos, efformatoſque diſcere licebit.

Scio adverſus hanc teſtatam, ſeù jactatam à Paullo præſertim Diacono Tempornm felicitatem à Cardinali Baronio ſucclamatum; qui poſt recitatum illius teſtimoninm, *Hæc Paullus*, mox ſubdit, *ſed Longobardus & ipſe ſuæ Genti nimium favit: non ita ceteri, qui hoc tempore vixere; præſertim verò Gregorius Papa &c.* (3). De Paulli gentis ſuæ res geſtas narrantis fide, vix eſt, ut jure dubitare quis poſſit, ejns opere univerſo ob oculos poſito, ubi, dum tempus, aut occaſio tulit, non is Longobardorum ſuorum nomini, famæque probroſas notas inurere pepercit. Stabit igitnr Paulli fides, ſi diverſa temporum ſpectetur ratio; nec prioribus poſteriora comparentur, aut commiſceantur: Alia enim Ariſtocratiâ vigente, alia poſt inſtauratum Regnum rerum facies. Quid enim? animadverterunt tandem Longobardi, ſeſe non ut antea Prædorum inſtar, ſed Dominorum jure in Italia verſari; quocirca quum ſatis tuta Principatus ſui fundamenta locaſſent, temperandum ſibi à cœdibus prædationibuſque duxerunt, omniaque ad honeſtatis, æquitatiſque normam reſtituenda tum maximè oſtenderunt, quum denuò rerum ſummam in Regem contulerunt, eumque *Flavii* prænomine inſignitum volvere; quo certè prænomine (uti in ſuperiore diſſertatione dictum fuit) legitimi Imperii, feliciſſimique Regiminis ſucceſſus portendebatur. At levia (inquies) iſta ſunt; neque major vel Lapidis à Liutprando inſcripti, aut potior Paulli fides, quàm ceterorum, ac præſertim Gregorii Papæ, ad quem Baronius provocavit. Sed tantum abeſt, ut inviti Longobardi, quin potius lætantes ad Gregorium provocatos ſe audiant: neque enim digniorem, præſtantioremque alium neque opportuniorem, quàm ipſum ſibi aliquando adverſum Gregorium Pontificem, oſtendendæ modo Religionis ſuæ teſtem Longobardi deſiderare poterunt. At cur ſolum appellavi teſtem? Stet quoque ſua Sanctiſſimo, Sapientiſſimoque Pontifici immortalis laus, quod maximâ ejus operâ, doctrinaque factum ſit, ut apud ipſos Longobardos Catholica Religio non modo univerſim propè ſuſcepta eſt, ſed quammaxime florere videretur. Id vero pervulgatis Dialogorum ſuorum Libris Gregorium feliciter præſtitiſſe ſi dixerimus, nonniſi verum, tum ab aliis, tum ipſo rei exitu comprobatum affirmaſſe erit.

Atque is quidem præſtantiſſimo ejuſmodi Operi ſucceſſus debebatur, ubi Sapientiſſimus Pontifex ea omnia collegit, enarravit, docuit, quæ ad Fidei Dogmata ſtabilienda, morumque diſciplinam inſtaurandam infeliciſſima illa malorum, flagitiorumque tempora poſtula-

(1) De Geſt. Longob. lib. III. cap. XVI.
(2) Antiq. Ital. Med. Ævi Diſſert. XXI. tom. II. col. 196.
(3) In Annal. Eccleſ. ad an. DLXXXV. n.

ſtulabant : ac ſicuti peculiari Dei providentia factum fuit, ut ea ætas frequentioribus miraculis illuſtraretur, quibus Homines veram Religionem agnoſcerent, atque ad Pietatis ſimul ſtudia excitarentur, ita Gregorius Divinum ſectatus conſilium miracula eadem ſcriptis ſuis paſſim, opportunèque inſerere laboravit; quæ quidem miracula, non ſolum ipſis plerumque ſpectantibus Longobardis, ſed ipſiſmet Divinam Omnipotentis Numinis vim aliquando expertis patrata, optimam narranti Gregorio fidem vindicare queunt: etenim, ni illa certò certiùs ſibi conſtitiſſent, irriſiſſent profectò Gregorium Longobardi, ac efferatiore fortaſſe odio in Catholicam Fidem, Romanamque Eccleſiam exarſiſſent potius, quàm utriuſque partibus ſeſe dicare in animum induxiſſent. Cæterum, qui hanc, inter alias plures, rationem non admittunt, fabuloſaque paſſim illa blaterare non ceſſant, præſtantiora miraculis alia plurima, quæ Gregorianis Dialogis continentur, animadvertant, oportet, inſignia videlicet Virtutum exempla, quæ proculdubio ( uti Gregorius ipſe monet lib. II. cap. ult. ) miraculis omnibus anteferri debent: Id, inquam, præcipuè egit Gregorius; Egit quoque, ut confirmata miraculis Doctrina luculentior appareret, nec tàm majorem auribus jucunditatem afferret, quàm audientium animis penitiùs inhæreret: ac quod ad Longobardos attinet, haud aliter Gregorio eorum converſionem ſatagenti agendum erat, dum ea miracula libentiùs narrat, quorum teſtes ipſi fuiſſent Longobardi; veluti quum de Sanctulo Presbytero agit lib. III. cap. 37. ( nam alia congerere exempla haud opus heic fuerit ) de quo plura refert cum ipſis Longobardis geſta, ſtupenda illa quidem, quibus tamen ejuſdem Sanctuli ſtupenda magis Humilitas, Patientia, Caritas, ceteraque virtutum exempla, quæ inter ipſa miracula eluxerant, alacriùs imitanda proponebantur (1).

Sed & perlibenter annuenti Gregorio Theodolindam adjunxiſſe fas erit; nam dum de Longobardorum Religione agimus, non nihil eorum laudi acceſſiſſe videbitur, ſi ejus rei felicitatem illius ſimul Reginæ ope, domeſtica ſcilicet manu, non ſolum curatam, verum etiam provectam inſpexerimus. Eadem itaque Theodolinda fuit, cui Gregorius Longobardorum Religioni auſpicatiùs conſulturus eoſdem Dialogos ſuos miſit. Mirum autem, quantum ex ejus Operis occaſione, Gregoriique cohortatione jamdiù ad dilatandam, vel confirmandam inter ſuos Longobardos Catholicam Religionem præconceptus, piiſſimæ Reginæ Zelus exarſerit: quàm felix verò ſucceſſus extiterit, audire ex Paullo præſtat: Poſtea enim quàm is laudatos Dialogos à Gregorio lucubratos, Theodolindæque ( quam Gregorius *ſciebat utique & Chriſti Fidei deditam, & in bonis artibus eſſe præcipuam* ) *directos* narraſſet; *per hanc* ( mox ſubdit ) *Reginam multum utilitatis Dei Eccleſia conſequuta eſt; nam penè omnes Eccleſiarum ſubſtantias Longobardi, dum adhuc Gentilitatis errore tenerentur, invaſerunt; ſed hujus ſalubri ſupplicatione Rex permotus, & Catholicam Fidem tenuit, & multas poſſeſſiones Eccleſiæ Chriſti largitus eſt; atque Epiſcopos, qui in depreſſione, & abjectione erant, in dignitatis ſolitæ honorem reduxit* (2). Hinc præclarum illud in Italiam univerſam emolumentum manavit, ut inter novos bellorum motus ab Græco Exarcho excitatos, pronus eſſet ad Fœdus cum Pontifice, Romaniſque ſtatuendum Regis Agilulfi animus; de qua re extant adhùc ab ipſo quoque Paullo deſcriptæ, inque ſuum opus relatæ Gregorii Pontificis ad eundem Regem, piiſſimamque Conjugem maximis gratiarum actionibus refertæ Epiſtolæ (3). Hinc denique ( quod propoſitæ rei caput eſt ) eum, quem Rex idem Agilulfus ex Theodolinda ſuſcepit, Adulouvaldum Filium Catholica Eccleſia in ſua Communione baptizatum vidiſſe lætata fuit; unde & ejuſdem Gregorii ad eandem Reginam gratulatoria Epiſtola, in qua fauſta omnia regio Infanti ( quò magis ſibi, Romanæque Eccleſiæ Longobar-

ALTER E

(1) Multa Fidei Dogmata, quæ in Gregorianis Dialogis exponuntur, & adſtruuntur, forſitan Heterodoxorum in eos odium potius excitavit, quàm longa miraculorum ſeries. Sed quod ad hoc miraculorum caput pertinet, jam res præclariter ſatis feliciterque confecta habetur à Cl. Guſſanvillæo in eorumdem Dialogorum Vindiciis, quibus etiam doctiſſimi PP. S. Mauri in Præfatione ad novam editionem alia addiderunt. Cæterum nullus prudentis judicii, quin etiam ſanæ mentis mirari deſinat, dum videat, Heterodoxorum, aliorumque, qui Critici videri volunt, palato uni Gregorianos diſplicere Dialogos, qui contra innumeris excelſæ dignitatis, ſelectæque eruditionis Viris ab ipſo Gregorii ævo ad noſtram uſque ætatem ubilibet, perpetuòque adeò placuerunt, ut eorum fidem, atque utilitatem celebrare nunquam deſtiterint. Verum vice omnium libet heic Photium audire, poſt Gregorii elogium de ejuſdem Dialogis, à Zaccharia Pontifice in Græcam linguam translatis, ita loquentem in ſua Biliot. Cod. CCLII. *Quin etiam Vitas eorum, qui in Italia claruiſſent, ſalubribus admiſtis narrationibus, quatuor Dialogis concinnavit. Etenim per centum, & ſexagintaquinque annos, hi qui latinam linguam ignorarent, ſola utilitate hujus Operis fruſtrati ſunt. Zaccharias vero, qui hujus Sancti Viri poſt illud tempus ſucceſſor fuit, tantum Opus Italia concluſum in linguam græcam vertens, communem utilitatem Orbi terrarum benignè exhibuit.*

(2) Lib. IV. cap. V. VI.

(3) Lib. IX. Epiſt. XLII. al. 41. & XLIII. al. 43.

gobardos Pontifex Optimus, ac Prudentissimus devincire posset) sic precatur: *Omnipotentis Dei gratia & Filium vobis donatum, & quod valdè Excellentiæ vestræ est laudabile, Catholicæ eum Fidei novimus sociatum: Nec enim de Christianitate vestra aliter credendum fuerat, nisi id studere vos, ut quem Divino munere suscepistis, Catholicæ rectitudinis auxilio muniretis: ut & Redemptor noster familiarem te suam Famulam cognosceret, & Longobardorum Genti novum Regem in timore suo feliciter enutriret. Unde oramus Omnipotentem Deum, ut & vos in mandatorum suorum via custodiat, & eundem excellentissimum filium nostrum Adulouvaldum in suo faciat amore proficere, quatenus sicut hic inter homines jam magnus est, sic quoque & bonis actibus ante Dei nostri oculos sit gloriosus.* Faustis demum precationibus hisce suis, atque gratulationibus Donaria Gregorius adjunxit, quantivis illa pretii, si Religionis merito, largitorisque dignitate æstimentur. *Excellentissimo autem* (inquit) *filio nostro Adulouvaldo Regi transmittere Phylactèria curavimus, idest Crucem cum ligno Sanctæ Crucis Domini, & Lectionem S. Evangelii theca persica inclusam* (1).

Hacte-

(1) Non regio Infanti tantùm Adulovualdo, sed eorundem etiam Agilulfi, ac Theodolindæ majori natu Filiæ, ea occasione munera misit Gregorius: *Filiæ quoque* (ait) *meæ, Sorori ejus* (Adulovualdi) *tres annulos transmisi, duos cum Hyacinthis, & unum cum albula*: Congruum sanè fæminæ munus; ex quo tamen vides Gregorii prudentiam, qua sibi regios animos conciliare, ac penitus devincere satagebat, ut & Religionis, & Reip. bono prospiceret. Mirabitur tamen quis, & *Phylacteria* à Gregorio missa, & *Lectionem Sancti Evangelii*, quæ in Regii Infantis usum adhiberentur. Et sane ad *Phylacteria* quod attinet, non illa heic accipere debemus, quæ Phariseis usitata à Christo memorantur Matth. xxv. 5. quædam scilicet chartarum volumina aliquibus Legis sententiis inscripta, quæ sivè fronti, sivè pulsibus lævæ manus alligabantur, quorum figuras exhibet *Aug. Calmetius in Dict. S. Script.* Sed quæ Gregorius græco vocabulo Phylacteria dixit, non alia nisi *Amuleta* sunt, ab amoliendo melius, quàm ab 'αϵινω, i. e. *propulso*, vel ab 'αϵιμω, i. e. *vinculum*, ut Vossius censet, appellata, Lapides scilicet, quidam, sivè metalli laminæ sub certis astrorum aspectibus variis characteribus inscriptæ, quibus Ethnici utebantur, ut à certis morbis, periculisve liberarentur: de quibus ex instituto agunt *Jul. Richultius Exercit. de Amulet. Argentorati* 1676. *Petr. Fed. Arpe de Prodigiosis naturæ, & Artis Operibus, Tolismanes, & Amuleta, dictis Hamburgi* 1717. *Martin. Ful. Blumerius. Hist. Amuletorum Halæ* 1710. *quibus Alteserra addendus est, plura scitu* dignissima de Phylacteriis disserens. Hujusmodi Phylacteriorum, sivè Amuletorum apud Christianos usum, utpote superstiosam Gentilium consuetudinem, Ecclesiastica passim damnarunt Concilia, quæ Jos. Binghamus recensuit *Orig. & Antiq. Eccl. lib.* XVI. *cap.* V., in queis etiam, Amuletorum venditores anathemizatos, atque eorundem *Amuletorum Præbitores* vocatos legimus, nomine fortasse *à Præbiis* derivato, quæ Festus *curandi mali remedia* interpretatur. Spretis tamen Ecclesiæ legibus frequens aliquando apud Christianos Amuletorum usus obtinuit: Amuleta in ipsa Urbe Roma publicè venalia exponi Sæc. VIII. querebatur S. Bonifacius Maguntinus Ep. 172. ad Zachariam PP. *cap. 6. ap. Murator. Antiq. tom. 1. pag. 72.* uti sibi ab Alemannis, aliisque finitimis ex Urbe reducibus affirmatum testatur. Quid igitur? Superstiosum hujusmodi Phylocteriarum Amuletarumque usum probaveratne suo ævo Gregorius? non ita quidem: Religiosa enim observatio à superstiosa distingui debet. De signo Crucis, ejusque veneratione, usuque, deque parvis Crucibus, quæ collo appendere instar Amuleti ab ipso Ecclesiæ exordio Fideles consueverunt, a Viris doctis ingentia conscripta volumina sunt, uti etiam observat Card. Bona *Rer. Liturg. lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 10. Quod nondum in Latina, sed Græca quoque Ecclesia nonnisi in Religionis, ac Pietatis argumentum factitatum constat. Græci autem *Encolpion* vocant, eo quod sinu gestari soleret, unde apud Annam Comnenam in Alexiade *σαυρὸς ϵγκολπιω* appellatur Crux Sanctorum Reliquias, aut S. Crucis particulas continens, quæ catenulis, aut laqueis collo appensa ad pectus pendebat. Encolpion aureum cum partibus ligni Crucis Leoni PP. III. missum à Nicephoro Aug. meminit Card. Baronius ad annum 811.: ac tum ex eo, tum ex consimili Encolpio, quod Elias Vicarius Sedis Hierosolymitanæ sibi ab Imperatore propriis manibus collo impositum retulit *in Act. v. Syn.* VIII. antiquum Episcoporum morem gestandi collo appensam, patentemque ante pectus Crucem, agnoscit idem Baronius, à quo tamen idem Bona dissentiens recentiora ejusmodi mori initia tribuit l. l. Res itaque eò redit, ut nonnisi rite rectèque Gregorium se gessisse statuamus, qui Crucem superiùs memoratam Theodolindæ dono misit, Regii Infantis Adulouvaldi collo appendendam. Idem præterea de Lectione, quam simul misit, S. Evangelii, affirmandum est. Quamvis enim propiùs ea res (uti ex S. Isidoro Pelusiota mox audiemus) ad Hebræorum Phylacteria accedere videretur, neque olim sine aliqua Hæresis suspicione, vel etiam manifesta labe reputaretur, uti ex S. Epiphanio Hæres. xv., atque ex Conciliis Agathense cap. 68. & Liptinense cap. 5. satis constat; si tamen superstitio abesset, quæ in eam rem ab impiis hominibus aliquando inferebatur, nil religiosius, sacrique Evangelii dignius excogitari potuit; quod primævæ Ecclesiæ Fideles exemplo suo nos docebunt: In Actis S. Cæciliæ, hujus SS. Virginis laudi vertitur, quod etiamnum Ecclesia memorandum voluit, *semper Evangelium Christi in pectore suo gestasse.* Ac Isidorus quidem Pelusiota Ep. CL. lib. II. Judæorum Phylacteria perexiguos quosdam libellos esse, legem continentes explicans, eos à Judæorum Magistris gestatos ait, *quemadmodum nunc* (subdit) *fæminæ parva Evangelia*: At non id solum devoto fæmineo sexui, sed omnibus familiare, nec solum pro rectæ fidei professione, ac quodam veluti pietatis insigne, verum etiam tutelæ loco habebatur: *Non cernis* (inquit S. Chrysostomus Homil. XIX. ad Pop. Antioch.) *ut mulieres*, & parvi pueri pro magna custodia, Evangelia collo suspendunt? Nullum igitur Adulowaldo salubrius munus Gregorius mittere poterat, quam sancti Evangelii lectionem (fortasse S. Joannis cap. 1.) atque ipsam quidem *Theca Persica* inclusam; qua re non tam Regii pueri, quàm ipsius Evangeli, spectata ratio fuit. Certè Evangelii Codices Thecis aureis, argenteis, vel eburneis, gemmis etiam distinctis cum imagine Christi Crucifixi includere, aureisque literis scribere mos priscus fuit, de quo plura monumenta profert Card. Bona l. l. lib. 1. cap. 25. num. 10. ac jure quidem merito;

dum

Hactenus Gregorium Pontificem ſanctiſſimum, ſapientiſſimumque Longobardicæ Religionis teſtem adhibuimus; cujus ſi fides ( uti par eſt ) ſtare debet, vix erit, ut de ipſorum Longobardorum teſtimonio, quod ſuo ipſi ore, propriaque in cauſſa unquam protulerint, Gregorio quidem auſpice, ac veluti vade, ſiniſtrè judicemus. Eſt itaque illa tum Regis Liutprandi, tum Regis Rachiſii in utriuſque Legum Prologo conſtanter uſurpata præſtantiſſimi omnium nominis, titulique laus, aut formula, ut ſe Chriſtianos, & Catholicos Gentis æquè Catholicæ, ac Deo dilectæ Longobardorum Reges inſcriberent, ac veluti deprædicarent. *Ego* ( inquit Liutprandus lib. I. inter Script. Ital. to. I. part. II. pag. 51. ) *excellentiſſimus, Chriſtianus, & Catholicus Deo dilectæ Gentis Longobardorum Rex &c.* Tum libri II. initio p. 52. *Ego in Dei nomine Liutprandus excellentiſſ. Rex Gentis feliciſſimæ, Catholicæ, Deoque dilectæ Longobardorum &c.* Rachiſius verò, *quæ*, ait, *Genti nobis commiſſæ conveniunt, ideſt Genti Catholicæ, & dilectæ Deo Longobardorum conveniunt, ſtatuendo prævidemus &c.* ibid. pag. 85. Si ea, quæ hactenus obſervare cœpimus, præclarioraque illa, quæ mox, ſervato temporum, rerumque ordine, dicenda erunt, ſinceris intentiſque oculis, animiſque ſimul ſpectemus, nihil certè mendacii, nihil etiam ambitionis in ejuſmodi Titulo cauſſari, vel ſuſpicari poterimus. Hinc jure a Beneventanis Longobardorum Principibus factum exiſtimabimus, ut, qui poſt everſas in Tranſtiberina Italia ſuæ Gentis fortunas regiam Majeſtatem ſine Regio nomine ſervarunt incolumem, eodem adhuc Titulo ( uti loco ſuo oſtendemus ) ſe, ſuamque Gentem decorandam voluerint; quaſi jamdiù, ac communi erga Religionem ſtudio is Titulus partus, nunquam non ſuperſtiti Genti, quæ Ciſtiberinæ Italiæ imperium retinebat, adhæſiſſe debuerit: immo ea de noſtris Principibus dicenda erunt, quæ novis, atque amplioribus meritis ſervatum Titulum oſtendant.

Et ſanè ad ea jam pervaſimus tempora, quibus Religionis res apud univerſam Longobardorum Gentem adeò feliciter proceſſiſſe generatim conſpeximus, ut nihil nobis verendum modo ſit, quin alacres, lætique ad Majores noſtros Beneventanos Longobardos, eadem de re ſpeciatim celebrandos, accedamus. Cum ipſo enim Zottone primo Beneventano Duce, quæ ſimul adoleſcere videbantur, extincta pariter mala, radicitùſque eliminata jam nobis oſtendit ſucceſſor Arichis; fauſtiſſimum equidem tum Longobardis, tum Beneventanis nomen, quorum ille ampliori gloria veterem infamiam expiavit, tùm rebus plurimis pro Religione, atque Rep. egregia geſtis, tum etiam diuturno quinquaginta annorum regimine ſatis præclarus. Perjucundum profecto nobis fuerit, atque ( etiamſi ejus ævi monumentis aliis caruiſſemus ) hujus Ducis memoriæ, virtutique locupletiſſimè proſpectum, dum idem Pontifex Gregorius teſtis ſuperſit. Quum itaque ad inſtaurandas SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli Eccleſias trabibus opus haberet Gregorius, eaſque in Brutiorum ſilvis jam exciſas, comparataſque longo difficilique itinere, graviſſimis proinde curis, impenſiſque Romam pervehendas noviſſet, rem totam, quò expeditius perficeretur, data ad Arichim Epiſtola, ejus auctoritati, ac pietati commiſit: *Quia ſic* ( inquit ) *de Gloria veſtra, ſicut revera de Filio noſtro confidimus, petere à vobis aliqua fiducialiter provocamur, arbitrantes, quod minimè nos patiemini contriſtari, maximè in tali re, unde veſtra anima multum poterit adjuvari*: Pergit deinde Pontifex rei, quæ ſibi incumbebat, neceſſitatem exponere, Duciſque Arichis ope exorata: *Nos* ( ita ad eum ſubdit ) *promittimus, quia dum res perfecta fuerit, dignum Vobis Xenium, quod non ſit injurioſum, tranſmittemus: Nam ſcimus nos conſiderare, & Filiis noſtris, qui bonam nobis voluntatem exhibent, reſpondere. Unde iterum petimus, Glorioſe Fili, ut ita facere debeatis, ut & Nos poſſimus vobis eſſe præſtito beneficio debitores; & vos mercedem pro ſanctorum Eccleſiis habeatis.* Quanti autem iſthæc Pontificis Gregorii ad Ducem Arichim Epiſtola etiam tum æſtimata fuerit, ex eo manifeſtum ſit, quod Paullus Diaconus ejuſdem Ducis, Gentiſque ſuæ univerſæ decori maximè futuram agnoſcens, ne oblivioni traderetur, aut fato aliquo omnino periret, conceptis verbis in ſuam Hiſtoriam referre, poſterorumque memoriæ ſervare curavit (1). Quanti hodieque æſtimanda ſit, plura etiam oſtendunt, quæ in infernam notam obſervanda rejecimus: ſatius

ALTER E 2 enim

dum in iis ( ut inquit Rupertus Ab. de Div. Off. lib. II. cap. 25. ) *rutilat aurum cæleſtis ſapientiæ, nitet argentum fidelis eloquentiæ, fulgent miraculorum pretioſi lapides, quæ manus Chriſti tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis operatæ ſunt.* Quod autem Thecam Evangelii lectionem continentem *Perſicam* appellavit Gregorius, non omnino Thecam ipſam, i. e. repoſitorium, vaginam, loculum apud ipſas Perſas fabrefactam indicat, ſed eo vocabulo *ſumptuoſam* rem ſignificaſſe videtur, ut fortaſſe, fuerit ex ſerico auro contexto, qualis pueri collo aptius ſuſpendi, geſtarique poſſet: & ſanè *Perſici* Epitheton apud veteres ſumptuoſis, ac luxuoſis quibuſque rebus, apparatibuſque paſſim tribuebatur: ſic apud Horat. lib. I. od. ult. v. I. *Perſicos odi, puer, apparatus*, quos vetus Interpres *Regales* interpretatur. *Perſæ autem Reges ob nimias divitias in ſumptuoſiſſimis deliciis degere* dicuntur; de quibus latè Briſſonius in de Reg. Perſ. lib. I. §. XC. inter ejus oper. minora edit. recent. Lugd. Bat. 1749.

(1) Lib. IV. cap. XX.

enim heic fuerit ex hac præclarissima Epistola non solum manifestam Arichis *ορθοδοξιαν*, verum etiam perspectam habere Pietatem; quem videlicet Arichim *revera Filium suum* appellat, in ejusque *bona voluntate* confidere, cui etiam promissum *Xenium* fore jucundum, sed multo magis acceptiorem spiritualem, æternamque mercedem, indubitanter Gregorius fatetur: Quam denique solatii, honoris, voluptatisque plenum illud modo fuerit, ut ab eodem Gregorio, qui paullo ante Longobardorum Regi Authari *Nefandissimi* titulum tribuebat, Longobardorum mox Ducem Arichim *Gloriosi* titulo appellatum, atque exornatum audiamus (1).

Ut vero per Ducum Beneventanorum, temporumque successiones, quod præcipuum hujus Dissertationis argumentum est, Religionis res ritè persequamur, tenenda quoque nobis eorundem Ducum series est, quorum si rectæ Fidei, Pietatisque exempla habeamus, manifesto nobis indicio erunt, ut eadem omnia Populi moribus, institutisque tribuamus. Arichi igitur post diuturnam per Annos quinquaginta Ducatus administrationem successit Ajo filius, cui

(1) Lib. XII. Ep. 21. al. 14. Indict. V. idest Ann. 601. Arogem Epistolæ inscriptio habet, quem etiam Arigim, & Archim alibi scriptum habemus; Arichisium vero cultiore vocabulo Recentiores aliqui appellare amant. Interea, quàm longè fines suos vix ortus Beneventanus Ducatus protulerit, ex hac Epistola patet: nam ut ex Brutiorum partibus Trabes eveherentur, Arichim, cui ea Regio subjecta erat, Gregorius exorat; uti per suos Actionarios rem curandam juberet: Non equidem Zottonis Ducis, sed ipsius potissimum successoris Arichis operâ ingens Beneventano Ducatui accessio facta est: maximoperè enim in eam rem Arichim incubuisse probat altera Gregorii Epistola lib. II. n. 46. al. 22., ubi Arichis ipse cum Ariulpho (haud quidem Beneventano Duce Faroaldi Successore, ut ad eam Epistolam observat Gussanvillæus, neque Spoletano, sed potius Rege ipso Longobardorum Agilulpho, qui Arichim Beneventano Ducatui præfecit) Neapolitanam Urbem quam sibi subjiceret, obsidere memoratur: Irritus tum (Gregorio contra adnitante) fuit quoad eam Urbem Arichis conatus, cui tamen in amplificando Ducatu felices alibi successus; sed nondum ii fines extitisse videntur, quos occasione prioris Gregorianæ Epistolæ ad Arichim missæ, amplissimos Beneventano Ducatui tribuit Card. Baronius ad ann. 602. num. 9. *Ejus* inquiens *Ducatus amplitudinem Regiones omnes continuisse, quæ Hadriatico, atque Tyrrheno includuntur à littore Hydruntino Campanum usque, locis aliquot exceptis, quæ adhuc Orientali Imperio subjecta erant.* Illud namque certum, nonnisi circa ann. DCLIV. Beneventano Ducatui novas adjectas Regiones Romualdi Ducis opera, qui, ut ait Paullus Diac. lib. VI. cap. I. post Imp. Constantis discessum, aut potius fugam, *congregata exercitus multitudine Tarentum expugnavit, & cepit; parique modo Brundusium, & omnem illam, quæ in circuitu est, latissimam Regionem suæ ditioni subjugavit.* At de hac re in superiore Dissertatione, suo scilicet loco, uberiùs diximus. Quæ in Gregorii Epistola reliqua sunt, nunc observabimus. Actionariorum vocabulum haud fortasse ante Gregorii ævum occurrit, qui passim eos commemorat, atque aliquando tonsurari permisit; nam lib. II. Epist. 32. ad Petrum Subdiaconum Siciliæ sic habet: *Si vero de Laicis Deum timentibus inveneris, ut tonsurari debeant, & Actionarii sub Rectore fieri, omninò libenter fero.* Quosdam fuisse Patrimonii Rom. Ecclesiæ Rectores certis in locis constitutos satis constat, inter quos Petrum hunc Subdiaconum in Sicilia eo munere functum ipsa ostendit Epistola, in qua plura de ejus Patrimonii regimine mandantur, in quibus Gregorii justitia, religio, prudentia, & liberalis erga egenos animus, elucent: Sub his itaque Rectoribus erant *Actionarii*, quasi præcipui Administri, quibus negotiorum pondus incumbebat: Cur vero Gregorius hosce Actionarios *tonsurari*, hoc est Clericos inaugurari *libenter* ferret ex Joh. Diac. lib. II. Vit. cap. 15. facilè didicerimus, dum ex Gregorii instituto *Nemo laicorum quodlibet Palatii Ministerium, vel Ecclesiasticorum Patrimonium procurabat, sed omnia Ecclesiastici juris munia Ecclesiastici Viri subibant.* Actionarios autem sequens ætas sæpissimè offert. Inter Pippini Regis Italiæ Leges (Scriptor. Ital. tom. I. part. 2. pag. 120.) hæc habentur cap. XL. *Et hoc damus in mandatis cunctis Episcopis, Abbatibus, seu Actionariis nostris &c.* hoc est, qui nostra negotia agunt, uti Muratorius rectè interpretatur. Sed aliis omissis libet domesticum exemplum ex Beneventani Principis Sicardi Capitulare hùc adferre (tom III. opp. Cam. Peregr. edit. Neap. pag. 208.) in cujus cap. XII. hæc Sicardus statuit. *De Actionariis verò ambarum partium ita stetit, ut illæsi debeant ambulare per Actiones suas . . . . . si vero aliquis præsumpserit Actorem occidere &c.* Quo ex loco illud manifestum habemus, sequiore ævo eosdem omnino fuisse *Actionarios*, quos promiscuè *Actores* appellare pergit Sicardus, appellavitque olim melior ætas, uti in Theodosiani Codicis Indice (neque enim remotionis Antiquitatis exempla hùc congerere opus) *Actores Rerum Principis: Domus Principis: Dominici: Rei Dominicæ: Rerum Privatarum* invenire erit. Ex quibus omnibus jam constat sub recenti Actionariorum nomine vetus Actorum munus æquè contineri; eosque Actionarios, ab Arichi constitutos, non utique ejus Ducis *Res Privatas*, sed *Dominicas*, quæ in Brutiorum partibus ad Beneventani Ducatus Fiscum pertinerent, procurasse. Pauca nunc de *Gloriosi* titulo observabimus, quem eidem Arichi, uti Patriciis, Præfectis, Magistris militum &c. tribuit Gregorius: Præcelsæ Potestatis, dignitatisque argumentum fuisse docet S. Leo Pontifex, eodem *Gloriosæ* titulo Augustam Pulcheriam compellans ep. LV. uti etiam Reginam Theodolindam ipsemet Gregorius lib. IV. ep. VI. quin etiam Gregorium ipsum ejusmodi *Gloriosi* titulo ornasse satis habuit Rex Recharedus in sua ad illum Epistola, quæ inter Gregorianas extat lib. IX. ep. 61 Hoc itaque titulo tum Dignitatis suæ jure, tum Gregorii judicio sibi semel quæsito, ornati deinceps Beneventani Dynastæ fuisse videntur; neque, qui *Principis* nomine Regium jus, dignitatemque sibi comparavit Arichis II. augustiorem honoris titulum sibi, successoribusque suis adjicere voluit: modestior is quidem Octaviano Augusto, qui eodem (ut inquit Tacitus Annal. initio) *Principis nomine Remp. sub Imperium accipiens*, atque à *Domini* appellatione (si tamen ipsimet quàm Svetonio fides) abhorrens, *Majestatem* tamen, quæ propria Populi Rom. erat, ac dicebatur, cum omnibus fere sacris, civilibus ac militaribus Honoribus sibi arripuit; unde non invitis ejus auribus sic inter alia plura blanditur Horatius lib. II. ep. I. *Si quantum cuperem, possem quoque, sed neque parvum Carmen Majestas recepit tua.* Illa nempè *Majestas*, cui magis communiendæ, veteri legi nova capita adjiciens frequentiora judicia Augustus invexit; ut ex Tit. Dignit. & Cod. ad Leg. Juliam Majestatis, satis constat.

cui, amentiæ morbo aliquantulum laboranti, Reipublicæ, quàm domesticæ fortunæ studiosior Pater Radoaldum, & Grimoaldum, Forojuliensis Ducis filios, suique propinquos, atque optimæ spei juvenes, consortes magis, quam Ducatus successores designavit (1). Vix sesqui anno Patri superstes Ajo, à Sclavis Sipontum obsidentibus, quibus temerè occurrerat, trucidatus, mox Radoaldo ejus necem, hostium cæde, fugâque vulciscenti, ac Grimoaldo simul Ducatum reliquit. Hic ipse autem Grimoaldus est, qui è Beneventano Duce Longobardorum deinde Rex Romualdum filium Beneventano Ducatui præfecit, ac quinque supra viginti, ab obitu quidem Arichis, Ducatus primùm, mox Regni annos numeravit. Non heic Grimoaldum hunc à Longobardici Regni invasione excusandum suscipiam, quod à Bertarido, Godobertoque defuncti Regis Ariperti filiis, mutuis *dissipatum* præliis in illius veluti sinum, ac tutelam susceptum fuit (2); collabentes enim fraternâ discordiâ Longobardorum res, atque in extremum penè discrimen adductæ nonnisi illius virtute stare poterant, quem *corpore prævalidum, audacia primum, non minus consilio, quàm viribus decoratum fuisse* constat (3); & stetisse quidem visæ sunt, non solum armis defensæ, erectæque, verum etiam Legibus communitæ, quas Rex ipse Grimoaldus veteri Rotharis Edicto adjecit. Sed præstat de Grimoaldi Religione (quod præsentis rei caput est) quæ memoratu digna occurrunt, accuratiùs illustrare. Arianorum partibus addictum plerique suspicantur, nonnulli etiam asseverant: quos tamen falsos ostendere in promptu fuerit. Luculentum enim ejus tum Catholicæ Religionis, tum munificentissimæ Pietatis testimonium, quod in omnem posteritatem non scriptis modo traditum, sed ipso opere perpetuò consecratum viget adhuc, Basilica illa Ticinensis est, quam is Regno potitus S. Ambrosio in ea Urbe excitavit, exædificavitque, in qua etiam tumulatum se voluit (4). An igitur Grimoaldum, quin Orthodoxæ Fidei adversarius fuerit, dubitare jure quis poterit? Immo potius observantissimum non opinari tantum, sed planè affirmare licebit, qui Arianæ Hæreseos perpetui, atque acerrimi insectatoris Ambrosiii eximium adeò cultorem sese vivus, mortuusque probavit: *Si quis negaret* (consentientem mihi magnum Baronium affero) *lapides clamantes audiret, dum videlicet constat, acerrimo Arianorum hosti, atque expugnatori S. Ambrosio ipsum Ticini erexisse Basilicam, in eaque sepeliri potiùs, quàm in aliis à se erectis, delegisse* (5).

Sed & ipse antea Grimoaldus, dum Beneventanum administraret Ducatum, Religionis ejusdem, Pietatisque suæ illustre monumentum reliquerat. Quum enim anno DCXLVIII. nobilissima Beneventana Mulier Doda, seu Duda Parda nomine Templum S. Mariæ ad Olivolam ampliasset, contiguamque alteram in honorem S. Modesti Levitæ, & Martyris, inlatis ejusdem Lipsanis per Ildebrandum Episcopum, Ædem condidisset, huic insigni operi, illustris Fœminæ exemplo haud quidem excitari indiga, sed potiùs superari impatiens, munificentior, simulque providentior accessit Grimoaldi Ducis Pietas, qui opibus possessionibusque Locum ditasse haud contentus, Bertegrandum Patruum, Abbatem ibidem constituit; sicque ipsius loci tum Religionem, tum dignitatem perpetuò constabilivit. An non igitur imposuisse nobis dicendi sunt, qui Grimoaldum Arianæ sectæ addictum à S. Johanne Bergomensi Episcopo ad Catholicam Fidem conversum tradiderunt (6)? Repugnant certè vetustiora probatæ fidei monumenta; manifesta item ratio adversatur: cur enim Sanctus ille Episcopus hoc sibi negotium faceret, ut Grimoaldum conversurus Beneventum longissimo itinere adveniret; quando ex insigni in Beneventanam S. Modesti Ecclesiam, Monasteriumque Grimoaldi cultu ac munificentia, recta illius Fides satis elucebat; minus vero Regnum adeptus conversione indigebat Grimoaldus, qui in Regia Urbe Ticinensi exædificatâ in S. Ambrosii honorem Basilicâ luculentiora suæ orthodoxæ Fidei præstitit argumenta.

Præstat potiùs, ut, quando eò incidit sermo, de ipsa S. Modesti Ecclesia, Monasterioque dignam memoratu rem, quæ paullo ante id tempus accidisse ibi traditur, in medium afferа-

(1) Consortes potius Ajoni, quam successores dixi Radoaldum, & Grimoaldum, Arichis Genitoris verba animadvertens, quibus eum adstantes Longobardos Proceres alloquutum refert Paullus lib. IV. c. 44. Quum enim Arichis *ad diem ultimum propinquasset, sciens filium suum Ajonem non recti esse sensus, Rodoaldum, & Grimoaldum jam florem juventutis habentes, quasi proprios filios, Longobardis, qui aderant, commendavit, eisque dixit, quod melius eos regere isti, quàm Ajo filius suus posset.*

(2) Paul. Diac. lib. IV. cap. LIII.

(3) Id. lib. IV. cap. XXXIII.

(4) Id. l. l.

(5) Baron. in Annal. ad ann. DCLXXIII. num. I.

(6) Antonius Guarnerius de Sanctis Bergomen. Carolus Sigonius de Regn. Ital. lib. II. quibus aliquantisper assentiri videtur Card. Baronius ad an. 663. num. 8. At eos decepit Scriptor Vitæ laudati S. Joannis, indignus quidem pro sua infima, quà scripsit ætate, ut fidem sibi mereri queat; quemadmodum monet C. Muratorius Annal. Ital. ad ann. 671. pag. 144. & Cl. Assemanus de Reb. Neapolit. tom. I. cap. 14. pag. 391.

feramus: Nam quum S. Gregorius Magnus, Diaconus tunc Cardinalis, à Pontifice Pelagio Conſtantinopolim ad Imp. Tiberium Legatus, Benevento tranſiens, in eodem Monaſterio acceptus hoſpitio fuiſſet, ac ad Divinas perſolvendas laudes Eccleſiam ingreſſus, ſimul cum Monachis conſiſteret, ecce repentè Monialibus S. Nazarii advenientibus diſſilientes Monachos loco cedere aſpexit: rem miranti Gregorio, ejuſque cauſſam ſciſcitanti reſponſum fuit, Eccleſiam illis Monialibus eſſe ſubjectam: Quare Vir Sanctiſſimus ejuſmodi rei memor, quæ ſibi Beneventi diſplicuerat, Romam reverſus corrigendam Pelagio propoſuit; à quo non ſolum Monachis, ipſorumque Eccleſiæ conceſſa exemptio, verum id quoque conſtitutum, ut extinctis Monialibus S. Nazarii, ipſarum Monaſterium Viris attribueretur. Hæc quidem Ughellus (1): quæ tamen fruſtrà in ejuſdem Gregorii Vita, vel à Johanne Diacono, vel à Cl. Patribus Benedictinis S. Mauri lucubrata reperies; dum in antiquis quibuſdam Longobardico charactere exaratis ejuſdem Monaſterii monumentis duntaxat tradita habentur. Eſt verò quod fidem ejuſmodi narratiunculæ conciliare queat, ſi ad illam animadvertamus diſciplinam, quam inſtaurare Gregorius maximoperè curavit, ut ſcilicet Puellarum Monaſteria disjuncta à Virorum Cœnobiis omnino eſſent: Ad Caralitanum Epiſcopum ita ſcribit: *Nunciatum nobis eſt, quod in domo quondam Epiphanii idcirco ſecundum voluntatem ipſius Monaſterium extrui vetuiſtis, ne pro eo quod Domus ipſa Ancillarum Dei Monaſterio cohærebat, deceptio exindè contingeret animarum; & valdè laudavimus, quia antiqui hoſtis inſidias proviſione congrua, ut decuit præcaviſtis* (2). Haud ſecus ad Valentinianum Abbatem, *Pervenit* (inquit) *ad nos, quod in Monaſterio tuo paſſim mulieres aſcendant .... ; ne ergo hac occaſione humani generis inimicus ſua Monachos calliditate decipiat, ibeò hujus te præcepti ſerie commonemus, ut neque mulieres in Monaſterio tuo qualibet ex occaſione permittas aſcendere &c.* (3) Satis itaque veroſimile illud fit, ut Eccleſia S. Modeſti, à Monachis licet detenta, à Monialibus S. Nazarii, partim *ſuperioritatis* jure, partim *devotionis* cauſſa, accedente minus probando illius ævi more frequenter inviſeretur. Cæterum licet cauſſam Cl. Mabillonius diſſimulet, pro veris tamen & ſubjectionem, & exemptionem à Pelagio deinde factam habet. *Poſita erat* (inquit) *antiquiſſima hæc S. Modeſti Abbatia apud Beneventum, extabatque jam ante Pontificatum Gregorii M. ſub titulo S. Mariæ Olivolæ, imo ante Pelagium Papam, qui eam à jure Parthenonis S. Nazarii, cui ſubjecta erat, non modo exemit, ſed etiam viceverſa hunc Parthenona illi ſubjecit poſt Sanctimonialium mortes Viris ſupplendam. Id factum Anno* DXCI. *Primus ejus loci Abbas Bertegrandus, Patruus Grimoaldi Ducis, ac demùm Regis. Anno inſequenti Linianus Epiſcopus, agente Arichiſio Rege, eò tranſtulit Corpus S. Modeſti, qui nomen loco poſtea communicavit. Hujus loci Eccleſiam medio Sæculo* VII. *Parda Doda nobiliſſima Foemina reſtruxit. Rotundulus Abbas Caſſinenſis undecimo Sæculo exauctoratus ad hanc Abbatiam ſe recepit: Quæ demùm Congregationi Canonicorum Lateranenſium à Julio II. tributa eſt* (4). Hæc Mabillonius, in multis tamen falſus; quod pro Ildebrando Linianum Epiſcopum; Ducemque Arichiſium, ſeu Arechim pro Rege habuerit; ac Grimoaldo ſuperſtitem innuat; Dodam denique Pardam loci inſtauratricem potiùs, quàm conditricem, eamque Grimoaldo ſupparem oſtendat. Animadvertenda hæc erant, ſed haud longius remorari nos debent.

Neque ad Grimoaldum ipſum redire heic ſermo debebit, ut ex liberata à Græcorum deprædationibus Garganica S. Michaelis Archangeli Baſilica, Viri religionem ampliùs comprobemus: Opportuniori loco, quum de eximio ejuſdem Archangeli apud Longobardos cultu differetur, hæc ſervamus.

CAPUT

(1) Ital. ſacr. tom. VIII. col. 19.
(2) Lib. X. ep. XXV. al. XX.
(3) Lib. IV. ep. XLII. al. XL.
(4) Annal. Bened. lib. XXXI. num. 85.



## CAPUT II.

### *De aureo Viperæ ſimulacro, & ſacra Arbore, quorum cultui dediti veteres Longobardi feruntur.*

AD Romualdum modo Ducem ejuſdem Grimoaldi, jam Longobardorum Regis, filium properabimus, ſub quo non ita fauſta de Longobardorum Religione monumenta occurrunt. Deterrima quidem ſunt, quæ huic Duci, ſuiſque objecta, immo exprobata reperio, de adorato videlicet Viperæ aureæ ſimulacro, celebratiſque de more ad ſuperſtioſam Arborem ſacrilegis ludis; quibus omnibus non ſolum illata Religioni Chriſtianæ injuria, ſed ad ipſam iterum Idololatriam defeciſſe Longobardorum animi videri poſſunt. Sed aliter, quàm hactenus factum, de hac re cenſendum erit, ſi modo eorumdem monumentorum fides diligentiùs expendatur; quod ſine ullo partis, ſolius verò Veritatis ſtudio præſtandum mihi nunc erit.

Ac primùm Beneventanos indigenas ejus labis omnino expertes fuiſſe ajo, ipſam Actorum S. Barbati Epiſcopi (quo uno ex fonte res omnis ad poſteros manavit) ſectatus fidem: Non aliis enim, niſi ſolis Longobardis eadem res vitio vertitur, illi nempè genti, quæ patrio ſolo paullo antè egreſſa, avitæque fortaſſe ſuperſtionis nondum oblita, Beneventi conſederat. Ad ipſos igitur Longobardos quod attinet, haud mihi mens eſt, præfatorum Actorum fidem ex Paulli Diaconi ſilentio in commenti ſuſpicionem adducere. Fueritne Actorum Scriptor Paullo anterior, vel tempore (ut videtur) poſterior, ipſe certè Paullus nihil quod ad rem geſtam pertinet, narrare prætermiſit; quod ſi ejuſmodi Superſtitionibus Longobardi dediti tum fuiſſent, Superis potius inviſos, quàm cœleſtem adverſus Imp. Conſtantem opem promeritos Paullus tradidiſſet. Quum enim Conſtans Longobardorum Regnum everſurus Italiam adpuliſſet, non ante rem tantam aggrediendam duxit, quàm, an ipſa faventis Dei nutu regeretur, ſibi foret perſpectum. Fruſtra rem ipſe moliri intellexit, quandoquidem Longobardorum haud ruere poſſet imperium, non tam viribus ſuis prævalidum, quàm cœleſtibus Patronis communitum: aderant enim tum S. Johannes Baptiſta, tum Archangelus Michael, tum Princeps Apoſtolorum Petrus, qui præſentiſſimam ejus Gentis tutelam haberent (1). Nunciatam rem fuiſſe veram exitus comprobavit: Quum enim Longobardorum, Beneventanorumque ſimul res in extremo diſcrimine verſarentur, non ſolum Conſtantis obſidione ſoluta Urbs fuit, verum etiam Hoſtes partim cæſi, partim in fugam acti Longobardis Italiam felicius, ac glorioſiùs poſſidendam reliquerunt: An igitur Divinam opem promeruiſſent Longobardi, qui ſuum erga eos cœleſtes Patronos eximium licet cultum ſuperſtitioſis iis ritibus commaculaſſent?

Sed & quæ tum noſtrorum Longobardorum bellica virtus fuerit, quique mores, animique ad optima quæque, ac plenè admiranda facinora comparati, Paullus nobis prodidit: inter quæ haud ſileam imperterriti Ducis *cum ſuis expeditis juvenibus* frequentes in hoſtium caſtra ex Urbe eruptiones; præcipuè verò illud proferam poſterorum omnium memoria, ac laude commendandum exemplum, quo Seſualdus Romualdi *nutricius*, mori potius voluit, quàm ullam Veritati injuriam, Reique publicæ detrimentum inferre: Præmiſſus enim a Rege Grimoaldo Seſualdus, ut auxiliarium copiarum jamjam advenientium nuncio,

(1) Nihil de Archangelo Michaele, Apoſtoloque Petro habet Paullus in Muratoriana editione Script. Ital. tom. 1. part. 1. pag. 478. ubi hæc tantum habentur: *Qui tamen* (Conſtans) *priùs ad Solitarium quendam, qui Prophetiæ Spiritum habere dicebatur, abiit, ſtudiosè ab eo ſciſcitans, utrum Gentem Longobardorum, quæ in Italia habitabat, ſuperare, & obtinere poſſet; à quo cum Servus Dei ſpatium unius noctis expetiſſet, ut pro hoc ipſo Dominum ſupplicaret, facto mane ita eidem Auguſto reſpondit: Gens Longobardorum ſuperari modo ab aliquo non poteſt; quia Regina quædam ex alia Provincia veniens, Baſilicam B. Joannis Baptiſtæ in Longobardorum finibus conſtruxit, & propter hoc idem B. Joannes pro Longobardorum gente continuè intercedit &c.* In Aſcenſiana verò ejuſdem Paulli editione (uti Horat. Blancus ad hunc locum notat) uberior hujus rei inſtituitur narratio; nam non ſolum in S. Johannis Baptiſtæ, ſed & in S. Michaelis Archangeli, Apoſtolique Petri tutela æquè Longobardi recenſentur. Poſtquam enim Solitarius ille Conſtanti obſequutus Deum precatus eſſet, *eadem hora viſæ ſunt ei tres perſonæ ſpirituales, quarum una Archangeli Michaelis, ſecunda Joannis Baptiſtæ, tertia Apoſtoli Petri. Tunc unus ex illis dixit Solitario: Dic Imperatori Conſtanti, quod ad talem rem, quam habet in corde ſuo diſpoſitam, Domini voluntas adbuc non eſt. Gens Longobardorum, qui in Italia habitant, ſuperari nunc ab aliquo non poteſt &c.* De S. Michaele Archangelo mox uberrimè agemus; deque S. Petro pleraque etiam dabimus, quæ noſtrorum Longobardorum Religionem quammaximè commendabunt.

cio, diutina Græcorum obſidione preſſi Civium animi erigerentur, interceptus tamen, atque ab hoſtibus ſæviſſimam mortem minitantibus contraria Romualdo, Civibuſque ad murum vocatis nunciare juſſus, fidem ipſe Alumno ſimul, Dominoque ſuo debitam, ſuæque gentis ſalutem proprio antetulit Capiti, quod mox ab hoſtibus abſciſſum in patriam Urbem projectum eſt (1). Hæc quidem, aliaque præterea Paullus multa, ac præclara habet; in quibus tamen nulla prorsùs ſuperſtitioſæ Arboris, nulla quoque adoratæ Viperæ mentio. An igitur id Paullo, quod Gentis ſuæ probro eſſet, diſſimulatum? An contrà ex Paulli ſilen-

(1) Præſtat rem totam ex ipſo Paullo deſcribere, nam & auditu digna res eſt, ipſeque Paullus à conſuetis Peregrinii inſectationibus vindicandus quoque eſt. Sic itaque Paullus lib. v. cap. VII. in fin. & cap. VIII. ac IX. *Grimoaldus ejus Pater cum jamjamque properaret, eundem nutricium ejus, de quo præmiſimus, ad Filium miſit, qui ei ſuum adventum nunciaret. Qui cum prope Beneventum veniſſet, à Græcis captus Imperatori delatus eſt: Qui ab eo, undè veniret, requirens, ille ſe à Grimoaldo Rege venire, eundemque Regem citius adventare nunciavit; ſtatimque Imperator exterritus conſilium cum ſuis iniit, quatenus cum Romualdo paciſceretur, ut Neapolim poſſet reverti ..... Accepta igitur obſide Romualdi ſorore, cui nomen Giſa fuit, cum eodem pacem fecit; ejus verò nutricium Seſualdum ad muros duci præcepit, mortem eidem minatus, ſi aliquid Romualdo, aut Civibus de Grimoaldi adventu nunciaret, ſed potiùs aſſeveraret eundem minimè venire poſſe: Quod ille ita ſe facturum, ut ei præcipiebatur promiſit; ſed cum propè muros adveniſſet, velle ſe Romualdum videre dixit, qui cum citius adveniſſet, ſic ad eum loquutus eſt:* Conſtans eſto Domine Romualde, & habens fiduciam noli turbari, quia tuus Genitor citius tibi auxilium præbiturus aderit; nam ſcias eum hac nocte juxta Sangrum fluvium cum valido exercitu manere; tantum obſecro, ut miſericordiam exhibeas meæ uxori, & filiis; quia gens iſta perfida me vivere non ſinet: *Cumque hoc dixiſſet, juſſu Imperatoris Caput ejus abſciſſum eſt, atque cum belli machina, quàm Petrariam vocant, in Urbem projectum eſt; quod Caput Romualdus ſibi deferri juſſit, idque lacrimans oſculatus eſt, dignoque in loculo tumulari præcepit ..... Metuens igitur Imperator ſubitum Grimoaldi Regis adventum, dimiſſa Beneventi obſidione Neapolim proficiſcitur: Cujus tamen exercitum Mittola Capuanus Comes juxta fluenta Caloris fluminis in loco, qui uſque hodie Pugna dicitur vehementer attrivit.* Hanc victoriam mox altera ſequuta eſt, quam de reliquis Græcis Romualdus ipſe retulit, qui (ut Paullus ſubdit cap. x.) *Beneventum triumphans reverſus eſt, Patrique gaudium, & cunctis ſecuritatem ſublato hoſtium timore convexit.* Audiamus nunc perpetuum Paulli cenſorem, aut potiùs criminatorem Peregrinium, qui ſingula penè hujus narrationis verba ſibi cavillanda ſuſcepit in Diſſert. *de Ducat. Benev. finib. ad Septentr. pag.* 273. *ſeqq. edit. Neap.* Primùm itaque Paullum *de præfata Conſtantis expeditione invicem pugnantia expoſuiſſe* ait, *cum à Duce Romualdo obſidem Imperatori perhibuit traditam ſororem Giſam poſt acceptum nuncium, præſto jam ſibi adeſſe cum valido exercitu Patrem Regemque Grimoaldum*. At jamdiù adverſus Peregrinium optimus Paulli Patronus ſtetit V. C. Hor. Blancus, qui in not. 40. *non bene Paulli mentem aſſequutum Peregrinium* obſervat, *è contra etenim Paullus poſt datam obſidem narrat, Seſualdum, qui à Rege præmiſſus fuerat, ut illius adventum nunciaret, ad moenia ductum fuiſſe, ut Romualdo ſpem auxilii tolleret &c.* At verius dicendum, non opus Peregrinio fuiſſe, ut mentem aſſequeretur, ſed tantum ut Paulli verba perlegeret. Nonniſi poſt traditam obſidem Sororem, Patrem cum auxiliaribus copiis properantem reſciſſe Romualdus traditur: ſed qui Romualdum latebat, notus jam Conſtanti ex captivo Seſualdo nuncio erat Grimoaldi adventus; qui propterea Conſtans *exterritus conſilium cum ſuis iniit, quatenus cum Romualdo paciſceretur, ut Neapolim poſſit reverti. Accepta itaque obſide Romualdi ſorore cum eodem pacem fecit*, atque adhuc Seſualdum *ad muros duci præcepit, mortem eidem minatus, ſi aliquid Romualdo, aut Civibus de Grimoaldi adventu nunciaret, ſed potius aſſeveraret, eundem minimè venire poſſe.* Ab ignaro itaque paterni adventus Romualdo, & diuturnæ obſidionis, qua nimirum Cives afflictarentur, pertæſo, pacem, paciſque obſidem facilè impetravit Conſtans, qui adhuc eum adventum celari, immò fruſtra expectandum nunciari voluit, ne Neapolim reverſurus, ſive potius fugam arrepturus Beneventanos Longobardos, quos in Urbis obſidione adeò ſtrenuos probaverat, infeſtiores haberet: ſed poſteriore ex hac fraude fruſtra opem ſibi Imperator paravit; qui ſolutâ obſidione Neapolim rediens, mox inſectantes Longobardos habuit, qui, Mittola duce, ejus exercitum ingenti clade ad fluvium Calorem affecerunt. Omnia igitur in hac univerſa rerum narratione rectiſſimè ſibi conſtare nemo non fatebitur, niſi qui non legerit, aut legens cum Peregrinio cæcutire velit, qui ſolus *pugnantia* ſibi videre viſus eſt; neque tamen is heic ſubſtitit: erraſſe quoque Paullum in ejus loci mentione contendit, ubi Imperialis Exercitus cladem ſequutam commemorat. *Fluvium Calorem* (inquit pag. 275. num. 6.) *à Paullo pro Sabbato dictum non dubito, quem propè Petrus Diac. in Auctar. ad Oſtienſ lib. 4. cap. 16. agnoſcit hunc locum appellatum* Pugna: *ſed eò Conſtantium rectà, & feſtinatò, ut Paullus perhibet, Neapolim redeuntem è recta via divertiſſe, locorum, & geſtorum conſueta eſt confuſio.* Vides adhuc, quantum carpendi Paullum libido Peregrinium inceſſerit. Sed idem præſto eſt doctiſſimus Blancus qui Paulli, ac Veritatis patrocinium proſequutus, *præcipitem* (ſubdit) *ſane hunc Imperatoris receſſum, rectumque iter Neapolim verſus non video, unde arguere potuerit Peregrinius, niſi ex propria conjectura, quam probabilem licet, tanti non fecerim, ut fidem Paullo ſit abrogatura, notata potiſſimum utriuſque fluminis poſitione, ut præſens olim aſpexi, ob quam nemo dixerit, Conſtantem Benevento Neapolim recedentem enormiter divertiſſe.* Sed nec leviter divertiſſe noviſſet Blancus, ſi locum diligentius inſpexiſſet, Peregriniique, qui nunquam aſpexit, conjecturam reprobare omninò potuiſſet. Quid enim? Non iter illud, quod nunc per Sabati fluvium Neapolim ducit ſpectandum eſt, poſteriore illud nempè ætate ſtratum, ac *Viæ novæ* appellationem adhuc ſervans; ſed vetus alterum, quâ per Pontem Leproſum Via Appia Beneventum ducebat; quem propè ſuburbanum Pontem Sabatus ipſa brevi admodum intervallo in Calorem influit. Rem affero, quæ omnium oculis probari poteſt, quæque (etiamſi Paulli teſtimonium deeſſet) non alibi certè, niſi ad Calorem eam Pugnam commiſſam perſuaderet. Stet igitur à Peregrinii cavillationibus vindicata Paulli fides; ſtet quoque ſua Calori fluvio celebritas, non recens illa quidem ex Græci exercitus clade, quam recentes Domini patrarunt Longobardi, ſed illuſtriorem ejuſdem loci famam conſequuta, quam ex inſigniori olim Romanorum adverſus Pœnos victoria, à Livio lib. 24. memorata, jamdiù ſibi fluvius Calor quæſiverat.

ſilentio de Actorum fide ſuſpicari liceat? Neutrum profectò. De utraque re vera nobis prodidit Actorum Scriptor, ſed in Hagiographorum illius ævi morem plurimùm exaggerata, ut, quò deteriùs res ſe habere videbatur, eò Barbati Epiſcopi Virtus præclarior, atque illuſtrior opera appareret; Ea vero Paullus neglexit, quæ vel ſatis levia eſſe, vel in communem Gentis errorem, improbitatemque nullimodè referenda animadverterat. Id quod ex ipſis Actis accuratiùs perpenſis haud difficili mihi negotio oſtendere aggrediar.

Ac primùm, quod tunc temporis ſub Romualdo *Sacri Baptiſmatis unda Longobardi ablueréntur*, Acta ipſa diſertiſſimè initio teſtantur; neque, quin Catholica, quam eo Baptiſmate ſuſciperent, profiterenturque, illorum eſſet Fides, dubitare nos ſinunt: quandoquidem & Romualdum Ducem, & ceteros Longobardos, non ſolum Sacræ Liturgiæ adſtantes, ſed ab eodem Epiſcopo Barbato ad Divinam Euchariſtiam percipiendam admiſſos narrare pergunt. *Contigit* (inquiunt) *ut Sancto Reſurrectionis die Romuald venatu revertens ingredi Beneventum deberet: cui Sanctiſſimus Barbatus in itinere direxit, ut ante ad Dei Genitricis Eccleſiam pergeret, Miſſarumque Solemnia celebraret... At ille Viri Dei juſſis obtemperans cum univerſo Comitatu ſuo ingreſſus eſt Eccleſiam ad Dominicam celebrandam ſolemnitatem... Expletis itaque Miſſarum Solemniis, cunctiſque Divinis refectis Muneribus, accedens Vir Dei ad Principem ait: Cum, ò Princeps, in Dei, & ejus Genitricis aſtamus præſentia &c.* Tum Romualdo exprobrat, clam in ſuæ Regiæ domus penetralibus ſervatum adhuc Viperæ Simulacrum, quod ille comminuere, atque abs ſe projicere paulloante ſpoponderat; Habes primùm ex his, non verbis certe, facto tamen ipſo luculentiùs probatum Sancti Epiſcopi pro Longobardis judicium; non enim ipſe ea in re, ſolemnem ullam, ac manifeſtam Idolatriæ, Superſtitioniſve labem agnoviſſe videtur; alioqui eumdem Ducem, ejuſque Familiares ad Eccleſiæ ingreſſum, ut Sacris Miſteriis intereſſent, haud ultro invitaſſet, minùs certe ad Sacræ Synaxeos perceptionem accedere tam facile permiſiſſet (1).

Utinam igitur ad hæc modo dicta, aliaque mox dicenda ſeriò advertiſſent Viri graviſſimi, quorum præ manibus, oculiſque Acta, non ſolum ab aliis edita, ſed autographa ipſa verſabantur, quibus etiam, utpotè domeſticis Scriptoribus id præcipuè incumbebat, ut non tàm pro veritatis ſtudio Longobardorum Religioni faverent, quàm ne nomini officerent. Erravit ſiquidem proprio potius ingenio, quam Actorum teſtimonio ductus Epiſcopus Sarnellius, qui utramque, de qua vulgo Beneventani Longobardi malè audiunt, Superſtitionem tum Viperæ, tum Arboris in unam ſimul conflavit, atque in publicam Idolatriæ profeſſionem, univerſæque Gentis vitium convertit, aſſerens, ex ea Arbore, quam S. Barbatus radicitùs evulſit pendentem auream Viperam à Longobardis adoratam. *Egli* (inquit) *S. Barbato liberò Benevento dall' aſſedio de' Greci, e inſieme dalle Gentileſche Superſtitioni, ſvellendo in fin dalle radici un certo Arbore (da cui pendente una Vipera di oro ſacrilegamente i Longobardi adoravano) e convertendo in Calice la Vipera ſteſſa* (2). Nihil bac re mendacius, ut Vipera ſcilicet in propatulo eſſet, publicæ expoſita venerationi: Nihil præterea abſurdius dici potuit, quandoquidem ex agreſti Arbore aureum pendens Simulacrum fures potius, quàm adoratores inveniſſet: Res igitur ex ſolâ Actorum fide repetenda erat; ex quibus id certum diſcimus, ejuſmodi nempè Viperæ Simulacrum à Duce Romualdo in Larario ſuo, ſeu in ſecretiore Ædium ſuarum loco aſſervatum, non univerſis ſibi ſubditis Longobardis, ſed uni ſibi, ac paucis quibuſdam ſuo famulatui, atque obſequio addictis, religioſum fuiſſe: Quum enim S. Barbatus illud à Theodorada ejuſdem Ducis conjuge prodi, ſibique tradi flagitaſſet, illa nonniſi *ex domus ſuæ penetralibus* protuliſſe traditur; ſiquidem Romualdus (uti Acta narrare pergunt num. 13.) *ejuſque Sodales ..... palam ſe ſolum Deum colere fatebantur, & in abditis Viperæ Simulacrum in ſuam perniciem adorabant*. Paria habet Anonymus Biographus pari num. 13. *In aſpectu omnium populorum Romualdus Deum Omnipotentem ſe colere fatebatur, & ſub aditu clauſo Serpentis adorabat Simulacrum aliquantis cum fidelibus ſuis*.

Non audiendus itaque Sarnellius; cui, piget quidem, ſed parcere mihi haud queo, quin noſtratem alterum antiquiorem Scriptorem adjungam, Marium nempe Viperam ſatis alioqui pro ſua ætate, ac ingenio de Beneventanæ Eccleſiæ Faſtis promeritum, qui non, ut Sarnellius, diſtinctam Viperæ, Arboriſque ſuperſtitionem ſimul coaleſcere, ſed deteriùs for-



(1) Apud Bollandum XIX. Februar. pag. 139. & ſeq. Quibus Actis adnectitur altera ejuſdem S. Barbati Vita ab Anonymo conſcripta, ubi idem de conſueta Longobardis Baptiſmi, Euchariſtiæque perceptione legitur.

(2) In Chronol. Epiſcop. Benevent. pag. 33.

taſſe, in plures alias pullulaſcere fecit: De eodem enim Barbato in Chronologia agens inter Idola ab eo conciſa inſignem Viperam, eamque bicipitem, & alatam tradit pag. 30. tum *De Sanctis Beneventanis* agens pag. 16. non modo *Longobardos cum ſuo Duce adhuc Idolatriæ deditos*, ipſiuſque Barbari operâ *ad Chriſtum converſos*, generatim affirmat, verum etiam eâ converſione ſequutâ à Barbato *Idola omnia, inter quæ illud Viperæ erat inſigne Simulacrum, comminuta* ſcribit: quaſi alia plura, præter ipſam Viperam reliquorum numinum principem, antiſtitemque, Idolorum ſimulacra à Longobardis colerentur; atque in unam Beneventanam Urbem cum ipſis Longobardis, quos tunc primùm Barbatus *ad Chriſtum convertit*, ſedem iterum, domiciliumque Idolatria ſibi conſtituens, ipſum quoque Politeiſmum invexiſſet. Piget, inquam, utriuſque Scriptoris errata, ſive potiùs inconſultam ſcriptionem prodidiſſe; quanta enim cumque ſint (ſunt autem plurima) utriuſque erga Eccleſiam Beneventanam promerita, non id tamen efficient, ut venia ipſis detur de ea re, qua factum eſt, ut Majorum probra in Poſterorum quoque dedecus quodammodo proceſſiſſe videantur; atque Eccleſia Beneventana ipſorum auctoritate innixa, aut potius decepta, nunquam cogitaverit de corrigenda, atque ad Actorum fidem neceſſariò conformanda *Oratione* illa, quæ in peculiari S. Barbati *officio* extat, atque ab eodem *Samnitem Populum ab Idololatria revocatum* etiamnum deprædicat: ubi certè ineptam atque omnino importunam vides *Samnitium* mentionem; de Idolatria vero nonniſi imponi tibi jam noſcis: neque enim ut Sanctiſſimi Antiſtitis nomini, virtutique amplior concilietur celebritas, populi univerſi fama periclitari debebit; ſatis namque (ut ſuperiùs dixi) id præſtitit Actorum Scriptor, cujus Barbati operæ ſtudioſiùs indulgentis teſtimonio deterius quid in alienam injuriam adſtruere gravius piaculum ſemper fuerit, eò magis, quod ex ipſo Scriptore promptum ſit, meliorem Longobardorum cauſſam effeciſſe.

A' noſtratibus ad exoticos Scriptores gradum faciam; eorumque omnium vice doctiſſimum Bollandum proferam, ut quid is de ea re cenſuerit, audiamus. *Quæ Longobardos* (ait) *cauſſa ad Viperæ efformandam effigiem, & venerandam impulerit, non traditur. Diximus conſueviſſe Hierapoleos Phrygiæ Urbis incolas vivam Viperam alere, ac divinis proſequi honoribus: An tale quid olim actitarint horum Longobardorum Majores, unde poſteris mos ille adhæſerit, auream ejus effigiem honorandi; an ita conſecrare memoriam voluerint cujuſpiam virtutis, ac facinoris Ducum priſcorum, haud facile eſt conjicere* (1). Putat itaque Vir ſummus, quam apud recentiores Longobardos obtinere Superſtitionem reperit, avitam fuiſſe, exemploque Hierapolitarum id confirmat, qui vivam Viperam olim adorarint. At de Serpentium cultu non ſolum apud Phryges, ſed alios paſſim populos exempla nobis reliquit tum profana, tum Sacra Antiquitas, itaut præter veteres Hebræos, non ipſi quoque defuerint Pſeudo-Chriſtiani, qui inſaniſſimam ejuſmodi ſuperſtitionem profeſſi aliquando fuerint; uti ſatis opportunè, uberrimèque à me oſtenſum eſt ſuperiore Libro pag. 106. ſeq... At quum de antiquis Germanis, Longobardiſque agitur; nullus vel leviuſculæ conjecturæ locus fieri poteſt; quandoquidem quæ ipſorum peculiaria fuerint olim numina, ex Tacito, Paulloque Diacono diſtinctè, ſpeciatimque recenſentibus paullòante jam novimus, ſed de Vipera, aut Serpentibus ne hilum quidem accepimus: Adde, nihil, quod ad eam pertinet Superſtitionem, de Longobardis tranſtiberinis memoriæ proditum, quibus æquè, ac ciſtiberinis, ſi ipſa à majoribus propagata fuiſſet, facilè adhæreſcere eodem tempore potuiſſet. De conſecratâ verò ſub eodem Viperæ Simulacro cujuſpiam virtutis, ac facinoris Ducum priſcorum memoriâ quod ſubdit Bollandus, minus profectò impium, ſacrilegumque videri poterit, ſed an ullo exemplo comprobari queat, adhuc ignoro: Quanquam enim apud veteres Ethnicos latiſſimè (uti jam dixi) obtinuerit Serpentium veneratio, nihil tamen occurrit, quod ejuſmodi ſymboli, ſeu typi loco eos habitos oſtendat, ut ſcilicet Heroem quempiam, aut ejus inſignem Virtutem aliquam, facinuſque ſignificarent: Quod enim in Mer-

(1) In Commentario prævio de S. Barbato tom. III: Februarii num. 6. Ex hoc Viperæ ſimulacro, quæ Longobardis venerationi olim fuit, non continuò Idololatros eos cenſendos putavit Bollandus, qui quum ad Barbati ſanctitatem comprobandam (eod. Comm. n. 19.) verba Romani Martyrologii ad XIX. Febr. recitaſſet, quæ ita habent. *Apud Beneventum S. Barbati Epiſcopi, qui ſanctitate celebris, Longobardos, & eorum Ducem ad Chriſtum convertit.* Mox ita ſubdit: *Quatenus id verum ſit, antea dictum eſt, & infra dicetur in Vita utraque, quia nimirum Romoaldum Ducem, etſi tinctum jam antea Baptiſmo, & Chriſtiana Myſteria frequentantem, retinentem tamen Superſtitiones quaſdam paganicas, ab hiſce revocavit. Longius à verò aberrat Conſtantinus Ghinius* de S. Barbato *in Natalib. SS. Canonicorum, inter alia ſic ſcribens.* Tantæ fuit Virtutis, tantaque Sanctitate celebris, quod Longobardos, & eorum Regem (*appoſuit in margine*: Partarem puto, qui fuit anno 680.) convertit ad Chriſtum.

Mercurii Caduceo, ac pro Æsculapii insigni adhiberentur, diversa omnino erat ratio, quam satis vulgatam heic indicare haud necesse erit: Virgilius autem, qui Mythologiæ apprimè gnarus pro re sibi nata docere, aut indigitare poterat, Serpentem tamen Æneæ ad paternum tumulum sacrificanti visum, quamvis aliam, quàm eam rem præsetulisse voluit, æquè ipse fortasse, ac Æneas

*Incertus Geniumne loci, Famulumne Parentis*
*Esse putet.*

Quid igitur caussæ fuerit, ut religiosum Longobardis extiterit Viperæ Simulacrum, mox dicam. Interim displicet, Bollandum, qui non solum Acta S. Barbati edidit, verum etiam meditatò perlegens commentariis, notisque illustravit, universæ gentis moribus eam tribuisse Superstitionem, quam nonnisi paucorum Longobardorum fuisse eadem Acta satis præclarè, & plusquam semel testantur. Displicet etiam, quod is nescio quod ejusdem Viperæ monumentum ad Sæculi X. exitum adhuc Beneventi extans sibi confinxerit, ad seriores etiam nepotes evasurum, nisi eo demum tempore vi terræmotus omnino interisset. *Videtur* (inquit) *ad annos tercentum post S. Barbati ætatem aliquod adhuc Beneventi extitisse Viperæ illius monumentum, cui tamen nullus haberetur ampliùs honor: forte ut hic Antuerpiæ (ut alibi diximus) Priapi, alibi alia extant gentilium Idola: Leo Ostiensis Lib.* II. *Chron. Cassin. cap.* XI. *ita scribit:* Ante hoc fermè biennium Terræmotus ingens factus est Capuæ, atque Beneventi, itaut Capuæ domus multæ corruerent, ejusdemque Civitatis Campanæ ea vi per se sonarent, Beneventi autem *Viperam* dejecit, & Turres quindecim stravit. *Id circa annum* 983. *videtur contigisse.* At non istud profectò aureum illius Viperæ Simulacrum esse poterat, quod à S. Barbato conflatum, & in Sacrum Calicem conversum ex iisdem Actis Bollandus probè noverat: An aliud fortasse ad prioris exemplum? Sed ex qua istud materia, quonam Urbis loco, & cujus denique molis, ut columnæ fortasse, vel cuipiam ædificio impositum, Terræmotus vi tandem disjectum, servatam adhuc veteris Superstitionis infamiam interitu suo aboleverit? Verisimiliora ad laudatum Ostiensis locum nobis affert V. C. Ang. De Nuce, qui Castrum Urbi propinquum, cui *Viperæ* nomen, fuisse arbitratur (1): Sed neque Bollandus ipse (cui certe prior conjectura displicere debuit) de loco potius, cui ex superstitiosa olim Vipera nomen inditum, quàm de ipsius Viperæ monumento, cogitare prætermisit; Quum enim in posterioris Vitæ S. Barbati num. 2. hæc scripta reperisset: *Unde usque hodie sicut pro Voto Arboris*, Votum, *ita, & locus ille*, Census Devotionis, *ubi Viperæ reddebantur, dignoscitur appellari*; hanc notam subjecit. *An hic locus est, turrisve, aut domus, quam supra ex Leone Ostiensi retulimus, terræmotu sub finem Sæculi* 10. *fuisse dejectam?* Felicius itaque in hac posteriori conjectura se habuit Bollandus; quamquam de priore, in qua in Commentario prævio num. 6. sibi complacuisse videtur, nihil est, ut magnopere querantur Beneventani, a quibus is servatæ simul cum commentitio Viperæ monumento superstitionis, sivè *honoris* invidiam omnem abesse voluit: Quare non omnino disparem, feliciorem verò Beneventanorum, quàm Mediolanensium caussam dixeris: quæ autem Mediolanensium caussa sit, haud piget referre.

Inter vetusta Mediolanensis Basilicæ Monumenta Serpens æneus hodiedum recensetur, qui idemipse à Moyse olim exaltatus, esse vulgò creditur, atque ex crebris gravissimorum Scriptorum studia in contraria abeuntium exercitationibus, novam sibi celebritatem comparavit. Ab Constantinopolitano Antistite ejusmodi **Κειμηλιου** Arnulphus Mediolanensis Archiepiscopus impetravit; qui *moratus* (uti Landulphus senior narrat (2)) *per tres ferè menses apud Imperatorem, gratia Regis adepta, Serpentem æneum, quem Moyses in deserto divino imperio admonitus coram filiis Israel exaltaverat, Imperatori requisivit, & habere meruit, & veniens in Ecclesia*



(1) Conjecturam suam ex pluribus ejus ævi Chartis confirmat Nuceus. *Vipera* (inquit) *Collis, seu Mons in Agro Beneventano, & in eo Castrum. Infr. lib.3. c.60. Comes de Castro Vipera in Reg. Petri num.* 498. *De Castello Vipera in Bulla Calisti II. Innocentii III. &c. Ecclesia S. Eustasii in Vipera in Bullario Margarini. Hoc ergo Castrum disjecit Terræmotus, nisi Vipera aliud quidpiam fuerit.* Mihi verò non Castrum Urbi finitimum, sed potius aliqua ipsius Urbis Regio, aut Vicus, cui id vocabulum, intelligendus videtur: adest hodiedum Beneventi Vicus *Serpis* nomine vocitatus.

(2) Tom. IV. Scriptor. Rer. Ital. edit. Muratorianæ pag. 81. Fuit autem is Arnulphus I. Mediolanensis Archiepiscopus, quem Arnulphus alter item Archiepiscopus Hist. Med. lib. I. cap. 8. (in eod. tom. IV. pag. 10.) & cap. 13. pag. 12. refert, ab Imp. Ottone III. legatum anno 995. Constantinopolim missum pro petenda Theophania illius Augusti filia uxore, additque Græco Cæsari evasisse *ita Carum, ut quicquid popofcerat, facilè impetravit*, nulla tamen impetrati Serpentis ænei mentione facta, quam solus nobis Landulphus senior reliquit. De eo autem Serpente latiùs disserit Puricellus in Monum. Basil. Ambros., laudatusque superiùs Boscha, à Mabillonio risui habitus.

*S. Ambrosii ipsum exaltavit*. Spectari adhuc ibi, non unus testatur Sigonius, qui *nunc quoque illum religione sua clarum ejus facti testimonium, fama à majoribus accepta, reddere* affirmat (1): Sed Ughellus quoque; qui *ad eundem Serpentem Mediolanenses Matronas solere secunda feria Paschatis Resurrectionis sistere infantes morbo laborantes* testatur (2): utque alios præteream, Johannes è contra Mabillonius in itinere suo Italico, dum Mediolani Anno 1685. moraretur, hoc de eodem Serpente testimonium simul, & judicium reliquit pag. 16. *In eadem Basilica* (Ambrosianæ) *navi super columnam erectus est Serpens ex ære, quem Mosis esse ferunt. Petrus Paulus Boscha hoc de Serpente micrologum edidit Mediolani an.* MDCXXV. *quod alii rident: Sed illud magis ridendum, & improbandum, quod Ughellus testatur &c.* Hæc Vir doctissimus, piissimusque Mabillonius, sed quum de Italorum moribus, institutis, observationibus agitur, nonnumquam intemperantioris Critices, præjudicatæve sententiæ homo (3). Virulentiùs vero, ac cruento plane stilo rem ipsam insectatus Prideauxius Norvicensis in Anglia Decanus Catholicos Romanos eò impudentiæ processisse criminatur, ut in media Mediolanensi Basilica Serpentem æneum, quem Mosis esse volunt, publico cultui expositum habentes, tum contra Sacræ Historiæ fidem, quæ illum à Rege Ezechia comminutum narrat, tùm contra Christianæ Religionis, Idolatriam præcipuè vetantis, dogmata peccare convincantur. At calumniosis Heterodoxi Historici criminationibus satis jam ab aliis factum est (4); neque ipse opportunè occurrere destitit V. C. Muratorius, qui plura de eodem Serpente adversus domesticos potiùs, quam exoticos Scriptores præfatus, sic demum rem conficit: *Mea sententia est, non alio consilio ab antiquis æneum illum Serpentem collocatum in Ambrosiano Templo fuisse, quàm ut exprimeretur, quod Divinus Redemptor noster Joannis cap. 3. vers. 14 dixit*: Sicut Moyses exaltavit Serpentem in Deserto, ita exaltari oportet Filium hominis .... *Hæc veri quidem videtur simillima caussa, quàm nuper innuebam, expositi illic Serpentis ænei. Nempe Mosaicus Serpens ad medelam Populi in eum respicientis* (*ut habetur Num. 21. 8.*) *pro signo positus est, quem, quum percussi aspicerent, sanabantur: atque typus ille fuit, ut vidimus, Christi venturi, ad cujus è Cruce pendentis aspectum sanandum erat Humanum genus. Geminas ergo Columnas in Ambrosiana Basilica veteres constituerunt, super unam prototypi, & veritatis effigiem locantes, hoc est, Christi in Cruce exaltati imaginem; super alteram Typum, seu Symbolum Crucifixi ipsius, idest Serpentem a Moyse in Deserto exaltatum; atque adeo utrobique inspiciebatur, & colebatur Christus* (5).

Quid verò, si, uti Mediolanenses Mosaicum Serpentem æneum, ita Beneventani Longobardicam æneam Viperam ostentare adhuc possint? Nolim tamen, ut in Bollandi conjecturam concessisse me credas, qui superstes ad hæc usque tempora ejus Viperæ monumentum proferre gestiam, cujus illa non ultra Sæculum x. vestigia se reperisse, at perisse simul existimavit: Neque eam, quam cum Mediolanensibus comparandam duxi, periclitari Beneventanorum caussam dixeris, quandoquidem quæ de Mediolanensi Serpente jam constitit, non eadem profectò ratio Beneventanam Viperam excusare poterit. His præmonitis, en tibi in hujus Voluminis titulo æneam Viperam bicipitem, quam Liber omnium oculis citò visendam offerens, non solum in suæ veluti frontis ornamentum, sed in Longobardici quoque ævi (quod præcipuum hujus Operis argumentum est) notam usurpare videtur: itaut Diomedeum Aprum Beneventanas Origines ad extremam Romanorum ætatem in prioris Libri titulo designantem, Longobardica exciperet Vipera, Longobardicæ ætatis, ejusque veluti Gentis Insigne. Istud itaque Viperæ Simulacrum paucis ab hic annis in Agro Beneventano repertum apud Patricium, Virum Johannem Baptistam Ursolupum extabat, à quo nuper Pontificio Gubernatori Stephano Borgia dono datum, ut ejus Operi Pontificii ævi Antiquitates illustranti pretium adderet; sed quum id monumentum ad Longobardicam potiùs sivè barbariem, sivè Superstionem, proptereaque ad Librum meum pertinere videretur, ea fuit optimi sapientissimique Præsulis humanitas, ut dono succederem.

An

(1) De Regn. Ital. lib. VII. ad ann. 971.

(2) Ital. Sacr. tom. IV.

(3) Norunt Eruditi quantum invidiæ Mabillonio creaverit Epistola illa, quam is ex Itinere Italico in Galliam redux sub nomine *Eusebii Romani*, *De Cultu Sanctorum Ignotorum* mox vulgavit. Rei exitus fuit, ut eandem Epistolam proprio inscripto nomine recudere necesse habuerit; in qua quidem posteriore editione (quam habes tum alibi, tum post Præfationes ad Sæcula Benedictina conjunctim editas Venet. ann. 1740. pag. 554.) quod Mabillonius præstiterit, ex ipsomet audire præstabit: *Ne quis* (inquit) *me rixas denuò serere velle existimet, repetita hac editione, quæ potiùs eò tendit, ut emolliam, si quid durius, ut explicem, si quid obscurius, denique ut emendem, & corrigam, si quid secus quam par sit, à me priore in epistola scriptum nonnullis videatur.*

(4) P. Joseph Allegranza in Epistola ad V. C. Marchionem Romualdum Sterlikium, quam habes in Diar. Liter. Romano an. 1754. pag. 347.

(5) Antiq. Ital. Med. Ævi tom. V. Differt. LIX. p. 74.

An igitur hujus Viperæ Simulacrum ad veterem Longobardorum Superſtitionem pertinere putabimus? Sunt quidem, quæ probare id videantur, conjecturæ. Quorſum enim id Viperæ Simulacrum, apud Beneventanos repertum? Cur etiam (quod nullibi fortaſſe occurrit) Vipera biceps? Niſi quod illa ipſa biceps, quæ à Longobardis olim adoraretur, Vipera fuiſſe tradatur (1)? Adde nunc illam, ſumma fide expreſſam, Simulacri formam, à qua Romani ævi elegantia, artificiumque prorſus abhorret, itaut ex rudi barbaricorum temporum ingenio profecta, nonniſi Longobardicam ætatem demonſtret. At nonne *aureum*, inquis, quod Longobardis pro numine erat, ejus Viperæ Simulacrum? ita quidem; quod tamen ab ipſo Longobardorum Duce ſervaretur: quod vero nunc *æneum* habemus, nihilominus ad Longobardos referendum fuerit, quibus in eam Superſtitionem ſatis pronis nihil adeò ſolemne eſſe debuit, quàm ut plura ex diverſa (ut quiſque poſſet) materia ſimulacra alia ad inſtar aureæ illius Viperæ, quæ ab ſuis Ducibus colebatur, ſibi effingenda curarent, quæ aut ſecum veluti Amuleta geſtarent, vel in larariis ſuis ſervata, privatâ religione percolerent.

Atque hæ quidem ſuppetere conjecturæ videbantur, quæ ejuſmodi Simulacrum Longobardicæ Superſtitioni tribuendum innuerent: remque ita eſſe perſuaſum pleriſque fuit, quibus dum præclarum quidpiam ex Longobardicis Antiquitatibus ſpectare oculis modo contingat, non invidioſa res viſa fuit, priſtinam Majorum ſuorum labem digito veluti etiamnum demonſtrare. Mihi verò de ea re ſic ſtatuendum videtur; ut non omninò eæ contemnendæ ſint conjecturæ; at illud ſimilius veri ſit, ut id Simulacrum pro *Anni* allegoremate accipi debeat. Draconis, ſivè Serpentis, caudam ore ſuo apprehendentis effigie Annum ſignificari, Solarem ſcilicet in ſemetipſum redeuntem, jamdiù Eruditi obſervarunt (2). Servium libentiùs audiemus, qui ad illos *ſeptem gyros anguis* ab Ænea viſi ſic commentatur. *Æneæ omen ſui erroris oſtenditur ſeptem gyris, nam ſeptimus ei annus eſt finis erroris. Annus enim ſecundum Ægyptios indicabatur ante inventas literas picto Dracone caudam ſuam mordente, quia in ſe* (annus) *recurrit* (3) ſive (ut alibi Virgilius idem ſatis eleganter) *in ſua ſe per veſtigia volvitur Annus* (4). Non ipſa quidem caudam ſuam noſtra in orbem, ſeù gyrum voluta Vipera mordet, at quum biceps ſit, atque ubi in caudam deſinere debet, alterum rurſus caput efferat, quid ni Annum pariter ut ipſa ſignificaret, ita efficta eſt, quandoquidem Anni finis, exituſque, idem profectò, ac ipſiuſmet exordium eſt, ac veluti Caput. De Jano certè, quem etiamnum in argenteis, paſſim Romanorum Numis geminâ facie, alterâ ſcilicet ab ipſo tergo anteriori reſpondente, decoratum ſpectamus, ſic canit Ovidius (5):

*Jane biceps, Anni tacitè labentis imago,*
*Solus de Superis, qui tua terga vides.*

quod quum in noſtro Simulacro ad ejuſdem anni ſignificationem ſatis appoſitè, venuſtèque uſurpatum ſit, non ut exemplis comprobetur, res ipſa indiget; quæ ſi nullis etiam exemplis illuſtrari poſſit, illuſtriorem adhuc noſtram Viperam efficiet, quæ quamfrequenter in aliis vetuſtis monumentis Caudam apprehendens; nunc demum ad eam ſignificandam rem, alterum pro Cauda Caput ſingulari fortaſſe exemplo gerens, barbarici licet noſtri Simulacri æſtimationem augebit.

Utinam verò, quemadmodum id Simulacrum à veteri noſtrorum Longobardorum religione abjudicaſſe facile mihi fuit, ita illos ejuſdem Superſtionis expertes probare poſſem. At ita res ſe habuit: *Viperam* (inquit Biographus num. 2.) *auri metallo formatam ſummi pro ingratitudine Dei, ſupplici devotione venerari videbantur*. Dum verò eam rem non omninò certam probatamque affirmare voluit Biographus, cujus illa ſunt, ut Longobardi *venerari viderentur*; pronum illud quoque affirmare nobis erit, non Numinis, ſeu Idoli loco eam fuiſſe Viperam, cui divinos honores Longobardi exhiberent. Nulla (ut ſuperius obſervavimus) aureo Simulacro vel Ædes ſacra, vel Ara dicata, non thura, aut hoſtiæ fuere; Si Ducem, ejuſque *Sodales*, aut etiam Longobardos aliquos exceperis, in reliquo Longobardorum populo ejus Religionis inſaniam nequaquam invenies. Quæ igitur apud paucos illos Viperæ cultores ejus Superſtionis cauſſa? Non aliam certè agnoſcere erit, quàm quod in Vipera *Bonum Genium*, qui

(1) Vid. Marium Viperam in Chronol. Epiſc. Benev. pag. 30. *Inter Idola* (inquit) *à S. Barbato conciſa illud erat inſigne, Vipera, necnon biceps, & alata*. Laudatque ea de re Fr. Joannem Baptiſtam de Caſerta Ord. Præd. de Orat. SS. Roſarii; At neuter idoneus ejus rei teſtis.

(2) Vid. Sponium in Miſcell. Sect. 1. pag. 4. Fabrettum Inſcript. Veter. cap. v. pag. 367.

(3) Æneid. v. 85.

(4) Georgic. II. 402.

(5) Faſtor. I. 65.

qui Ædium, personarumque suarum tutelam gereret, contineri arbitrarentur (1): sive potiùs, quod ex vivis, cicuratisqne anguibus fausta omnia sibi ominarentur; quàm quidem Superstionem nonnulli apud vulgus etiamnum obtinere scimus: insedisse autem Longobardorum animis haud mirum videri debet, quippe qui à Germaniæ plagis ad Italiæ solum, ab Idololatriæ tenebris ad Evangelii lucem recenter translati, patriarum Superstitionum (quarum non ipsam expertem Italiam invenissent) reliquias aliquas retinere adhùc poterant. At longiùs licet *mala tactu* Vipera nos detinuit, quam superstitione additâ pestilentiorem horrere debuimus.

De Arbore nunc videamus, quæ altera nostrorum Longobardorum Superstitio fuit. Hanc in eam Gentem ex avitis moribus, patriaque Religione promanasse, magis, quàm de Vipera dictum est, exploratum videtur. Veteribus Germanis *Lucos, & nemora consecrare, Deorumque nominibus appellare*, morem fuisse Tacitus testatur, qui solitos etiam subdit, *coire stato tempore in Silvam, auguriis Patrum, & prisca formidine sacram, cæsoque publicè homine celebrare barbari ritus horrenda primordia* (2): Non hæc quidem horrenda duxere in Italiam Germanorum soboles Longobardi, Arborum tamen religionem retinuisse visi: quandoquidem *non longè à Beneventi moenibus* (inquit prior S. Barbati Biographus num. 2.) *devotissimè sacrilegam colebant Arborem, in qua suspenso corio, cuncti qui aderant, terga vertentes Arbori, celeriùs equitabant, calcaribus cruentantes equos, ut unus alterum posset praire; atque in eodem cursu retroversis manibus in corium jaculabantur: sicque particulam modicam ex eo comedendam superstitiosè accipiebant*. Habes igitur ex Majoribus suis acceptum à nostris Longobardis superstitiosum Arboris cultum; quem tamen etsi in media locati Italia ne omninò abjicerent, infelix illa temporum conditio in caussa fuit, quando non aliarum modo Gentium, quæ per Europam Christianæ jam essent, sed ipsorum quoque Italorum animi, mutuis veluti exemplis, seu insana quadam æmulatione flagrantes, in superstitiosos quosque ritus exercendos studiosiùs incumbembant.

Quæ quantaque fuerint Superstitionum genera, seù Monstra, quibus barbarica Sæcula, etsi ad Christianam Religionem condocefacta, impiè petulanterque delectarentur, curiosiùs præ aliis collegit, nostræque memoriæ servavit S. Pirminius Abbas, octavi Sæculi Scriptor (3). Quamquam verò plura ex Pirminio habeamus, quæ *ad Arbores* pertinent; præstat tamen de peculiari hoc Superstionis genere, cui Longobardi assueti fuerunt, conquisitis aliarum Gentium exemplis, speciatim differere. Apud Gallos itaque, quorum priscis Druidis *nihil* si Plinio fides (4) *visco, & arbore, in quo gignitur (si modo esset Robur) sacratius*, jam Sæculo VI., eo scilicet tempore quum maximè apud Gallos Christiana floreret Religio, ejus Superstionis servata vestigia docet S. Gregorius M., Brunichildem Reginam vehementer cohortatus, ut subditos suos coerceret, *ne cultores Arborum existant, quia* (inquit) *pervenit ad nos, quod multi Christianorum & ad Ecclesias occurrant, & quod dici nefas est, a culturis Dæmonum*

(1) Servius ad Georg. III. v. 417.

*Sæpe sub immotis præsepibus aut mala tactu*
*Vipera delituit &c.*

*Vipera* (inquit) *gaudet tectis, ut sunt* 'αγαθοι δαιμονες, *quos Latini* Genios *vocant*. Legas apud Ælianum de Animal. lib. II. cap. 17. cicuratos Serpentes in ædibus Ægyptiorum familiares, perinde habitos tanquam Deos Penates.

(2) De Moribus Germanorum edit. Plantinianæ cum notis I. Lipsii an. 1607. pag. 449.

(3) S. Pirminium Abbatem (quem etiam Episcopum, aut Corepiscopum fuisse Caveus putat) ad ann. 758. pervenisse censet V. C. Mabillonius, qui ejusdem Libellum in modum Parænetici Sermonis lucubratum exhibet inter veter. Analect. edit. Paris. an. 1723. pag. 65.: ex quo hæc habemus. *Nolite adorare Idola; non ad Petras, neque* ad Arbores; *non ad Angulos, neque ad Fontes; ad Trivios nolite adorare, nec vota reddere. Præcantatores, & Sortilegos, Karagios, Aruspices, Divinos, Ariolos, Magos, Maleficos, Sternutus, & auguria per aviculas, vel alia ingenia mala, & diabolica nolite facere, nec credere. Nam Vulcanalia, & Kalendas observare, Laurus obperire, pedem observare, effundere super truncum frugem; & vinum, & panem in fontem mittere: Mulieres in telam suam Minervam nominare; & Venerem, aut alium diem in nuptiis observare; & quo die in via exeatur, attendere; omnia ista quid aliud, nisi cultura Diaboli est? Karachares Herbas succino nolite vobis, vel vestris appendere; Tempestarios nolite credere, nec aliquid pro hoc eis dare. Qui impurias, quæ dicunt homines super tectus mittere, ut aliqua futura possint eis prænunciare quod eis bona, aut mala adveniant, nolite eis credere, quia soli Deo est futura præscire. Cervulos, & vehiculas in Quadragesima, vel aliud tempus nolite ambulare. Viri vestes fæmineas, fæminæ vestes viriles in ipsis Kalendis, vel in alia lusa quamplurima nolite vestire. Membra ex ligno facta in Trivios, & ab Arboribus, & alio nolite facere, neque mittere: quia nullam sanitatem vobis possunt præstare. Luna quando obscuratur, nolite clamores emittere. Omnia Philacteria Diabolica, & cuncta supradicta nolite ea credere, nec adorare, neque vota illis reddere, nec ullum honorem impendere, quia Dominus in Exodo ait:* Non facias tibi sculptile &c. *Et non attendatis ad somnia vestra, quæ somniatis, quia falsum ipsa prophetant vobis; sed Deum Trinum, & Unum adorate, & honorificate &c.*

(4) Hist. Nat. lib. XVI. cap. ult.

*num non abſcedant* (1). Gregorii zelum non expectabat S. Cæſarius Arelatenſis, qui ſub eam ætatem non ſuo contentus munere, quo in eandem Superſtionem invehebatur, pios quoſque Chriſtianos excitabat, urgebatque, ut quos viderent ea labe inquinatos, redarguere, ac deterrere ſatagerent: *ſi adhuc* (inquit) *videtis aliquos ad Fontes, aut ad Arbores vota reddere..... duriſſimè tanta eorum peccata increpate* (2). Sed tùm Gregorium, tùm Cæſarium præiverat Concilium Turonenſe II. anni 567. in cujus Canone XXII. ejuſmodi Arbores *Sacrivæ* appellantur, ſubſequutum verò fuit Nannetenſe anni 658. Can. XX.; ut videas, quàm altiùs Arboribus ipſis ejus Superſtionis radices Gallico Solo infixæ fuerint, quibus evellendis tot Eccleſiaſticæ Sanctiones, tanta Sacrorum Antiſtitum ſolicitudo, atque auctoritas vix prodeſſe videbantur.

Quod ſi proximos Gallis Germanos, jam ſuperiùs nobis memoratos, reviſere libeat, deteriora fortaſſis occurrent. Neque enim longiſſimis temporum intervallis, neque novâ Reip. formâ, neque ſuſceptis Chriſtianæ Religionis inſtitutis factum eſt, ut à priſcis moribus, avitiſque exemplis omninò receſſerint: Minus quidem horrenda, quia non, ut olim, humano ſanguine fœdaretur, eadem tamen ferarum, belluarumque hoſtiis contenta manebat erga Arbores Superſtitio. *Alemannis legitima quædam, & patria ſunt inſtituta; Siquidem in Rebuſp. adminiſtrandis, & Magiſtratibus, Francorum politiam ſectantur; in his tamen, quæ ad Religionem pertinent, ab his longè diſſentiunt, nimirum qui Arbores quaſdam adorant, propitiantque ..... quibus equos, & boves, & infinita ejuſmodi pecora deſectis Capitibus immolant* (3). Hæc Agathias, dum Theodeberti Brunichildis Nepotis, Sæculi nempe VI. res geſtas perſequitur: Sed neque meliores, dum Sæculum laberetur VIII. Germanos oſtendit Concilium Francfordienſe I. anni 794. in cujus Canone XLIII. ita ſancitum legitur: *De Arboribus, & Lucis deſtruendis Canonica obſervetur auctoritas* (4).

Gallis, Germaniſque Afri, Angli, Hiſpanique accenſendi ſunt, quos per eadem tempora ejuſdem Superſtitionis ſtudioſos curſim indicaſſe ſuffecerit (5), ut citiùs Italos, quibuſcum Longobardi communem Sedem, ſocioſque mores habere cœperant, repetamus. Extat in Legum Longobardicarum Codice Regis Liutprandi Lex, quæ in hominem animadverti jubet, qui inter alias Superſtitiones tunc temporis obtinentes, *ad Arborem, quàm ruſtici Sanctum vocant, adoraverit* (6) Liutprando autem ferendæ Legis occaſionem non ſui tantùm Longobardi fecerunt: univerſi enim ab illa labe cohibendi erant Itali, quibus antea etiam, quàm Longobardorum nomen Italia audiſſet, familiare id Superſtitionis genus fuiſſe oſtendunt Imppp. Theodoſius, Arcadius, Honoriuſque latâ Anno 392. Lege, quâ Fiſco multæ nomine ea poſſeſſio addicitur, ubi quis *Arborem vittis ſuperſtitiosè redimere tentaverit* (7). Id quod ævo eodem memoratum à S. Paulino Nolano eſt in Epiſtola ad Jovium hiſce verbis: *Unde putas tantam miſeris mortalibus vel ſuperbiæ vel ignaviæ perverſitatem inoleviſſe, ut non colentes Deum, Dæmoniis, aut elementis ſubditis ſibi ſerviunt, Aquas, Ignem, Sidera, Arbores, Simulacra venerantes cum impiiſſima Divinæ Majeſtatis injuria* (8)? Certè priſcis Romanis (ne ſolis Gallis, Germaniſque

(1) Lib. IX. epiſt. XI. aliàs lib. VI. epiſt. V.

(2) In Appendice Sermonum S. Auguſtini (quò uti Cæſarii potiùs, quàm Auguſtini fœtum Clariſſimi Patres Benedictini rejecerunt) Sermo is eſt 265. ex quò ſupradicta deſcripſi. S. Cæſario addendus eſt S. Eligius Novimenſis in eadem Gallia Epiſcopus, cujus etiam Sermo inter alios eſt, adverſus *Cultores Arborum* in Biblioth. PP. tom. XI. edit. ſecundæ. Cujus ſermonis magnam partem retulit S. Audoenus in ejuſdem Eligii vita, à Dacherio edita Spicileg. tom. I. pag. 98.

(3) Hiſtor. lib. I. pag. 463. edit. Baſileæ an. 1576.

(4) Apud P. Labbe Concil. tom. VI. pag. .

(5) De Afris clara res eſt ex Concilio Carthaginenſi V. can. 15. & ex S. Auguſtino ſerm. 215. & 261. de Tempore. De Anglis teſtatur Rex Edgarus in Canonibus Saxoniæ cap. I. §. 16. Ab Hiſpanis tandem eandem Superſtitionem removere niſa ſunt Concilia, Bracharenſe can. XXII. Toletanum XVI. can. II.

(6) Lectionem retinui, quam ex editione Goldaſti exhibet V.C. Muratorius tom. I. part. 2. pag. 67. Script. Ital. Quam igitur Liutprandus adorari Arborem vetat in Leg. XXX. *lib.* VI. *Sacrivam* potiùs dicendam Viri docti cenſent, ita enim appellare hæ Arbores leguntur in Concilio Antiſſiodorenſi anni 586. can. 3. cujus hæc verba ſunt: *Non licet ..... ad Arbores* Sacrivas, *vel ad Fontes vota exſolvere*: Ita quoque S. Eligius (quem in not. 2. hujus pag. memoravimus) *Arbores* (ait) *quos* Sacrivos *vocant, ſuccidite*. Sed neque in Liutprandi Lege conſtans ſupradicta lectio eſt; nam editio Heroldi pag. 232. ſic habet: *quam ruſtici* Sanctium *vocant*. Quid quod Cangii editio noviſſima ab eruditis Patribus S. Mauri aucta, & curata in vocabulo *Arbores Sacrivi*, novam, ac pene abſurdam ejus Legis lectionem præfert: quæ ſic eſt: *quam ruſtici* ſanguineam *vocant*. Perperam quidem ſinguli. Malim ego *Sanctivum*, aut *Sanctivam* uti (eod. Muratorio teſte) habent Codices Eſtenſis, & Mutinenſis; probavitque Juſtus Lipſius in notis ad Tacitum de Morib. Germ. num. 36. Et ſanè, nemo neſcit, quàm parum, aut nihil inter *Sacrum*, & *Sanctum* interſit: Si igitur ex Voſſio lib. 3. de Vitiis Serm. *Sacrivus* idem eſt, ac conſecratus, ac diis dicatus, vocabulum ſcilicet vitiosè à *Sacro* deductum, cur non etiam à *Sancto* (quod Sacro affine eſt) *Sanctivum*, eodem Sermonis vitio, ruſticis iiſdem familiari, alicubi appellari nequiverit?

(7) Leg. XII. Cod. Theodoſ. de Paganis. Hinc Arbor *vittata* Prudentio contra Symmachum lib. II. v. 1099.

*Et quæ fumificas Arbor vittata lucernas*
*Suſtinuit, cadit ultrici ſuccisa bipenni.*

(8) Epiſt. XXXVIII. pag. 413. edit. Colon. 1560.

nisque id exprobremus) præcipua Arborum Religio fuit; nam *Arbores* (teste Plinio (1)) fuere Numinum Templa, priscoque ritu simplicia rura etiam nunc Deo præcellentem Arborem dicant: Audi etiam (non enim pœnitebit) Senecam: *Si tibi occurrit vetustis Arboribus, & solitam altitudinem egressis frequens Lucus, & conspectum Cœli densitate ramorum, aliorum alios protegentium submovens, illa proceritas Silvæ, & Secretum loci, & admiratio umbræ in aperto tàm densæ, atque continuæ, fidem tibi Numinis facit* (2). Hæc apud ipsos Sapientiores, orta Evangelii luce, fatuæ Religionis sivè semina, sivè documenta: quantum hæc ipsa apud hominum vulgus, animosque ad Superstionem pronos, obtinuisse debebant; quantum denique sequiori ætati usitatiora putabimus. De his, *qui vota voverent, vel persolverent ad Arborem*, speciatim cavisse legitur Pœnitentiale Theodori, qui licet domo Græcus, Cantuariensis verò in Anglia Archiepiscopus, ejusmodi tamen edidit Opus, quod apud omnes Occidentales Ecclesias à Sæculo VII. usu receptum, nonnisi late tùm grassantem eandem Superstitionem ostendit (3).

Quæ quum ita sint, Superstitiosiores aliis Populis, quos universus Orbis Christianus aleret, Longobardos dicemus, quod Ludos celebrare assueti fuerint ad Arborem, quam alii vario ritu, eodemque errore ad feram ætatem coluisse probantur? Nulla certè ea de re Longobardico nomini manere infamia debet, quæ non aliis communis sit: immo deteriora apud alios passim ejus Superstitionis exempla invenisse erit, quæ apud nostros Longobardos, nisi sceleris omninò expertia, excusatione saltem digna videri possunt. Longobardis certè nullam ex iis equestribus ludis superstitionis invidiam conflari posse, rem perpendere aggressus existimavit doctissimus Bollandus. *Quid erat*, inquit, *heic, Superstitionis, equestres Ludos instituere, atque ab Arbore, velut carcere, decurrendo, jacula in appensam ei pellem Parthico ritu mittere? Quid illa Pyrus habebat impietatis, de qua Constantius Presbyter in Vita S. Germani Antissiodorensis 31. Julii? Ab ejus ramusculis Ferarum, ab eo deprehensarum capita, pro admiratione venationis nimiæ, dependebant. Quem celebs Vir, ejusdem tunc Civitatis Amator Episcopus, his frequens compellebat eloquiis: Desine, quæso, Vir, honoratorum splendidissime, hæc jocularia, quæ Christianis offensa, Paganis vero imitanda sunt, exercere: hoc opus Idololatriæ cultura est, non Christianæ elegantissimæ disciplinæ. Hæc aliaque S. Amator &c.* atque hæc in Longobardorum gratiam Bollandus (4).

At pœnituit mox Bollandum, se Longobardorum caussam tueri cœpisse; & velut abruptè deteriorem, quàm Antissiodiorensium efficere nititur. *Major*, ita subdit, *in isto Longobardorum ludo levitas inerat, minimèque toleranda in Christianis petulantiæ, & manifestæ reliquiæ profanorum Sacrificiorum*: Quid vero caussæ fuerit, ut tam diversa ab ore eodem, eodemque contextu audiremus? Inter agendam caussam, ecce Corium illud Arbori appensum veteres illos Longobardos Caprini Capitis adoratores, S. Gregorio M. commemoratos in Bollandi momoriam revocavit, qui Gregorii locum recitans, ac præterea Baronii testimonium adjungens, qui Longobardos quosdam, quum Italiam occuparint, Gentiles, quosdam Arianos, Orthodoxos nonnullos tradit, sic ipse demum rem omnem concludit: *Fuerit forte Corium hoc, quod Arbori appensum ridicula decursione honorabatur, ab ejusmodi Capra, cujus esset Caput Dæmoni (clam tunc, ne quid ab orthodoxa plebe turbaretur) avulsum?*

Piget me profectò, heic iterum, ac sicubi occurret deinceps, tanto Viro adversari, cujus ingenium, eruditionem, pietatem planè suspicio, cujus etiam ex æterno illo Opere, cui moliendo pares admovit manus, perficiendoque tutum, faustumque iter Sodalibus suis constravit, immortalia fateor in Remp. Christianam promerita. At Operis mei ratio id à me suo jure postulat, quod cujusque animo insidere magis debet, ut Veritas scilicet, si minus pateat, sinceriùs illustretur, si pessumeat, ab injuria vindicetur. Mihi itaque caussam agenti meam, Bollando non assentiri haud piaculi loco esse debet, neque enim Bollandum arguo, sed propria tueor, Patriæ ipse quidem, sed Veritatis studiosior. An igitur Bollandi opinatio, seù divinatio ferenda erit, quâ is, quum ante centum propè annos Longobardos Caprini Capitis adoratores legisset, eosque paullopost partim Gentiles, partim Arianos, partim Orthodoxos reperisset, adhuc lapso jam Sæculo Gentiles ipsos, idololatrasque videre sibi visus est, qui in media Benevento, Capræ Caput divinis honoribus prosequerentur? Horrenda isthæc, atque nefaria de posterioribus Beneventanis Longobardis suspicari haud æquum est:

(1) Hist. Nat. lib. XII. cap. I.

(2) Epist. XLI.

(3) Floruit Theodorus Cantuariensis an. 718. de quo plura Caveus Hist. Liter. pag. 387. ac nuper Muratorius Antiquitat. Ital. Dissertat. 68. tom. V. pag. 711.

(4) In Commentario prævio S. Barbati num. 6. to. III. Februarii pag. 137.

est: Non temporum ratio, non præsentium rerum status id sinebant, ut Longobardica Resp. jamdiù firmata, florente autem tum maximè Beneventano Ducatu, Gentiles plurimos, aut (quod deterius est) Christianos omnes Longobardos, fœdissimam tamen Idololatriam illam simul professos, in principe Urbe servasse, ac fovisse arguatur. At neque ab omnibus, neque palam, sed *clam (nequid ab Orthodoxa plebe turbaretur)* patrari res poterat. Non heic profecto *manifestas reliquias profanorum Sacrificiorum*, injuriosam potiùs scribentis criminationem agnosco. Non siluisset certè uterque Biographus, qui, ut Barbato celebritatem conciliet, Longobardorum flagitia distinctè referre, ac penè amplificare studet: Non ipse siluisset Barbatus, cui saltem ea res *clam* esse nequibat: neque is tamen, inter alia plura superstitiosa, quæ abolere enititur, impiissimam omnium ejusmodi Superstitionem Longobardis exprobasse legitur.

Præclariùs itaque res doctissimo Viro cessisset, si, quam sibi tuendam Longobardorum caussam initio susceperat, adhibitâ, diligentiùsque perpensa utriusque Biographi auctoritate conficiendam curasset: & mirum sanè, ut qui Pyri illius ferarum Capitibus onusti historiam nobis recitare laboravit, ut Episcopi Amatoris de Superstitione inanem fuisse suspicionem ostenderet, quid Barbatus de Arbore sentiret, quid Longobardi Barbato ludos illos vehementiùs insectanti reponerent, (quod tunc negotium Bollando erat) haud postea is protulit, Lectorumque expectationem fefellit. Itaque quum *Beatissimus Barbatus hùc, atque illùc discurrens anxiè prædicaret, cupiens eos* (Longobardos) *Creatori suo purgatos erroribus præsentare: illi ferina cæcati dementia, nil aliud nisi sessorum meditantes usus, optimum esse fatebantur cultum legis Majorum suorum, quos nominatim bellicosissimos asserebant*. Barbatus itaque errare Longobardos ratus, ab eoque errore revocare aggressus, impietatis eos ludos redarguit: Contrà Longobardi de Corii particula, quam comederent, nullam excusationem obtendunt, non quia Superstitionem inficiari nequirent, sed quia nil superstitiosi in eo Corio, quo Scopi vice uterentur, patrarent; vel quia (ut verisimilius est) falsò de ea re insimularentur, quæ factu difficillima, ac penè impossibilis fuisse videtur: non enim solis jaculorum ictibus particula aliqua præcidi è Corio poterat, quod immissis jaculis transfixum potiùs, quàm in frustula discerptum fuisse oportuit. Quod ad ludos verò attinet, fatentur libenter Longobardi, sese, dum iis equestribus decursionibus, atque in Parthorum morem jaculationibus vacarent, *nil aliud agere, nisi Sessorum meditantes usus*, vel, ut rectiùs habent Acta ex Codice Sophiano ab Ughello edita, *nihil aliud quàm in bellorum meditantes usus*, id est, equestri prælio assuescere addiscentes, Majorum suorum, quos *bellicosissimos* jactabant, non Superstitionem quampiam, sed militarem virtutem, ac bellicam gloriam imitari. Rei summa hæc est. Arguebat Antissiodorenses Episcopus Amator, quos crederet superstiosè Pyrum illam adorare, qua ipsi, veluti Tropheo quodam utebantur, ut ex suspensis ferarum Capitibns, sese Venatorum fortissimos ostentarent. Increpabat Longobardos Barbatus, quos Arborem Superstiosis ludis colere arbitraretur: qui tamen ludi nonnisi militaris exercitationis causâ celebrari consuebant. Quod Antissiodorensibus, Longobardisque solemne erat, Superstionis labem aliquam vel continere, vel paullatim suscipere potuisse fateor, unde laudandi ambo, Amator, & Barbatus, qui cum arbore utraque amputandum quoque impietatis vel periculum, vel suspicionem fategerunt; iniquissimum tamen illud fuerit, in pari causa, eademque de re Antissiodorenses absolvere, in Longobardis verò *manifestas profanorum Sacrificiorum reliquias* agnoscere, ac fœdissimæ Idololatriæ penè convictos damnare.

Hactenus, de Longobardicis Superstitionibus, re omni penitiùs, ac sinceriùs perspectâ, quid verè sentiendum, atque ex æquo esset statuendum, demonstravimus; hactenus, inquam, ut Longobardorum Religio teterrimum, quem induere cogebatur aspectum, abjiceret tandem, cum Viro gravissimo, doctissimoque dècertandum mihi fuit. Ad rudis nunc ingenii homines, scitulosque quosvis convertendus sermo esset; explodenda scilicet foret illa vulgi opinio, quæ adhuc in Beneventano Agro Arborem Nuceam, Longobardicæ Arboris veluti germen, vigere credit, ad quam undique coire, nocturnaque convivia celebrare Striges, Sagæve soleant. At quum hæc nonnisi nugamenta, ac verè esse somnia, Viris gravissimis, doctisque persuasum sit, eaque de re plura in antecessum dicere occasio tulit Superiore Libro pag. 109 melioribus nunc vacabimus; præstabitque de Episcopo Barbato, quem superiùs vix memorasse contigit, uberiorem pro ejus merito sermonem instituere.

## CAPUT III.

### *De S. Barbato Episcopo Beneventano, atque Theodorada Ducis Romualdi conjuge.*

*S. Barbatus genere Longobardus, patria Beneventanus ostenditur: Ejus tum ante, tum in Episcopatu res gestæ illustrantur: Barbato in extirpandis Longobardorum Superstitionibus Theodorada adjutrix: cujus Pietas, ac Munificentia tùm in Suburbano Sancti Petri Monasterio, tum iu Canusina S. Sabini Ecclesia ædificandis latiùs recensentur.*

BArbatum Longobardos gentiles suos, etsi Christianos Orthodoxosque ab avitis quibusdam Superstitionibus ad sinceriorem Fidei professionem, melioremque frugem felici conatu revocasse, superiore Capite jam demonstravimus. In eo certè facinore si Virtutum, laudisque summam perstringeremus, satis Barbatum celebrasse videremur. Postulat vero argumentum, quod adhuc versamus, ut de eo Viro ampliora proferamus: Longobardicæ enim Religionis nitor à Longobardis plerisque ea Superstitionum labe maculatus, sed à Longobardo homine luculentiùs restitutus, non solum magis expers invidiæ erit, sed in novum quoque decus assurget. At quum Longobardorum Sobolem Barbatum appellavi, scio mihi Cl. Bollandum adesse adversarium. Nihil verò ea re, quæ à me statuta initio est, certius affirmari potest, quandoquidem ad ejus fidem confirmandam præsto est, præclarissimis expressa verbis, Veterum Actorum auctoritas: En ipsa verba: *Sicuti ex omnium gentium natione plurimi renati sunt in Christo coloni, ita & Gens Longobardorum, dum quondam esset renata in Domino, inventus est in ea Colonus Ecclesiæ, & ovium Pastor mirificus, laudabile nomen, Barbatus, clarescens enituit Beneventi.* Quid verò ad hæc Bollandus? *Non est* (inquit) *verisimile, S. Barbatum circa annum 602. natum, genere fuisse Longobardorum; nec enim aut nomen Longobardicum, aut satis Gens erat, annorum 34. spatio, in illa crudelissima grassatione, & flagitiorum omnium impunitate, ad Christianam modestiam condocefacta, ut ex se protulisse germen ejusmodi videri possit* (1).

Hoc igitur decus Beneventanis indigenis servasse videtur Bollandus, ut soli Barbatum Civem ostendant, qui advenas Longobardos, jam tum Beneventi dominos, à patriis erroribus ad puriorem Religionem deduxerit. Præstat tamen, ut quam omninò exploratam, idoneoque testimonio confirmatam habemus, veritatem sequamur: Neque vero Bollando permittendum, ut belluinum hominum genus, ingenito quodam inemendabilis naturæ vitio, ac perpetua temporum, morumque successione, Longobardos sibi pertinaciùs confingat. Superstitiosos, & ad flagitia quæque paratos generatim sinamus: an vero id vetabat, ut ex hisce tenebris nullum nunquam lumen splendescere, nullus ex hisce lapidibus filius Abrahæ suscitari potuerit? Nihil facilius, nihil certius, quod ipse Actorum Scriptor satis indicat: dum scilicet Longobardi ex barbaris, sacrilegisque Germaniæ silvis egressi, jamdiu in Christianæ Italiæ solo locati, jamdiù denique Beneventanis indigenis permisti, consociatique, non solum communes cum illis lares, atque mores, sed eandem, quam illi, Religionem colebant. Constat præterea, ab Zottonis primi Ducis obitu, ex anno scilicet 590., longe quidem ante Barbati ortum, sub successore Arichi, quàm diversi Longobardorum mores esse cœperint, quàm felix tunc ejus Reipublicæ status effloruerit. At Barbati nomen Longobardum hominem non eum ostendit: immo ex eodem ipso nomine (si aliunde nesciremus) Longobardum liceret agnoscere. Extat inter *Marmora Felsinea* à Cl. Com. Cæsare Malvasia in lucem edita insigne vetustæ marmoreæ Pelvis monumentum, Regis Liutprandi ætatem ferens, in cujus titulo, superiori labro circumscripto, Barbatus ignotus antea Bononiensis Episcopus prodiit (2): adjecta ad ejus Monumenti illustrationem est prolixa, satisque erudita Com. Valerii de Zanis Dissertatio; qui inter alia ex ejus Episcopi nomine unicum sibi, ac omnino tutum efficit argumeutum, ut hominem genere Longobardum pronunciet: id enim suadet Nomen tunc primùm usu receptum, quum Longobardi Italiæ Domini esse cœperint: eodem certè circiter Sæculo Barbatus occurrit Theatinus, Barbatus Beneventanus, Barbatus Cumanus, Barbatus Forocorneliensis: Quid ni Longobar-

(1) In notis ad Vitam Barbati posteriorem litt. A. tom. III. Febr. pag. 143.

(2) Sect. IV. à pag. 181. ad 216. edit. Bonon. an. 1670.

gobardi hi omnes censendi erunt, ex eadem, Italis tunc insueta, Longobardis familiari Barba, quæ etiam ei Genti universæ nomen fecisse traditur? Auditum quidem apud veteres Romanos Barbati Cognomen, quod Horatiis, Scipionibusque familiare fuit; eadem tamen de causa, quâ sequior ætas Nominis loco audire, atque usurpare cœpit, quòd scilicet Barbam illi inter Romanos, quemadmodum Longobardi inter Italos, gerere, ac nutrire amarent. Hæc fusiore calamo Vir doctus, opportuna quidem, magnique facienda; at pluris simul Actorum fides habenda est; à qua ne gravissimis quidem adversantibus conjecturis discedendum erit, levissimis, & in alienam injuriam ex proprio ingenio excogitatis discessisse, illiberale, ac temerarium erit.

Dum igitur meliora non habemus (nec desiderari meliora opus videtur), Actorum fidem sequamur oportet; quâ non modo impune, sed legitimum nobis quoque erit, ea omnia, velut commenta respuisse, quæ de Barbati patriâ, ejusque ante Episcopatum gestis Virginianus Monachus Ovidius de Luciis, atque ex eo Vincentius Ciarlantus tradiderunt (1). Ajunt enim natum honestissimis parentibus pagi *Vandari* Comitatus *Cerreti*, xv. circiter ab Beneventana Urbe lapide, à prima ætate Beneventi educatum, sacrisque literis apprimè imbutum, ad Presbyteratus ordinem, sacrique Concionatoris munus admotum, tandem Ecclesiæ S. Basilii in oppido *Murcone* Diœcesis Beneventanæ Curionem constitutum; quo in munere quum acriùs in vitia inveheretur, multorum invidiam subiit, quæ tandem in falsam criminationem erupit: hinc Beneventum revocatus, postquam, compertâ innocentia, comprobatâque vitæ sanctimonia Civium venerationem sibi conciliasset, extirpandarum Longobardicarum Superstitionum occasionem sibi fecit. Hæc, inquam, singula proprio ex ingenio conficta pronunciamus, quæ nullo idoneo teste confirmantur, neque Acta meminerunt: atque utinam, quæ fuerint universa Barbati gesta ante Episcopatum, Acta sigillatim meminissent: Habent tamen, unde de egregiâ illius Sanctitate, Doctrinâque manifesta argumenta sumamus.

Duplicem Vitæ Barbati historiam Cl. Bollandus edidit, utramque à Silvestro Ajossa Capuano sibi transmissam; priorem ex veteri Codice Monasterii S. Joannis ejusdem Urbis Capuæ, alteram ex Codicibus Ecclesiæ Beneventanæ descriptam, ex priore (inquit) *ut apparet, conformatam, ac laciniosa phrasi dilatatam*. Displicet certe, ita Bollandum Ajossæ acquievisse, ut vetustiora, & sinceriora Acta Capuanis, interpolata Beneventanis servata crediderit. At non ejus diligentiæ meritum solis Capuanis tribuendum is probè noverat, qui eadem ipsa Acta à Baronio laudata non siluit, recitatis etiam illius in notationibus ad Martyrologium verbis hisce: *Habemus ejus Acta sincere scripta; est eorum exordium*: Sicut evidentissima &c. Quid igitur? Utrumque tum Ajossæ, tum Baronii exemplar, ac quotquot alibi reperiri exemplaria contingat, non aliundè profectò, quàm è Beneventanæ Ecclesiæ Tabulario excepta etiamnum ostendit vetustissimus Codex, in nostra Bibliotheca servatus: quo etiam ex fonte eadem Acta manarunt in MS. Codicem S. Sophiæ, unde Ughellus se eadem Acta, edita Tom. VIII. hausisse testatur. Utramque autem Actorum eorundem editionem tum à Bollando, tum ab Ughello curatam, cum originali nostro Codice à me collatam, non sine mendis inveni, quorum pleraque inferiùs opportunè animadvertentur, reliqua non ita intoleranda visa sunt, ut, quæ satis sunt pervulgata, Acta eadem iterum recudenda existimarim.

Ad Barbati adhuc Presbyteri gesta quod attinet, ab ejus Prædicatione, qua is prænarratas Longobardorum Superstitiones abolere studebat, Acta exordium faciunt, atque sic pergunt cap. I. num. 4. *Cumque Deus Caritatem B. Barbati, illorumque Longobardorum perpenderet infirmitatem, concessit, ut sic Sanctissimus Vir, qui eos divinis medicaminibus conabatur à peccatorum febribus, & ex intimis squallida profluente sanie emundare, & a protoplastis subversionis fermento ad filiorum Dei ponere libertatem, etiam mirabilibus signis suæ prædicationis verba firmaret; ut si non verbis ad suam salutem, visis miraculis flecterentur. Nam Dæmonia ex obsessis Corporibus, aliquando fusis ad Dominum precibus, aliquando minis ejiciebat: & nunc usque ad Corporis ejus reliquias, cooperante Domino, sæpius à Dæmonio plures salvari conspicimus. Necnon expletis Missarum Solemniis, lotisque Viri Dei manibus, hausta aqua, quæ de illius manibus defluebat, continuò à quacunque infirmitate saluti pristinæ restituebantur* (2).

Præclara hæc quidem: quibus Deus Barbati illustratam Sanctitatem, Prædicationem roboratam voluit. Ac peculiaris quidem in Dæmonia Barbati virtus fuisse videtur, qui, eodem



(1) Memorie Istoriche del Sannio lib. III. cap. XVI.

(2) Hæc uti recitata sunt, ex nostro Codice descripsi, ut hujus loci menda, quæ in Bollandianam editionem irrepserunt ex MS. Capuano, nosci, abolerique possint.

Divini honoris zelo, parique procurandæ alienæ ſalutis ſtudio non tantum minis ab obſeſſis corporibus ejicere conſuebat, ſed aliquando in aliorum corpora, ut ſceleſtorum ſupplicio æquè ac emendationi deſervirent, iniiciebat, uti inferiùs obſervabimus: eam verò virtutem non ſolum viventi Barbato traditam, ſed ejus quoque Reliquiis à Deo ſervatam affirmat Actorum Auctor, ejus rei Scriptor, & teſtis (1). Subdit etiam, aquam, quâ Barbatus poſt Miſſæ celebrationem manus lavabat, ægrotis ſalutarem fuiſſe; cujus generis miracula plerumque à Sanctis aliis patrata leguntur. Libet adhuc domeſticum, ſerioris licet ætatis exemplum de Joanne, gente Apulo, profeſſione Monacho, ex illuſtris noſtratis Scriptoris Deſiderii Dialogis depromere, qui Pontificis Alexandri II. ore narratum ſibi ait, quod, quum ipſe Pontifex eo tempore, quo Lucenſem Eccleſiam regebat, *febri correptus graviter ægrotaſſet, & quotidie languore creſcente vehementius fatigaretur, repentè ei ad memoriam rediit, quod fama vulgante de prædicto Servo Dei ſæpius audierat: quod videlicèt quicunque febre detentus, hauſiſſet ex aqua, quæ de manibus ipſius defluebat, dum poſt Miſſarum Solemnia ablueretur, mox recepta ſanitate liberaretur: latenter igitur miſit, qui ſibi ex illa aqua aliquantulum afferre debuiſſent: Cumque hi, qui miſſi fuerant, aquam, quam poſtulaverat, attuliſſent, mox ebibit: atque ita repentè ſanitati priſtinæ reſtitutus eſt, ut nullo in eo languoris illius indicia remanerent* (2). Addam exemplum alterum (nam hæc illuſtraſſe nemo otioſum putaverit, per quæ major erga Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium, Sacerdotalemque Dignitatem religio, ac reverentia ingeratur) & ipſum quidem domeſticum exemplum, quod Sanctiſſimus Pontifex Leo IX. ejuſdem Sæculi x. anno L. dum Beneventi prima vice maneret (nam in eadem Urbe anno MLIII. rurſus manſit ad decem, & amplius menſes, ut alibi obſervabimus) Beneventanis reliquit: Leo igitur (uti Wibertus narrat) eo anno Romà profectus, *iter ſumpſit peregraturus fines Apuliæ, ut Chriſtianam repararet Religionem, quæ ibidem videbatur penè deperiſſe; maximèque inter Accolas Regionis, & Normannos concordiem componere Satagens; quos dudum adjutores contra exteras gentes ſuſceperant Principes Regni, ſed tunc ſæviſſimos tyrannos, & patriæ vaſtatores non ſpontè ſuſtinebat: In hoc ergo Sancto opere ſolicitè intentus venit Beneventum, ubi aliquandiù commoratus cuidam Clinicæ, divina præeunte gratiæ vitale præbuit auxilium. Nam per annos ferè quindecim diutino conferta languore, de proprio probato, niſi aliorum deportata manibus, nequibat exire; ita cuncta ejus membra paralyſis erant diſſoluta ægritudine. Cui per revelationem eſt, ut de lympha, qua beatus Paſtor ſacras abluerat manus poſt Celebrationem Miſſarum, hauriret, & abſque mora ſoſpitatem reciperet: Qua impetrata, & cum fideli ſpe hauſta, in craptinum ſoſpes ſacra Miſſarum ſolennia adiit, Deo, Sanctoque Pontifici gratias redditura* (3). Pium hunc morem bibendi aquam, qua Sacerdos poſt Miſſarum Solemnia manus ſuas abluit, ad varias ægritudines repellendas, adhuc apud Græcos obtinere teſtatur Leo Allatius in lib. *De quibuſdam Græcorum opinationibus*. Sed de Barbato Presbytero hactenùs.

Epiſcopus ſuffectus eſt, ſumma tum Ducis, tum Populi conſenſione plauſuque Barbatus Hildebrando (non Ildeverto) qui paullo ante, vel in ipſa obſidione, quâ Beneventum ab Auguſto Conſtante premebatur, deceſſerat. Prima Epiſcopi Barbati cura fuit, ne quas Romualdus, cæterique Longobardi Superſtitiones abjeciſſe videbantur, rurſus repeterent: hinc illis annuentibus, ac comitantibus, *repentè Securim accipiens & ad Votum* (locum ſuburbânum ita tunc, hodieque dictum) *pergens ſuis manibus nefandam arborem, in qua per tot temporis ſpatia Longobardi exitiale ſacrilegium perficiebant, defoſſa humo à radicibus incidit, ac deſuper terræ congeriem fecit, ut nec indicium ex ea quis poſtea valuerit reperire* (4). Atque hæc illa Arbor eſt, poſte-

(1) Rectè heic Bollandus obſervat, Actorum Scriptorem antiquiorem fuiſſe Beneventano Chronographo Falcone, propterea quod Translationis Corporis Barbati, longè poſt ejus obitum factæ, quam illle narrat, non ipſe meminerit: in qua etiam Translatione, quum multa patrata miracula à Falcone traduntur, nulli tamen Energumeni liberati memorantur. Acta autem (quæ ex vetuſtis tabulis concinnata credere par eſt, ipſeque Scriptor exordio ſuæ narrationis declarat, *evidentiſſimam*, ideſt teſtatiſſimam *relationem* ſequutus) Sæculo IX. conſcripta ex eo reor, quod ipſe Scriptor *Ducem* tunc Romualdum *Principis* titulo appellare maluerit, ætatis ſcilicet ſuæ rationem attendens, poſtquam ſcilicet ex anno 774. Beneventanus Ducatus in Principatum ab Duce Arichi II. erectus jam fuerat.

(2) Dialogor. lib. I. pag. 59. edit. Rom. 1651. Ex Deſiderio retulit hoc miraculum in ſuum Chronicon Caſſin. Oſtienſis lib. II. cap. 92. atque in ſuos Annales Baronius ad an. 1070. num. 27.

(3) Wibertus in Vit S. Leonis PP. IX. lib. II. cap. VI. apud Mabillonium in Sæculo VI. Benedectino P. II.; & adud Bollandiſtas ad diem XIX. Aprilis: & in Vitis Romanorum Pontificum tom. III. Scriptor. Ital. p. 294.

(4) In Actis, ſeu Vita priore cap. II. num. 10. Poſterior verò Vita Barbati rem ipſam ſic habet cap. III. num. II. *Hoc expleto gaviſus Romualt ſuæ proſperitatis beneficio, beatiſſimum Barbatum conſtituit illico Præſulem Beneventi, eumque deprecatus eſt, ut promiſſa Colonorum xenia ad honorem gloriæ ſuæ non recuſaret recipere. At ille, Non, inquit, muneris tui recipienda ſunt*

posterioribus Sæculis, *Nucis Beneventanæ* nomine celebrata, quæ vulgo occasionem fecit fabulandi, quod ad illam nocturni Strygum conventus agitari solerent: Fabellam anilem superiore Libro jam refutavimus pag. 108. Periit certè ab suis excisa, atque evulsa radicibus infamis Arbor illa, *ut nec indicium ex ea quis postea valuerit reperire*, sublataque simul, tum posteris, ne quid comminiscerentur, tum majoribus nostris Longobardis occasio, ne ad sacrilegos ludos redirent.

Non ita tamen de aureo Viperæ Simulacro fuit, quod adhuc superstes, Dux Romualdus, ejusque *Sodales*, *in abditis*, ideſt clàm in larario servatum colere rursus cœperunt. Pervasit verò (quum id resciſſet) in ipsa Aulæ penetralia Barbati Zelus, ablatumque, absente Duce, Simulacrum conflavit, *plurimisque auri opificibus accersitis disposuit, ut ante adventum Principis ad offerendum Corpus, & Sanguinem Christi miræ magnitudinis, atque decoris Patenam, & Calicem operarentur ex eo; ut in memoriale servetur futuris temporibus in Beatissimæ Dei Genitricis Ecclesia, per quam ab exteriore, & interiore fuerant hoste liberati*, ideſt à *Græcis*, qui Urbem expugnare conabantur, & à *Diabolo*, qui ex Viperæ cultu obnoxios sibi Longobardos habebat. Duo in hoc Barbati facto observasse proderit: primum illud, Episcopum Sanctissimum ingentes opes à Romualdo oblatas omnino aversatum, aurum nihilominus illud sibi vindicasse, quo Ecclesiastica Vasa ad Altaris ministerium fabricanda mandavit. Nihil certè eas res Barbati virtutem minuit; qui talem auri usum Sacrorum Mysteriorum dignitati, ac decori fas, immò opus esse ducebat: atque is quidem, pro sua ætate, exemplo esse meretur, ut Calicis aurei, vel argentei usum, quem à primis Sæculis & probavit, & adhibuit Ecclesia, comprobare luculentiùs jam possit. *Pluriès vetitum* (inquit satis verè sapienterque Cardinalis Bona) *nunquam statutum, aut approbatum legimus Calicis lignei, aut vitrei, sivè lapidei, vel cornei usum . . . . . Orthodoxam Ecclesiam semper, & ubique in hoc conspiraſse, ut aureis, vel argenteis Calicibus Sacerdotes uterentur* (1): & sanè permittamus Exuperio Episcopo Tholosano; cujus illud est S Hieronymi calamo conscriptum elogium: *nihil* videlicet *illo ditius fuisse, qui Corpus Domini canistro vimineo, & Sanguinem portabat in vitro* (2). Sed non eadem, quæ Episcopi, Ecclesiæ paupertas esse debet, quæ si auro sola fulgeat, illius paupertatem magis commendat; immò pauperi Episcopo suppeditare parata sit, quod (quum opus est) in pauperes distribuat. Rem omnem conficit satis illustre S. Laurentii factum; qui jussus à Pontifice Xisto, Vasa Ecclesiæ (aurea certè, atque argentea) nè in Tyranni prædam cederent, Ecclesiæ pauperibus erogavit. Adhibebatur igitur, ferreâ licet illâ Persequutionum ætate, Ecclesiasticis ministeriis aurum, atque argentum, si Ecclesiasticorum vires suppeterent, si Ecclesiasticorum animis divini honoris cultus, religioque calesceret: Dum verò Pauperibus prospiciendum sit, aurea, atque argentea Vasa *etiam initiata* (uti ex ipso Laurentii exemplo docet S. Ambrosius) *confringere, conflare, vendere licet* (3). Alterum in eo Barbati facto occurrit; quod Calicem illum, atque Patenam (ut Acta testantur) *miræ magnitudinis ac decoris* perficienda Barbatus voluerit. Hanc *miram* magnitudinem, nonnisi aliorum Calicum respectu, accipiendam arbitror. Constat enim ex antiquis Ritualibus, plures in uno Sacrificio adhibitos olim Calices, quorum unus ipsi Sacrificanti ejusque Ministris inserviebat, alii plures, vel pauciores pro numero Fidelium communicantium apponebantur, qui grandiores, & capaciores erant, ac dicebantur *Ministeriales*, quorum sæpè fit mentio in Vitis Pontificum ab Anastasio conscriptis; exemplaque laudatus Bona collegit. Haud verò in ingentem molem Barbati Calicem assurgere, Patenamque se effundere patiebatur illud auri pondus, quod ex solo unius Viperæ Simulacro præstabatur. Minus etiam tantum superesse potuit, ut ex eodem ipso auro fabrefactam pariter *Urbis Beneventanæ effigiem*, in Ecclesia pro anathemate affigendam, admittamus, quemadmodum Acta Capuana à Bollando edita, atque hoc quidem loco interpolata, commemorant (4).

Ingen-

*sunt dona, nisi prius largitas confessa extiterit, ut omne judicium Arboris ludificæ destruatur. Tunc Romualt, & omnes astantes dixerunt; Pax, & Securitas meritò Beatitudinis tuæ, finibus nostris advenit; omnia idcirco, quæ tuæ complacent menti, ut satagis, ita perage securus. Hoc itaque audito, præcinxit se viriliter, ut bonus juvenis, Votum properans, Securim manibus gestans, coepit omne judicium Arboris phantasticæ ad nihilum revocare.*

(1) Rer. Liturgic. lib.I. cap. XXV. ubi rem ipsam variis exemplis, & auctoritatibus ex omni Sacra Antiquitate eruditè pertractatam invenies.

(2) Epist. lib.II. epist. 13. ad Rusticum pag.176. edit. Rom. ann.1731.

(3) De Offic. lib.II. cap.28.

(4) Quæ à Bollando edita est, Barbati Vita prior, sic habet cap.III. num.15. *Quod acceptum* (Simulacrum) *Episcopus statim igne dissolvit, plurimisque auri opificibus accersitis, disposuit, ut ante adventum Principis, ad offerendum Corpus, & Sanguinem Christi miræ magnitudinis, atque decoris Patenam, & Calicem operarentur ex eo. Nec non instar Beneventi, quam ex inimicis eruerat Deus, ex eodem auro Civitatem perficerent, ut*

*in Dei*

Ingentes illas opes, quas ex universis Beneventani Ducatus Urbibus quotannis colligendas Romualdus Barbato spoponderat, offerre jam Episcopo, tradereque reipsa voluit: Sed Barbatus, *non honorum, aut divitiarum avidus, sed tantummodo anxius de illorum Salute*, omnia constantissimè recusavit: *at Romualdus cogebat eum dicens: Non me inter filiorum tuorum numerum aggregari credo, si munus, quod pro mea salute offerre studeo, recusas: coactus igitur ejusdem precibus ait Beatissimus Barbatus: si munus tuæ salutis offerre studes, unum impende Sacrificium, ut B. Michaelis Archangeli Domum, quæ in Gargano sita est, & omnia, quæ sub ditione Sipontini Episcopatus sunt, Sedi Beatissimæ Genitricis Dei, cui nunc indignè præsum, in omnibus subdas. Et quoniam absque cultoribus omnia depravantur, unde nec sedulum Domino illic officium persolvi potest, meliùs à nobis disposita tibi proficiant in salutem* (1). Vides in largiendis opibus Romualdi pietatem cum Barbati temperantia decertantem: victoriam unus Divini Honoris Zelus reportavit, quo Dux voti sui compos effectus est, Episcopus muneri suo satisfaciendum putavit: Quantus verò Barbati is zelus fuit, qui non Urbis, amplissimæque Diœcesis Beneventanæ terminis contineri poterat, sed conterminis regionibus, labefactatum Dei cultum, ac collapsam Religionem restituere satagebat. Rem hanc, quæ celebrandæ Barbati virtuti præclarissimum argumentum præstat, fuit nihilominus Scriptor neotericus, qui in deteriorem partem accipiendam monuit (2): quasi nihil aliud Barbatus cogitarit, quàm in alienam Diœcesim manus suas immittere; Barbati denique exemplo prodere nunc primum Episcopum voluit, Episcopatus sui jurisdictionem proferre affectantem; idque ausum sola Sæcularis Potestatis auctoritate; adeptum denique, ut ambitioni potiùs, quàm religioni serviret. Talem, si non iniquo, inconsulto certè studio animoque importatam calumniam, ex ipsa facti serie superiùs recitata refutasse nunc satis sit: acriùs refellendam suscipiemus in Dissertatione de Ecclesia Beneventana, cap. II. ubi ex diuturna subjectione, quam à Barbati ævo ad Sæculum XI. Sipontina Ecclesia Beneventanis Præsulibus præstitit, rem ipsam opportuniùs repetemus, atque uberiùs pertractabimus.

Præstat modo illud animadvertere, quod Barbatus de Ecclesiæ suæ reditibus distribuendis servavit, servandumque Successoribus suis tùm exemplo, tùm lege proposuit: Etenim *Vir Dei non est oblitus mandatorum Dei, atque in quatuor partes cunctum Ecclesiæ reditum omni tempore sanxit fideliter dispertiri; unam fideliter egentibus: sequentem his, qui Deo sedulas in Ecclesia exhibent laudes: tertiam pro Ecclesiarum restauratione distribui jussit: quartam verò suis peragendis utilitatibus, ut Episcopus habeat, decrevit. Et hactenus, sicut ab eo disposita sunt, impartiri cuncta videntur* (3). Quadripartitam hanc Ecclesiasticorum redituum divisionem ab Episcopis faciendam, nusquam in Orientali Ecclesia, in Latina non ante Sæculum V. agnitam, invectamque probare conatur Cl. Thomassinus (4): nec certè antiquior ea de re Canonica Sanctio occurrit ante Pontificatum Simplicii, qui Epistola II. id de Ecclesiæ reditibus servari jussit, ut Episcopo *sola ex his quarta portio relinquatur; duæ Ecclesiasticis Fabricis, & & erogationi peregrinorum, & pauperum profuturæ; ultima inter se Clericis pro singulorum meritis dividatur*. Ita Simplicius anno 467. Pontificatum auspicatus; qui tamen haud tunc novam veluti tulisse legem, sed veterem, & jamdiù ab Ecclesia receptam inculcasse videtur: Id quod paullò postea à Gelasio factum est Epistola X.; factum etiam lapso ab hinc Sæculo à Magno Gregorio: Ac Gregorium quidem audire libet, ad primam Augustini Anglorum Apostoli, & Episcopi interrogationem sic respondentem: *Sacra Scriptura testatur, quam te bennosse non dubium est, & specialiter B. Pauli Apostoli ad Timotheum Epistolæ, in quibus eum erudire studuit, qualiter in Domo Dei conversari debuisset; Mos autem Apostolicæ Sedis est, ordinatis Episcopis præceptum tradere, ut de omni stipendio, quod accedit, quatuor fieri debeant portiones: Una videlicet Episcopo, & familiæ ejus propter hospitalitatem, & susceptionem: Alia Clero: Tertia verò Pauperibus: Quarta Ecclesiis reparandis* (5). Provocat Gregorius ad Sacram Scripturam,

*in Dei Genitricis Ecclesia, qualiter ejus intercessionibus Beneventus erepta est, futuris temporibus in memoria reservarent.* Atque hæc posteriora in nostro Codice desunt, cujus verba superiùs recitavimus; produntque certè Actorum, quæ nos servamus, tum vetustatem, tum sinceritatem præ Actis Capuanis, quò hæ nugæ, vel commenta irrepserunt. Non erat certè illius ætatis Urbem auro effingere, dum in ipsis effingendis Nummis adeò rudem, & barbaram, qualem etiam nunc intuemur, se probabat.

(1) Acta priora cap. II. num. II.

(2) Lud. Muratorius Antiq. Med. Ævi. Differt. De vario statu Diœceseon Episcopalium tom. V. pag. 354.

(3) Acta priora d. cap. II. num. 12. Idem habent posteriora cap. III. num. 12. his verbis: *In quatuor partes votivum Ecclesiæ reditum studuit fideliter dispensare, indigentibus unam, Ecclesiæ servitutibus* (fort. *servientibus*) *aliam, Ecclesiastico usui concessit tertiam, quartam denique suis utilitatibus reservavit. Et hæc dispensatio bona nunquam recessit ab usu.*

(4) De Eccl. Discipl. P. III. l. II. c. XIII. n. 4. & seqq.

(5) Lib. XI. ep. 64. alias 31. edit. PP. S. Mauri.

ram, ad Pauli Epiſtolas, non quòd illic quadripartita diviſio ipſa ſpeciatim juberi legatur, ſed ut ex ipſo, qui illic jubetur, Eccleſiaſticorum bonorum uſu derivata oſtendatur. Audi eundem Gregorium, qui in eadem reſponſione hæc Auguſtino ſubdit: *Sed quia tua Fraternitas, Monaſterii regulis erudita, ſeorſim vivere non debet à Clericis ſuis in Eccleſia Anglorum, quæ auctore Deo nuper ad Fidem perducta eſt, hanc debet inſtituere converſationem, quæ in initio naſcentis Eccleſiæ fuit Patribus noſtris, in quibus nullus eorum ex his, quæ poſſidebantur, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia.* Docet Gregorius, ſimulque monet Auguſtinum, quomodo ſe tum in bonorum partitione, tum in ſuæ Eccleſiæ inſtitutione gerere debeat: Si (quod exoptat) fieri nequeat, ut communia ſint omnia, omnibus tamen, quæ ex primæva communionis lege, atque exemplo debita ſunt, quadripartitè exhibeantur. Breviſſimi certè temporis, ac naſcentis tantummodo Eccleſiæ communio illa fuit, quam & adauctus Fidelium numerus, & tum Reip. tum ipſius Eccleſiæ œconomia haud deinceps admittendam oſtendit. Hinc bonorum receptio, eorumque diſpenſatio ad Epiſcopos pervenit, qui illorum uſum, erogationemque non proprio arbitratu, minus etiam ſuis, ſuorumque commodis, ſed ex priſtino more, atque inſtituto in eas partitiones inſumeret, quibus proſpici univerſis Eccleſiæ rationibus videbatur: Æquæ autem ſtatutæ ſunt partes, non quòd Epiſcopus, ſi quid ex ipſarum quaque ſupereſſet, ſibi vindicaret, ſed nequa fraus pararetur: integrum enim Epiſcopo erat, minorem, majoremque partem vel Clero, vel Eccleſiæ, vel Pauperibus attribuere pro præſenti cujuſque neceſſitate, dumtamen in eas cauſas totum exhauriretur. Hoc igitur inſtitutum, pro ſuorum temporum ratione, exactiſſimè ſequutus eſt Barbatus, nullo fortaſſe Deceſſorum ſuorum exemplo, quandoquidem non modo ipſe Succeſſoribus exemplum, verum etiam legem prætuliſſe voluit. Sequutus autem id inſtitutum Barbatus eſt, *non oblitus mandatorum Dei*; ut videas Barbatum ita Canonicas Sanctiones attendiſſe, ut de illa partitione nihil Canones ſtatuiſſe arbitraretur, quod non primitùs Divino eloquio mandatum videbatur; illud profecto univerſos omnis ævi Eccleſiæ Præſules ſatis manifeſtè docens, ut non tam quadripartitam diviſionem, vel alias quaſvis rerum, perſonarum, temporumque rationes ſpectare ſatis habeant, quàm ut *mandatorum Dei memores* eſſe debeant, quibus omnia congruenti ſubſtentationi ſuperflua, non ſua, ſed aliena, ideſt Pauperum, & Eccleſiæ eſſe ſciant.

Cœterum *Vir Domini* Barbatus (quo elogio Biographus appellat, concinitque etiamnum Beneventana Eccleſia) *actionibus celeber, coruſcus miraculis*, præcipuum certè & Gentis, & Religionis Longobardicæ decus, fulgidiſſimum denique Eccleſiæ Beneventanæ lumen, de utraque tùm optimè, tum diuturnè promeritus, *piiſſimus Pater, Omnipotentis ſolamine fretus, ſimpliciter, atque prudenter deguit in ſui Epiſcopatus honore* annos decem, & octo, & menſes undecim. *Qui Divina evocatus miſericordia, ad præmia ſuorum operum capienda hac inſtabili luce privatus ad coeleſtia Regna* undecimo Kalendas Martii, *à nativitate ſua octogeſimo eſt advectus.*(1). Habemus itaque tum Epiſcopatus, tum ætatis annos, menſeſque exactè, diſtinctèque numeratos: diem etiam, ſed non annum emortualem indicatum habemus, quem Cl. Bollandus Æræ Chriſtianæ anno DCLXXXII. adſcribit. *Sedit* (inquit in Commentarii §. III. num. 18.) *annos* 18. *menſes* 11. *Qui ergo anno* 663. *circa* 20. *Martii ad Epiſcopatum fuerat evectus, anno* 682. *mortuus eſt* 19. *Februarii, quod etiam Vipera annotavit. Aliam Chronologiam iniit, qui exemplar Vitæ ejus, quæ eſt in Collectaneis Belfortii interpolavit; ait enim anno Domini* 666. *obiiſſe*. Contempſit, nec immeritò, hanc Belfortii Chronologiam Bollandus, qui tamen nec probabilem Chronologiæ ſuæ rationem concinnavit: illud enim, quod aſſerit, incertum eſt, Barbatum ſcilicet circa diem 20. Martii anni 663. ad Epiſcopatum fuiſſe evectum: Præſtraverat is quidem in ejuſdem Commentarii §. II. num. 15. ſuæ Chronologiæ fundamenta; dum de Barbati electione agens, contigiſſe illam ait *circa* 20. *Martii, quum mortuus dicatur* 16. (veriùs 19.) *Februarii, ſediſſe in Epiſcopatu annos* 18. *menſes* 11. *Eos enim annos numerari exiſtimo ab eo tempore, quo illi Epiſcopatus delatus eſt, antequam Pontificis Romani confirmatio accederet. Octobri fortaſſis menſe, aut Novembri venit in Italiam Conſtans; Urbes deinde multas cepit, ac Luceriam evertit, Beneventum non parvo tempore oppugnavit, ut accerſiri Grimoaldus, cogere exercitum, & venire in Samnium potuerit; Quod dein ſpatii ad* 5. *Julii fuit, Neapoli, & in Campania Conſtans*

(1) Acta priora cap. III. num. 20. quibus poſteriora conſonant. *Sedit hic venerabilis Præſul annos decem & octo, menſes undecim: Vixit annos octoginta: obiit ſub die undecimo Kalendarum Martiarum, ideſt nonodecimo die intrante menſe Februario.*

*ſtans exegit, & in Romano itinere*. At non video, cur ex ſtatuto ſibi anno Barbati emortuali 682. ( cujus, præter Viperæ opinationem, nullum idoneum teſtem habemus ) in eas anguſtias ſe Bollandus redegerit, ut nempe Epiſcopatus tempus non à confirmatione, ſeu ordinatione, ſed ab electione metiretur; adhuc etiam præproperè Conſtantis adventum, & Beneventi obſidionem anteverteret. Acta hæc Anno DCLXII. cenſet Cl. Blancus in ſuis ad Paullum Diaconum notis Lib. V. cap. VI., teſtem ſibi adhibens Anaſtaſium Bibliothecarium, qui adveniſſe Imperatorem narrat *per Indictionem Sextam*, Vitaliano Pontificatum gerente, & poſtmodum *quinta die menſis Julii, feria quarta, Indictione ſupraſcripta*, Romam adveniſſe; *qui utique Characteres* ( ſubdit Blancus ) *Anno* DCLXIII. *conveniunt*. Quamvis autem eadem Indictio *Sexta*, à Septembre anni DCLXII. inchoata, etiam Julium menſem anni DCLXIII. complectatur, mendum nihilominus in editione Blanci T. I P. I. Scriptor. Ital. pag. 478., ex eo ſuſpicari licet, quod non hanc ipſe diverſi anni ſimul ſibi commemorati rationem affert. Non autem illud veriſimile videtur, Conſtantem Octobri, aut etiam Novembri, hieme videlicet ingraveſcente, è Conſtantinopolitano portu ſolviſſe. Vetat etiam id opinari Paulli Diaconi teſtimonium, qui Imperatorem *Tarentum veniſſe* tradit, qui mox *egreſſus exinde Beneventanorum fines invaſit, omneſque penè, per quos venerat, Longobardorum Civitates cepit; Luceriam quoque, opulentam Apuliæ Civitatem, expugnatam fortiùs invadens diruit, & ad ſolum uſque proſtravit: Arentiam ſanè propter munitiſſimam loci poſitionem, capere minimè potuit: Deinde cum omni ſuo exercitu Beneventum circumdedit, & eam vehementer expugnare coepit; ubi tunc Romualdus Grimoaldi filius, adhuc juvenculus, Ducatum tenebat: qui ſtatim, ut Imperatoris adventum cognovit, Nutricium ſuum Geſualdum ad patrem Grimoaldum trans padum direxit, .... quod Grimoldus Rex audiens, ſtatim cum exercitu, Filio laturus auxilium Beneventum pergere coepit &c.* Appulſus igitur Tarentum Conſtans, nulla interpoſita morâ in Beneventorum fines invaſit, atque in itinere, Luceriâ occupata, relictâ Arentia, ſeu Agerentia, quam munitam invenit, Beneventum, Ducatus ſcilicet Sedem, ac præcipuum propugnaculum expugnaturus properavit. Quis igitur ſibi perſuaſerit, quinque circiter menſes, ſi ab Octobri, vel Novembri anni antecedentis expeditionem illam ſuſcepiſſet, Conſtanti, maritimo itinere CPoli Tarentum, terreſtri dein Tarento Beneventum, adeò pigrè, vel otiosè tranſactos, atque inſumptos? Verius illud eſt ( ſi Paulli Diaconi narrationem, ſi rerum geſtarum omnium ſeriem ſimul attendamus ) Conſtantem nonniſi vere novo anni 663. circa Martium in Italiam primùm adveniſſe, quo ex tempore uſque ad Menſem Julium, quo Romam petiit, quatuor prope Menſes effluxerunt, quod ſatis intervalli fuiſſe nemo non videt, immo majora, quàm opus ſit, temporis ſpatia reperiet, quibus gradatim, ac ſatis commodè, laxèque conſignemus Conſtantis adventum, ejus excurſionem per Ducatum Beneventanum, Beneventi obſidionem, miſſum à Romualdo ( *ſtatim ut Imperatoris adventum cognovit* ) ad Grimoaldum patrem Nuncium, ejuſdem demum Grimoaldi ſuſceptum iter cum auxiliaribus copiis, quæ poſt ſolutam obſidionem, Conſtantiſque diſceſſum Beneventum pervenerunt. Quæ quum ita ſint, haud certè Barbati electio ad eundem Menſem Martii anni 663. retrahenda eſt, qui menſis expeditionis exordium, non exitus fuit; ac duos ſaltem menſes poſteriores habere debuit uſque ad ſolutam obſidionem, poſtquam demum Barbatum electum Epiſcopum fuiſſe conſtat. Alia igitur electionis Epocha ſtatuenda erit, quæ ad exitum ejuſdem anni 663., & fortaſſe ad ſequuti initia protrahenda videtur: id enim poſtulat ſtatuta evidentius ſuperior Chronologia, ſuadentque tum anni Epiſcopatus, tum menſis emortualis: quæ omnia non annum 682. ſed ſequutum 683. Barbati emortualem fuiſſe demonſtrant.

Mortuus Barbatus adhuc vivum ſeſe Civibus ſuis oſtendit, apud quos publicam venerationem mox conſequutus, præſentem opem ſuam omni beneficiorum genere exhibere nunquam deſtitit: dum illi viciſſim nihil ſolemnius, nihil jucundius omni ævo habuere, quàm ejus Nominis ſtudioſiſſimos ſe probare: Hujus Beneventanorum erga Barbatum obſervantiæ plura olim, plura hodieque ſuppetunt monumenta. Libet tamen ſpeciatim Tranſlationis ejus Corporis ſpeciatim meminiſſe, quæ Anno MCXXIV. ab Archiepiſcopo Roffrido facta eſt. Rei memoriam oculatus teſtis, ac noſter Chronographus Falco, non modo ſervavit, ſed etiam uberrimè eſt proſequutus. Quanta tunc, manifeſtato Civium oculis ſacro Barbati Corpore, illorum exultatio fuerit, ejuſque honorandi ſtudium, quantus Barbati erga Cives aſſiduus, atque ex miraculis, quæ tunc patrari contigit, quàm maximè comprobatus amor, eluxerit, ex Falcone ipſo didiciſſe promptum cuique erit. Mihi pauca Falconis verba, quibus is narrationem exorditur, protuliſſe ſatius fuerit, atque epilogi loco adhibuiſſe: *Hoc anno* ( ille inquit )

quit) *Roffridus Beneventanus Antiſtes, conſilio accepto, Corpus Sanctiſſimi Patris noſtri Barbati Beneventani Præſulis, ex Altaris tumba, qua per multa annorum curricula quieverat, abſtraxit &c.* Hoc nomine Barbatum Civem Epiſcopumque ſuum Beneventani vocaſſe olim amabant, vocare etiamnunc gaudent, nunquam non PATREM vocaturi: ut qui Patrem appellari ſe audit, ac lætatur, Beneventanos Cives ſuos, ſuos item Filios, Virtutum imitatione agnoſcere, beneficiorum largitione fovere ſemper pergat (1).

Poſt Virum Sanctiſſimum prodibit nunc Fœmina piiſſima, alterum ejuſdem ævi, locique, eximium Longobardicæ Religionis ornamentum. Theodoradæ, ſive Theodoræ, Conjugis Ducis Romualdi, nomen ſuperiore Capite audivimus; ſpectanda nunc Virtus eſt, digna illa quidem, ut peculiari ſermone accuratiùs illuſtretur. Ac primùm laudandum profecto videtur conſtans Theodoradæ, propoſitum, atque ſtudium, quo, dum Longobardicæ Superſtitiones vigerent, à Viri exemplis abhorrens, Religionis, quam ſervabat, puritatem præclaris adhuc Chriſtianæ Pietatis officiis excoluit: Nam (uti Acta Barbati poſteriora habent num. 14.) *funditùs Gentilitatis errorem contemnens, verum Dominum Jeſum Chriſtum ex toto animo confitens, tota mente dilexit.* Præclarum certè ejus virtutis argumentum, aut certè opus fuit, aureum Viperæ Simulacrum, à Romualdo clàm ſtudioſèque ſervatum, ex adytis eduxiſſe, ac Barbato expetenti non ſolum prodidiſſe, verum etiam, non ſine proprii Capitis ſubeundo diſcrimine, conflandum permiſiſſe. In Capitis certè diſcrimen eam ob rem ſeſe adducendam Theodorada animadvertebat, ſic Barbato affirmans: *Si hoc egero, ſcio me ſuccumbere morti*: vel, uti Acta habent priora, *ſi hoc perpatravero, Pater, veraciter ſcio me morituram*: & tamen ipſa Simulacrum tandem prodidit, Barbatique arbitrio permiſit. Non id verò muliebris animi terriculamentum exiſtimabimus; quum enim rem, quemadmodum geſta eſſet, Romualdo amarè ac ſubiratè ſciſcitanti Barbatus promptè aperuiſſet, repentè unus ex adſtantibus Comitibus ait: *Si mea Uxor talia perpatraſſet, nullo interpoſito momento ejus Caput abſcinderem; ad quem Barbatus: Quia Diabolum adjuvare niteris, Diabolo manciperis; qui continuò à Diabolo correptus coepit torqueri.* Vides jam feroces Longobardorum animos, injuriarum impatientes, ſimulque vides, miraculo opus fuiſſe, ut ab ulciſcenda graviſſima illa injuriâ, quam à Conjuge ſibi illatam compererat, Romualdus deterreretur: Juſtam itaque metuendi cauſſam habebat Theodorada: quæ nihilominus Simulacrum prodens, ſuperſtitionum omnium reliquiis illis, etiam ſuo ſanguine delendis, paratam ſe oſtendit.

At præclariora de Theodorada habemus; cujus religio, ac pietas in eò magis eluxerunt, quod in Suburbano Sacram S. Petro Apoſtolorum Principi Ædem à fundamentis ad Sabathi Fluminis ripam extruxerit, eique ampliſſimum Sanctimonialium Monaſterium adjecerit. Romualdi hoc fuiſſe Opus certus tradit Cl. Muratorius (2); Paullumque Diaconum teſtem advocat; a quo is tamen oſcitantiæ convincitur; nihil enim, quod ad rem hanc attinet, de Romualdo legere in Paullo eſt, qui de Theodorada duntaxat loquitur, eamque Ædem *Baſilicæ* nomine appellat, ut ex ejus amplitudine, elegantiaque munificentiſſimam fuiſſe Theodoradæ pietatem probè intelligeremus (3). Lapſus quoque Cl. Mabillo-



(1) Acta S. Barbati, uti ſuperius, dixi ideò recudere abſtinui, quod tum apud Bollandum, tum apud Ughellum edita proſtant, haud à noſtris diverſa, ſi paucula verba, atque etiam menda tantùm excipias. Actorum tamen loco heic dabimus antiquum Hymnum, quem olim ad Sanctiſſimi Antiſtitis ſui honorem Eccleſia Beneventana in Eccleſiaſtico Officio canebat. Non uno eo Hymno Barbati memoria celebrari ſolebat; ſed ex aliis hunc edere libuit, præclariora quæque Barbati Geſta ſummatim commemorantem, atque ex eodem vetuſto Codice, in quo ejus Acta habentur, deſcriptum, Eccleſiaſticæ vetuſtatis, ac vetuſtæ ſimplicitatis amatoribus haud fortaſſe injucundum.

*Barbate Chriſti Famule*
*Longobardorum Speculum*
*Verbo fulgens & Opere*
*Samnites hoſte libera.*
*Beneventano Principi*
*Matrem oſtendis Virginem*
*Preces fundentem Filio*
*Pro libertate Populi.*
*Tu Conſtantini Ceſaris*
*Mentem irati mitigas.*
*Voti nefauſtam Arborem*
*Vellis, & Fidem propagas.*
*Romuvald Theodoradam*
*Et Plebem Chriſto Copulas.*
*Tu Simulacrum Vipere*
*Vertis in Dei Calicem.*
*Miles accendens Principem*
*In necem Dei Famule*
*Demonis aula noſcitur*
*Cum multis ejus poſteris.*
*Aqua lotarum manuum*
*Prodes hauſta languentibus.*
*Sis ergo nobis omnibus*
*Medela delinquentibus.*
*Precamur ergo ſupplices*
*Chriſtum pro nobis rogites*
*Qui tua feſta colimus*
*Ut faciat nos celites*
*Cum eo noſtra ſit gloria.*

(2) Antiq. Med. Ævi Diſſ. LXVI. to.V. p.497. litt. B.

(3) Paulli Diaconi verba hæc ſunt lib.VI. cap.I. *Conjux quoque ejus* (Romualdi) *Theodorada eodem tempore foras muros Beneventanæ Civitatis Baſilicam in honorem S.Pe-*

billonius est, qui hanc Basilicam, Monasteriumque non alterum ab eo fuisse arbitratur, cui vocabulo *S. Mariæ*, *& S. Petri in Massano*, in Civitate Alifana extanti Dux Romualdus Donationem à Justiniano Cive Beneventano factam confirmat suo Diplomate, relato in Chronico S. Sophiæ col. *617*. Non enim Vir summus animadvertit Chartæ Romualdi præmissum in eodem Chronico col. *616*. Diploma alterum Ducis Gisulphi *De Monasteriis S. Mariæ, & S. Petri apud Alifas in loco Massano* (1). Quamobrem non solum manifesta utriusque Ecclesiæ, Monasteriique diversitas statuenda erit, verum etiam illud certum fit, Diplomatis à Mabillonio memorati nullimodo Romualdum nostræ Theodoradæ Virum, Regisque Grimoaldi Filium, sed posteriorem Romualdum auctorem fuisse, qui Gisulphi Ducis filius, priorisque Romualdi nepos Anno Sæculi VIII. sextodecimo Beneventanum Ducatum administrare cœpit. Ast *opere in longo fas est obrepere somnum*. Ad Theodoradæ itaque opus quod attinet, diversum quoque illud affirmamus ab Monasterio altero, Ecclesiaque S. Petri, intra Urbem positis, in quæ quum inciderimus, non abs re factum existimamus, si de eo loco sermonem heic opportunè instituamus, qui cum Theodoradæ opere coaluit, ejusque juribus, opibusque ita increvit, ut adhuc superstes illius dignitatem præseferre videatur.

Ac primum illud certum ex indubiis affirmabimus monumentis, utrumque Monasterium ejusdem omnino Nominis, atque Instituti, alterum extra mænia, intra Urbem alterum eodem Sæculo XI. æquè substitisse. Ac de priore quidem, quod à Theodorada ædificatum est, luculentum præbent testimonium Acta Beneventani Concilii, quod Pontifex Nicolaus II. Anno MLIX. celebravit: Ita enim illorum se habet exordium: *Quum Dominus Nicolaus PP. apud Beneventum extra ipsam Civitatem intra Ecclesiam S. Petri juxta flumen Sabathi Concilium celebraret, & cum eo nonnulli Archiepiscoporum, Abbatum, Monachorum, ac totius Ecclesiastici Ordinis, ac Laicalis non pauca multitudo &c.* (2). Ex quibus rectè vides, post medium Sæculum XI adhuc eam extitisse Basilicam, adeoque, & Monasterium illi conjunctum; de quo quidem Monasterio adhuc ad Sæculi XIII. exitum loquutus videtur S. Cœlestinus PP. V., cujus in *Catalogo Chartarum Archivi S. Rom. Ecclesiæ confecto anno 1366.* apud Muratorium Antiq. Med. Ævi tom VI. pag. 190. isthæc habentur: *Item alia Litera ipsius Domini Papæ, unientis Conventui Monasterii S. Petri prope Beneventum certa Monasteria, & Ecclesias hìc expressas. Datum Sulmonæ II. Idus Octobris Anno I.* idest Anno MCCXCV. Alterum autem Monasterium, Ecclesiamque cognominem intra Urbem extitisse, eodemque tempore Monialium nobilitate, ac sanctitate floruisse, testis est Desiderius Abbas Casinensis, summus postea Pontifex Victor III., qui de hujusce Monasterii Sanctimoniali *Bella*, & Abbatissa *Offa* præclara quædam in Dialogorum suorum Libro III. refert. *Amita Patris mei* (inquit Desiderius) *Bella nomine, in Monasterio B Petri Apostoli intra Beneventanam Urbem posito, in Sanctimoniali habitu à primævo juventutis flore usque ad ultimam Senectutem degit. Quæ quum esset desponsata viro, occultè de domo parentum fugiens, ad Monasterium contendit, ibique virginitatem suam Omnipotenti Domino dicavit; & quia terrenum in terra sponsum habere contempsit, proculdubio habere meruit cœlestem in Cœlis. Ipsa mihi solita erat referre de Abbatissa sua, quæ Offa dicebatur; quia in monte, quæ S. Agatæ Martyris dicitur propè Capuanam Urbem, antequam regimen Monasterii susciperet, longo tempore habitaverit, ibique vitam eremiticam duxerit: dehinc Monasterii suscepto regimine, quadam nocte Sororibus adhuc quiescentibus, Oratorium ingressa accepit thuribulum, ut more solito thura adoleret Altaribus. Cumque thus in thuribulum mittere vellet, è manu ejus cecidit, & lampade à vento extincta thus invenire non valuit: repente vero quidam juxta illam astitit, & tenens manum ejus, thymiama, quod in turibulum posuerat, dedit. Tantus igitur odor ex illo incenso thymiamate emanavit, ut per totum, quod reliquum erat noctis usque ad horam diei tertiam non solum Ecclesiam,* *sed*

*S. Petri Apostoli construxit, quo in loco multarum Ancillarum Dei Coenobium instituit*: eodem nempe tempore, quo Romoaldus *Tarentum expugnavit, parique modo Brundusium, & omnem illam, quæ in circuitu est, latissimam regionem suæ ditioni subjugavit*, uti idem Diaconus antea narrarat l. l. De anno adhuc lis est, nam Vipera ad 682. Sarnellius ad 672. Pratillus ad 680. referendam Romualdi victoriam censuerunt; Cl. Assemanus ex ipsius Romualdi obitu, quem anno 680. jam sequutum observat, de anno 669. sententiam tulit to. II. pag. 472. not. A. Utut de anno sit, refutandi magis Vipera, ac Sarnellius videntur, quod Basilicam Monasteriumque à Theodorada constructum ajunt ex Græcorum spoliis, quæ victor Romualdus domum retulerat: Diacono enim, aliisque silentibus monumentis, divinasse id potius, quàm conjectasse fuerit. Quas autem idem Diaconus *Ancillas Dei* vocat, easdem verè *Moniales* fuisse non erit dubitandum: Audi Concilium Romanum anni 721. *Qui Monacham, quam Dei Ancillam appellamus, in conjugium duxerit, anathema sit.* Placuit certè illo ævo, ac semper placere debet, id vocabulum iis Virginibus, quæ solemni voto se Christo despondentes, illius Mulieris humilitatem æmulari gestiunt, quæ Dei Mater salutata, se *Dei Ancillam* professa fuit, cujus etiam illa laus est, ut *adducantur Regi Virgines post Eam*.

(1) Annal. Benedictin. tom. I. ad an. 672. pag. 473.

(2) Beneventanum hoc Concilium à Nicolao PP II. celebratum in Labbeanæ collectionis to. IX. p. 110. editum, recusum habetur in Synodico Provinciali Beneventano.

*ſed etiam omne illud Monaſterium mira ſuavitate repleverit: Ex qua re ſine dubio datur intelligi, quod Angelus Domini fuerit, qui illud Thymiama tantæ fragrantiæ tribuerit. Hæc eadem Religioſiſſima Abbatiſſa dum multa per tempora ſolicitè Virginibus præfuiſſet, verbis, & exemplis ſibi commiſſas Dei Famulas inſtruere non ceſſans, languore tacta corporis venit ad mortem: cumque in extremo poſita jam propè eſſet, ut Chriſto, cui ſervierat, animam reddere deberet, videntibus cunctis, qui aderant, è lectulo ſe quaſi ad menſuram trium cubitorum in aere elevans, expanſis in Cœlum manibus ſtetit: & facta oratione iterum ſe in lectulo collocans ultimum ſpiritum exhalavit.* Hactenus Victor Pontifex ſanctiſſimus, ſapientiſſimuſque, cui paris ſanctitatis ſapientiæque Cardinalem Petrum Damiani teſtem adjungimus, qui eodem, ut ille, ore miracula ad *Offæ* ſepulcrum patrata narrare pergit (1). Quum igitur Victor, trigeſimo Sæculi XI. anno circiter Principe Familiâ natus, Sanctimonialem *Bellam* patris ſui amitam affirmet, tum ipſius mulieris genus, tum etiam ætatem manifeſtè oſtendit: parem illam ſibi nobilitate, tempore verò ſuperiorem probat; ut ipſam æquè atque Offam ineunte eodem Sæculo XI. floruiſſe demonſtret. Eo igitur tempore ipſum S. Petri Monaſterium *intra Urbem poſitum*, ubi ambæ illæ virtutibus coruſcarunt, non ſolum extitiſſe, ſed longius antea initia ſua habuiſſe debuit.

Eodem itaque tempore certabant quodammodo nobilitatis, ac pietatis ſplendore inter ſeſe duo hæc, diverſo loco poſita, ſed ejuſdem Nominis Inſtitutique Monaſteria. Præclarum illud extramuranum tum originis vetuſtate, tum certæ Fundatricis Theodoradæ dignitate: Poſterius intra Urbem conditum, incerto adhuc tempore, & auctore, quantum illi concedit origine, tantum longævitate præcellit: Periit namque illud; neque interitus cauſſam, atque tempus certò novimus; facilis tamen conjectura eſt idem fatum cum univerſa Urbe ſubiiſſe in immani illa vaſtatione, qua an. 1241. ut aliis ſtatuere viſum eſt, vel anno 1239. ut antiqua carmina docent, Imp. Fridericus II. in Beneventanos deſæviit (2); Veri enim habemus ſimillimum ea occaſione extramuranas illas Sanctimoniales, ne impiiſſimi Cæſaris furori, ac militaribus paterent injuriis, in Urbem convolaſſe, interque alias ejuſdem inſtituti Moniales ſibi tutelam quæſiſſe. Sed poſtea ad proprium Monaſterium, novis ejuſmodi diſcriminibus expoſitum, & ab accepta clade inſtaurandum, remeare non ampliùs conſilium fuit; adeout accedente poſterorum negligentia, temporiſque injuriis, extramuranam illam S Petri Baſilicam, conjuctumque Monaſterium olim extitiſſe, vix pauca nunc rudera oſtendant, ſolaque teſtetur loci appellatio, cui *S. Petri da fuori* nomen ſervatum eſt.

Superſtes autem alterum intra Urbem Monaſterium adhuc viget, incerto, ut dixi, auctore, quem tamen inter poſtremos Beneventi Principes omninò conjectare licebit. Nam præter piiſſimam illam Sanctimonialem *Bellam*, Principum Familiæ adfinem, tum *Gaitelgrimam* Principis Landulfi Conjugem, tum *Mariam* ejuſdem Principis Filiam in eodem Monaſterio regularem vitam traduxiſſe ſepulcrales utriuſque Inſcriptiones etiamnum oſtendunt (3).



(1) Lib. VIII. ep. V. ex edit. Cajetani tom. I. pag. 138. edit. Pariſ. 1743. Mutilam eam Epiſtolam in MS. repertam notat Cajetanus, in eaque cetera miracula deſiderari à Petro relata, quæ tamen ex Victoris Dialogis ſuppleri facile queunt. Illud verò Victori prætermiſſum Petrus de Sanctimoniali *Bella* memoriæ prodidit; quod ad cæteras virtutes *omnem carnalis illecebræ mollitiem rigidæ ſeveritatis cenſura conculcans, longè aliter educatum* (in paterna nempe domo) *corpus adeò edomuerit, ut in nudo pavimento membra jejuniis ſæpe attenuata collideret, nullumque ſibi, præter nudam humum lectiſternium provideret.* Digna quidem Abbatiſſæ ſuæ Offæ diſcipula; de qua *Offa* illud pariter, Petro prætermiſſum, Victor addidit: *Sed ex hoc quantæ fuerit abſtinentiæ dignoſci poteſt, quæ dum infirma jaceret in lectulo, & à multis honeſtioribus Viris, & mulieribus, viſitationis gratia ad ipſam venientibus, ut aliquantulum cibi, quo infirmum Corpus ſuſtentaretur, caperet, rogaretur, illa deſueta deliciis; ſi aliquid, inquit, mihi de infuſis leguminibus attuleritis, forſitan aiiquantulum inde potero deguſtare. O abſtinentia in Foemina prædicanda, quæ in infirmitate poſita, infuſis leguminibus pro ſummis etiam deliciis utebatur!* Dialogorum lib. III. pag. 161. edit. Rom. an. 1651. cum notis J. B. Mari.

(2) Res iſthæc tum ex ejus ævi hiſtoriographis paſſim conſtat, tum expreſſa habetur in carminibus quibuſdam à Synchrono, ut videtur, auctore compoſitis, ac in vetuſto MS. Archivio S. Sophiæ ſervatis, quæ à Ciarlante, Vipera, Sarnellio, Nicaſtro ſuis in libris edita; adhuc heic audire præſtabit.

*Anno Milleno biſcentum atque triceno*
*Ac ne fallaris adjuncto ritè noveno*
*Urbs dilecta ſatis, Urbs multæ nobilitatis*
*Urbs dilecta nimis dum fatis non datur imis:*
*Nunc nimis infelix, & Cæſaris obruta marte*
*Deſolata manet, nulla reparabilis arte:*
*Fit ſubjecta malis: fervor jubet Imperialis:*
*Nunc luit eventum, deſtructa jacens Beneventum.*

(3) In veteri Eccleſia Monialium S. Petri ante Terræmotum an. 1688.

Huc quicunque venis, greſſu conſiſte Fidelis,
Stirps generoſa ſolo hoc cubat in tumulo.
Samnitum Rectrix, quin paupertatis & altrix
Mater egenorum traxit ad omne bonum,
Quam marmor Monacham retinet per ſtemma ſerenam,
Omne decus vitæ fertur in hoc cinere.
Gailtegrima fuit Princeps, recolenda peregit;
Plorat inops pauper, dives & hanc pariter.
Præſidis & proles Roffredi maxime vatis
Pignora dimiſit bis duo, quæ genuit.
Temporis, ah, mobilis fuerat vertigine Sæcli
Conjux Landulfi Principis egregii.

Gaitelgrimam autem non quidem post Landulfi obitum, sed potius posteaquam is Principatu abdicato in S. Sophiæ Monasterio Monachi habitum, institutumque amplexus anno MLVIII. fuit, mutuo consensu, exemploque, se ipsam Deo sacrasse satis tutò affirmari potest. Quid ni igitur ipsum Monasterium, quod è postremorum Principum Familia illustres Fœminæ præ extramurano illo etiamtum vigente, ad monasticam professionem sibi deligere consuebant, ex eorundem Principum pietate, ac munificentia exortum asseramus? Sed & prioris, quod fato postea cessit, jura opesque omnes cum ipsis (uti dixi) Sanctimonialibus in se collegit, atque in unum coaluit Monasterium, quod, si loci duntaxat diversitatem exceperis, ad ipsam Theodoradam originis suæ splendorem jure, meritoque referre potest.

Sed jam ad ipsam iterum Theodoradam revertendum erit, cujus eximia pietas non ipsis Principis Urbis pomœriis contenta, in latissimos quoque Beneventani Ducatus fines progressa est. Illustre tunc temporis S. Sabini Episcopi Canusini, licet ante centum propè annos defuncti nomen habebatur, cujus quippe Sanctitas toto Christiano Orbe celebrata ipsum Magnum Gregorium præconem habuit. Theodoradæ temporibus, pietatique servabatur, ut quod jamdiu oblivioni datum ignoraretur, inventum tandem sepulcrum in novam exurgeret Ecclesiam, quam in S. Sabini honorem Theodora *construens, Altare super Virum Dei* (id est super illius Lypsana) *pulcro marmore instituit, ad cujus opus Calicem, & Patenam ex auro fieri præcepit, nec non & Altaris tegmina gemmis decoravit* (1).

Quæ hactenus de Theodora novimus, satis fore arbitror, ut non modo illam, alterum post Barbatum Longobardicæ Religionis decus jure merito appellemus, verum etiam cum clarissimis illis Fœminis comparemus, quarum virtute per ea tempora factum est, ne quid detrimenti ex tot barbararum Gentium inundationibus Christiana Religio caperet, adhùc etiam incrementum retulisse lætaretur. *Magnum Dei consilium* magnus ipse Baronius rectissimè agnovit, *dum quæ sunt infirma Mundi elegit, ut confunderet fortia; cum scilicet robustissimas, easdemque indomitas Gentes, sive Christiano, sive Catholico nomini infensissimas, Francos, Gothos, & Longobardos, per Foeminas ipse Deus converterit ad verum Religionis cultum; Franci enim per Chrotildem, Gothi in Hispania per Ingundem, & in Italia Longobardi per Theodolindam Fidem Christianam, eandemque Catholicam perceperunt* (2). Stet quidem sua Theodolindæ laus, si de Transtiberina Italia agatur: De Cistiberinis verò Longobardis non illa Theodoræ parem laudem invidebit, quæ virtutem æquavit.

Absit nunc, ut post religiosissimæ Conjugis præconia, non solum inglorius, sed superstitiosorum rituum infamiâ quoque notatus Romualdus remaneat. Est profectò, quod ejus laudi verti potest, dum pristinis abjectis erroribus, Barbato oblatas ingentes opes recusanti, solumque Garganicam Cryptam, Sipontinamque Ecclesiam sibi subdendam postulanti, libenter annuerit: Quamobrem non solum id præstitit Romualdus, ut religiosus cultus iis locis restitueretur, verumetiam ut Longobardi omnes in SS. Archangeli Michaelis, quem jamdiù sibi Patronum constituerant, studiosiùs incumberent. Res isthæc, quæ insigne Longobardicæ Religionis argumentum suppeditat, peculiari Capite, accuratioreque operâ illustrari jam postulat.

CAPUT

Illuxit sapiens annorum cardine prudens.
Mors inimica tulit membra, locoque dedit.
Inclita spes Mundi, dum mansit in ordine Regni
Creditur interius, ut notat hic Tumulus.
Hæc duo sena sacro perfecit tempora velo,
Et ternos menses Cœnobio geminos.
Sexeno denis verso quin insuper annis
Flatus & hanc vexit, post iit, unde fuit.
Idibus in senis complevit tempora carnis,
Ut Jani costant calculus, & celebrat.
Huc lector propera, mandritam corde saluta:
Sit tibi magna salus, dic, fugiatque metus.
O puerique, Senes, & gressum ferte Sorores,
Mente, Pater noster, psallite huic pariter.
Omnia tu Genitor, hujus commissa, Redemptor
Spiritus alme, fuga nunc pietate tua.
Christe sibi requiem tu dona luce perennem
Qua regnas summe semper sine fine beata.

In recenti Ecclesia earundem Monialium ad dexteram Portæ minoris adhuc extat: cujus specimen in Appendice dabimus.

Hic sita sunt magnæ clarissima membra Mariæ
Stemmate Landulfi Principis orta pii.
A modicis annis spernens hæc gaudia mortis.
Pergens ad caulas Ecclesiæ niveas.
Suscepit velum sacrum, quo vicit iniquum,
Jam victrix donis utitur æthereis.
Lactea conspectu, sed plus pulcherrima sensu,
Moribus angelicis, pervigil excubiis.
Viscera matris habens, animas, & corpora complens,
Nunc alios verbis, nunc aliosque cibis.
Turrigera conca subeunt & splendida membra:
Bissenis lustris associata polis.
Idibus octonis percurrens tempora carnis,
Quas sibi mensis obit Junius ipse gerit.
Christicolæ cuncti vos spernite gaudia Mundi;
Quos alit hæc tellus, dicite: Parce Deus.....

(1) Extare adhuc Canusii eam Ecclesiam, seu insigniorem ejus partem testatur laudatus Præpositus Tortora l. l. pag. 81. cujus hæc sunt verba: *Etsi autem hæc Ecclesia à Theodora à fundamentis excitata partim adhuc hodie appareat à latere veteris Cathedralis S. Petro Apostolo dicatæ à cornu Evangelii (Ara enim respicit Orientem) sicut etiam Beatillus testatur, tamen Bollando placuit de hac Capella hæc memoriæ prodere &c.* ut nempè conjuncta Cathedrali nullo modo videri debeat: Bollando Tortora non assentitur: sed illud utrique probandum erat, fueritne eadem, quæ nunc extat Cathedralis, quo tempore Sabini Ecclesiam Theodora ædificavit.

(2) Annal. Eccl. ad an. 591. num. I.

## CAPUT IV.

### *De eximio apud Longobardos S. Michaelis Archangeli cultu.*

Archangeli Michaelis Apparitiones variæ: omnium Gargani caantiquiſſima, & celeberrima: ejus Hiſtoria uberrimè illuſtratur: Patronus Archangelus à Longobardis ſub eorum adventum delectus: Quibus argumentis ab univerſa ea Gente, potiſſimum vero à Longobardis Beneventanis venerationem conſequutus.

BEatum Michaelem Archangelum, quemadmodum Sinagogæ olim, ita Chriſtianæ deinceps Eccleſiæ Patronum à Deo Optimo Maximo datum luculenter oſtendit Apocalypſeos locus, ubi cœleſte illud certamen deſcribitur ejuſdem Archangeli, Angelorumque ejus cum Dracone, hujuſque ſectatoribus Spiritibus, reportataque de ipſo Dracone, *Serpente antiquo, qui vocatur Diabolus, & Satanas, qui ſeducit univerſum Orbem*, felix, ac læta, ingentibuſque totius Aulæ cœleſtis plauſibus celebrata Victoria (1). Certaminis cauſam Divinus idem Vates prænarraverat: Mulierem videlicet, cœleſti ſpecie, habituque apprimè conſpicuam, ſibi ex alto viſam, Filium eò tunc dolentiſſimè parituram, quem vix in lucem editum adſtans hianti ore ignivomiſque oculis teterrimus Draco ſibi devorandum præſtolabatur; adfuiſſe mox Ducem Michaelem, qui profligato ſæviſſimo Hoſte, Mulierem, ejuſque Prolem ſervavit incolumes: ut ſcilicet Chriſtiana Eccleſia, quæ illius Mulieris typo ſignificabatur, ſe, ſuoſque, quos in terris parturiret filios, ſub ejus Archangeli tutela poſitos intelligeret, qui adverſus aſſiduos ejuſdem antiqui Hoſtis conatus præſentem pro ſuo munere opem exhibiturus eſſet, proque ſua fortitudine indubiam referendæ victoriæ ſpem confirmaret. Rem ita eſſe, alia poſtmodum argumenta, felicioreſque ſucceſſus comprobarunt; frequentes ſcilicet ejuſdem Archangeli Apparitiones; quibus factum eſt, ut Ipſe præ cæteris Angelis ſeſe Chriſtiani Populi Patronum demonſtraret, eâque veluti præſentiæ, conſpectuſque ſui conſuetudine ferventiorem illius venerationem ſibi concilians, majoribus beneficiis rependendam ſuſciperet. Non una igitur illa, quæ in Apuliæ monte Gargano facta eſt, nobis modo illuſtranda, cujus anniverſariam memoriam univerſis Fidelibus recolendam Eccleſia conſtituit, ſed plures vario tempore, diverſiſque in locis recenſentur ejuſdem Archangeli Apparitiones; quas tum operæ pretium, tùm ipſius Garganicæ Apparitionis illuſtratio, tum denique ejuſdem Archangeli honos fuerit, heic primo loco commemoraſſe.

Vetuſtiſſimam omnium, Archangeli Michaelis Apparitionem Romæ accidiſſe cenſuit Sapientiſſimus Annalium Eccleſiaſticorum Parens Baronius (2): Perſuaſum id ſibi fecit ex Drepanii Flori teſtimonio, cujus hæc de Romana Apparitione ſunt carmina:

*Clarent Angelici ſublimia feſta diei*
*Allatura piæ dona beata animæ:*
*Hunc etenim Michael aulæ coeleſtis alumnus*
*Conſpicuo nobis conſecrat ore diem:*
*Dignatus Petri, Paulique inviſere Sedem,*
*Imperiumque fovens, inclyta Roma tuum &c.*

Manifeſtam quidem ex Drepanio habemus Romanam Apparitionem: at ſi ejus Apparitionis antiquitatem ex Drepanii ætate metiri cum Baronio velimus, deerit certè nobis ratio illa, quâ is ſuam protulit, noſque ipſius ſequamur ſententiam: Drepanium, qui talia cecinit, *Poetarum Chriſtianorum vetuſtiſſimum* appellat Baronius, anceps tamen, num illum affirmet, cujus Sidonius meminit lib. 8. ep. 2. vel alterum ſenioris Theodoſii Panegyriſtam: At à Drepaniis hiſce, quos nonniſi unum eundemque agnoſcit Fabricius (3), longe diverſus,

(1) Apocal. cap. XII.

(2) Statuerat id primò Baronius in notis ad Martyrologium Romanum ad diem 8. Maji, edit. Rom. anni 1584. ratumque ſibi poſtea habuit in Annalibus ad an. 493. ubi poſt narratam Garganicam Apparitionem eidem anno attributam, meminit ex illius occaſione iterum anterioris Romanæ Apparitionis, cujus memoriam celebrari Romæ conſueviſſe ejuſdem unius Drepanii teſtimonio affirmat num. 43.; quem Drepanium Theodoſiani ævi clarum fuiſſe oratorem ſubdit ſeq. n. 44.

(3) Biblioth. Latin. Med. & infer. ævi, ex edit. Venet. P. Manſi lib. 2. 22.

ſus, longiſſimoque temporum intervallo diſtat recitati Carminis auctor Drepanius. Is ſiquidem Drepanius Florus eſt, Diaconus Lugdunenſis, non ignobilis Sæculi IX. Scriptor, de quo multa Caveus ad annum 837. plura adhuc poſt Caveum recentiores Bibliographi obſervarunt. Quæ igitur ex Drepanii ætate *vetuſtiſſima* Baronio ſtatuebatur, eâdem contrà de cauſa nonniſi omnium *noviſſima* Romana Apparitio cenſenda eſſet: Quam tamen Apparitionem nullimode ex adeo ſerâ Drepanii ætate repetere, ſed Drepanii potius teſtimonio eandem ipſam crediidiſſe licebit, quæ Sæculo VI. labente ſub SS. Pontifice Gregorio Magno Romæ in Summitate Molis, ſeu Sepulcri Imp. Hadriani accidiſſe traditur: quamobrem à Pontifice Bonifacio Eccleſia eodem in loco in Archangeli honorem fuit ædificata. Habes igitur Romanæ Apparitionis, de qua certè Drepanius loquutus videri debet, tum tempus, tum etiam cauſſam, tum denique Eccleſiam, perenne ac luculentum rei geſtæ monumentum, in Apparitionis loco conſtructam.

Sed an etiam primam hanc omnium Eccleſiam in Archangeli honorem Romæ ædificatam cenſebimus? Repugnat Cl. Muratorius, qui in erudita, ac perutili Diſſertatione præmiſſa vetuſtis Sacramentariis *Leoniano*, *Gelaſiano*, *Gregoriano* ab ipſo recuſis, nequicquam *Leoniani* vetuſtati officere contendit, quòd in ejus Kalendario occurrat Pridie Kal. Octobris *Natale Baſilicæ Angeli in Salaria*, cujus nempe Angeli memoria longè poſt Leonis ævum celebrari cœpit, poſtea videlicet quàm circiter annum 495. *Gelaſii I. temporibus* (uti Anaſtaſius refert) *inventa eſt Eccleſia S. Angeli in monte Gargano*; cujus ad exemplum aliæ deinde Eccleſiæ in ipſius Archangeli honorem excitatæ videntur: Repugnat, inquam, Muratorius, ajens verba illa deeſſe in tribus Anaſtaſii M. S. Codicibus, qui alioqui Anaſtaſius refert Symmachum Papam, qui anno 499. florebat, *ad Archangelum Michaelem Baſilicam ampliaſſe, & gradus feciſſe, & aquam introduxiſſe*: quo ex loco Anaſtaſii id confici certum putat, Baſilicam illam antiquitùs extitiſſe, quam Symmachus nonniſi amplificandam curaverit: *Ergo cave* (inquit) *ne interpreteris Adonem in Martyrologio tradentem, peracta Apparitione Archangeli in Gargano, non multo poſt à Bonifacio Papa* (*qui alius eſſe nequit, niſi Secundus*) *conſtructam fuiſſe Romæ Eccleſiam S. Michaelis in Summitate Circi; quaſi prima Sacra Ædes ea fuerit in Urbe titulo S. Michaelis inſignita. Ante Bonifacium II. uti oſtendimus, una ſaltem Baſilica ejuſdem Archangeli à Romanis colebatur: Quæ in Sacramentario Leoniano memoratur, ſita fuit in Via Salaria, ejuſque Natalis dies, hoc eſt annuus Dedicationis dies in honore erat* Pridie Kal. Octobris, diverſus quidem à Dedicatione Baſilicæ Garganicæ, III. Kal. Octobris celebrari conſueta. Hæc quidem Muratorius, ut Leoniani Sacramentarii vetuſtatem propugnaret (1).

At incolumis adhuc ejuſdem vetuſtatis præſtantia manebit, ſi eam Archangeli ſolemnitatem poſt S. Leonis ævum inſtitutam, ejuſdem Sacramentario adjectam dixerimus; quemadmodum in ipſius Leonis, Gelaſiique, ac Gregorii Sacramentariis plurima paſſim poſterioribus temporibus addita non ipſe abnuit Muratorius. E ſane, cur ea vetuſtioris Romanæ Baſilicæ, cujus annuus quoque Dedicationis dies celebraretur, memoria in ſequutis Romanis Sacramentariis, Kalendariiſque interciderit, nulla idonea afferri ratio poteſt: nefas enim opinari fuerit, oblivioni datam poſt Garganicam Apparitionem, recentioremque eâ de cauſa Eccleſiam à Bonifacio ædificatam; quaſi poſterior hæc vel prioris cultum, memoriamque ſibi omnimodè vindicarit, vel Bonifacius poſt Garganicam Apparitionem ad excitandam in Urbe Archangeli venerationem novam Romanis ædificare Eccleſiam opus habuerit, qui profectò Romani jamdiù ejuſdem Archangeli Eccleſia fruebantur. De Anaſtaſii verbis, quæ Garganicam Apparitionem ſpectant ſub Gelaſio factam, nullo modo, quin ex ejus manu ſint, plures ejus tam editi, quam MS. Codices, ac conſona aliorum teſtimonia dubitari ſinunt; ut ridiculum ſit, ad ejus rei fidem conciliandam ſubmiſſa illa ſuſpicari in vulgatum Anaſtaſii textum, qui potius celeberrimum factum, quo maximum Religionis confovendæ venerationiſque erga Archangelum excitandæ argumentum præbebatur, pro munere ſuo ſilere non debuit (2): Quæ verò de Symmacho habet, ambigua ſatis ſunt, ut Baſilicam ab eodem Pontifice amplificatam, Archangelo præcipuè dicatam affirmare vix tutò liceat: Quanquam etſi illa extiterit, quum Symmachus poſt Anaſtaſium II. Gelaſio I. ſucceſſerit, veri certe ſimilius eſt, eam potius Baſilicam ab ipſo Gelaſio, cujus tempore Garganica accidit Apparitio, dedicatam opinari, quàm ad vetuſtio-

(1) Inter Opera Minora edit. Neapol. tom. XI. cap. IV. pag. 29.

(2) Certè in ſincero Anaſtaſii textu extat quem cum *Diſſertatione* Emm. à Schelestrate in lucem edidit.

tuſtiora Leonis I. tempora illam referre. Quid verò ( nam id quoque veriſimillimum ) ſi mendum in Leoniano ſcribendo, deſcribendove Kalendario admiſſum fuerit; ut pro III. ſive TER. ſcriptum PR. ſit, pro GARGANO verò SALARIA irrepſerit (1)? Itaque nihil nobis ab Adone cavendum, quem de prima omnium Bonifaciana Eccleſia Romæ conſtructa interpretrari neque novum, neque abſonum eſſet, dum jamdiù illius interpres Eccleſia Romana tum in Breviarii Lectionibus, tum in Martyrologio ad diem III. Kal. Octobris, nonniſi poſt Garganicam Apparitionem, ædificatam tuncprimum in Urbe à Bonifacio Eccleſiam Archangelo declarat. Cavendum potius ab ipſo Muratorio, qui adeò confidenter ejus Ædis auctorem *non alium*, quàm Bonifacium II. nobis offert.

Qualis iſte Bonifacius Pontifex fuerit incertum fortaſſis videri poteſt: Atque Ado quidem in Martyrologio ſuo ad diem III. Kal. Octobris poſt Garganicam Apparitionem ſatis diſtinctè enarratam, de Romana Archangeli Baſilica hæc ſubdit: *Sed non multo poſt Romæ Ven. etiam Bonifacius Pontifex Eccleſiam S. Michaelis nomine conſtructam dedicavit in ſummitate Circi criptatim miro opere altiſſimè porrectam, unde, & idem locus in ſummitate ſua continens Eccleſiam INTER NUBES ſitus vocatur*. Bonifacium memoraſſe Ado contentus, ut de Pontificis numero, ſeu tempore certiores efficeremur, conjecturas duntaxat in ea narratione reliquit. Ac primùm, ſi Eccleſia *non multo poſt* Garganicam Apparitionem, ideſt cum multò poſt annum 496. fuit ædificata, non alius nobis occurret Bonifacius, quàm ejus nominis Secundus, qui anno 530. ſedere exorſus, vix annum ſui Pontificatus explevit. Contrà verò, quum Ado ipſum ædificatæ Eccleſiæ locum, ac formam adeò accuratè deſcribat, non aliud profecto *Circi* nomine, quam Hadriani molem, ſeu Sepulcrum in Circuli formam altiùs exurgentem ſignificaſſe videtur, cujus etiam molis Summitati vocabulum INTER NUBES magis congruit, quàm ſi in veteri Romano Circo ædificata Eccleſia dicatur: Ædificandæ autem occaſionem ( uti ſuperius dixi ) præbuiſſe videtur Angelica Apparitio, quæ in ipſius molis vertice ſub S. Gregorio M. facta eſt: Ædificavit autem Bonifacius ſive III. ſive IV. quorum alter alteri, uterque vero poſt Sabinianum Gregorio ſucceſſit: atque hæc quidem omnino probabilis Baronii ſententia eſt, cujus etiam verba ex ejus ad Martyrologium notis libenter audiemus: *Hi autem* ( alteruter ſcilicet Bonifacius ) *quum poſt Sabinianum ſucceſſerint Gregorio, recenti miraculo de Angelo, qui ( ut habet antiqua traditio ) ſupra prædictam molem viſus eſt, in ſignum Luis ceſſantis gladium exertum in vaginam recondere, in tantæ rei geſtæ monumentum, alterum illorum illic erexiſſe Eccleſiam prædictam par eſt credere*.

Quum vero pro re nata de hac Bonifaciana Eccleſia dicere ſemel cœpimus, adhuc de ſpecioſo illo cognomine INTER NUBES obſervare pauca libebit. Baronium mihi præiſſe fateor, ut Eccleſiam illam, quæ ſuper Hadriani Molem excitata fuit, eo cognomine indigitatam aſſererem: Baronius enim ſic habet l. l. *Quum nec alius ſit Romæ locus, Michaelis Archangeli memoria celebris, cui prædicta conveniant, in eam adducor non invitus ſententiam, ut opiner dictam Memoriam Michaelis, cujus Ado meminit, fuiſſe olim ſitam in Summitate Molis Hadriani, ſuper ingens Saxum, velut eminentem Scopulum poſitam, ac revera* ( ut ait ) cryptatim miro opere altiſſimè porrectam, *ut merito locus ille dictus fuerit INTER NUBES, qui quidem & alio nomine à Majoribus appellatus invenitur, nimirum MONS S. ANGELI: ita enim vocatum habes apud Petrum Damianum de Rebus geſtis S. Romualdi: eo autem nomine ab Eccleſia in ejus ſummitate erecta eſſe dictum, evidens eſt conjectura*. Diſcimus itaque, cur ea Eccleſia vocabulum illud: INTER NUBES: nacta ſit, propterea ſcilicet, quod in dicta ſublimi Mole, veluti Monte quodam conſtructa fuerit; indeque mutua quadam appellatione *Mons S. Angeli* eadem Moles dicta ſit. Nec certè dubitari poteſt, quin de eadem Mole ſub dicto vocabulo S. Petrus Damianus loquutus ſit: en ejus verba ex capit. XXV. Vitæ S. Romualdi: *Creſcentius Senator Romanus indignationem Regis* ( ſc. Ottonis Auguſti ) *incurrens, in Montem, qui dicitur S. Angeli, confugium petiit; & quia munitio inexpugnabilis eſt, obſidente Rege, ad defendendum ſe fiducialiter præparavit*. Vides, quàm præclarè pro eo Monte S. Angeli, Moles ipſa Hadriani, & Damiano accepta, & nobis intelligenda ſit: ex qua certè Mole, ſeu Munitione Creſcentium nonniſi per fraudem egreſſum in Ottonis ſe manus tradidiſſe Scriptores plurimi tradunt. Neſcias tamen, quam majo-

(1) Primum certè mendum Librarii vitio patratum agnoſcit Cl. Georgius in obſerv. ad Martyrol. Adonis ab ſe editum ad XXIX. Septembris pag. 504. ut nempè pro PRID. legendum ſit III. Kal. De Archangeli autem Baſilica *in Via Salaria*, veram illam putet ex notitia ab Eckardo edita, ubi ejuſdem mentio occurrit.

majorem dixeris hyperbolem, vel quia Moles ipsa *Montis* appellationem sibi fecerit, vel quia idem fabrefactus Mons ita verticem extulisse dicatur, ut quam impositam haberet Ecclesiam *Inter Nubes* veluti sitam crederent, nuncuparentque. Quid? Quod neque *Nubium* terminis contentam Majores voluere. Est insignis in Liutprandi Ticinensis, sive Cremonensis, Sæculi X. Scriptoris, Historiâ locus lib. III. cap. 12. Scriptor Ital. tom. II. p. 450. ubi eadem Ecclesia non, ut alibi, INTER NUBES, sed amplius USQUE AD COELOS vocabulo celebrata occurrit: quem locum eò libentiùs referam, quò, quæ olim sola Baronii opinio, seu conjectura fuit, jam de Bonifaciana S. Michaelis Ecclesia, Adoni commemorata, omnino liqueat. *Munitio* (inquit Liutprandus de Hadriani Mole, ubi nefandissima Marozia confidens Regem Hugonem ad sui thalami, tyrannidisque consortium invitabat) *tantæ altitudinis est, ut Ecclesia, quæ in ejus vertice videtur, in honorem summi, & coelestis Militiæ Principis Archangeli Michaelis fabricata, dicatur* ECCLESIA S. ANGELI USQUE AD COELOS. Sed jam satis de Romana Apparitione, Ecclesiaque S. Michaelis. Nunc alias alibi factas ejusdem Archangeli Apparitiones persequamur.

Celebris in Galliis ejusdem Archangeli Apparitio fuit, anno DCCIX. S. Autberto Abrincatensi Episcopo facta, de qua plura plures gravissimique Scriptores memoriæ mandarunt (1). Admonuit Episcopum Archangelus, ut in sui honorem Ecclesia construeretur in eo Montis vertice, qui *Tumba* ab incolis vocatur: Hærenti Antistiti tertiò idem imperatum, qui tandem *fabricam extruxit in modum Cryptæ rotundam... instar illius, quæ in Gargano Monte erecta fuerat*. Loci religionem non solum ex Garganicæ Cryptæ exemplo, sed receptis etiam illinc Reliquiis augendam curavit Autbertus, nam concedente Garganici Montis Abbate allata in Abrincatensem Cryptam fuit pars *rubri pallioli*, quo Archangeli Altare cooperiebatur, *marmoris* præterea fragmentum, ubi miraculosa apparentis Archangeli vestigia impressa visebantur. Ejus autem Apparationis dies, qui in XVII. Kal. Novembris incidit; non solum in Abrincatensi, sed in aliis passim Galliarum Ecclesiis solemnis haberi cœpit: Inter alia vetusta Martyrologia, quæ Cl. P. Sollerius retulit in Auctariis Usuardi in posteriore parte tom. VI. Junii P. II. pag. 605. adest Martyrologium *Grevense*, ubi de hac Apparitione sic legitur. *In Territorio Abrincensi Apparitio S. Michaelis Archangeli, qui circa annum Domini* DCCVII. *apparuit Autberto Abrincensi Episcopo, monens, ut in loco maris, qui* Tumba *propter sui eminentiam, & etiam* in periculis maris *dicitur, Ecclesiam in sui memoriam fundaret, volens nimirum sibi in Pelago æqualem ei, quæ in Monte Gargano est, venerationem exhiberi*. Sed & è Galliis in Angliam quoque ejus Apparitionis celebritatem pervagatam, maximoque in honore multis post Sæculis habitam ostendit Synodus Oxoniensis anni 1222. cujus statutum illud fuit, ut Dedicatio S. Michaelis in Monte Tumba à Rectoribus Ecclesiarum devotissimè celebretur. Celebriorem denique eum diem anniversarium olim miraculum effecisse traditur, nam *in circuitu illius Montis redundat mare quotidie duobus vicibus, id est mane, & vespere, & non possunt homines adire montem, donec mare discesserit: in festivitate autem S. Michaelis non conjungitur mare, sed stat instar montium à destris, & à sinistris: & in ipso die solemni possunt omnes, quicunque ad orationem venerint, omnibus horis adire montem; quod tamen aliis diebus non possunt* (2).

Ante vero Abrincatensem Apparitionem insederat Gallorum animis peculiaris erga SS. Archangelum veneratio, quam etiam satis religiosam ostendunt peregrinationes ad Garganicam Cryptam ab ipsis susceptæ. Illustris illa fuit Comitis Wolfandi, quæ Ecclesiæ in ejusdem Archangeli honorem, Monasterioque adhuc construendo occasionem fecit: Quum enim ex Reliquiis, quas è Garganica Crypta domum retulerat, insigne patrari miraculum contigisset, mox Comes eodem loco, quem Archangelus eo miraculo designavit, Ecclesiam condidit, Virorumque Monasterium adjecit: Rei originem ad Annum DCLXVII. refert, ac mox Monachorum Sanctitate, & doctrina locum floruisse testatur antiquum ejusdem Monasterii Chronicon (3). Quanquam verò quæ fuerint eæ Reliquiæ è Garganica

(1) Sigebertus in Chron. ad annum 709. Petr. de Natal. lib. II. cap. 71. Baillettus in Vit. Sanct. ad 29. Sept. August. Calmet. in Dictionar. S. Script. V. Michael. Dionys. Petavius in Ration. Temp. part. I. lib. 8. cap. 4. ubi in fine sic habet. *Childeberto regnante anno 709. Sigebertus idem scribit Archangeli Michaelis indicio, Rupem eam, quæ in Ambrincatensi Dioecesi illius nomine, ac religione colitur, consecratam fuisse ab Autberto Episcopo*.

(2) Ex antiquo ejusdem Apparitionis Scriptore rem totam hausit, in suosque Benedictinos Annales retulit Cl. Mabillonius lib. XIX. ad an. 708. n. 39.

(3) Editum est id Chronicon Monasterii *Virdunensis* ab cod. Mabillonio inter *Vetera Analecta* pag. 350. edit. an. 1723.

nica Crypta à Wolfando acceptæ, in ſuamque novam Eccleſiam illatæ, Chronicon non explicet, illas tamen nonniſi particulam *rubei pallioli*, fragmentumque *marmoris*, (quas etiam Autbertus Epiſcopus pro ſua Eccleſia poſthac impetravit) fuiſſe crediderim; ac de his mox videbimus, quum ad Garganicam Apparitionem pervenerimus.

Neque Orientalem Eccleſiam, dum olim ſanæ, rectæque adhæreret Fidei, apparitionibus ſuis illuſtrare deſtitit præſentiſſimus univerſæ Eccleſiæ Patronus Archangelus: atque Is primum propè Urbem Regiam Bizantium ſe ſpectandum præbens, eodem quo apparuit loco ampliſſimam promeruit Baſilicam, *Soſtenium* appellatam, quam multis poſtmodum illuſtrem miraculis, ab Imp. Baſilio magnificentiùs inſtauratam Græci Scriptores teſtantur (1). Alia rurſus, ac æquè celebris fuit illa Apparitio in *Chonis* apud Civitatem Coloſſenſium facta, cujus hiſtoriam Metaphraſtes contexit, anniverſariamque memoriam die VI. Septembris à Græcis maxima in veneratione habitam, tum illorum oſtendit Menologium, tum Imperatoris Manuelis, ſeu Emmanuelis declarat Conſtitutio *De Feriis*, ubi inter alios ſacros Dies, in queis quieſcere Judicia jubentur, habetur *Menſis Septembris ſextus* (dies), *quoniam tunc iu Chonis Summi Ducis Michaelis miraculum prodigiosè peragitur* (2).

Sed ab externis, quas hactenus perluſtravimus, ad Garganicam, quam domeſticam appellare licebit, Archangeli Apparitionem jamdemum accedamus. Omnium, quas alibi factas ſpectavimus, præclariſſima hæc noſtra erit exiſtimanda: non enim ſolâ temporis antiquitate, verum, & miraculi dignitate, perpetuaque loci religione cæteras antecellit. Citius alii anno 492., ſerius verò anno 496. eveniſſe alii tradunt. Ac Sigebertus quidem in ſuo Chronico eam Apparitionem anno 488. adſcribit, quem Pontificatus Gelaſii ſecundum ſtatuit; qua profecto temporis adjecta nota falſum ſeſe in dicti anni ſignatione prodit, dum Gelaſius non ante annum 492. ſedere cœperit: Sigeberti itaque Chronologiam meritò reprobat Baronius in notis ad diem 8. Maii Rom. Martyrologii. Eodem ſanè argumento promptum æque fuerit, Epiſcopum Sarnellium reprobare, qui ad anuum 490. eandem Apparitionem retulit; ac præterea ipſam Apparitionem biennio toto ſejungit à Neapolitanorum Bello adverſus Sipontinos, Beneventanoſque, horumque Victoriâ, mirâ Archangeli ope, reportatâ, quam anno 492. aſſignat: Ut mirum certe ſit, Virum doctum, qui in concinnandis tum Sipontinæ, tum Beneventanæ Eccleſiæ Chronologiis poſtremus omnium adlaboravit, in ea ſtatuenda Epocha, quam nullo monumento, vel auctore laudato, veluti receptiſſimam, vulgatiſſimamque in medium profert, adeo fidenter, aut oſcitanter ſe geſſiſſe; ac duplicem quidem in errorem lapſum videmus, tum in Apparitionis, tum in Victoriæ ſtatuendo diverſo anno, quem utrique rei commmem inferiùs oſtendemus. Ne verò graviùs, quam æquum ſit, Sarnellium notaſſe videar, verba ipſius proferam ex poſteriore ejus Opere, ſcilicet Beneventana Chronologia pag. 26. *In queſto anno 490. agli 8. di Maggio avvenne la celebre Apparizione di S. Michele Arcangelo nel Monte Gargano, da noi deſcritta nella Cronologia Sipontina nella Vita di S. Lorenzo Veſcovo*. Et paullò poſt: *Nel 492. i Beneventani per cagion de Goti fiero aſſalto ricevono da Napolitani, iſtigati da Odoacre: ma i Beneventani uniti co' Sipontini a' 29. Settembre coll' ajuto del Principe delle Celeſti Milizie ottengono glorioſa Vittoria; onde S. Michele Arcangelo fu eletto Protettore di Benevento*. Sed Sigeberto, ac Sarnellio neglectis, de illis nunc videamus, qui multò ſeriorem anno 492. ejus rei Epocham nobis tradiderunt.

Affirmat eodem loco Baronius aſſervari in ſua Bibliotheca Vallicellana *veterem manuſcriptam ejuſdem rei geſtæ hiſtoriam, qua quidem traditur, eam factam eſſe anno Domini 536. Indictione* XIV.; atque huic ab ea hiſtoria tradito anno (quamvis poſtea in Annalibus rectiorem Chronologiam ſequutus ſit) acquieviſſe tunc videtur Baronius, qui non aliud de veriore tempore inveſtigando negotium eo loco ſibi fecit. Sed præter eam Hiſtoriam, alia ſunt vetuſta quoque monumenta, in queis non ſolum à Baroniano Manuſcripto diverſus, ſed inter ſeſe varius ejus Apparitionis annus affigitur. In Chronico brevi S. Vincentii Metenſis ad annum 533. legitur: *Inventio Cryptæ S. Michaelis* (3). In Chronico

ALTER

I verò

an. 1723. qui tamen à Chronographo diſſentiens recentiorem Eccleſiæ, Monaſterioque originem tribuit, quam ſequenti anno poſt Abricatenſem Apparitionem ſtatuere maluit: At ſi jam tum Apparatio Abrincatenſis facta fuerat, aderatque novis etiam miraculis illuſtrata Eccleſia in Archangeli honorem, & ad Garganicæ Cryptæ formam ab Epiſcopo Autberto conſtructa, quid opus Wolfando Garganum adire?

(1) Sozomenus Hiſt. lib. II. cap. 2. Nicephorus lib. VIII. cap. 32. Cedrenus in Baſilio &c.

(2) In Corpore Jur. Civil. cum notis Gothofredi T. II. pag. 421. edit. Lugd. 1602.

(3) Apud Joſ. M. Florentinium in notis ad Martyrologium ab ipſo editum ad diem XXIX. Septemb. p. 886. edit. Lucæ.

verò S. Michaelis *in periculo maris*, ſive *in Tumba* (de qua Æde ſacra ſuperiùs egimus) ſic ſcriptum eſt: *Anno ab Incarnatione Domini* DVI. *facta eſt revelatio B. Michaelis in Monte Gargano ſub Zenone Imperatore, & Gelaſio Papa*. Mendum duplex in hoc poſteriore Chronico notavit Labbeus in Bibliothecæ Tom. I. ajens, numerum VI. præponendum notæ D. ut ſic annus VID. ideſt 494.; pro Zenone verò Anaſtaſium reponendum. Sed & pro dicto anno DVI. adeſt vetuſtioris noſtri Codicis auctoritas, qui ſane Codex in noſtra Bibliotheca aſſervatus, ac Longobardicis characteribus exaratus ætatem ſaltem Sæculi XI. præſeferens hoc titulo diſtinguitur. *Acta Sanctorum*. Tom. I. §. 2. Extat ibi Angelicæ Apparitionis Hiſtoria, cui hæc inſcriptio præmittitur. *Inventio S. Michaelis Archangeli in Monte Gargano*. Tum ſic exorditur. *Anno Dominicæ Incarnationis quingenteſimo ſexto Indictione quartadecima regnante piiſſimo Zenone, in Sede vero Apoſtolica Urbis Romæ præſidente Gelaſio Præſule, in Civitate autem Sipontina præerat Epiſcopus nomine Laurentius &c.* Habes itaque noſtram Hiſtoriam cum Chronico S. Michaelis de eodem anno 506. convenire; adeò ut jam ſuſpicio mihi ſubeat, eundem fortaſſe annum in Hiſtoria Baroniana vel inſcriptum, vel inſcribendum fuiſſe, qui tamen Librarii oſcitantia in *trigeſimum ſextum* excrevit; eoque vel magis, quod eadem Indictio *decimaquarta* utrobique adnotata in utrumque annum tum 506. tum 536. æque incidat. Sed ex relatis hactenus monumentis nihil certi ob repugnantes reliquas temporis notas, de Angelicæ Apparitionis anno ſtatuere licebit.

Ad calcem Hiſtoriæ ejuſdem Apparitionis, quam inſcripto titulo *Legendæ Principis Angelorum* ex Codicæ Bibliothecæ Vaticanæ *deſumptum verbatim recitare* affirmat Ughellus in Epiſcopis Sipontinis Tom. VII. p. 816. hæc adnotantur: *Anno à Nativitate Domini noſtri Jeſu Criſti quadringenteſimo nonageſimo tertio, octavo die Menſis Maii, Indictione decimaquarta facta eſt inventio coeleſtis Baſilicæ mirifici, & glorioſiſſimi Principis Michaelis Archangeli in Monte Gargano, ſedente Gelaſio I. beatiſſimo Romano Pontifice, ac Imp. Zenone piiſſimo Imp. Conſtantinopolitano*. Si hæc ex ipſius Auctoris *Legendæ* manu eſſent, vel Chronologicæ ſaltem notæ omnes inter ſe conſtarent, tum anni, tum etiam diei, quibus Apparitio facta eſt, certiſſimum haberemus monumentum. Sed *abeſſe* ea verba ab *omnibus Manuſcriptis Vaticanis* (in quibus ſcilicet ea Hiſtoria legitur) Cl. Aſſemanus teſtis eſt (1): ante quoque Aſſemanum Cl. Florentinius obſervavit, *neque in Hagiologio ſuo, neque apud Surium verba hæc proſtare in fine Hiſtoriæ illius, & ab inſcio Chronologo appoſita videri*... *Patet autem, non eſſe notam illam temporis à coævo Scriptore appoſitam, neque ab erudito Chronologo, quia Gelaſius non tempore Zenonis Imperatoris ſederet, ſed Anaſtaſii, ut notiſſimum eſt*. Adde his manifeſtum numeratæ Indictionis errorem, dum in memorato anno 493. non *quartadecima*, ſed *prima* Indictio decurrebat.

At nihil hæc movere debent, quin earum ductu ſubſidioque notarum, quæ potiores celebrioreſque aliorum monumentorum conſenſum habent, in hujuſce Hiſtoriæ, ſive ſubſcriptæ ejuſdem Chronologiæ fidem, ſuis tamen nævis expurgandam, deſcendamus. Ac primum illud ſatis conſtat, eam Apparitionem ſub Laurentio Epiſcopo Sipontino, immo ipſi eidem Laurentio fuiſſe factam. Sipontini Antiſtitis nomen ſilet Ado, ſilent etiam (eodem Aſſemano teſte) Manuſcripta omnia Vaticana. Sed in Actis Sanctorum ad diem VII. Februarii, is Epiſcopus, cui S. Michael apparuit, Laurentius appellatur: libet ex ejus vitæ vetuſto Auctore hæc pauca deſcribere. *Eo tempore famoſiſſima illa, & per Orbem terrarum divulgata Michaelis Archangeli in Monte Gargano Apparitio facta eſt; & Beato Laurentio, quid faciendum eſſet, Michael ipſe Archangelus per viſionem narravit &c.* (2). Convenit de ejuſdem Laurentii nomine vetuſtus alter auctor vitæ S. Sabini Epiſcopi Canuſini, quæ in iiſdem Actis ad diem IX. ejuſdem Menſis Februarii edita eſt (3): Sed & idem Laurentiu occur

(1) Tom. I. Scriptor. Hiſt. Ital. cap. XIV. pag. 400. ubi in recitandiis iiſdem verbis grave mendum, Typographi errare, patratum invenio; nam pro *octavo die Menſis Maji*, uti habet Ughellus, perperam legitur: *Actum die Menſis Maji &c.*

(2) Apud Bollandum tom. II. Febrarii pag. 57. edit. Venet.

(3) Ibidem pag. 314. Quandoquidem laudatus Bollandus de S. Archangelo Michaele ad diem 29. Septembris acturum ſe ſpopondit, ad quem diem necdum (quod ego ſciam) Socii pervenerunt, haud heic prætereundum mihi duxi id omne, quod idem Bollandus in anteceſſum, ac veluti obiter in Commentario prævio ad dictam Vitam S. Sabini de noſtro argumento delibaverit. Is itaque in dicto tom. II. Februarii pag. 314. num. 23. hæc habet. *Alia iiſdem Gelaſii Papæ temporibus facta ſacræ Ædis dedicatio, uti ante indicatum, cui Sabinus quoque adfuit; ejus nempè, quæ in Gargano Apuliæ Monte à Sipontinis Civibus ædificata tunc fuit; de qua & 7. Februarii in S. Laurentii vita egimus, & erit magis proprius agendi locus ad 29. Septembris, qua die hujus Dedicationis anniverſaria memoria celebratur. Hanc Beatillus*

occurrit in Vita S. Richardi Episcopi Andriensis, quam Ughellus evulgavit (1). Denique Apparitionis tempore *Civitati Sipontinæ præfuisse Episcopum nomine Laurentium* præclarissimè habent ejusdem Apparitionis Acta, quorum exordium ex veteri nostræ Bibliothecæ Codice superiùs recitavimus. Quum igitur de Sipontino Episcopo Laurentio certa res maneat, certum æquè illud erit eundem Laurentium anno circiter 492. Sipontinum Episcopum electum, ad plurimos subsequentis Sæculi annos eam Ecclesiam gubernasse. Hunc Laurentium, patriâ Constantinopolitanum, Imperatoris Zenonis Consanguineum, ab eodem Augusto Sipontinis postulantibus datum, ab ipsis postmodum Sipontinis coram electum, atque demum à Gelasio Roman. Pontifice Episcopum consecratum, satis copiosè laudatus ejus vitæ Auctor enarrat. Nec rei gestæ fidem minuere illud debet, quod Gelasius non sub Zenone, sed sub illius Successore Anastasio Pontificatum inierit: nam cum à Zenonis obitu ad Gelasii initia vix annus intercesserit, potuit certè varia rerum series, potuerunt itinerum necessitates id effecisse, ut ab extremo Zenonis tempore ad Gelasii inaugurationem perveniretur, à quo demum Pontifice Laurentius consecrationem acceperit. Itaque quum Laurentio Episcopo Apparitio facta est, eam certe non ante annum 492. statuere licebit: Sed quum Laurentii Episcopatus in plurimos etiam sequuti Sæculi annos productus fuerit, coercenda tamen sub ejusdem Episcopatus initia Apparitio erit, quippe quæ Laurentio quidem Episcopo, sed Gelasii Pontificis tempore contigisse comprobatur.

Ac Gelasio quidem Pontifice (quæ certissima temporis nota altera est) S. Michaelem Archangelum in Gargano Monte apparuisse, ex iisdem hactenus laudatis vetustis monumentis simul innotuit; quibus tantùm abest, ut Adonis, Vaticanorumque Manuscriptorum silentium officiat, ut potius ex illis ipse Ado, ceteraque Acta suppleri, reique gestæ exploratior emersisse fides videantur. Adde nunc Anastasii Bbliothecarii testimonium, qui (uti etiam superius meminimus) in Gelasii Vita, *hujus temporibus inventam esse Ecclesiam S. Angeli in Monte Gargano*, disertissimè affirmat: Quanquam & ipse Anastasius (uti de Laurentio ejus Vitæ Auctor statuit) etiam sub Zenone Gelasium Pontificatum gessisse præposterè tradat; quod tamen non omnino falsum Cl. Bollandus ostendere conatur (2). Ut ut verò de Imperatore res sit, fueritne Zeno, an verò Anastasius, ac neglecto Indictionis numero, in quo facillimè error, vel ex librariorum oscitantia, vel aliis pluribus sat notis de causis admitti potuit; satius certè nobis erit, ut Apparitionis tempore, Siponti Episcopum Laurentium, Romæ Pontificem Gelasium floruisse pro certo habeamus; ut illud æquè certum statui queat, inter annum 492. atque annum 496., quo temporis intervallo Gelasius (Laurentio Episcopatum Sipontinum gerente) ab initio scilicet Martii dicti anni 492. ad Mensem Septembris dicti anni 496. perfunctus Pontificatu fuit, eam Apparitionem contigisse. Hactenus de Tempore: nunc de Apparitionis loco agendum erit.

Est in Apuliæ, sivè Dauniæ, sive Japigiæ finibus inter Hyrium, sive Uriam, ac Sipon-



*tillus factam scribit, cum Constantinopoli revertisset Sabinus, quod (ut infra patebit) vix ante exitum anni 536. potuit evenisse. At vetus Dedicationis Historia, quæ & manu exarata, & cusa typis extat, Gelasii Papæ temporibus accidisse tradit. Sigeberti Cemblacensis Chronicon, ut est à R. Laurentio Barrio editum, ad annum 488. (quem Gelasii secundum statuit) ista habet, quæ absunt a Miræi editione*: Hoc tempore facta est inventio Cryptæ S. Michaelis Archangeli in Monte Gargano, unde & ejus memoria singulis annis celebri festivitate in Ecclesia Dei recolitur. *Baronius ad annum 493. qui verè Gelasii Secundus fuit, Cryptæ illius inventionem refert.* Hæc ibi Bollandus, qui de Apparitione Archangeli se egisse ad VII. Februarii ideò dicit, quod in S. Laurentii vita, quam edidit, ejus rei relatio legatur cap. III., ubi is hæc tantum habet pag. 59. not. a. *De hac Apparitione agemus 8. Maji, aut 29. Septembris.* Sequenti verò nota b, aliqua observat contra Baronium de Bello inter Neapolitanos, Sipontinosque, nobis inferiùs discutienda. Post Bollandum de hac Apparitione adhùc obiter egit doctissimus P. Sollerius in Auctariis ad Martyrologium Usuardi, tum 8. Maji (tom. VI. Junii part. II. pag. 261. ubi plurima recenset Martyrologia, quæ post Usuardi ævum ejus Apparitionis meminisse cœperunt; tum 29. Septembris (tom. VII. Junii sive to. VI. par. II. pag. 565. ubi aliqua cursim observat de variis Archangeli Apparitionibus, ac Dedicationis Festo; tum ita loqui pergit: *Habes in Adone longiorem Garganensis Historiæ seriem, suo tempore illustrandam: Historiam ipsam cum sana Chronologia conciliare conatur Florentinius; & nos alibi operam conferemus.* Nobis interim nostri juris argumentum, quod præcipuum Longobardicæ Religionis caput est, haud intactumrelinquere visum fuit: an pro nostri Operis ratione, dignitateque illustraverimus, alii judicabunt.

(1) Ital. sacr. tom. VII. pag. 921. edit. Venet. Dein. edita à Bollandistis tom. II. Junii pag. 245.

(2) Non congruere Imperium Zenonis cum Gelasii Pontificatu rectè animadvertit Bollandus in dicta Vita S. Laurentii not. a. pag. 57. ubi & illud subdit: *Quod igitur in libro De Romanis Pontificibus* (i. e. vulgato Anastasio) *de Gelasio dicitur*: Fuit temporibus Theodorici Regis, & Zenonis Augusti: *id non de solo Pontificatu est intelligendum sed quod etiam ante Pontificatum, Zenone imperante, rebus gestis clarus extiterit, quibus Pontificatum est promeritus.* Quæ si probari merentur, multo magis Laurentio quadrare debent, quem Patria Constantinopolitanum, ipsiusque Zenonis consanguineum, hujus potiùs tempore, quàm sub successore Anastasio floruisse, Auctor ejus Vitæ dicere maluit,

tum Mons, qui apud Ptolomæum mendosè Γάρμαρον Ὄρος, scribitur pro Γάργανον, uti recte à Strabone, & *Garganus* à Pomponio Mela (1) & Plinio (2) appellatur: sublimi vertice exurgens, octoginta radicibus suis circuit milliaria, ea maxime parte, quâ, ut canit Lucanus Lib. v. v. 380.

*Appulus Hadriacas exit Garganus in undas.*

Meminit non semel Horatius, qui Theatrorum clamores Gargani mugitibus comparat Lib. II. Ep. I. v. 202.

*Garganum mugire putes nemus, aut mare Thuscum.*

Quernis enim arboribus abundare montem persuasum Poetæ fuit, quæ arbores ventis verberatæ mugitum veluti reddunt, unde ipse idem Lib. II. Od. 9.

*Aquilonibus*
*Querceta Gargani laborant,*
*Et foliis viduantur Orni.*

Quibus potius posteriùs memoratis arboribus is nunc insignis Mons est, ob liquorem, quem vulgus *Mannam* appellat, ingenti copia ex incisis illarum corticibus effluentem, magnoque pretio in Medicinæ usum æstimatum, ac commendatum. Celebris adhuc idem Mons religione sua, sivè priscâ Superstitione olim fuit, cujus etiam Reliquiæ, post excisam Idololatriam diutiùs viguere. Ac Strabo quidem, commemoratis Salapiâ, ac Siponto, proximis Gargano Urbibus, hæc habet Lib. VI. *Ostenduntur in Dauniæ quodam Colle, cui nomen Drium, Sacella; alterum Chalcantis in summo vertice, ubi qui oraculum requirunt, arietem immolant nigrum, & pelli indormiunt; alterum Podalirii in imo ad Radices Collium, centum ferè stadia à mari dissitum; profluit autem ex eo rivus omnis generis morbos pecorum sanans: Ante hunc sinum est Promontorium Garganum ad* CCC. *stadia in mare versus ortum Solis procurrens* (3): atque hæc quidem, dum staret Idolatria. Sed & Sæculo IV., atque etiam V. non omninò ejus loci defecerat Superstitio, cujus incolæ in eodem Gargani vertice mira quædam patrari in Christianæ Religionis injuriam, persuasum sibi habebant. Rei memoriam servavit nobis Servius, qui ad illud Virgilii Æn. XI. 247.

*Victor Gargani condebat Japygis arvis:*

Hæc post alia commentatur. *Sed & in Gargani summitate duo Sepulcra esse dicuntur fratrum duorum, quorum cum major Virginem quandam despondisset, & eam minor frater conaretur auferre, armis inter se decertarunt, ibique ad memoriam invicem se occidentes, sepulti; quæ res admirationem habet illam, qua, si qui duo inter ipsam Silvam agentes iter, uno impetu, vel eodem momento saxa adversus sepulcra jecerint, vi nescio qua, saxa ipsa separata ad sepulcra singula decidunt*: Hac igitur superstitione, adhuc Servii ævo, qui labente Sæculo IV. scribebat, infamis erat Gargani vertex; hisque flagitiosis exemplis, his artibus, adhuc per eam ætatem Gargani incolis Diabolus illudebat. At Dei tandem providentiâ factum est, ut sub sequuti Sæculi exitum, locus ipse, veteri superstitione celebratus, Angelica Apparitione consecraretur, insanæque observationes in Christianæ Religionis cultum, veræque pietatis emolumenta converterentur. Quo res ipsa modo acciderit, laudata superius Apparitionis vetusta Historia prolixâ narratione prosequitur. Nobis rem ipsam paucioribus contractam, servata ad amussim ejus Historiæ fide ex Adone excepisse libuit, qui in Martyrologium suum ad XXIX. Septembris referens, id commodius præstabit, ut recitatis ejus verbis, eas observationes, quæ rem ipsam illustriorem efficient, opportunius adjiciamus.

Præmissa itaque loci desciptione, sic Ado ad rem accedit: *Quidam vir prædives nomine Garganus, qui ex adventu suo Monti vocabulum indidit, infinita pecorum multitudine pollebat: Contigit autem, Taurum armenti gregis consortium spernentem, singularem incedere solitum, & ad extre-*

(1) Lib. II. cap. IV. num. 40.
(2) Lib. III. cap. XI.
(3) Apud Cluverium Ital. Antiquit. lib. IV. cap. XI. pag. 1213.

*extremum redeunte pecore domum non reverti : Quem Dominus per devia quaque requirens ; invenit tandem in vertice Montis foribus cujusdam assistere Spelunca : quem cum sagitta appetisset , illa velut flamine venti retorta , eum , à quo jactata est , mox reversa percussit : Turbati Cives , & stupefacti , qualiter res fuerit effecta ( non enim accedere propiùs audebant ) consulunt Episcopum , quid facto opus sit : qui indicto jejunio triduano , à Deo monuit esse quaerendum : Quo peracto S. Michael Angelus apparuit Episcopo per visionem dicens :* Ego sum Michael Archangelus , qui in conspectu Dei semper assisto : illius loci me esse custodem , atque omnium , quæ ibi geruntur , inspectorem, hoc volui indicio probare . *His revelatione compertis , consuetudinem fecerunt Cives hic Deum precibus , Sanctumque intercessorem , poscere Michaelem : Duas quidem januas ibi cernentes , quarum australis , quæ & major erat , aliquot gradibus in occasum vergentibus adiri poterat : Sed nec ultra Cryptam intrare ausi , præ foribus quotidiè orationi vacabant .* Adonis lectionem , qualem V. C. Georgius in eleganti editione Romana anni 1745. exhibet , recitavi ; in cujus quidem exordio non solum ab Historia discrepantem , sed falsum omnino Adonem deprehendemus , qui ex prædivite viro illo Gargano nomen Monti inditum , seu tunc primum factum affirmat : dum contra ex Montis appellatione idem sibi nomen adscivisse Virum , Historia testatur ; idque verum manifestè ostendunt veterum Geographorum , Poetarumque auctoritates , nobis superiùs commemoratæ , ex queis non solum ante Apparitionis tempus , sed pluribus ante sæculis proprium Monti nomen *Garganum* fuisse scimus . At ne ipsum Adoni, sed Amanuensibus adscribendum errorem ajo ; quod ex collatis utriusque , Adonis , & Historiæ locis , persuasum cuique erit . Ado enim sic vulgò habet : *Quidam Vir prædives nomine Garganus , qui ex adventu suo Monti vocabulum indidit &c.* Historia verò , seu *Legenda* apud Ughellum , cui Acta nostri Codicis omnino consonant , ita scribunt . *Erat in eadem Civitate* ( Siponto ) *Vir prædives , quidam nomine Garganus , qui ex eventu suo Montis sibi vocabulum indidit &c.* Quum igitur Vir ille Civis esset Sipontinus , quomodo eo loci *advenisse* potuit ? certè non ex *adventu* , sed ex *eventu* scripserat Ado , qui eadem Acta præeuntia sibi habuit ; qui verò ei Viro *eventus* in Gargano factus est , ad majorem rei celebritatem , novi eidem ex ipso Monte apponendi nominis occasionem fecit ; itaque non ex Adonis manu illa sunt , quæ in ejus editione leguntur , i. e. *ex adventu suo Monti vocabulum indidit :* sed hæc potius , qui in illam corruptam lectionem facillimè converti poterant , ut scilicet scripserit : *ex eventu suo Montis sibi vocabulum indidit .* Atque id quidem statuisse æquius , verique similius fuerit , quàm ( uti ab aliis factum est (1) ) erroris Adonem arguere ; qui sanè Ado rem ipsam non modo ex Actis exploratam sibi habebat , verùm etiam vetustum Montis nomen , antiquis Scriptoribus passim celebratum , facili negotio novisse poterat .

Hæc , quæ ex Adone audivimus , Angelicæ Apparitionis in Gargano Monte exordia fuere : mox novis signis , beneficiisque comprobatus Michaelis patronatus , atque addita loco religio . *Neapolitæ* ( ita rem Ado prosequitur ) *Beneventanos* ( Sipontinos intelligas , ut mox explicandum ) *bello lacessere tentant : qui Antistitis sui monitis edocti , triduanum jejunium agunt ; & ecce nocte ipsa , quæ belli præcedebat diem , idem in visione S. Michael apparens Antistiti , preces eorum dixit exauditas , spopondit victoriam , seque eis affuturum ; quod mox veritas facti demonstravit : Domumque victores reversi vota Domino gratiarum ad Templum festinant referre ; videntque mane juxta januam Septemtrionalem , instar posterulæ pusillæ , quasi hominis vestigia arctiùs marmori impressa , agnoscuntque B. Michaelem præsentiæ suæ signum voluisse monstrare , ubi postea culmine apposito , & altari imposito , ipsa Ecclesia ob signa vestigiorum APPODONIA est appellata* (2) : *& postmodum collatione facta Sipontini , ad Orientem loci illius , B. Petri Apostolorum Principis nomine condunt Ecclesiam .*

Hucusque ferventior in dies erga SS. Archangelum Sipontinorum cultus ; qui tamen Cryptam ingredi non adhùc auderent , ut propterea contiguam Ecclesiam , ubi commodiùs , ac decentiùs orationi vacarent , condendam curarint : At quum de ingredienda simulque consecranda Crypta consilium suscepisset Episcopus , eaque de re Pontificem Summum consuluisset , apparuit ei tertiò Michael ; eamque postremam Apparitionem plura consequuta sunt , quæ etiam

(1) Assemanus Ital. Hist. Scriptor. tom. I. cap. XIV. pag. 396.

(2) Hanc Ecclesiam ob ea *vestigiorum* Signa *Appodoniam* Ado vocat ; *Apedaneam* verò Acta Apparationis apud Ughellum appellant . *Apodania* in Cangii Glossario , *dicta Ecclesia S. Michaelis à pedis vestigio ibi impresso* . Sed & Appodomiam , Podoniam , & Ypodomam alibi legas : Ex manifesta vocabuli origine congruentior Actorum lectio est , aliis propterea præferenda .

etiam ex Adone recitare præstat. *Romano Pontifice, & Sipontino Episcopo de loci ipsius Consecratione quærentibus, ac propterea triduanum jejunium cum Civibus suis celebrantibus, nocte jejunii suprema S. Michael Sipontino Episcopo per visionem apparens, monuit, ut intrarent Ecclesiam, quàm ipse dicavit, & Missas juxta morem ibi agerent. Meum, inquit, erit ostendere, quomodo per memetipsum locum consecraverim. Adveniunt mane cum oblationibus, & magna instantia precum intrant Regiam australem. Et ecce longa porticus in aquilonem porrecta, atque illam attingens posterulam, extra quam vestigia marmori diximus impressa. Sed priusquam hùc venirent, apparet ad Orientem Basilica prægrandis, qua per gradus ascenditur. Hæc cum ipsa porticu sua quingentos ferè homines capere videbatur, Altare venerandum,* RUBROQUE COOPERTUM PALLIOLO, *prope medium parietis meridiano ostendens. Erat autem ipsa Domus angulosa non in morem operis humani parietibus erectis, sed instar Speluncæ præruptis, & sæpius eminentibus asperata scopulis: culmine quoque petroso diversæ altitudinis, quod hic vertice tangi, alibi manu vix possit attingi: credo, docente Archangelo, Dominum non ornatum lapidum, sed cordis quærere, & diligere puritatem.* NULLUS AUTEM HUC NOCTURNO EST TEMPORE AUSUS INGREDI; *sed aurora transacta, matutinos ibidem cantant hymnos. Ex ipso autem Saxo, quo Sacra contegitur Ædes, ad aquilonem Altaris dulcis, & nimium lucida guttatim aqua dilabitur, quam incolæ* STILLAM *vocant: ob hoc & vitreum vas ejusdem receptui præparatum. Denique nonnulli post longas febrium flammas, hac hausta Stilla, celeri confestim refrigerio potiuntur salutis. Innumeris quoque & aliis modis ibi & crebrò sanantur ægroti, & multa, Angelica tantùm illic potestate, geri miracula comprobantur.*

Angelicæ Apparitionis Historiam, quæ in Gargano facta est, Adonis verbis, sua tamen rerum temporumque serie distinctam exhibui: in qua tria mihi præcipuè illustranda occurrunt, majusculis etiam literis, dum ejus verba describerem, designata. Primum locum dabo *Rubro Palliolo*, quo Antistes Sipontinus cum Pontifice Maximo Cryptam ingressus altare *coopertum* invenit. Habes itaque illum rubrum Palliolum, cujus partem una cum Marmoris fragmento, Archangeli vestigio consecrati, ex Garganica Crypta Autpertus Episcopus (quemadmodum diximus) impetravit, ut Ambrincatensi Cryptæ in ejusdem Archangeli honorem dedicatæ decus simul, ac Religionem adjiceret. Habes etiam, unde rectè conjicias, non alias fuisse Reliquias (quas Chronicon reticet) à Comite Wolfando ex Garganica Peregrinatione domum reportatas, quàm ejusdem rubri *Pallioli* partem, ejusdem quoque, si libet, *Marmoris* fragmentum; quæ novo miraculo illustratæ Virdunensi Ecclesiæ, Monasterioque ædificando occasionem fecerunt. Ex his facilè intelliges, cujusmodi Reliquiæ illæ S Michaelis Archangeli essent, quæ in plerisque Christiani Orbis Ecclesiis asservatæ, magno olim in honore, venerationeque fuerunt. In vetustissima marmorea Inscriptione, quæ adhuc legitur in Romana Ecclesia S. Angeli in Foro Piscario, seù Piscium plures describuntur Sacræ Reliquiæ ibidem reconditæ, inter quas & *S. Archangeli Michaelis Reliquia* recensetur. Ne igitur vulgares mentes opinio fallat, neve Heterodoxorum perstrepant cavillationes, admissum videlicet apud nos, Angelicis Spiritibus corporeum quidpiam inesse, cujus Reliquias ostendamus: Quales enim Archangeli Reliquiæ sint, manifestum jam est. Vestigia illa, *quasi hominis arctiùs marmori impressa*, non corporeum Michaelem arguunt, sed eodem miraculo, quo impressio præter morem facta est, illius etiam *præsentiæ signum*, seu quoddam veluti Symbolum præseferebant; quare & monumento ipsi, seu marmori reverentia accessit, cujus propterea Reliquiæ, sive fragmenta ob Archangeli memoriam meritò in honore haberi cœperunt. Idem de Pallio dicendum, quo ejus *Altare* coopertum inventum fuit: Non enim in Archangeli usum fuisse aut Ado, aut quispiam usquam dixit, existimavitque; sed ejusdem Archangeli ope cœlitus ad Altaris ornatum, tutelamque submissum, atque statutum: Quemadmodum res varias Viris sanctis Angelorum ministerio divinitùs delatas sacræ Historiæ passim testantur. Quanta eodem ævo erga dictum Rubrum Palliolum veneratio adhiberetur, præclarissimè ostendit Faustus Monachus in Vita S. Mauri, immò veriùs ipse testis adest sanctissimus Monachorum Parens Benedictus, qui inter alias Reliquias Discipulo suo Mauro, jam in Galliis agenti, transmissas, addidit *S. Michaelis Archangeli ex Palliolo rubro, sancta scilicet ejus memoria*. Scio commentitium opus, Fausti nomine pervulgatum, ab eruditis pluribus habitum, qui missionem S. Mauri in Gallias in dubium revocarunt; atque hoc etiam argumento Basnagius utitur, ut ejus historiæ fidem subverteret, ridiculum planè à Fausto nobis obtrudi ajens, quasi S. Michaelem pallio rubro vestitum indicare voluisset, cujus partem Benedictus Mauro pro reliquiis concesserit. Sed Basnagii cavillationes pauca illa refellere satis sunt, quæ Ado de eodem pallio, ejusque usu

ùſu tradidit. Qui plura volet habebit ex doctiſſimo Mabillonio, qui peculiari libello Miſſionem S. Mauri in Gallias egregiè vindicans, hac etiam de re Baſnagium refutavit (1).

Alterum, quod in Adone accuratè obſervare præſtat peculiaris illa eſt, ſervata Garganicæ Cryptæ reverentia, ut poſtquam adiri, frequentarique cœpiſset, *nullus* tamen illuc nocturno tempore ingredi auderet. Id quidem reverentiæ (ut dixi) cauſa primùm factum; licebitque ex ipſo Adone conjicere, qui nullam rei cauſam expreſſit. Poſterioribus autem ſæculis, Fidelium animos opinio pervaſit, ideo interdictum noctu loci ingreſſum, quod Angelici conventus ibidem eo tempore agerentur, quibus homines adeſſe, nefas; ſi quis vero adſtare voluiſſet, pares audaciæ pœnas proculdubio tuliſſet. Bina ad rei veritatem comprobandam afferri ſolent exempla, illuſtria illa quidem, quibus Auguſta Virorum Dignitas majorem celebritatem feciſſe videtur. De Imperat. Ottone II. hæc vetuſtis conſignata monumentis leguntur. *Anno Domini* DCCCCXCI. *Otto Rex peragrata Italia, venit in Montem Gargani, & cognovit à Referentibus, Angelorum obſequia nocturno tempore ibi eſſe, nec ullum mortalium velint intereſſe. Cujus cauſſæ notitiam cum diſpoſuiſſet curioſiùs indagare, Apoſtolicum convenit ſuper hac re primum. Cui cum Apoſtolicus conſilium ſuum indidiſſet, ſibi minus placere illum Angelicis miniſteriis intereſſe, parvipendit conſilium Papæ, & eo ignorante proficiſcitur in Montem Gargani. Ubi dum pernoctaret, inter cetera, quæ cognovit Sanctorum myſteria, veniam conſequutus eſt Angelorum. Quod temerè Sacratum locum introierat, tantum ab Angelis proſtratus, pro quodam judicio, quod perfeciſſe debuerat, nec fecit, pro negligentiis tranſverberatus eſt. Deinde S. Michael juſſit eum Romam remeare, ſtatuto ſibi die, quo eum vellet inviſere. Sicque cruentatus Rex Romam repedavit, & Benedicto Papæ cuncta à ſe viſa retexuit. Igitur Rex valido languore tactus vita deceſſit, & ab Archangelo receptus, ſuperis eſt ſocietus Anno Domini* DCCCCXCIV. *cujus exequiæ per Apoſtolicum condigno honore celebratæ, in porticu S. Petri ſepelitur: pro quo filius ejus Otto adhuc puer regnavit* (2). Nullus certè fidem ſuam rei narrationi accomodabit, in qua etiam Auctor enormiter in Chronologiam peccaſſe convincitur: optandum certe fuerit, ut qui talia de Ottone II. comminiſci laboravit, pari in Garganicam Cryptam ſtudio, illa etiam, quæ de filio Ottone III. vera erant, ſubnectere non omiſiſſet; quem tertium Ottonem Româ profectum pœnitentiæ Cauſâ ad eam Cryptam nudis pedibus peregrinationem habuiſſe ſcimus (3). Sed de altero Auguſto videamus. Henricus is fuit Imperator eo nomine *Secundus*, cognomine *Claudus*, nunc verò ob ejus virtutes, atque Eccleſiæ judicio, Prænomine *Sanctus*. Corporis vitium, unde Cognomen factum eſt, nobilitare, ac quodammodo conſecrare conati ſunt, qui Henrici res geſtas, egregiamque Sanctitatem Scriptis commendantes, tunc primùm claudicaſſe eum ferunt, quum, Anno MXXII. in Apulia verſatus, in Garganica Crypta pernoctare auſus, poſtquam cœleſtibus viſionibus frui meruerit, femore ab Angelo contacto, claudicationis ſivè pœnam, ſive præmium reportavit. Longior, quàm, ut heic deſcribatur, rei narratio eſt, ab Anonymo lucubrata in Vita ejuſdem Auguſti apud Bollandianos ad diem XIV. Julii, Cap. 3. num. 28. ſeqq. pag. 761.: atque illa quidem ſe *in ſcripturis non inveniſſe* fatetur Anonymus, *ſed relatu veracium, & venerabilium virorum*; & malle ſe inquit, *ſomno quieſcere, quam ficta, vel frivola de Sanctis Dei ſcribere; præſertim dum opus non habeant falſis laudibus exaltari, qui ſignis, & prodigiis meruere decorari*. At alias alii planè diverſas Henrici claudicationis, cauſſas tradidere, quos ſatis diligenter iidem doctiſſimi Bollandiani recenſent in Commentario prævio §. 1. num. 8. & 9. p. 712. Ceterum non hæc de ſola Garganica Crypta, ſequiore illo ævo circumferebantur: In aliis quoque (quas frequentes tunc fuiſſe conſtat) Eccleſiis in S. Michaelis honorem extructis, mira quædam Angelico miniſterio præſtari, ejuſdem ætatis homines ſomniaſſe diſcimus ex Ratherio Veronenſi, ſive Leodienſi Epiſcopo, qui in Serm. 1. De Quadrageſima, illorum *cæcam dementiam* redarguit, qui ad

(1) Apologia Miſſionis S. Mauri in Galliam, quæ extat poſt tom. 1. Annal. Benedictin. pag. 601. edit. Lucenſis an. 1739.

(2) Fragmentum Hiſtoricum incerti Auctoris Res Germanicas enarrans ab an. 631. ad an. 1251. editum ab Uſtriſio tom. 11. Hiſtoricorum Germaniæ pag. 82. edit. Francofurti 1670.

(3) Imp. Ottonem III. (quem Sedi Apoſtolicæ, Creſcentii Ducis tyrannide vexatæ opem ſuam laturum in Italiam anno 996. veniſſe, refert Baronius) eodem Creſcentio contra datam fidem cæſo, ejuſque Conjuge in concubinam accepta, *de ejuſmodi crimine beato viro* (Romualdo) *confeſſum, poenitentiæ cauſſa nudis pedibus de Romana Urbe progredientem, ſic uſque in Garganum montem ad S. Michaelis perrexiſſe Eccleſiam*, ſatis locuples, ac ſuppar teſtis eſt S. Petrus Damiani in Vit. S. Romualdi cap. XXV. tom. 11. Opp. ex edit. Cajetani Pariſiis, ſeu Venetiis 1743. pag. 216. & apud Bollandianos die VII. Febr. cap. VII. ejuſdem Vitæ nu. 38. p. 112.

ad Ecclesias satiùs ducebant ire Feria secunda, quam ceteris, rati S. Michaelem ipsa die Missam cantare solitum. Nos cum Ratheriorem hanc concludimus, qui quum *reprehensores* (adeò animis res insidebat) *sui Sermonis* habuisset, ita reponit: *Non dicit Ratherius Episcopus, quod malum faciat, qui vadit ad Ecclesiam S. Michaelis, aut audit Missam S. Michaelis; sed dicit Ratherius Episcopus, quod mentitur ille, qui dicit, quod conveniat alicui melius in secunda feria ire ad Ecclesiam S. Michaelis, vel Missam S. Michaelis audire, quàm in alio die. Dicit Ratherius Episcopus, quod mentitur ille, qui dicit quod S. Michael Missam cantet .... Si autem quaris quid S. Michael cantet? Labora, dicit Ratherius Episcopus, cum Dei adjutorio, ut post mortem Coelum conscendas, illic audies, quid cantet. Quod si vis ad Ecclesiam S. Michaelis ire, sapias, dicit Ratherius Episcopus, quod non libentius te recipit in secunda feria S. Michael, quàm in alia. Si vis eum rogare, sapias, dicit Ratherius Episcopus, quia non clementiùs te exaudit S. Michael in secunda feria, quam in alia &c.* (1). Ita quoque de Garganica Crypta statuendum; ut nisi alia subsit justa caussa, tam interdiù, quam noctu ire illuc liceat, rogare illic S. Michaelem utroque tempore non solum impune sit, verùm æquè pium, ac salutare.

Restat nunc, ut de Bello ab Adone memorato accuratiùs perquiramus. Rem paucis ille narravit, vixque tetigit, quam tamen illustriorem efficiunt Acta Apparitionis, mirum victoriæ modum prosequentia (2); implicatiorem verò reddunt recentium Scriptorum de eo Bello concertationes. Certatum enim inter illos de Belli tempore est, certatum quoque de iis, qui Bellum intulerunt, susceperuntque. Ac mirum profecto est, quantâ Camillus Peregrinius verborum copiâ, animique æstu laboraverit, ut id Bellum ab Apparitionis anno, quem CCCCXCIV. circiter fuisse diximus, exturbaret: fatetur ipse de eo argumento *Viros magnos laborasse, non utique sibi succensendos*, quorum scilicet nomini veniam indulget, rei veritatem, à qua illi hactenus longe aberrassent, invenisse sibi blanditus. Quid igitur Peregrinius? Bellum in seriorem ætatem rejiciendum arbitratur, nec sibi longo in itinere quiescere voluit; donec emenso centum septuaginta circiter annorum intervallo ad Annum DCLXIII. perveniret: uno verbo, Bellum ab Adone, atque in Apparitonis Actis memoratum non aliud Peregrinius sibi confingit, statuitque, quàm quod ab Imp. Constante Beneventanis sub Romualdo Duce illatum superiùs demonstravimus (3). Viri, alioqui doctissimi, perspicacissimique παράδοξον non est, ut heic rursus refutare laboremus: hoc enim negotium Clariss. Assemanus nuper sibi fecit, confecitque, qui absurda nobis Peregrinium propinasse demonstravit (4).

Misso itaque Peregrinio, Baronium potius audiamus. Atque is quidem ad An. CCCCXCIII. num. 43. eundem ipsum & Apparitionis, & Belli fuisse annum non abnuit; in eo tamen rei gestæ historiam emendandam censuit, quod privatum inter Neapolitanos, Sipontinosque id bellum fuisse asseratur, quod nonnisi inter Odoacrem, Theodoricumque tunc temporis in Italia gestum dici debebat: tum ex ejusdem belli occasione factum putat, ut Theodoricus rerum potitus Sipontinis Negotiatoribus, qui se *hostium depopulatione vastatos* querebantur, tum à pendendis tributis, tum ab ære alieno solvendo, biennii immunitatem indulserit (5). At emendationi huic refragatur Bollandus, nequivisse Odoacrem ratus id bellum

(1) Ratherius priùs Veronensis, dein Leodiensis, denuò tandem Veronensis Episcopus, inter alia Sermones binos habuit de Quadragesima: Ex prioris appendice, sive defensione relata verba descripsimus, apud Dacherium, qui tom. I. Spicilegii à pag. 345. Ratherii omnia edidit. Floruit an. 928. Ratherius, ex cujus testimonio eam Sæc. X. in S. Michaelis cultu superstitionem viguisse probat Cl. Mabillonius Præfat. in Sæc. V. Benedictin. §. 3. num. 29.

(2) Acta ita ferunt. *Ecce autem nocte ipsa, quæ Belli præcedebat diem, adest in visione S. Michael Antistiti; preces dixit exauditas, victoriam spopondit affuturam, & quarta diei hora bello præmonet hostibus occurrendum. Læti ergo mane, & de Angelica certi victoria obviant Christiani Paganis* (idest Neapolitanis, quos *paganis adhuc ritibus aberrantes* eadem Acta paullo superius affirmant); *at in primo belli apparatu, Garganus immenso tremore concutitur; fulgura crebra volant, & caligo tenebrosa totum Montis Cacumen obduxit: Fugiunt itaque Pagani, partim ferro hostium, partim igniferis impulsi sagittis: & Neapolim usque sequentibus, atque extrema quæque cædentibus adversariis moenia tandem suæ Urbis moribundi subintrant. Qui autem evasere periculum, comperto, quod Angelus Dei in adjutorium venerit Christianis (nam & sexcentos fere suorum fulmine videbant interemptos) Regi Regum Christo continuò colla submittentes armis induuntur.* Scilicet eo miraculo commotos, & cœlestem iram expertos Neapolitanos, ad Christianam Fidem tunc demum conversos Acta testantur. Idem recinit Vita Metrica S. Laurentii Sipontini Episcopi, ejus nempè, cui Apparitio facta est, quam edidit Cl. Bollandus tom. II. Februarii pag. 62. *Plebs Pagana hæc impugnans, & Samnitum moenia Michaelis fulminata sternitur per devia*, & paullo post: *Turba Neapolitana bello citans Samnium, & Siponti. ut Pagana quærens exterminium, fulgur sensit malesana, & humanum gladium.* De Neapolitanorum Ethnicismo vide eundem Bollandum ad VII. Februarii pag. 63. ac præterea VV. CC. Mazochium in Kal. Marmor. tom. I. pag. 39. & Assemanum Script. Ital. tom. I. pag. 413.

(3) In Præfat. ad Hist. Ignoti Cassinensis tom. II. P. I. Script. Ital. Muratorii pag. 263.

(4) Ital. Hist. Script. de Reb. Neapol. tom. I. pag. 447.

(5) Apud Cassiodor. Var. lib. II. cap. 37.

bellum Sipontinis intulisse, qui per idem tempus à Teodorico tertiò victus, Ravennam se receperat, quâ post triennii obsidionem expugnata, trucidatus ipse demum est: nisi collapsam Odoacris rem ejus Duces (quod vero haud videtur simile) in aliis Italiæ partibus sustinere adnisi fuerint. Theodorici verò rescriptum nonnisi post bellum sivè ab Theodorico ipso, sive à Neapolitanis gestum prodiisse, probabile putat Bollandus, illud etiam subdens, *potuisse damnum alibi terrarum Sipontinis isthic negotiatoribus inferri; unde domi sublevari se regia clementia postularint* (1). Mihi vero illud maximopere placet, Baronium, Bollandumque de belli anno consentientes habere. De belli vero auctore, vera illa Bollando animadversa reor, quæ neque Odoacrem, neque Theodoricum cogitare sinunt, sed solos Sipontinos, seu Neapolitanos, servatâ Actorum fide, retinendos suadent. Adde nunc, Theodorici Rescriptum longè post annum CCCCXCIII. quo id bellum accidit, ac alia quidem ex caussa Sipontinis concessum videri; itaut ad id bellum nullimode pertinere debeat, in quo nequaquam Sipontinos tunc *hostium depopulatione vastatos*, sed hostibus Archangeli ope profligatis victores domum rediisse manifestum est.

Sed quid illud est, ut quum belli locus Sipontus fuerit, adventantesque illùc Neapolitanos hostes Sipontini, Archangeli ope, profligasse affirmentur, id tamen bellum à Neapolitis adversus Beneventanos commissum Ado commemoret? *Neapolitæ* (iniquit) *Beneventanos bello lacessere tentant: qui Antistitis sui monitis edocti triduanum jejunium agunt: & ecce nocte ipsa, qua belli præcedebat diem, idem S. Michael apparens Antistiti, preces eorum dixit exauditas, spopondit victoriam &c.* Cui enim Antistiti apparuit Archangelus, Beneventanorumne, an Sipontinorum? Si Beneventanorum dixerimus, absurda res erit; diversi enim tum erant Antistites, qui proprias sedes separatim regebant; ineptissimumque fuerit, Apparitionem Beneventi potius, quam Siponti factam opinari: sed & ipse Ado adversatur, qui (uti ex ejus integro loco superiùs recitato perspicuum fit) rem totam à Sipontinis, eorumque Antistite exorsus, ab unis Sipontinis victoribus gratias Michaeli peractas, templumque Cryptæ contiguum, collatione ab iisdem Sipontinis facta, excitatum, jam Beneventanorum oblitus prosequitur; Sipontino denique Antistiti cælitus tertiò admonito Cryptam patefactam asseverat. Quid igitur importuna illa Beneventanorum mentio? Nam hi neque ad priorem, neque ad posteriorem rei gestæ partem pertinent; bellique exitus ad Sipontinorum duntaxat lætitiam, atque emolumentum refertur. Brevi dicam: Aut is Amanuensium error fuerit, qui in Adonis exmplaribus Beneventanos pro Sipontinis eo loco suffecerint; vel si Beneventani ex Adonis manu sint, erravit certè Ado, errandique occasionem spectata tantum suorum temporum ratio facillimè præbuit: Scribebat Ado circa Annum 885., quo scilicet tempore Sipontini non solum ad Principatus Beneventani dominium pertinebant, verum etiam Beneventanis Antistitibus subdebantur; unus enim à S. Barbati ævo, uti superius observatum est, idemque Beneventanorum Sipontinorumque Episcopus tum habebatur: Quid ni, hæc cogitans Ado, nec præteritum, quem pertractabat, rerum, temporumque statum animadvertens, Beneventanos, quos semel usurpavit, eosdem ac Sipontinos vel credidit, vel promiscuo nomine appellari posse exstimavit? Consultè magis Apparitionis Acta se habent, dum Beneventanos simul Sipontinosque eo bello impetitos exprimunt: at nec satis recte; quandoquidem illo ævo nec Neapolitæ cum Beneventanis bellandi caussam, nec Sipontini cum Beneventanis commune aliquid habebant: Vera igitur unus nobis prodidit, cujus auctoritas omnium vice esse poterit, vetustissimus vitæ ejusdem Sipontini Episcopi Laurentii Scriptor, qui Sipontinos memorasse contentus, de Beneventanis omninò silet. *Eo* (inquit) *tempore famosissima illa, & per Orbem terrarum divulgata Michaelis Archangeli in Monte Gargano Apparitio facta est: & B. Laurentius, quid faciendum esset, Michael ipse Archangelus per visionem narravit .... Cumque Neapolitani Cives suos gravi pugna lacesserent, confisus Vir Dei Laurentius .... cum populo sibi subjecto, triduano se jejunio affligens, adeptus est de Cælo victoriam &c.* (2). En igitur unos adversus Sipontinos Neapolitarum molimina: En deni-



(1) Tom. II. Februarii in Vita S. Laurentii Episcopi Sipontini pag. 59. not. a.

(2) Eadem totidem ferè verbis leguntur in altera ejusdem S. Laurentii Vita, quam pariter exhibet Cl. Bollandus ad diem VII. Febr. pag. 59. & 61. Tum heic, tum ad diem IX. Februarii pag. 514. num. 23. de S. Sabino Episcopo Canusino agens Bollandus rem totam ad XXIX. Septembris sibi pertractandam servavit. Hinc mihi consilium subiit, omnia, quæ idem Bollandus, ejusque Collegæ de hoc argumento hactenus, atque obiter præfati sunt, colligere, atque in superioribus notis recitare: At quum hæc sub prælo essent, prodiisse audio Clarissimi P. Stiltingi Commentarium ad diem XXIX. Septembris, nondum tamen mihi visum, ut legentibus apparebit: sed nec mihi pœnitendum omninò fuerit, in eo argumento, quod ad meum institutum Opus pertinebat, qualemcumque operam meam contulisse.

que certis veterum monumentis, quam tutò ſequamur, comprobatam ejus belli epocham. Nulla tum cum Beneventanis res fuit: minus certe cum Longobardis, quos ſub Beneventanorum nomine latuiſſe ſomniabat Peregrinius. Anno CCCCXCIII. quo bellum accidiſſe jam ſatis conſtat, ne Longobardorum quidem nomen Italia norat, quæ non ante annum DLX. Narſetis auxiliarios Longobardos primùm vidit, mox anno DLXVIII. dominaturos excepit.

Longe itaque ante Longobardorum adventum, in Gargano Monte Archangeli Michaelis facta eſt Apparitio, maximo tunc quidem nedum Sipontinorum, ſed univerſæ Reip. Chriſtianæ emolumento, quæ Archangeli tutelam illuſtri exemplo jam comprabatam, quolibet in diſcrimine nunquam ſibi defuturam deſpondebat. Sed ( ut ſequutus poſtea rerum eventus demonſtravit ) non ſine quadam Dei providentia Longorbardorum adventum ea Apparitio viſa eſt antevertere: ut ſcilicet Gens bellicoſiſſima, quæ non tam incolendæ, quam ſubjugandæ ſibi Italiæ inhiabat, conatus ſuos ſub Cæleſtis Ducis auſpiciis magis fortunari poſſe confidens, Chriſtianis moribus alacriùs aſſueſceret. Certè & Longobardorum adventum, & Michaelis Patronatum haud longo intervallo disjunctos inter ſe, animadvertere licebit ex Ignoto Monacho Caſſinenſi, qui Longobardorum res ab ſua origine ſummatim repetens, indicato illorum ex Pannonia in Italiam adventu, *poſt hoc* ( ſtatim ſubdit ) *dominantes Italiam, Beneventum* ( *properantes* ) *introeunt ad habitandum. Horum autem* ( Patronus ) *Princeps militiæ cœleſtis exercitus Michael exſtitit Archangelus*; ſi enim Michaelis Patronatus cœptam Italiæ dominationem, Beneventanique Ducatus exordia, continenti rerum, temporumque narratâ ſerie conſequutus traditur, jam non ultra triennium à Longobardorum adventu illius quoque initia agnoſci debent. Siquidem ab anno 568., quo Longobardi Italiam invaſerant, vix triennium, quum *dominari coeperunt in Italia*, effluxiſſe Auctor *Miſcellæ* teſtatur; quo ferme tempore Beneventanum pariter Ducatum inſtitutum alibi probavimus (1).

Sed quibus officiis, quo religioſo cultu delectum ſibi Patronum Michaelem demereri Longobardi ſategerint, obſervare operæ nunc pretium erit. A præclariſſimo ordiar argumento, quod receptus Gentis mos ſuppeditat, ut Archangeli Imago in militaribus vexillis depicta geſtaretur: ad eamque Immaginem militare Sacramentum præſtari deberet: atque in altero quidem, quem præcipuum exercitus ſui Ducem, quem bellicarum expeditionum tutatorem haberent; in altero quanta militibus ſervandæ fidei Religio ingereretur, Longobardi oſtendebant. Rem utramque illuſtri exemplo comprobare promptum eſt: Dum enim inter Regem Cunibertum, Tyrannumque Alachim cruento nimis prælio confligeretur, ſingulare certamen, quo utriuſque factionis, ejuſdemque gentis ſanguini parceretur, Cunibertus propoſuit; quod tamen Alachis recuſavit, non Cuniberti quidem viribus, ſed violatæ Religionis conſcientiâ perterrefactus: *Hoc facere* ( ſic ſuis hortantibus is reſpondit ) *non poſſum, quia*

(1) Poſt verba *Horum autem*, licet vox *Patronus* deſit tum in editione Neapolitana Opp. Cam. Peregrinii tom.1. pag.189. tùm in Muratoriana Scrip. Ital. tom.II. part.1. pag.262., lacunam tamen ibi eſſe ſatis conſtat, fateturque Muratorius ipſe in Antiq. Med. Ævi tom.II. pag. 583. ubi *Patroni* vocem in ea lacuna deſiderari, ſupplerique facilè poſſe ait. Hujus autem Hiſtoriographi conſilium fuit res ſuorum temporum ab anno 840. quo Beneventanus Principatus diviſus fuit, diſtinctè narrare; ſuperiorum autem temporum eventa omnia, quæ ad eoſdem Longobardos pertinerent, ſummatim, ac uno veluti conſpicienda obtutu præmittere. Hinc ſub eod. num. III. hæc omnia complectitur. *Poſt hoc dominantes Italiam, Beneventum introeunt ad habitandum. Horum autem .... Princeps militiæ cæleſtis exercitus Michael extitit Archangelus. Neapolites ad fidem Chriſti perducti. Alzecus Vulgarius cum hominibus ad habitandum ſuſcipitur. Græcorum, Romanorumque Longobardi gentes ſuperantes, totam ſimul Beneventi poſſident Patriam.* Hæc Ignotus Caſſinenſis, paucis ipſe quidem, qui tamen res annorum propè centum ſpatio geſtas ſimul congeſſit. Ac primum Longobardorum adventum anno 568. ſequutum proximè narrat in fine num.II. Dein num.III. ſubactam Italiam: Ducatum Beneventi inſtitutum: S. Michaelis Patronatum: Neapolitanos ad Chriſti fidem converſos: Alzechi Bulgarorum Ducis, ejuſque gentis admiſſam in Beneventani Ducatus finibus Coloniam: Poſtremò profligatas Græcorum, Romanorumpue copias, quas ſcilicet Imperator Conſtans expugnando Benevento duxerat: ut mirum ſit, in hac tam perſpicua rerum ſibi ſuccedentium ſerie, in meridiana propè luce cæcutiſſe Peregrinium, qui *Ignotum* Caſſinenſem de eo bello heîc loquutum contendat, quod tum Ado, tum Acta Garganicæ Apparitionis Neapolites Sipontinis intuliſſe commemorant. Sed de his jam ſuperiùs diximus. De Neapolitarum ad Chriſti fidem converſione, quod Ignotus idem narrat, dubium videri poteſt. Hunc *Gordium quaſi nodum exoluiſſe* primus gloriatur Franciſcus Pratillus in notis ad d. locum edit. Neapolit. pag. 196. Ignotum ad ſuam, in qua ſcribebat, ætatem reſpexiſſe arbitratus, quando ſcilicet Neapolitanorum cum Saracenis fœdera, corruptiſſimique ſub Sergio Duce mores, ut pro *Gentilibus* vulgo haberentur, efficere potuerunt. At Pratillo facilè animadvertendum erat, non de ſua quidem ætate ideſt Sæculo IX. Ignotum eo loco loquutum, ſed de antecedenti longiùs ævo; certè ante Alzechi adventum, quem anno 670. contigiſſe conſtat. Adhuc igitur de ea re cogitandum; præſertim quum Ignoti teſtimonium ab Apparitionis Garganicæ Actis confirmetur, ubi Neapolitanos labente Sæculo V. *Paganos* fuiſſe legimus: de quorum tamen Ethniciſmo, Mazochium, Bollandum, Aſſemanum, legendos ſuperiùs jam monuimus.

*quia inter contos suos* ( i. e. regis exercitus ) *S. Michaelis Archangeli, ubi ego illi juravi, Imaginem conspicio* (1).

Neque vero in Garganica duntaxat Crypta sacros honores Archangelo Patrono exhibendos Longobardi passi sunt: alibi quoque Ecclesias, quæ suam erga Michaelem venerationem testarentur, illiusque cultum frequentiorem ac ferventionem efficerent, eidem exstruendas, ac dicandas curarunt: Omnium vice unam, & alterum recensere heic sufficiat: ac prior sit insignis Basilica Ticini ædificata, quæ hodiedum *S. Michaelis Majoris* nomine appellatur: Constantino Magno opus tribuendum, probare Ticinenses aliquot Scriptores conati sunt, quos tamen frustra laborasse animadvertit Muratorius (2), Longobardos auctores manifestos agnoscens; ex quibus satis ejusdem Basilicæ decori, ac vetustati consultum est, ut altiorem originem, augustioremque Conditorem sibi falsò asserere non indigeat. Quanta verò Longobardorum, in eam Basilicam religio fuerit, ex eo vel maximè liquet, quod reis quibuscumque, etiamsi Majestatis, tutissimum Asylum præstiterit: Sic Hunulfus Regis Bertaridi Vestiarius, Regi Grimoaldo gravissimè offensus, quod Bertaridi fugæ consilium, atque opem contulerit, in dictam Basilicam confugiens, non solum veniam criminis sui, injuriæque erga Grimoaldum, verum etiam suæ erga Bertaridum fidei laudem reportavit (3). Rem ex Paullo Diacono accepimus, qui quum præfatum Hunulfum *in B. Michaelis Basilicam confugium fecisse* tradat, occasionem doctissimo Assemano fecit, ut Garganicam potius, quàm Ticinensem Basilicam eo loco intelligendam existimaret (4). At, ne Viro summo assentiar, Paullus idem Diaconus in caussa est: cui *Garganica* Basilica exprimenda fuisset, quam longissimo terrarum spatio Hunulfus petere debebat, non item *Ticinensis*, quæ in ejus rei gestæ loco extans, promptum Hunulfo confugium præbuit. Sic Paullus idem alibi Longobardos aliquot perduelles à Rege Liutprando comprehendi jussos memorans, *Harsemar* ( iniquit ) *qui unus ex eis fuerat, evaginato gladio, multis insequentibus, ipse, se viriliter defensans, in Basilicam B. Michaelis confugit. Ac deinde solus Regis indulgentia impunitatem meruit, ceteris longo tempore reis vinculis excruciatis* (5). Putabimusne hunc *Harsamerem* in Garganicam Basilicam profugisse? Absurdum dixerimus; quod æquè de *Hunulfo* pronunciandum; itaut utrumque nonnisi in Ticinensi Archangeli Basilica asylum sibi quæsisse, magis est, ut credamus.

Altera Ecclesia est, quæ Ticinensem si non operis magnificentiâ, religionis tamen splendore non parum antecelluit, à Cistiberinis Longobardis in Archangeli honorem excitata. Præstat audire ignotum Cassinensem, sic de ipsa scribentem: *Inter Capuam, Teanum, nec non Alifam auditur esse Mons quidam, in quo dicitur adesse Angelica Virtus ad instar B. Michaelis Archangeli in Monte Gargano, uti distillari aquam, & jugiter effossam Cryptam, & jacere Basilicam, atque ibidem nunc crebrò fieri prodigia: ex hortatu autem Landolfi Præsulis Ilarius Teanensis Ecclesiæ Episcopus dedicavit illic Sanctorum Altaria, & peramplius ex tunc fiunt multarum Sanitatum signa, & prodigia ad gloriam, & laudem nominis Jesu Christi* (6). Viget adhuc loco religio, quò postridiè Nonas Maij ingens incolarum, finitimorumque multitudo ad concelebrandam Archangeli memoriam confluere solet, itaut Mons ipse in Calatina, seu *Cajacensi* Diœcesi positus, atque à Pago *Sclavorum* appellato vix milliario dissitus, abjecto veteri *Melanici* nomine, *Mons* S. Michaelis vocari cœperit. Cur verò Capuani Antistitis Landolfi *hortatu* ( ut Ignotus iniquit ) opus fuerit, ut Teanensis Episcopus Ilarius Altaria ibidem dedicaret, ratio illa fuisse videtur, quod Locus Capuanæ Ecclesiæ olim subesset. Atenulfus Capuanus Archiepiscopus in Bullis ad Jaquintum, ac Stephanum Calatinos Episcopos datis, quum plurima ipsis, sibi Suffraganeis concederet, de ea tamen S. Michaelis Ecclesia sic cavet, ut integra sibi jura manere decernat: *Non dedimus* ( inquit ) *vobis vestrisque Successoribus Ecclesiam S. Angeli in Melanico, quam in nostra nostrorumque Successorum potestate reservamus*: At posteriore ævo ipsa Ecclesia in eorundem Calatinorum Episcoporum jurisdictionem tandem cessit, quibus hodieque subdita est.

Aliud præterea, quod etiamnum manibus contrectamus, præclarum Longobardorum erga S. Michaelem venerationis, ac vicissim Archangeli erga eam Gentem Patronatus monumentum ex vetustis illorum Numismatis repetemus. Adest aureus Regis Liutprandi Numus, in cujus antica parte insculpta ejus Regis effigies est cum literis: LIUTPRN. R., in postica verò S.Mi-



(1) Paullus Diac. lib.v. cap.XLI.
(2) Annal. Ital. tom.IV. & Antiq. Med. Ævi tom.II. pag.582. lit. c.
(3) Paullus Diac. lib.v. cap.III.
(4) Script. Hist. Ital. tom.I. pag.454.
(5) Lib. VI. cap.LI.
(6) Hist. Ignoti Cassin. num. XXIX. inter Opp. Cam. Peregrinii cum notis Franc. Pratilli tom.I. pag.214.

rò S. Michaelis, cum hac epigraphe: SCS ... MAHEL (1). Sed de hoc argumento præclariora nobis Beneventani Longobardi Principes reliquerunt; ſpectandamque oculis rem ipſam dabimus, quum de illorum Numis peculiari Diſſertatione ſermonem inſtituemus. Nunc verò, quantum ex univerſa Gente Beneventani Longobardi in S. Michaelis cultu præſtiterint, ac quibus præſertim indiciis erga communem Patronum obſervantiores præ tranſtiberinis Longobardis ſe probarint, dicendum erit.

Ac primùm, iterum heic Ducem, dein Regem Grimoldum prodeuntem libenter excipiemus. Ejus religionem pluribus argumentis ſuperiore Capite I. aſſeruimus; confirmare nunc ſuppetit ex Victoria illa, quam is de Græcorum copiis Garganicam Baſilicam deprædari molientibus reportavit: *Quum enim* (iniquit Paullus) *eſſet Grimoaldus vir bellicoſiſſimus, ubique inſignis, venientibus eo tempore Græcis, ut oraculum S. Michaelis Archangeli in Monte Gargano ſitum deprædarentur, Grimoaldus ſuper eos cum exercitu veniens, ultima eos clade proſtravit* (2). Quid enim? Non ut eam rurſus ſibi ſubjicerent Regionem, Græcorum conſilia, machinationeſque ſpectabant; quamobrem ut Ducatus ſui fines tutaretur, Reip. potius, quàm Religionis hoſtibus occurriſſe Grimoaldus debuit: ſacris potiſſimùm locupletiſſimæ illius Baſilicæ opibus ſacrilega Græcorum tumultuariò adventantium avaritia inhiabat: unde Religio vel ſola, vel præcipua cauſa fuit, ut Grimoaldus in prædones inſurgens, impios ipſorum conatus non modo irritos, ſed proprio quoque ſanguine ad internecionem uſque expiatos reddiderit.

Illuſtre hoc profecto pro tuendo SS. Archangeli honore, atque cultu Grimoaldi ſuorumque Longobardorum facinus fuit. At non minus fortaſſe negotii, quam quod illi, ut Garganicam Baſilicam tutarentur, ſuſcepere, ut modo eorundem ipſorum famam vindicemus, faceſſere Camillus Peregrinius nobis voluit. Non acquieſcit Paulli narrationi Peregrinius, qui nuſquam magis, quàm de hac ipſa re mendacii Paullum inſimulare, ac prædamnare conatur; *quum enim*, inquit, *Græcis ſacrilega iſta adſcribit, vereor, ne imponat nobis Paullus, ſuſpectæ mihi ſemper fidei auctor in his, quæ ſuorum Longobardorum officere poſſunt decori* (3). In ſumma eò Paullum proceſſiſſe Peregrinius exiſtimat, ut quæ inſigniora ſuæ Gentis flagitia fuerint, aliis appingere auſus fuerit: quaſi? ſi unquam rei auctores Longobardi fuiſſent, non rem ipſam (uti veriſimilius ſit) diſſimulare, ſed illam adverſus Græcos calumniam inſtruere Paullus ſciens, ac prudens maluerit: At quæ Peregrinii momenta ſint, videamus. Ut facinus à Græcis ad Longobardos convertat, ſævum ingenium, impioſque horum mores advertit, qui Caſſinenſe olim Monaſterium diripuerunt, quique admodum ſerò ab Idolorum cultu ad Chriſti fidem converſi ſunt: contrà verò à Græcorum religione id abhorrere ſubdit, qui, pluribus etiam in Archangeli honorem exædificatis alibi Eccleſiis, eximii potius illius cultores extitiſſe cenſendi ſunt: Hæc Peregrinii momenta ſunt, quibus exaggerandis plures ab eo paginæ implentur. Nemo, ſi unum excipias Petrum Jannonium (4) hactenus fuit, qui doctiſſimi Capuani παράδοξον alterum non reprobarit, atque inter deliramenta non amandaverit (5).

Quàm

(1) Exhibet eum Numum Cl. Muratorius in Antiq. Med. Ævi tom. II. pag. 587.

(2) Lib. IV. cap. XLVII.

(3) De Finibus Ducatus Beneventi Diſſ. VII. pag. 270. edit. Neapol. tom. V.

(4) Hiſt. Civil. Neap. lib. IV. cap. VIII. pag. 273. Jannonii nomen, atque ſuffragium vix eſt, ut Peregrinium juvare poſſit: neque enim nova nobis affert Jannonius, qui Peregrinii dicta deſcripſiſſe ſatis habuit, quippe quæ ingenio ſuo, omnia in deteriorem partem pertrahenti, immò de Angelica Apparatione obloquenti, maximè probabantur.

(5) Peregrinium ea de re apertè aſpernantur VV. CC. Horatius Blanchus in notis ad eundem Paulli locum num. 246. Ludovicus Muratorius Annal. Ital. ad an. 647. Joſeph Aſſemanus Ital. Hiſt. Scriptorum tom. I. pag. 432. ſeqq. Ipſe demum contra Peregrinium ſtat, Peregrinii licet ſtudioſus Franciſcus Pratillus. *Fundamentum* (inquit tom. I. pag. 13. not. u) *rationis, quo Peregrinius innititur, Caſſinenſe nempè Coenobium à Longobardis direptum aſſerendo, facilè convellitur, cum prioribus Longobardorum annis major illorum pars, vel Idololatræ, vel Ariani erant, non ita ſanè poſt annos ferè C., quo annorum ſpatio mores Longobardorum exculti in melius fuerant &c.* & rurſus pag. 14. not. *. *Cæterum ſi victor Grimoaldus hæc à ſuis agi promiſiſſet, ut Peregrinius innuit, Grimoaldus Beneventi Dux non Catholicus Princeps, ut revera erat, ſed adhuc Idololatra fuiſſe credendus erit, quod ſacram B. Michaelis Cryptam mandaverit deprædandam, nullam aliam ob cauſam, quàm ut efferatæ militiæ libertati anſam daret, quod utique incredibile exiſtimandum erit*. Atque hæc quidem Pratillus; qui tamen ineptè ex ſola Chriſtianæ Religionis profeſſione impoſſibile Longobardis facinus cenſet, quod Græcis Chriſtianis poſſibile fuit. At audi quid Pratillus cogitaverit: *Fateor* (inquit) *me nec Peregrinio, neque aliis inhærere, cum eo tempore Sipontini Templi decus æquè Græci, ac Longobardi magni fecerint, atque excoluerint*. Quid tum? *Vereor* (ait) *ne Paullus tranſmarinas aliquas barbarorum ſive exterorum acies* (*an eorundem Sclavorum, iterum Sipontinas in oras, appellentium* (*de quibus ſup. Cap. locutus erat*) *in Apuliam* adven-

Quàm enim importunum, ineptumque censeri illud debet, ut proptereaquod septuaginta circiter ante annos priores Longobardi Monasterii Cassinensis deprædationem perpetrassent ( nam Idololatriæ accusationi satis superiore Capite factum est ) posteri item Longobardi, majorum exemplo ac moribus adhuc imbuti in Garganicæ Basilicæ deprædationem irruisse putandi sint. Quando verò id factum? quum scilicet Regio illa, cum ipso quidem Gargano Monte ( quod de Cassino, Zottonis tempore, dici nequit ) ad Longobardorum Ducatum ditionemque pertinebat. Nonne igitur patratum facinus Longobardis dominis impune cessisset? at non patratum, sed tentatum Paullus narrat: an itaque à Longobardis tentatum ipsimet Longobardi impedissent? Qui tandem, tunc temporis Longobardis, quique Græcis mores fuerint, vel non dissimulare, vel penitiùs inspicere Peregrinius debebat: & enim ex hoc uno argumento de Paulli fide non modo non dubitasset, sed rem gestam, uti ab eo narrrata est, libentius admisisset.

Ac plura quidem præsto sunt, quæ Græcos per eam tempestatem insignes Sacrorum Ædium expilatores nobis produnt. Ab Urbe Neapoli ordiar, in quam Anno DXXXVI. à Belisario captam, adeò Græcos desævisse legimus, *ut non ætati, non sexui, postremò non Sanctimonialibus, vel ipsis etiam Sacerdotibus parcerent, cunctaque rapinis diriperent, nec à Sacrosanctis Ecclesiis expoliandis abstinerent* (1). Sed & anno DCXXXVIII. Isaacum Exarchum nobis offert in Pontificis Severini vita Anastasius, Romam advenientem, *ac missis prius omnibus Primatibus in exilium, ne fuisset qui resisteret de Clero, post dies aliquantos ingressum in Episcopium Lateranense fuisse ibi per dies octo, usquedum omnem substantiam illam deprædaretur*; ex qua quidem substantia, ingenti illâ quidem, cui diripiendæ, asportandæque octo vix suffecerint dies ( quippe quæ *ex diversis Christianissimorum Imperatorum, seu Patriciorum, & Consulum oblationibus longo tempore coacervata fuerat* ) Græcus Prædo Isaacus, non tam ut sceleris sui impunitatem sibi redimeret, quàm ut Principum suorum avaritiæ fidelem, ac satis utilem operam navasse se ostenderet, *partem in Civitatem Regiam ad Heraclium Imperatorem direxit*. Neque heic, Sacrilegæ, quas à Græcis Italia passa tunc fuit, deprædationes substitere: residuum enim locustæ comedit bruchus, cujusmodi certè habendus est Heraclii Nepos, imperiique simul ac impietatis successor Constans, qui Religionis potius sacrorumque locorum, quàm Longobardorum hostis in Italiam advenit: jam enim illum in media Roma spectare erit, victoris, idololatræque hostis instar, corradendis triumphatæ veluti Urbis spoliis undequaque incumbentem, *omnia, quæ erant ex ære ad ornatum Urbis deposuisse, sed & Ecclesiam B. Mariæ ad Martyres* ( hoc est Pantheon ) *quæ tecta tegulis æreis erat, discooperuisse, & in Regiam Urbem cum aliis rebus, quas deposuerat direxisse* (2). Mox in Cistiberinam Italiam digressum ( quemadmodum in Vitaliano Anastasius prosequitur ) *& Sacra vasa, & Cimilia Sanctarum Dei Ecclesiarum auferentem nihil dimisisse*: Quid? quod adversus Garganicam Basilicam paullò ante id tempus à suis Græcis incassum tentatam, ipse demum Constans ( uti mox observabimus) sceleſtiùs perfecit? Interim hæc Peregrinio objecisse satis fuerit, ut non à Græcorum moribus alienum fuisse discat, eos scilicet Garganicæ Basilicæ direptionem tentare potuisse ( uti certè molitos Paullus refert ) qui passim eo tempore in Sacrarum Ædium deprædationes debacchati convincuntur. Ad Longobardos verò quod attinet, plura, atque illustria, de quibus mox agendum erit, exempla nobis occurrent, quibus per omnem eam ætatem in ditandis Ecclesiis illorum quammaximè enituit religio: adeò ut unam Cassinensis Monasterii, quam initio patrarunt, deprædationem, cumulatiùs multò compensasse haud contenti, nihil familiarius habuerint, nec majestate sua dignius aliud duxerint, quàm ut in ædificandas, amplissimisque opibus passim locupletendas Ædes sacras incumberent: Frustrâ igitur à Græcis, deteriora quæque ausis, ejus rei amoliri invidiam Peregrinius laboravit; iniquiùs ipse, ac nonnisi per summam calumniam reos excogitare Longobardos ausus fuit; Longobardis enim & in-

*adventantes, eas Græcorum oscitanter appellaverit*. Idem recoquit in not. ad Ignotum Cassinen. cod. to. I. p. 216. non Græcos, sed Idololatras populos omnino volens, quasi & ipsa avaritia, qua Græci flagrabant, non sit Idolorum servitus. De Sclavis autem, quos affert, nugæ sunt: Si enim Paullus superiore Capite ( ut fatetur) Sclavorum meminit, non igitur sequenti mox Capite Sclavorum ignarus, aut oblitus dici potest, ut Græcos oscitanter crederet, atque appellaret.

(1) Histor. Miscell. lib. XVI.

(2) Quum hæc scriberem in mentem venerunt similes prorsus Romanæ Urbis cum Hierosolymitana ( dum Israeliticum Regnum staret ) comparandæ calamitates. Res enim Israelitici Regni eò collapsa erat, ut pro Vasis, Scutisque aureis Templi à Rege Salomone illatis, atq. postea à Segac Rege Ægypti ablatis, Rex Roboam ærea substitueret ( *Reg.* III. 14. ); at hæc demum ærea Rex Nabuchodonosor sub Rege Sedecia auferenda quoq; sibi duxit ( *Reg.* IV. 25. ) Haud secus Roma, dum aurea esset in Græcor. prædam cessit, qui *æream* postea invenientes, inexplebili cupiditate ducti, neq; *æream* esse Romam passi sunt, atque ad nuditatem usq. redigere maluerunt.

& indubia rerum gestarum monumenta, & aliis luculentissimis exemplis comprobata vetus religio, justissimam hanc, & sane egregiam laudem vindicant, quod sub eorum Duce Grimoaldo propulsatis sacrilegis Græcorum conatibus, Garganicam Basilicam Archangelique Michaelis honorem propugnarint.

Hactenus, ne quid detrimenti caperet Garganica Basilica, Archangelique honos maneret incolumis, à Beneventanis Longobardis prospectum fuit: nunc vero eorundem consilio, operâque additam loco celebritatem, atque Archangeli cultum amplificatum spectabimus. Ac Beneventanis quidem Longobardis auctoribus instituta primùm debetur solennis A. D. VIII. Id. Maii, S. Michaelis memoria, quam illorum subinde exemplo, gentes aliæ, mox universa Ecclesia celebrandam suscepit. Ut manifestior res isthæc fiat, interest illud antè nosse, qua præsertim de re ejusdem Archangeli festivitas A. D. III. Kal. Octobris antiquitus instituta sit, quidque præterea alterâ illa festivitate recolendum sibi Beneventani suscepissent. Ad priorem festivitatem quod attinet, Cl. Georgii sententia est, ad diem XXIX. Septembris præcipuam illius Ecclesiæ, sivè Basilicæ memoriam agi, quæ in Urbe Roma in Archangeli Michaelis honorem primùm dedicata fuit, deque ea Romanæ Basilicæ Dedicatione Martyrologia omnia esse intelligenda. *Dubitandum itaque non est* (inquit in dicta die in suis ad Adonem adnotationibus) *quin Romana Ecclesia hac die Dedicationem Ecclesiæ B. Michaelis Archangeli celebrarit, & quidem illius, quæ Romæ in illius honorem dedicata fuerit*. Tum quænam isthæc Ecclesia fuerit, nondum sibi liquere fatetur, an illam Adoni memoratam, atque à Pontifice Bonifacio *in Summitate Circi* constructam? An alias, Baronio, nullo expresso nomine, Urbisque locis, memoratas? An denique illa *in Via Salaria*, à Sacramentario Blanchiniano, idest Gelasiano indicatam? in qua nihilominus Ecclesiarum incertitudine, adhuc sibi certus, tenaxque suæ sententiæ, nullimode cujuspiam *Romanæ* Basilicæ *Dedicationem* loco semel tradito movendam censet, sed *in eandem diem coaluisse celebritatem ejusdem S. Michaelis in Monte Gargano una cum ipsius Archangeli Basilicæ dedicatione in Urbe Roma*, contendit.

At nullimode hanc Georgii sententiam probari posse video: nam primo is Romanam Basilicam Adoni memoratam Bonifacio II. adscribit, quam Bonifacio III. aut IV. tribuendam optimis rationibus Baronius censuit: nec ex altera *Viæ Salariæ* suam is sententiam tueri valebit; dum hanc, aliasque quaslibet Romanas Ecclesias, sivè citiùs, sive seriùs, semper tamen post Garganicæ Basilicæ Dedicationem constructas, nos superiùs demonstravimus. Sed & magis id mirari subit, qua de caussa Vir doctissimus, vel nullam ea die Garganicæ Basilicæ rationem in vetustis Martyrologiis, vel posteriore loco habitam putarit, contrarium profectò Martyrologiis ipsis testantibus, quorum ipsa verba recitavit. Atque Ado quidem, cui illustrando Georgius egregiè adlaboravit, præcipuum Garganicæ Basilicæ in Martyrologio suo locum tribuit, nec nisi post illius memoriam prolixo, accuratoque stilo enarratam, appendicis instar Bonifacianæ Basilicæ, veluti ex Garganicæ occasione aut exemplo Romæ constructæ sermonem adjecit. Neque id certè ex Adonis ingenio fuit, sed ex vetustissimi Romani Martyrologii documento, quod is in suo Opere concinnando præ oculis manibusque habuit, ac in sua Præfatione *venerabile, & perantiquum* appellat. Latebat hoc Romanum Martyrologium Baronii ævo, qui illud in lucem tandem eruendum, publicique juris faciendum peroptabat: edidit Rosuveydus, ac post Rosuveydum ipse Georgius, qui ipsum, Adoni (ut par erat) præire voluit post Operis præloquium pag. XXV. atque ad diem XXIX. Septembris hæc ejusdem Martyrologii sunt verba: *In Monte Gargano venerabilis memoria Archangeli Michaelis*; tum separatim prosequitur. *Et Roma dedicatio Ecclesiæ ejusdem Archangeli à Bonifacio PP. constructæ in Circo, qui locus*, inter Nubes, *dicitur*. Sed & in pluribus Martyrologiis solam Garganicæ Basilicæ, nullam Romanæ haberi, ipsa docent Martyrologia à Georgio in dicta Adnotatione laudata, inter quæ Vaticanum num. 3806. *In Monte Gargano dedicato Basilicæ Archangeli Michaelis*: ac Missale plenarium Vaticanum num. 4770. *Dedicatio Basilicæ Salvatoris S. Michaelis in Monte Gargano* (1). Cl. P. Sollerius in suis ad Usuardum *Auctariis*, nobis superiùs laudatis, alia ad dictam diem

(1) Observationem meretur illud *Salvatoris* prænomen, Archangelo Michaeli in hoc veteri *Missali* tributum. Eo titulo Deos suos decorare cæca Gentilitas consuevit, à quibus salutaria quæque sibi conciliare, & promanare somniabat: multa de hac re observavi to. I. Diss. II. cap. 2. pag. 72. ubi marmoreum Herculis Anaglyphum illustravi, cui Græca Inscriptio HRAKΛH CΩTHPI idest *Herculi Servatori*, seu *Salvatori* insculpta legitur. Cæterum licet unum istud sit monumentum, in quo *Salvator* appellatur S. Michael, omnium tamen is di-

diem xxix. Septembris ſuppeditat, ſic ajens: Quæ hac die memoria in Martyrologiis recolitur, ea *potiſſimùm* ſpectare videtur *Dedicationem* ejus Templi, quod in præfato Monte *Gargano* famoſiſſimum eſt: Ita fermè loquuntur Hieronymiana: *Dedicatio Baſilicæ S. Michaelis*. Ut in Epternacenſi vetuſtiſſimo, vel ut in Corbejenſi: *Dedicatio Baſilicæ S. Michaelis in Monte, qui dicitur Garganus*. Beda priori ſimilior: Dedicatio Eccleſiæ S. Angeli Michaelis: addit Rabanus: *in Monte Gargano*: concinit Wandelbertus:

*Ætherea virtute potens, princepſque ſupernæ*
*Militiæ Michael terno ſibi Templa ſacravit*.

*Hæc omnia* (pergit Sollerius) *de Dedicatione in Monte Gargano accipienda eſſe, manifeſtum puto, eòque itidem referenda, quæ in Kalendariis per Allatium, & Frontonem, ac Sacramentario Gregorii per Menardum editis, de Dedicatione habentur, uti & in aliis veteribus monumentis à Florentino recitatis*. Sed & Florentinium audire operæ pretium erit. *Certum eſt* (inquit) *hic de* Dedicatione *illius Eccleſiæ memoriam recoli, non modo, quod ita Libri noſtri disertè doceant cum iiſdem Martyrologiis Corbejenſe, & Antuerpienſe, ſed quod ita omnia ferè Latinorum Martyrologia pariter retineant: & licet* Memoriam *vocet Romanum Martyrologium emendatum*, quando ipſius (Michaelis) nomine ibi conſecrata fuit Eccleſia; *quæ verba etiam ſunt Uſuardi, & Adonis, apud Rabanum tamen* III. *Kal. legitur*: Dedicatio Eccleſiæ S. Angeli Michaelis in monte Germano (*Gargano*): *Dedicationis vero hunc fuiſſe diem ex Sancti ipſius Archangeli revelatione docet Petrus de Natalibus Lib.* IX. *Cap.* 130. *& Romanum Pontificem auditis Apparitionis iteratæ prodigiis, in honorem S. Michaelis, & omnium beatorum Spirituum hunc diem* III. *Kal. Octobris celebrandum conſtituiſſe*. Ratum igitur manere illud debet, Garganicæ Baſilicæ Dedicationi ſacram hanc ab initio fuiſſe diem, quod & emendatum, quo utimur, Romanum Martyrologium comprobat, ubi ſola, quæ ad Garganicæ Eccleſiæ *conſecrationem*, ſive dedicationem pertinet, memoria ſervata eſt. Hactenus de die xxix. Septembris.

Age nunc de die VIII. Maii videamus, quo ſcilicet die memoria altera Archangeli Michaelis ab univerſa Eccleſia celebrari abhuc ſolet. Anniverſariam hanc memoriam recentiùs inſtitutam demonſtrat, Adonis Martyrologium, qui antiquiſſimum (uti paullo antè meminimus) Romanum Martyrologium ſectatus, non illius modo, ſed ſuo quoque ſilentio, nondum nono, quo ipſe florebat, Sæculo jam declinante, inſtitutam oſtendit; itaut quæcunque ad Archangeli Apparitionem, Sipontinorum victoriam illius ope reportatam, atque Garganicæ Baſilicæ dedicationem pertinerent, unâ ipsâ die xxix. Septembris complexus fuerit. Ita quoque in aliis quibuſque Martyrologiis vetuſtioribus nullâ aliâ, quàm ſolâ Septembris die xxix. Archangeli memoria recolitur, die vero VIII. Maii deſideratur (1); quo ex ſilentio ejuſmodi Martyrologiorum vetuſtas argui rectè poteſt (2). Siqua verò illam Maji diem Archangelo ſacram præferant, id è poſteriori manu accepiſſe cenſenda ſunt; nec niſi ſerâ ætate, poſtea videlicet, quàm à Beneventanorum Provincia, ubi jamdiu celebrandæ alterius ejus dici mos obtinuerat, gemina ejuſmodi ſolennitas in alias paulatim Regiones, Eccleſiaſque promanavit, quæ ſubinde antiquis Martirologiis, Kalendariiſque ſuis adjiciendam curarunt (3).

Haud

is digniſſimus, ut id cognomen accipiat, quod re omninò ipſa exequi probatur: nec aliò tendunt elogia omnia, quæ in vetuſtis Sacramentariis Michaeli meritò attribuit Eccleſia, ut ſcilicet, quum ipſe ſit *Salutis Signifer*, ejus præcipuè miniſterio Salus Populo Dei perpetuò accepta referri demonſtretur.

(1) Plura ad Adonis calcem vetuſta Martyrologia Cl. Georgius exhibet ex Vaticana Bibliotheca deſumpta: ex quibus *Fuldenſe* pag.662. *Laureshemenſe* pag.691. *Vaticanum* pag. 697. *Palatino-Vaticanum* pag. 706. *Ciſtercienſe* pag.711. *Mediolanenſe* pag. 717. de S. Michaele ad diem 8. Maji omninò ſilent: uti & *Mediolanenſe* alterum à Cl. Muratorio editum tom. II. part. II. Scriptor. Ital. pag.1037.

(2) Martyrologium *Ottobonianum*, quod inter Card. Sirleti Codices olim fuit, locum quoque habet inter illa à dicto Georgio edita pag. 676. ibique ad VIII. Maji poſt alia ſic loquitur. *Et dedicatio Eccleſiæ S. Michaelis in Monte Gargano*: tum ad xxix. Septembris: *Dedicatio Eccleſiæ S. Michaelis Archangeli*. Sed præpoſtera quidem atque importuna cenſeri debet illa menſi Majo conſignata *Dedicatio*, quam dein menſe Septembri, loco nempe ſuo, iterum commemorat. Sed hujus Martyrologii fidem impunè parvipendemus, quod tot mendis, barbariſmis, ſolæciſmis, nominum, locorumque perturbationibus ita ſcateat, ut Augiæ ſtabulum facilius, quàm apographum hujuſmodi expugnari poſſe fateatur id. Georgius in Præfat. §. III.

(3) In Auctariis Uſuardi à P. Sollario illuſtratis to. VI. Junii part. I. pag.261. ad diem 8. Maji B. Michaelis memoria variis titulis *Apparitionis*, *Inventionis*, *Adventus* inſcribitur: at eam memoriam inferioris ævi additamen-

Haud tamen facta hæc additio præclaro Neapolitano Kalendario dicenda est. Marmoreum id Kalendarium insculptum græcis literis, nonnisi una eademque manu utramque Archangeli solennitatem inscriptam exhibet: ac ad diem VIII. Maji sic habet: VIII. APPAR. S. ANGELI: ad diem vero XXIX. Septembris: XXVIIII. DED. SANCTI ARCHANGELI. Immo & Junii quinta die aliam ejusdem Archangeli commemorationem refert his verbis: V. S. ARCHANCELI MIC. Hujusce insignis Kalendarii ætatem ad medium circiter nonum Sæculum referendam statuit V. C. Mazzochius in Diatribæ epilogo, quam egregiis suis in illud Commentariis præmisit; quam ejus sententiam non est, cur non ego valdè probem (1). Vix tamen mihi ferendus V. C. Sabbatinus, qui in idem Kalendarium vernaculâ lingua sua certatim effudit Commentaria, illud sibi penè persuasum ajens, nullum hoc Kalendario antiquius extare documentum, unde ad posteros Apparitionis memoria pervaserit: *Io son per dire, che documento più antico di questa Apparizione non trovasi del Calendario nostro, dal quale ricavasi, che nel nono Secolo, in cui a suo tempo proveremo essere stato fatto, già era celebre nella nostra Città questa Festa, e questa in memoria dell' Apparizione già seguita da molto tempo, antichissima esser dovea* (2). Reprehendit de hac re Sabbatinum Assemanus, multa ostendens adesse documenta, Neapolitano Kalendario antiquiora, veluti Gelasianum Codicem, Usuardi, atque Adonis Martyrologia, Literas denique Pontificis Vitaliani ad S. Barbatum Episcopum Beneventanum (3). At si Sabbatinus de ipsa Apparitione loqui voluit (neque enim eo loco satis disertè loquitur), & falsum profectò convincunt documenta illa ab Assemano memorata, aliaque plura, quæ facile addi possunt, eandem Apparitionem ante Neapolitanum Kalendarium deprædicantia. Sin vero de peculiari die Sabbatinus dixit, qua ejusdem Apparitionis memoria solennis haberi cœpit; certè is hanc Neapolitanis laudem perperam adsciscere conatus est, quasi omnium primi eam Apparitionis solennitatem instituisse coluisseque viderentur. Erat quidem ab ipsa rei origine perspectissima Neapolitanis Archangeli Michaelis potentia, quam malo suo experti olim fuerant, dum *bello lacessere* Sipontinos tentarunt: atque ob id factum putari potest, ut ad conciliandam sibi Archangeli gratiam, pluries in anno illius memoriam religiosè celebrandam suscepissent: Sed illud præcipue eorum erga Archangelum exercendæ venerationis, solennitatumque iterandarum in caussa fuit, quod à finitimis Beneventanis, qui per universam sibi subditam

tamentum esse rectè Sollerius observavit in Præfatione Art. IV. ubi plurima recenset, quæ ad eam rem adhibet, Martyrologia. Diversum vero judicium de eo Kalendario ferendum ajo, quod ad Beneventanum S. Sophiæ Monasterium olim pertinens, modo in Bibliotheca Vaticana asservatur Cod. MS. num. 5949. Cl. Papebrochius (eodem teste Sollerio l. l.) *vocat novam collectionem ex Usuardo, Adone, & aliis factam pro Ecclesia Beneventana, qui etiam ætatem conjicere voluit, dum ait meminisse S. Romualdi, & S. Thomæ Cantuariensis*. Pro Ecclesia Beneventana collectum, aut compositum esse, *satis* (subdit Sollerius) *innuit titulus S. Sophiæ toties in contextu relatus*. Sed ne is ludere voluit? Quid enim Ecclesia S. Sophiæ cum Ecclesia Beneventana, quæ pro ipsa Cathedrali intelligenda erit? Ut vero de hoc sit; Codicis ætatem ex adjecto necrologio *eadem manu* conscripto inter annum 1190. & 1203. definit Cl. Assemanus, qui recensuit *Scriptor. Ital. tom. I. pag.* 430. Quum itaque adeò seram ætatem Codex ferat, ibique ad 8. Maji legatur: *Inventio S. Michaelis Archangeli in Monte Gargano*: & ad 29. Septembris rubris item literis: *Dedicatio S. Michaelis Archangeli in Monte Gargano*: num priorem mensis Maji inscriptionem *additamenti* loco habebimus? non ita quidem: neque enim, quia Ecclesiæ S. Sophiæ usui fuit, pro Ecclesia Beneventana *collectum, aut compositum* fuisse consequitur: sed quia Codex *eadem manu* conscriptus est, ex vetustiore profectò Codice vel ejusdem S. Sophiæ, vel Ecclesiæ Beneventanæ (quæ prima omnium, & à pluribus antè Sæculis eam diei 8. Maji solemnitatem celebrabat) descriptus, renovatusque dicendus est.

(1) Est quidem in eo præclaro Mazzochii Opere leviuscula quidem, sed tamen abolenda macula, quæ in Inscriptionem ejusdem diei VIII. Maji irrepsit: Siquidem tom. II. pag. 287. sic ipse ex antographo eum diem inscribit. APPAR. S. ANGELI PROP. est quidem in eadem Kalendarii linea, seu versu illud postremum PROP. sed ad sequentem lineam omnino pertinet, in qua agitur memoria S. CHRISTOPHORI ET ESAIE PROPH. idest PROPHETÆ, quæ postrema dictio, quum in eadem linea locum non invenisset, in reliquo antecedentis lineæ spatio superscripta fuit.

(2) Tom. V. ad diem 8. Maji pag. 29. Ex stili simplicitate satis vetustam Apparitionis Historiam censet Sabbatinus, qui tamen plura contra illius fidem observat: ac missis heic tum Neapolitanorum *Paganismo*, tum Zenonis mentione, quibus satis nos superius fecimus; libet nunc illud extricare, quod obscurissimum, atque etiam absurdum in dicta Historia Sabbatinus animadvertit; sic enim in Historia legitur: *Tandem Antistes salubri reperto consilio, Gelasium Romanum Episcopum, quid de his agendum sit, per nuncios sciscitatur: Qui tunc fortè erat in Monte Soracte, quinquagesimo ferè milliario à Romana Urbe distante, quem incolæ S. Silvestri cognomine vocant, eoque & ipse ibi quondam exulans pro Fidei persequutione delituerat, talia mandata remittit*. Quænam Gelasii tempore Persequutio extiterit, ut is S. Silvestri exemplo in monte Soracte delitescere solitus fuerit, anxiè quærit Sabbatinus, pluribusque observatis, ignorare fatetur. Sed levissima emendatione eum sibi laborem pepercisset Sabbatinus, nosque debitam Historiæ fidem restituemus. Si Gelasius *tunc forte erat* in Monte Soracte, quo pacto ipse idem *ibi quondam* exulavit? lege igitur: *Qui tunc forte erat in Monte Soracte, quem incolæ S. Silvestri cognomine vocant, eo quod* (pro *eoque &*) *ipse* sc. Silvester, non verò Gelasius) *ibi quondam delituerat*.

(3) Ital. Histor. Scriptor. tom. I. cap. XIV. pag. 430.

ditam Ciſtiberinam Italiam Michaelis cultum quammaximè obſervabant, exemplum receperit.

At unde ſcimus, primos omnium Beneventanos ejus, de qua nunc agimus, ſolemnitatis auctores fuiſſe? Satis idoneos teſtes habemus, tùm *Ignotum* illum, quem ſuperiùs laudavimus, Caſſinenſem, tùm quoque *Erchempertum*. At prior quidem, eodem prope modo, eadem certè die, qua olim à Sipontinis, Archangeli ope, Neapolitani profligati fuerant, ipſos rurſus Neapolitanos anno 860. Capuanis bellum inferentes, extremâ penè clade proſtratos narrat. *Per idem tempus* (inquit num. XXV.) *Neapolites audacter ſuper Capuanos venire in bellum conati ſunt, eo ſiquidem die, quo B. Michaelis feſtivitas eſt. Hujus* (ideſt Michaelis) *Longobardi* (qui ſcilicet Capuam incolebant) *auxilio freti, exierunt adverſus Quirites* (i. e. Neapolitanos ſic impropriè appellatos) *& tanta in illis cæde bacchati ſunt, ut plurimi ex iis gladio fuerint perempti, multique capti, nonnulli iu fluvium ſe projicientes, reſidui verò perpauci vulnerati in Urbem reverſi ſunt ſuam.... Secunda hæc Neapolitis ruina extitit, ſimilis, qua olim in Gargano, quum B. Michaeli Archangelo ageretur feſtivitas, corruerunt*. Quæ dies illa fuerit Capuanorum Longobardorum *victoriæ* ſimul, & Archangeli *feſtivitatis*, non expreſſit *Ignotus*, rem ſuo ævo, ſuiſque notiſſimam non exprimendam fortaſſe arbitratus; diligentiùs verò ſe habuit *Erchempertus*, qui eandem & ipſe rem narrare inſtituens, ſic ait num. XXVII. *Octavo Idus Majas, quo B. Michaelis Archangeli ſolemnia nos ſolemniter celebramus, qua etiam die priſcis temporibus à Beneventanorum Populo Neapolites fortiter cæſos legimus.... miſit* (Sergius Neapolitanus Magiſter militum) *duos filios ſuos, cum quibus Neapolitum, & Amalphitanorum exercitum penè ad ſeptem millia, ut Capuam obſiderent, quibus audacter occurrit, ceu leo fervidus, Lando junior, qui totis viribus ſuper eos irruit &c.* Habemus igitur ex Erchemperto diem Maii VIII. apud Longobardos ſolenni S. Michaelis memoriæ dicatam, *quo* (inquit) *die Archangeli ſolemnia nos ſolemniter celebramus*; ſin malis legere: *ſolemnia nos ſolemus celebrare*: qui ſcilicet dies à ſolis Longobardis, quà longe latèque eorum ditio pateret, feſtus habebatur; habituſque certe à pluribus retrò temporibus fuit, qui tunc celebrari ſolitus diſertè dicitur. Quid ni igitur ejus Solemnitatis inſtitutores Longobardi, quam vetuſta aliarum Eccleſiarum, Populorumque monumenta uſque ad Sæculum IX. ac X. omninò ſiluiſſe probantur? Hinc Longobardicæ Religionis laudi hoc etiam accedit, ut duplicem quotannis Sanctiſſimi Archangeli memoriam in univerſum Chriſtianum Orbem paulatim propagatam, Eccleſia probarit, cunctiſque Fidelibus celebrandam conceſſerit.

Cujus verò rei memoriam dicto die VIII. Maii celebraſſe Longobardi dicendi ſunt? Tria certè, uno licet anno, diſtinctis tamen temporum, rerumque intervallis eventa in Sacra Michaelis memoria occurrere, non ſolum ex vetuſtæ Hiſtoriæ fide, verum etiam ex Adonis, quem ſuperius illuſtravimus, Martyrologio, jam ſatis conſtat. Primum locum obtinet, quæ prima etiam ordine fuit, ejuſdem Michaelis *Apparitio*: Sequitur cum nova apparitione *Victoria*, quam is Sipontinis adverſus Neapolitanos præſtitit: Rem demum omnem concludit Baſilicæ, ſivè Cryptæ *Dedicatio*, quam cœlitus factam, locumque intrandi fas eſſe, tertiò apparens Archangelus Sipontino Epiſcopo nunciavit. Hanc, quæ poſtrema rerum fuit, *Dedicationem*, ad diem XXIX. Septembris ab ipſo Sæculo ſexto celebrari conſueviſſe, jam dictum eſt, probavimuſque vetuſtiſſimorum omnium Martyrologiorum, ac Sacramentariorum conſenſu, ſi unum, quod nunc mihi occurrit, non magni tamen pretii, deterioriſque fidei, excipias Martyrologium Ottobonianum, in quo ad utramque diem *Dedicationis* memoria recenſetur (1): Nulla in vetuſtioribus ſinceræque fidei Martyrologiis ad diem VIII. Maii Michaelis commemoratio; at ſi in poſterioris ævi Martyrologiis ulla, nullimodè *Dedicationis* eſt, ſed *Apparitionis*, vel *Victoriæ*, quarum memoria antiquitùs cum ipſa *Dedicationis* præcipua ſolemnitate recolebatur. Placuit itaque diſtinctum, ac præcipuum illis quoque ſacrare diem, ut ſcilicet præter Dedicationis feſtum, ſuus pariter dies Apparitionis, Victoriæque memoriæ ſolennis ſtatueretur; id qnod, uti ſuperius probatum eſt, ad diem VIII. Maii Longobardi Benevenentani inſtituerunt. Illud tamen non omninò certum,

ALTER L

(1) Martyrologium Ottobonianum, quod olim inter Codices Card. Sirleti fuit, exhibet V.C. Georgius ad calcem ſui Adonis pag.676.: ibi ad VIII. Maji poſt alia legitur: *& Dedicatio Eccleſiæ S. Michaelis in Monte Gargano*: tum ad XXIX. Septembris: *Dedicatio Eccleſiæ S. Michaelis*. Præpoſtera quidem, atque importuna cenſeri debet illa Menſi Majo attributa *Dedicatio*, quàm dein Menſe Septembri, dieque ſuo idem Martyrologium conſignat: Unde inter innumera, quibus paſſim ſcatet, ſphalmata id quoque recenſebimus: ejuſmodi enim eſt de hoc Martyrologio judicium laudati Georgii in Præfatione Operis §.III.

tum, an ea dies *Apparitionis* potissimùm, vel *Victoriæ* fuerit; &, an alterutram, vel utramque simul rem Beneventani sibi celebrandam suscepissent. Victoriæ potiùs, quæ Archangeli ope à Sipontinis adversus Neapolitanos reportata fuit, solennem eo die memoriam celebrari consuevisse uterque tàm Ignotus, quam Erchempertus demonstrasse veluti videntur: adstipulari antiqua aliquot Kalendaria invenio: Florentinum à V. C. P. Zaccharia editum, ad diem VIII. Idus Majas sic habet: *Victoria S. Michaelis*: ad diem verò III. Kal. Sept. *Dedicatio S. Michaelis*: Nec secus alterum; cui ad eosdem dies 8. Maii, & 29. Septembris, eadem ad amussim verba inscripta sunt (1). Quid verò, si ejus *Victoriæ* nomine non illam solum, quæ Sipontinis incolumitatem præstitit, celebratam intelligamus, sed æquè alteram, quâ Michael ipse in Cœlis triumphavit? Neutra certè, unde paria in Christianum Populum beneficia promanarunt, negligenda videbatur: Utramque nos saltem, dum anniversarios honores Archangelo tribuimus, spectare debemus, quandoquidem priore illa cœlestis Ducis virtutem, excellentiamque compertam hominibus Deus voluerit, quibus magis necessariam adversus spirituales nequissimos hostes Tutelam constituerit; posteriore vero Patronum illum Christiano Populo, à quo pariter ingruentia terræ mala averruncaret, à se datum demonstrarit. Interim, sic de dicto die VIII. Maii statuendum reor; ut non solius *Victoriæ*, sed *Apparitionis* quoque conjuncta eodem simul die memoria dicenda sit: nam sicut pleraque *Victoriam*, ita *Apparitionem* plura Martyrologia, ac Kalendaria eo die inscriptam præferunt: quanquam solius Apparitionis solennis memoria in emendato, quo nunc utimur, Romano *Martyrologio*, atque Officio Ecclesiastico servata sit.

Piget nunc (ut, quicquid ad argumentum pertinet, intactum nihil relinquam) ad illorum têmporum recordationem accedere, quando scilicet nulla Garganicæ Cryptæ mansit religio, nullus Archangeli Michaelis & nomini honos, & beneficiis memoria adservata fuit. Qui à Sæculo VI. vigere cæperat, amplius vero sequuto Sæculo VII. efferbuit Longobardicæ Gentis erga Patronum Michaelem cultus, eodem mox inclinato Sæculo adeo defecisse visus est, ut Ducis Romualdi, Episcopique Barbati tempore, nihil esset, quod antiquam testaretur loci religionem, sed omnia in illius injuriam verterentur. Audiamus iterum eundem Barbatum, qui id unum à Romualdo flagitavit, subdendam scilicet sibi *B. Michaelis Archangeli domum, & omnia quæ sub ditione Sipontini Episcopatus erant*: Cur verò id sibi quærat, ipse mox Sanctissimus Episcopus subjicit: *Quoniam absque cultoribus omnia depravantur, unde nec sedulum ibi sacrificium persolvi potest; & melius à nobis dispositasibi proficiant ad salutem*. Habemus itaque testem fidissimum, ác locupletissimum, qui in Archangeli Sacra Æde *omnia depravata* disertè fatetur, priscamque loci Religionem omnino collapsam, sine piis cultoribus, sine Sacris Ministris in profanam veluti solitudinem abiisse. Hic tunc infelix rei status; caussam nunc perquiramus: non illam aperuit Barbatus; quam certe Longobardis, si auctores nosset, exprobrare (uti de Viperæ, Arborisque cultu aliàs fecit) non destitisset. Non, inquam, ea res Longobardorum crimini verti debet, quorum erga Archangelum venerationem non unis hactenus argumentis testatissimam habuimus: Adde nunc (quod superiore Capite observatum fuit) peculiare eorundem studium, ut inviolata Garganicæ Cryptæ Religio servaretur: dum Græcis loci deprædationem molientibus Dux Grimoaldus illicò Benevento illùc accurrens, non modo restitit, sed ingenti cæde justas sacrilegi conatus pœnas exegit. Habemus igitur, Græcis aliquando intentatam loco injuriam; sed quod, Longobardorum vigilantia, ac virtute, frustrà illis semel cessit, ab iisdem omnino Græcis paucos post annos perpetrari demum contigit. Rem itaque omnem ad Imp. Constantis adventum, impietatemque referri debere, eadem S. Barbati Acta satis produnt: Is siquidem *à Longobardorum manibus Italiam eruere cupiens .... mare transgressus, Tarentum penetravit, indeque profectus penè omnes Apuliæ Urbes depopulatus, post direptam, eversamque opulentissimam Urbem Luceriam, tunc demum sua Castra movens juxta Beneventi moenia collocavit*. Apertissima res est, quam Paulli quoque Diaconi testimonio comprobatam damus. De Constantis enim adventu loqui instituens, Tarentum primùm appulisse eum tradit; *atque exinde egreßus Beneventanorum fines invasit, omnesque penè, per quas venerat, Longobardorum Civitates cepit .... deinde cum omni suo exercitu Beneventum circumdedit* (2). Constat itaque, universas penè Apuliæ Urbes ab Græco Augusto captas, direptasque: Siponti-

(1) Excursus Litterarii tom.I. pag.298. & 374. Priori Kalendario Sæculi XII. ætatem Cl. editor statuit; posteriori verò, quod *insigne exemplum Martyrologii Bedæ* appellat, apud Monachos Vallumbrosanos asservatum, Sæculum X. attribuit

(2) De Gest. Longob. lib.V. cap.VII.

pontinam Urbem tunc temporis ſatis divitem extitiſſe, non eſt cur dubitemus: Garganicam vero Cryptam Baſilicamve, opibus tum floruiſſe exploratiſſimum ex eo habemus, quod paucos ante annos (uti mox dictum eſt) Græci ipſi ad illam deprædandam adventarint. An igitur Angelicam Baſilicam à Conſtantis furore, avaritiàque immunem, atque incolumem putabimus? fueritne loci religionem Homo ille reveritus, qui ſacrilegas manus non modo Sanctiſſimorum Antiſtitum, Catholicam fidem propugnantium, ſed Fraterno quoque ſanguine fœdatas gerebat? Ipſe, inquam, Conſtans, qui tunc primùm, validiſſimis ſtipatus Copiis, certâque victoriæ ſpe elatus, in Italiam irrumpens, *omnes Apuliæ Urbes depopulatus fuit*, haud certè ab ejus Baſilicæ, ejuſque Regionis prædatione, ac vaſtatione abſtinuiſſe debuit; quem etiam ſcimus, poſt fractas à Longobardis ſibi vires, fugientis potius, quàm ad ſua revertentis ſpecie, Romam ingreſſum, non illic à Sacrorum Ædium direptione ſeſe continuiſſe, ſimiliaque per univerſam Ciſtiberinam Italiam perpetraſſe; uti paullò ſuperius probatum eſt: Huic igitur Auguſto tribuendum eſt, quod Sipontina Urbs in eam calamitatem, ipſaque Garganica Baſilica in eam *depravationem* incidiſſet, quam ægrè ferens S. Barbatus, ad priſtinam rerum felicitatem reſtituere cogitabat.

Quid igitur ad hæc Romualdus? omnia ſtatim Barbato petenti conceſſit, conceſſionemque ſuo Diplomate communivit: *illico* (ſic Actorum Scriptor rem proſequitur) *Princeps Viri Dei conſentit petitionibus eo ordine, ut fati ſumus; ſicut mos eſt, per Præceptum Genitrici Dei* (i. e. Beneventanæ Eccleſiæ in Deiparæ titulum, atque honorem dicatæ, cui Barbatus jam præerat) *conceſſit* (1). Hinc factum, ut Sipontinæ Eccleſiæ cura, atque adminiſtratio, quam prior ſuſcepit Barbatus, etiam poſt ejus obitum, apud Succeſſores Beneventanos Antiſtites ad quatuor propè Sæcula confirmata permanſerit: qui licet eam Eccleſiam non æquo jure Beneventanæ Sedi ſociatam, ſed (uti Barbatus diſertis verbis poſtulavit) ſibi *ſubditam* agnoſcerent, in ſuæ tamen erga Archangelum Michaelem reverentiæ argumentum, utriuſque titulo ſimul Beneventani, Sipontinique Epiſcopi, ac dein Archiepiſcopi appellari, inſcribique maluerunt; donec à Pontifice Benedicto IX. circa an. MXXXIV. ſuus Sipontinæ Sedi Antiſtes reſtitutus eſt, tunc primùm Archiepiſcopali Dignitate in Garganicæ Baſilicæ honorem, decoratus (2). Quod ſi Garganicæ Baſilicæ celebritas in cauſſa fuit, ut non ſolum Sipontina Eccleſia Epiſcopali, ut olim, verum etiam Archiepiſcopali, dignitate augeretur, manifeſto argumento iſtud erit, quàm ſedulam operam inſtaurando ejuſdem Baſilicæ cultui impenderit Barbatus, quantum etiam ſtudii in eandem rem contulerit Romualdus; quanta denique Succeſſorum Principum ſolicitudo, munificentia, pietas fuerit, quibus factum eſt, ut Garganicæ Baſilicæ Religio, atque Archangeli Michaelis honos ea, quæ cuncti norunt, incrementa reciperet.

Ac Beneventanorum Dynaſtarum mos quidem fuit, crebrò eandem Baſilicam Religionis cauſsâ adeundi: Quod ex Pontificis Hadriani ad Carolum Magnum Epiſtola probaſſe ſatis fuerit: mortuo enim Principe Arichi, ne Grimoaldum filium, qui obſes in Gallia manebat, ad Beneventanum Principatum capeſſendum flagitantibus Longobardis concederet, Carolum dehortatur Pontifex, Adelbergæ matris, *relictæ* Arichis, illud eſſe conſilium aperiens, *ut dum ipſe Grimoaldus filius ejus Beneventanos fines introjerit, ipſa ingenioſè cupit duos filios ſuos ſecum deferre, & quaſi Orationis cauſa Sanctum Angelum in Garganum pergere; & deinde in Tarentum, ubi & theſauros ſuos reconditos habet* (3), illic ſcillicet Adalgiſum Fratrem, ac Regis Deſiderii filium, è Græcia, quò aufugerat, redeuntem exceptura, ut ad paterni Regni recuperationem perduceret. Ne igitur è Beneventana Urbe vera diſcedendi cauſſa patefieret, ad Garganicam Cryptam *Orationis ſpecie* contendere de more Adelberga ſimulabat; ut conſuetudo ipſa nullam ſuſcepti conſilii ſuſpicionem faceret.

Sed quod ad Garganicam Cryptam Religionis cauſſa inviſendam pertinet, illud ſatis conſtat, non Italos ſolos verum alios etiam Chriſtiani Orbis Populos, ac quandoque Principes frequentiſſimam illùc peregrinationem omni ævo ſuſcepiſſe. De Wolfando Comite Seculo VI., Ottone II. Seculo X., Henrico II. Seculo XI. ſuperiùs diximus: alia Summorum Virorum, Fœminarumque exempla (non enim id nunc agimus) heic congerere ſupervacaneum videtur: Sed



(1) Ex *Principis* titulo, quo Actorum Scriptor *Ducem* Grimoaldum exornat, ſuam is pandit ætatem: non enim ante Sæculum IX. ſcribere debuit, ſuæque ætatis morem ſequi: qua ſcilicet Beneventani Dynaſtæ, ut à labente Sæculo VIII. jam cœperant, Principes appellari gaudebant.

(2) De hac re ex inſtituto agemus in Differt. de ECCLESIA BENEVENTANA. Cap. II.

(3) Inter Pontificias Epiſtolas Codicis Carolini Epiſtol. XC. apud Murator. Script. Ital. tom. III. part. II. pag. 261.

quæ omnium fortaſſe tum genere tum ſanctitate illuſtrium Fœminarum agmen ducere videtur, quæque ad Beneventanorum decus nonnihil pertinet, Sancta Virgo Arthelais memorari digna eſt. Dum enim ipſa Conſtantinopoli in Italiam ad patruum Narſetem contendens, Sipontum appuliſſet, de Garganicæ Cryptæ Religione certior facta pietatis ſuæ eſſe duxit, ut non priùs Beneventum ad Patruum properaret, quàm ad Sacrum Specum, S. Archangelum adoratura conſcenderet: Rem ex vetuſtis Actis audire jucundum erit: *Interea erat quidam inter eos* (pauperes, quibus Arthelais, dum Siponti eſſet, eleemoſinam largiebatur) *qui dixit B. Virgini: Rogo te, Domina, ut facias mihi auxilium de pretio tuo, quoniam facturus ſum quoddam opus in Eccleſia S. Michaelis, quæ ſita eſt in Monte Gargano: Cui dixit B. Virgo: Ego per memetipſam veniam illùc. Cum igitur veniſſet ad aulam B. Michaelis proſternens ſe ſuper terram cum lacrimis oravit: & poſt orationem obtulit de theſauro ſuo ſuper altare S. Michaelis Archangeli: & circumſpiciens vidit illum, qui poſtulaverat ab ea auxilium pro opere, quod prædixerat ſe facturum in eadem Eccleſia; & dedit ei triginta aureos; & exiens inde reverſa eſt Sipontum* (1). Præivit itaque Beata Virgo Arthealis Beneventanis (quos domicilio, obitu, pretioſiſſimoque Corporis ſui pignore illuſtravit) tùm aliarum virtutum, tum eo pietatis exemplo, quo Garganicam Cryptam orationis cauſsâ adiri conſuetudo inoleſceret. Quod à Longobardis Dynaſtis, inſtituto paucis poſt annis, Beneventano Ducatu uſuveniſſe jam diximus.

Inſigne etiam ejus rei exemplum nobis reliquit Lando Comes Teanenſis, qui An. 987. ad Garganicam Cryptam Orationis cauſſa iturus, antequam ei peregrinationi ſe committeret, Teſtamentum condere voluit. Hoc Teſtamentum etiamnum in Chronico Vulturneſi legere eſt; ex cujus exordio, quæ hùc pertinent, deſcribere libet. *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei æterni. Quinto anno Principatus Landenulfi glorioſiſſimi Principis, Menſe Novembri* XV. *Indictione. Ideoque ego Lando Comes ex Civitate Teanenſe, filius B. M. Domni Atenulfi Comitis, declaro, me iter facere in Oratione ad Eccleſiam B. Michaelis Archangeli, quæ ſita eſt in monte Gargano, ut per ejus interceſſionem apud Omnipotentem Deum de peccatis meis indulgentiam accipere valeam. Ideoque Teſtamentum feci de omnibus rebus, & ſubſtantiis meis &c.* (2).

Quid verò iu privatis hiſce, ſingularibuſque exemplis moramur? Nihil ea re, qua ſuam erga SS. Archangelum venerationem teſtarentur, Sæculo VIII. ac deinceps, univerſis, quâ late Beneventanus patebat Principatus, Longobardis uſitatius fuiſſe publica monumenta declarant. Statutâ enim poſt diuturni, atque ancipitis adhùc belli calamitatem Beneventani Principatus diviſione, ex qua Salernitanus exortus eſt Principatus, plura Beneventanus Princeps Radelchis Siconulfo Salernitano tunc primùm Principi attribuit, ac Capitulari ſuo Anni DCCCLI. ſervanda viciſſim ſancivit; inter quæ illud Capite VIII. cautum legitur, ut Populis omnibus, qui deinceps ad Salernitani Principatus ditionem pertinerent, nulla de cauſſa interdici poſſet, ſed liberum omninò maneret, per Beneventani Principatus fines ad Garganicam Baſilicam, uti olim conſueſſent, ſe conferre. *Et dimittam* (inquit Radelchis) *omnes homines veſtræ poteſtatis ire ad venerabilem Eccleſiam B. Michaelis Archangeli recto itinere, quomodo temporibus Anteceſſorum noſtrorum illùc ibatur, ſine omni contrarietate, vel damnitate, vel contradictione mea, & omnium hominum, qui in mea* pote-

(1) De Conſtantiſtopolitanæ, ſimulque Beneventanæ Virginis S. Arthelaidis vetuſtis Actis ſuperiori libro mentio injecta fuit, quum Narſetis laudem, ejuſque moram Beneventi factam illuſtrarem Diſſert. x. pag. 286. Agit de eadem Virgine Cl. Bollandus ad diem III. Martii, ubi breviora quædam Acta exhibet, ab Antonio Alpherio Canonico Beneventano Joanni Baptiſtæ Mari Romano communicata, ex quo ipſe deſcripſit. In hiſce Actis *intricatos vitæ annos* Bollandus animadvertit, atque ad *mendum Amanuenſium* refert, *aliquando ex alio MS. Codice corrigendum*. Quod itaque Bollando, ſi à Bibliothecæ Beneventanæ Curatoribus poſtulaſſet, præſto tunc eſſe poterat, nos modo præſtabimus: in hujus enim Tomi Appendice in publicam lucem proferemus prolixiora, ſinceriora, lectuque digniſſima ejuſdem S. Arthelaidis Acta, quæ eadem Bibliotheca ſervat in Cod. MS. pag. 287. à t. cui inſculptus eſt Titulus. §. 2. *Acta Sanctorum tom.* I.: leveſque aliquas, ac tantum neceſſarias notas adjiciemus.

(2) Inter Scriptor. Ital. Murator. tom. I. part. II. pag. 483. Plura Vulturnenſi Monaſterio eo Teſtamento contulit laudatus Lando Teani Comes, Landenulfi Principis Capuani ex fratre Atenulſo nepos. Hujus Landonis (alterius ab Landone Capuano Comite, qui ex Ignoto Caſſinenſi n. 24. *Monaſterium conſtruxit famulabus Dei Teano an.* DCCCLX.) pietas eluxit in altero Puellarum Monaſterio Teani condendo, ut ex charta anni 987. à Franciſco Pratillo edita tom. I. Opp. Peregr. pag. 237. Ejus Epitaphium legitur Capuæ in Parochiali Æde S. Joannis ad Curtim; ex quo annum 999. ejus emortualem fuiſſe collegit Peregrinius; quanquam ex Charta an. 995. à Cl. Gattula Hiſt. Caſs. tom. I. edita, Jeſulfa, ſeu Jerriſa, quæ illius Conjux fuit, Rainaldo Marſorum Comiti nupta jam dicatur; unde in alterutro mendum adeſſe videtur.

*potestate habitant, vel habitaverint, me vivente, ut salvi vadant, & redeant à nostra parte per meam voluntatem, excepto divino judicio* (1). Vides itaque, quam providi, solicitique Beneventani Principes extiterint, ne quod ex sui Principatus divisione eorum Resp. detrimentum accepisse videbatur, in Garganicæ Basilicæ injuriam simul verteretur: Quod enim ad SS. Archangeli cultum pertinebat, nihil divisum voluerunt; sed in commune utriusque Principatus bonum, omninò cessurum rebantur, si sub diversis Dominis una eademque, quæ erga communem Patronum obtinebat, adhuc universæ Gentis foveretur Religio. Nihil autem recitati Capitularis testimonio locupletius, nihil præclarius, ut quantum populorum omnium, qui per totam penè Cistiberinam Italiam Longobardis subdebantur Principibus, religiosissimus erga S. Michaelem cultus ferbuerit, manifestum habeamus.

Atque hoc quidem testimonio huic Longobardicæ Religionis Capiti dignam imponemus coronidem; quandoquidem illud hactenus à nobis satis demonstratum videri potest, Longobardos plurimis, atque egregiis argumentis non solum observantissimos SS. Archangeli cultores, ejus præsentissimum Patronatum sibi promeruisse, verum etiam Cœlestis Ducis, ac Patroni Cultum eòusque provexisse, ut ab Longobardorum ævo, Longobardorumque exemplo latiùs in Christianum Orbem propagata Michaelis veneratio videatur.

## CAPUT V.

### *De Ecclesiis, Monasteriisque à Longobardis ædificatis, atque locupletatis.*

Monacterii Vulturnensis origines, incrementa: Casinensis instauratio, feliciorque, quàm olim, Status: S. Sophiæ constructio, ac splendor (inter alia simul plura) luculentiùs recensentur.

AD novum jam progredimur argumentum, aliis, quæ superius pertractavimus, fortassè præstantius, haud minus certè insigne, ac præclarum, quo ampliora ostendantur erga Religionem nostrorum Longobardorum promerita. Multa de hoc ipso argumento superius (quod pro re nata erat) leviter attigisse opus fuit: uberrima adhuc restat materies, quam pro sui tum copiâ, tum dignitate, peculiari hoc Capite illustrandam aggrèdimur. Audivimus itaque Ecclesiam S. Modesti à nobilissima Fœmina Doda-Parda Beneventi ædificatam, cui Ecclesiæ ejusque Monasterio ditando Ducis Grimoaldi I. munificentia accessit: Tum insignem S. Petri extramuranam Basilicam, eique amplissimum Ancillarum Dei adjectum Monasterium à Theodorada Ducis Romualdi I. Conjuge excitatum: Tum denique ejusdem Romualdi largitione, sedulâque S. Barbati operâ, instauratum Garganicæ Basilicæ decorem, atque cultum, impiâ Græcorum depopulatione olim intermissum. Audienda nunc in hujus Capitis exordio Vox illa est, quæ à Beneventanis Principibus prolata, Subditorum animos, jam satis illorum exemplo ad pias quasque largitiones excitatos, vehementiùs impellere, atque alacriores efficere nitebatur. Extat in Chronico S. Sophiæ p. II. n. 3. alterius Romualdi Diploma, quo is bona universa Ecclesiæ ab Zaccharia Abbate ædificatæ hactenus oblata confirmans, offerenda deinceps non modo approbat, verum etiam suadet: *omnia* (inquit) *& in omnibus, de quo nostra Potestas concessit, vel quodcunque antea conquisiturus fuerit; & qui sua ex spontanea voluntate in eodem Sancto loco offerre voluerint, integram eisdem tribuimus potestatem*: QUIA LICET, ET OPORTET OMNEM CHRISTIANUM DE SUIS FACULTATIBUS, ET SUBSTANTIA DOMINO OFFERRE UNUM, QUIA IPSE SIC AIT: PRIMITIÆ ET DECIMÆ MEÆ SUNT, ET OMNIPOTENTI DOMINO OFFERTE. Digna quidem Christiano Principe Vox: ut paratum liberumque sit Populis, quæ velint sua Deo offerre: ut priùs Deo, quàm Principi offerant: atque non id *licere* tantùm, sed adhùc *oportere* ex ipsius Principis ore Populi edifcant. Etsi vero hæc ita sint; lætissimisque ejus Vocis auspiciis aditum mihi huic Longobardicæ Religionis Capiti pertractando patefecerim; retrahendus tamen ad superiores ætates rerum ordo est; quando scilicet Longobardi in Ecclesias ædificandas, Monasteria excitanda, utraque opibus constabilienda, tum Religionis studio, tùm reparandæ simùl Nominis sui existimationi prospicere satagebant.

Supererat enim Longobardorum nomini, Religionique quædam adhuc infixa macula, dum

(1) Tom.II. part.I. Scriptor. Ital. Murator. pag.260.

dum Monaſterii Caſinenſis vaſtatio perduraſſet; itaut diuturna ejus loci ſolitudo, ruinæque ipſæ veterem injuriam à prioribus Longobardis illatam, poſteris Longobardis quodammodo exprobrare viderentur. Horum itaque Religio haud id diutiùs tulit; ſeraque antiqui facinoris expiatio in majus loci emolumentum cedere viſa eſt. Primam inſtaurati Caſinenſis Monaſterii laudem Romano Pontifici Gregorio II. nequaquam invidemus, *cujus hortatu* (uti Paulus Diaconus tradit) Brixienſis Monachus Petronax cum *aliquantis* (uti Oſtienſis addit) *de Lateranenſi Congregatione Sociis*, ab eodem Gregorio ſibi datis, *Caſinum Caſtrum petiit, atque ad Sacrum Corpus B. Patris Benedicti perveniens, ibi cum aliquibus Simplicibus viris jam ante reſidentibus habitare coepit*. Neque etiam præfati Petronacis virtuti vel minimum detractum volumus, à quo illuſtre Opus Pontificiis auſpiciis ritè, fauſtèque ſuſceptum, felices ſucceſſus accepit; nam, ut idem ſubdit Diaconus, Petronax *non poſt multum tempus cooperante miſericordia* (divina), *& ſuffragantibus meritis B. Benedicti Patris, jamque evolutis ferè centum, & decem annis, ex quo locus ille habitatione hominum deſtitutus erat, multorum ibi Monachorum, nobilium. & mediocrium ad ſe concurrentium Pater effectus, ſub ſancto Regulæ jugo, & B. Benedicti inſtitutione, reparatis habitaculis vivere coepit, atque hoc Sanctum Coenobium in ſtatum, quo nunc cernitur, erexit* (1). Sed ut eadem Monaſterii inſtauratio perficeretur, ac mox in ingentem rerum omnium molem, felicitatemque aſſurgeret, ſua etiam adnitentibus Longobardis laus, nulli fortaſſe ſecunda, manere debet.

Primi autem Majorum noſtrorum in ejus operis partem, ac laudem vocandi ſunt tres illi Beneventani Proceres, Generis nobilitate præclari, adhuc tamen morum religione illuſtriores, Paldo, Taſo, & Tato, *è quibus Superior Paldo ex uno, Taſo verò, & Tato ex altero fratre procreati*:

*Stirps veneranda ſatis nimium præcelſa Parente,*
*Primus à principio luxit ut orbe dies.*
*Germine purpureo decus hoc tulit Urbs Beneventus,*
*Jure ſalutiferos traxit ab Urbe Viros.*

Libenter hæc ex S. Autperto, qui illorum res geſtas accuratè recenſuit, deſcripſimus. Ac primùm eximiæ laudis loco habendum, quod hi Viri Sanctiſſimi Monaſterii S. Vincentii ad Vulturni fontem conditores extiterint: Vulturnenſis enim fundamenta (ut rectè obſervat Mabillonius (2) vix ante annum ſeptingenteſimum tertium jacta ſunt; perfectio verò non ante annum ſeptingenteſimum ſeptimum eſt collocanda. Ex Urbe itaque Beneventana Viri prodierunt, qui non ſolum genere Longobardi, ſed ex ipſo etiam Longobardorum Ducum ſanguine prognati (3) Caſinatis Cænobii interitum, Longobardorum olim impie-

(1) De Geſt. Longob. lib. VI. cap. XL. In hac autem re narranda Diaconum Oſtienſis deſcribit in Chron. Caſin. lib. I. cap. 4. niſi quod ſocios Petronati è Lateranenſi Monachorum familia à Gregorio datos, eundemque Gregorium eo nomine *Tertium* fuiſſe addat. De Sociis nemo Oſtienſi litem movit, quos certè operi moliendo neceſſarios, vel ſaltem utiles fuiſſe patet. De Gregorio tamen *Tertio* Peregrinius, Bollandus, Nuceus, Mabillonius, Bacchinius, relati, probatique à Blanco in nota 157. ad l.l. Diaconi, veluti agmine facto Oſtienſi adverſantur, quod pro *Secundo Tertium* nobis Gregorium obtruſerit: ſed non omninò indignus veniâ Oſtienſis, qui quum inſtaurationi, Gregorii *hortatu* factæ, Pontificem Zacchariam *plura adjutoria contuliſſe* ex eodem Diacono accepiſſet, decipi facile potuit, ut non Gregorium II. Gregorii III. deceſſorem, ſed ipſum Tertium Gregorium Zachariæ ſucceſſorem, à Diacono deſignatum putaret. Deterior autem apud eoſdem Viros Clariſſimos, ac præſertim Mabillonium ipſius Diaconi cauſſa eſt, quod is annorum CXX. intervallum à Caſinenſis Monaſterii everſione ad ejuſdem inſtaurationem effluxiſſe affirmet: nec Oſtienſis ipſe cenſurâ vacat, qui ex admiſſo Greg. III. errore, multo ſeriùs, quàm res expoſtulet, ad annos ſcilicet CXXXXI. eandem inſtaurationem pertraxiſſe videtur. Rem hanc ad novum revocare examen otioſum eſſet poſt laudati Mabillonii Operam, qui *annis minimum centum ac trigintaquinque Caſinenſis Monaſterii ruinas perſeveraſſe* cenſuit Annal. Bened. tom. I. pag. 160. num. 3. & latiùs id probat tom. II. pag. .

(2) Annal. Bened. Tom. I. lib. XVII. pag. 520. edit. Lucenſ.

(3) Teſtatum id perſpicuè habemus ab ipſomet Beneventano Duce Giſulfo I. in ejus Diplomate, quo multas terras eid. Monaſterio attribuit circa an. 703. in eodem *Chronico* pag. 347. *Concedimus*, inquit, *nos Domnus Vir Glorioſus Giſulfus Summus Dux Gentis Longobardorum in Monaſterio S. Vincentii Levitæ, & Martyris Chriſti, quod Venerabiles Famuli Chriſti, nobis carnis conſanguinitate propinqui, Paldo, Tato, & Taſo, pro Dei amore Patriam, Parentes, & Mundi gloriam relinquentes nuper ædificare coeperunt &c.* De hujus Diplomatis fide (uti de cæteris ferè aliis à Vulturnenſi Chronographo paſſim prolatis) dubitavit Muratorius l.l. not. I. *Mihi* (inquit) *ſuſpecta eſt conſanguinitatis mentio, ut alia omittam*: Sed alia omiſiſſe non debuit; nam quod ad conſanguinitatis mentionem attinet, nihil ea re veriſimilius; dum inter omnes convenit, eos

Viros

impietate, avaritiàque patratum, meliori fato, felicibus certè auſpiciis vindicarunt. Nihil enim refert, quod Caſinenſe ruinis adhuc ſuis conſepultum maneret, quandoquidem alterum vice ipſius Monaſterium excitaretur; quod XII. plus minus paſſuum millibus diſtans, diverſo quidem loco, eodem tamen Monaſticæ diſciplinæ ſtudio floreſcere inciperet: ac floruit quidem Vulturnenſe ſub Paldonis primùm, dein Taſonis, ac poſtremo Tatonis, ſibi poſt cujuſque obitum ſuccedentium Regimine; nam (ut Autpertus inquit (1)) *in Chriſti paupertate ſolicitè perſiſtentes, eorum vita, quam Deus ad exemplum plurimorum oſtendere diſpoſuit, longè, latèque pervolavit, utque lucerna ſuper candelabrum poſita, diutiùs latere non potuit, & dum multi eorum vitam imitari cupiunt, multitudo fraternitatis ad eos concurrere coepit*. Cæterùm Vulturnenſis Monaſterii, ejuſque Fundatorum decora heic percurrerè non opus fuerit, poſt vulgatum à Muratorio Chronicon (2); niſi quod ex ipſius Autperti perſona, præclariſſimum mihi præſto ſit argumentum, ut quanta Vulturnenſis Monaſterii Religio, ac celebritas fuerit, oſtendere amplius queam. Monaſterii Vulturnenſis originem ad annum 681. ſe *anticipatò* retuliſſe Mabillonius ait, occaſione itineris, quod per Monaſterium Farfenſe, tunc temporis à S. Thoma Abbate inſtauratum, ſuſceperunt *tres nobiliſſimi Beneventani Paldo, Taſo, & Tato, qui divino ſuccenſi amore, relicta Patria, in Galliarum partes contendebant, ut monaſticum ibi inſtitutum amplecterentur.... Ex quibus intelligimus, quanta in opinione tum apud exteros fuerit Gallicanorum Monaſteriorum diſciplina, qua ita permoti ſunt Beneventani illi Proceres, ut Gallias cæteris Europæ Regionibus, ubi de amplectenda Monaſtica Religione agebatur, prætulerint* (3). At quum, laudato Thoma Farfenſe Abbate hortatore, ſupradicti Beneventani Proceres ædificandi Monaſterii Vulturnenſis conſilium ſuſceperint, ea mox Monaſterio jam ædificato Sanctitatis fama acceſſit, ut non jam amplius Itali, Beneventanique in Gallias, ſed Galli ipſi in Italiam ad Vulturnenſe Monaſterium pro monaſtica profeſſione concurrerent. Autpertus exemplo eſt, qui domo Gallus, atque tum genere, tum eruditione, tum moribus conſpicuus, ex Patrio Solo, immò ex Caroli Magni Aula in Monaſterium Vulturnenſe ſe recepit; cujus etiam *exemplo* (ut Chronographus ſubdit p. 359.) *plurimi ex Aula Regia militiæ Cingulum deponentes, in ſancto propoſito religionis ei adhæſerunt* (4).

Satis

Viros ex nobiliſſimo genere ortos fuiſſe; ad Ducalem verò ſtirpem attinuiſſe, etſi Giſulfi teſtimonium deeſſet, non obſcurè innuit ſuppar ſcriptor S. Autpertus, cujus ille verſus eſt, ſuperiùs recitatus:

*Germine purpureo Decus hoc tulit Urbs Beneventus.*

nam *purpurei* epitheton quidpiam amplius ſupra privatam nobilitatem deſignat.

(1) SS. Paldonis, Taſonis, ac Tatonis Vitam ſtudiosè lucubravit S. Autpertus, qui (ut in ejus Vita Vulturnenſis Chronographus ait pag. 360.) *defuncto Venerabili Abbate Joanne licet invitus, ac renuens ſacri regiminis baculum poſt S. Paldonem ſeptimè ipſe ſuſcepit*. Operi ſuo, quo ſtudium erga Inſtitutores ſuos magis commendaret, carmina intermiſcuit Autpertus, ut res præclariùs geſtas, quas proſa enarraverat, etiam verſibus celebraret; plurimùm propterea à Paullo Diacono laudatus, qui de Monaſterio Vulturni, ejuſque Inſtitutibus agens lib. V. cap. 40. *Sicut* (inquit) *Viri erudītiſſimi Autperti ejuſdem Monaſterii Abbatis in Volumine, quod de hac re compoſuit, ſcripta ſignificant*. Sed de Autperto mox iterum.

(2) Tom. I. part. II. Scriptor. Ital. pag. 340. Si Monaſterii Farfenſis Chronographum audimus, apud eund: Murator. tom. II. part. II. pag. 334.) S. Thomas Abbas Farfenſis præcipuus Auctor haberi debet Vulturnenſis Monaſterii, idque Monaſterio Farfenſi ſubjectum, veluti illius germen dicendum ſit. At plus æquo Farfenſi ſuo indulſiſſe videtur Chronographus, qui, quum Sæculo XI. Chronicon ſuum ſcripſerit, eaque, quæ ad Vulturnenſis inſtitutores attinet, ex Autperto didiciſſet, hujus duntaxat teſtimonio contentus eſſe potiùs debuit, quàm alia ex ſuo ingenio comminiſci: Itaque S. Thomas Farfenſis id tantum præſtitit, ut SS. illis Viris Paldoni, Taſoni, & Tatoni, quos hoſpitio exceperat, Gallicanam peregrinationem diſſuaderet, locumque indicaret, Oratorium nempe S. Vincentii ad fontem Vulturni, ubi Monaſticam vitam, cujus deſiderio flagrabant, traducere poſſent. *His igitur* (ita Autpertus) *& hujuſcemodi verbis, tanquam Chriſtum in ſeniore loquutum attendentes, ab his, quæ coeperant, revocant animos, atque ab eodem benedictione percepta, iter arripiunt, atque ad hunc, quem incolimus, perveniunt locum, nihil ſecum in alimoniis corporis præter viaticum in ſportella ferentes.....*

*Tres iter aſſumunt, nihil huc, niſi corpora ducunt:*
*Eſt regimen, victus, tegmen, miſeratio Chriſtus;*
*Lex quoque ſacra Dei, Lux noctis, ſive diei.*

(3) Annal. Bened. Tom. I. pag. 520. num. 21. & 22. edit. Lucenſis.

(4) Si Chronographo Vulturnenſi fides, S. Autpertus Monaſterium Vulternenſe ingreſſus fuit, quum jam Carolus Magnus Longobardorum Regno potitus in Italia verſaretur: idque pro certo habet Cl. Muratorius in Præfatione ad d. Chronic. At contrà ſtare Autpertus ipſe videtur, qui in extremo ſui Operis *Commentariorum in Apocalypſim* (quod anno 767. Stephano IV. dicavit) ſe ſcripſiſſe teſtatur ſub *Deſiderio Longobardorum Rege, & Paulo I. Papa*. Igitur ante Longobardici Regni occaſum, nec alibi niſi in Italia, in ipſoque Monaſterio Vulturnenſi degere jam cœperat Autpertus, qui Operi ſuo ex Deſiderii Regno temporis notam appoſuit. Cæterum Autpertus non ſolum Sanctorum Monaſterii Vulturnenſis Inſtitutorum Vitam, ſed etiam, ejuſdem Monaſterii Hiſtoriam conſcripſit; Plurimos etiam, præter laudata Commentaria in Apocalypſium, *ſanctarum Scripturarum Libros expoſuiſſe, Librum quoque de Conflictu vitiorum, & Homelias aliquas Evangeliorum edidiſſe* teſtatur præfatus Chronographus: At de

ejus

Satis igitur (etiamſi heic res tota ſubſtitiſſet) Longobardorum operâ factum videretur, quod Monaſterii Vulturnenſis ædificatione, ſequutaque Religione, Caſinatis excidio proſpectum eſſet. Sed paullòpoſt in ampliora emolumenta res ipſa proceſſit: Non enim Vulturnenſe Caſinatis ruinas duntaxat ſupplere viſum fuit, ſed mox illi inſtaurando exemplum ſimul; atq; opem ſuppeditavit. Si Petrum *Presbyterum, & Monachum in Vitam,vel obitum SS. Paturm Paldonis, Tatonis, & Taſonis*, audimus, ac præterea Joannem Monachum attendamus Vulturnenſem Chronographum, præcipuam, ac penè integram rei geſtæ laudem Sanctiſſimi iidem Vulturnenſis Monaſterii Inſtitutores ſibi vindicabunt, quibus nimirum unis Monaſterium Caſinenſe debet, ut in priſtinum ſtatum reſtitueretur: At quum hæc non ex propinquiore, ac ſinceriore teſte S. Autperto ſint, ut Angelus à Nuce hallucinatus aſſeruit, ſed priùs ex laudato Petro (pro quo Joannem Cl. Aſſemanus citavit) ac ſubinde ab eodem Joanne, qui ambo longè ſatis Autperto, longiùs vero Vulturnenſis Cænobii origini poſteriores rem ipſam ſcriptis mandarunt, nihili eorum fides nobis habenda eſt, ex eo maxime ſuſpecta, quod Vulturnenſis Monaſterii alumni plus æquo illius decori ſtuduiſſe voluerint (1). Oſtienſis itaque teſtimonio contenti erimus, qui cum de Caſinenſi ſuo ſcribat, quid iſtud Vulturnenſi debeat, non ſolum non invidit, ſed optima fide ad poſteritatis memoriam recenſuit. Poſteaquam igitur Petronax Caſinum, Opus ſibi à Pontifice Zaccharia mandatum expleturus, adveniſſet, manuſque admovere cæpiſſet, mox eum (inquit Oſtienſis) *tres quidam nobiles Viri Beneventani Paldo, & Taſo, atque Tato germani fratres, qui ante quindecim circiter annos Monaſterium S. Martyris Chriſti Vincentii juxta ortum Vulturni fluminis de propriis ſumptibus conſtruere coeperant, cum eſſent potentes, ac divites, in ipſo opere tam per ſemetipſos, quam per ſuos uſque ad reſtaurationem loci hujus plurimùm adjuverunt* (2). Habemus igitur Sanctiſſimos noſtros Beneventanos Proceres, ſi non præcipuos inſtaurati Cænobii Caſinatis auctores, collatam tamen ab ipſis certò ſcimus opem, operamque ſuam, qua, ut Opus quàm ociùs, ac pro dignitate perficeretur, enixiùs, ſivè *plurimùm* curarunt.

Sed & illud amplius (quod præclariora eorum de Caſinenſi Monaſterio promerita com-

ejus Operibus (non enim noſter Autpertus, qui & Ambroſius Autpertus, confundendus cum Autperto Caſinenſe Abbate, qui ab anno 834. ad 837. Caſino præfuit) videndus Fabricius in Bibl. Lat. Med. & infim. ætat. lib.1. pag.82. edit. Venet. an.1754.

(1) Cl. Aſſemanus Ital. Hiſt. Script. tom. II. pag. 534. Angelum à Nuce falſum notat, quod ad Oſtienſis Chronic. lib. 1. cap.IV. ubi Caſnenſis inſtauratio, ac Vulturnenſis Fundatorum auxilium narrantur, rem ipſam *ab Autperto pariter traditam* affirmet, num. 10. *non enim* (ſubdit Aſſemanus) *Autpertus hæc tradit, ſed Joannes Monachus Vulturnenſis, Autperto longè recentior . . . in Vita Paldonis, Taſonis & Tatonis (quam poſt Autpertum multis auctam edidit apud Murator.to.1.P.II. à pag* 345. At eo loco non Joannes, ſed *Petrus Presbyter, & Monachus* ejus Vitæ Auctor inſcribitur; quem poſtea Joannes ipſe Chronographus in ſui Chronici continuatione ſequutus eſt pag. 351. De Petri ætate nihil liquet, ſed Joanne, qui illius opus in ſuum Chronicon retulit, multò anteriorem, ab Autperto autem longiſſimè remotum credere debemus: ipſum verò Joannem Sæculo XII. adſcribere licet, dum is vivebat anno MCVIII. quo Benedictum Abbatem ſuum Beneventum comitatus, quò Paſqualis II. Concilium celebraturus acceſſerat, ea occaſione Joanni Cancellario Pontificio, qui poſtea Gelaſius II. fuit, Chronicon Vulturnenſe à ſe lucubratum obtulit. Sed utrumque jam audire præſtat: Sic enim primo loco Petrus in dicto Chron. pag. 346. *Tanta fuit eorum* (i.e. Paldonis, Taſonis, & Tatonis) *largitas in paupertate, ut eſurire contenti, pauperes, & peregrinos ſuo labore reficerent; tantus amor charitatis erga Dei famulos, ut vicina, quæ penè deſtructa fuerant, Monaſteria, pro Chriſti auctore undique ſublevare, & recuperare ſolerti ſtudio curarent, ſicut & B. Benedicti Monaſterium in Caſino Caſtro, quod à Longobardis ad nihilum fuerat uſque deſtructum, & à cunctis habitatoribus deſtitutum, divina revelatione admoniti, ipſi jam dicti Patres recuperare, & regere coeperunt, ſuis manibus ibidem laboraverunt, & ſuos Monachos laborare fecerunt. Poſt hæc Ven. Virum Petronacem ibidem Abbatem ordinaverunt, & cum illo de ſuis Monachis ad habitandum dimiſerunt. Qui etiam Romam pergens à Zacchària Papa confirmatus Librum Regulæ, & libram panis, & eminam vini cum Privilegio Sedis Apoſtolicæ accepit, cunctoſque Lateranenſis Congregationis fratres ſecum reduxit*. Hæc Petrus; qui ſubinde utriuſque Monaſterii neceſſitudinem, ac quandam veluti animorum, rerumque omnium communionem, etiam ab Oſtienſi memoratam, referre pergit. Quid verò Chronographus Joannes? eadem & ipſa repetit pag. 351. hoc præmiſſo titulo: *De Monaſterio S. Benedicti, quod reſtauratum eſt ab eis*: & mox: *Divina quoque revelatione compulſi Ven. Patres, ut Monaſterium B. Benedicti apud Caſinum Caſtrum conſtitutum, quod à Longobardis fuerat deſtructum, ut Beatus ſcribit Papa Gregorius, ſuo ſtudio, & labore reædificarent, ſuoſque Monachos ibi facerent habitare, qui ſanctæ ſervitutis officia Chriſto perſolverent, ad ejuſdem Confeſſoris Corpus, quod quidem ſancti Patres vigilanti ſtudio perfecerunt. Tunc quoque temporis Zaccharias Papa cum audiſſet, quod Chriſti famuli egerant, deferente ſibi Viro Venerabili Petronace, qui de Brixia adveniens Orationis gratia idem Monaſterium aſcendens, ea, quæ Dei ſervi egerant, viderat, & cum Hieroſolymas pergere vellet, ab eorum monitis, & precibus detentus fuerat, inſpiratus à Deo & ipſe, præfati Monaſterii fratres, qui juxta Lateranenſe Palatium ſuæ Congregationis locum à Pontificibus obtinuerant, cum Regula, & panis libra, quam S. P. Benedictus conſtituerat, dato quoque Sedis Apoſtolicæ Privilegio, ad Caſinenſe remittit Coenobium, ubi tam illi, quàm iſti ex iſtorum ſumptibus quæcumque neceſſaria erant, accipiebat*.

(2) Chron. Caſin. lib.1. cap.IV.

commendat) præstiterunt, ut non solum exemplo, sed suis etiam institutis Monastica ibidem disciplina iterum instaurata, religiosiùs servaretur: Hinc illa esse cœpit inter utriusque Monasterii Alumnos summa animorum consensio, receptaque vicissim statis temporibus ad spirituales collationes peragendas invisendi consuetudo, atque invecta demum quædam veluti rerum omnium, munerumque Communio. Quæ omnia non sine ingenti Monasticæ disciplinæ emolumento in morem transisse, ac diutissimè viguisse, idem Ostiensis locuples testis est, tum cum Monasterii Vulturnensis vastationem à Saracenorum Duce Seodamo patratam circa an. DCCCLXVI. alio Chronici sui loco narrare instituit. *Moris* (inquit) *tunc erat Monachorum utriusque Cœnobii, Sancti videlicet Benedicti, & S. Vincentii, charitatis gratia, diebus Sanctæ Quadragesimæ se invicem visitare; nam tanta tunc temporis dilectionis copula nectebantur, ut cum quosdam de servis S Vincentii pars nostri Monasterii possideret, itemque illi quosdam de nostris, placuit utriusque Monasterii Patribus, Berthario scilicet, atque Majoni, ut nequaquam discambiarentur; sed ita ut tunc erant, eorum possessio, sic semper intemerata maneret. Cumque die quadam apud S. Vincentium de more quidam à Casinensi Monasterio Fratres venissent, & de suo ad invicem ordine loquerentur, repente illùc Seodam nequissimus cum suis Satellitibus supervenit &c.* (1).

Hanc Monasterii sui vastationem paullò seriùs (2) factam tradit Vulturnensis Chronographus Joannes, eâque sola de re integrum Chronici sui tertium Librum conflavit, ratus peculiari opere dignam, quæ licet luctu, ac mœrore redundaret, illustris tamen videretur cæde, seu (ut is arbitratur) martyrio nongentorum Monachorum, qui ea occasione à Saracenis obtruncati sunt. De Martyrio incerta res manere debet: De occisorum numero adhuc dubitare licebit; neque enim Chronographus ipse fidem suam obligare voluit, qui nongentos *in veteribus Libris, atque ex seniorum* traditione, in *aliquibus verò Libris quingentorum tantum fuisse numerum decollatorum* reperisse se ajens, nihil statuit, sed *illi soli* (subdit) *& numerum committimus & nomina, qui illis dedit cum triumpho Martyrii capere victoriam*. Sed ex prædictis ingentem saltem Monachorum numerum, & Monasticæ disciplinæ cultum, & loci opulentiam utcunque arguere fas erit. Illud etiam observare suppetit, tristius nempe Vulturnensi Monasterio à Saracenis incidisse fatum, qui in Monachorum opes, & vitam adeò immaniter desævierunt, quàm Casinense tulerat à Longobardis, qui prædæ contenti Monachorum sanguini pepercerunt. Id tamen Vulturnensi feliciùs cessit, quod multò citiùs, quàm Casinense, instauratum fuerit: ejus enim *desolationem triginta tribus perstitisse annis, ac postea readificari coeptum*, tum ipse Chronographus, tum etiam Ostiensis testatur (3).

Sed non iidem, sequenti tempore, uti Casinensis, ita Vulturnensis felices fuere successus: Nam, quæ est humanarum vicissitudo rerum, Vulturnense Monasterium, quod simul cum Casinensi, tum Monachorum numero, tum Religionis studio, tum Opum affluentia *fortioris* titulo insigne erat (4); Vulturnense, inquam, Monasterium ab imis veluti radicibus excisum corruit, aruitque, atque in rudera, & solitudinem abiit: sicque illustris *Abbatia* (inquit Ughellus) *commendata deinde sæcularibus Clericis, suum decorem veterem amisit, ut vix vestigia appareant, solaque sedeat, neque habeat consolatorem, qui saltem divinum opus possit urgere* (5). Dicere mihi quoque liceat: Quum S. Thomas Farfensis Abbas SS. Paldoni, Tasoni, & Ta-

ALTER M

(1) Ibid. lib. I. cap. XXXIII.

(2) Ad annum nempè 882. sed planè fallitur; nam quum simul Ludovicum Lotharii filium pro temporis nota tum regnantem adjiciat, qui jam ab anno 895. è vivis excesserat, multo ante rem retulisse debuit. Mabillonius antecedenti anno 881. rem attribuit. *Facta est* (inquit Joannes) *hæc cædes Beatorum Monachorum decimo die Mensis Octobris Feria tertia*; *quæ nota annum indicat* 881. Sed tutius fuerit ad Ludovici II. tempora, certiorem scilicet notam ab ipso Joanne simul adhibitam, rem ipsam retrahere; eò magis, quòd Ostiensis (ut superiùs observatum est) annum 866. vel paullò post indicare videtur.

(3) Ex Ostiensis Chronico lib. I. cap. 52. annus 915. indicatus videtur, à quo si annos 34. quibus desolatio perstitit, demas, ad annum 881. redibis: sed ampliora fuisse desolationis spatia, ex eod. Ostiensi, ac Ludovici II. ævo, superius notavi.

(4) Charta anni DCCC. in eod. Chronico Vulturnensi relata pag. 378. in qua Joannes Pandonis filius plura bona donat *Monasteriis S. Benedicti, & S. Vincentii* (idest Casinati, & Vulturnensi) *qui Fortiores sunt*.

(5) Ital. Sac. tom. VI. pag. 458. De Vulturnensis Monasterii interitu mœstissimè conqueritur Cæsar Costa *Jurisconsultus, ex Pii V.* (ut ait) *concessione, & Caroli Borromæi Cardinalis liberalitate, & præsidio Abbas Commendatarius*, ejusdem Chronici lib. V. pag. 522. *Jacent nunc* (inquit) *diruti Monasterii parietes, & deformata ruinis hærent sola Sanctorum Patrum Coenobia, ut nemo sit tam impius, qui siccis oculis possit aspicere. Quibus ego lacrimis tantam Monasterii calamitatem deplorare, quibus vocibus liberè vociferare possem? Dies me,*

& Tatoni ædificandi Vulturnensis Monasterii locum designaret, *est locus* (inquit) *ad quem vos ire desidero in Samnii partibus super rivam Vulturni, in quo situm est Oratorium Martyris Christi Vincentii nomine dedicatum; ex utraque vero parte fluminis Silva densissima, quæ tantum habitationem præstat ferarum, latibulaque latronum*. Habes itaque, eò nunc rem recidisse, unde initia fuere: habes iterum locum, qui feris habitationem, ac latibula latronibus præstat. At non unâ periit, neque interitura unquam erit Longobardicæ Religionis laus, non solum Monasterii Vulturnensis ædificatione, ac florentibus olim rebus, vetustis consignata monumentis, verumetiam ipsius nunc stantis Casinensis splendore adhuc vivens, atque superstes: Beneventanis siquidem Longobardis auctoribus factum est, ut non solum ipso condito, diùque vigente Vulturnensi Monasterio, ex innumeris ejus Alumnis Sanctitate, & Doctrinâ præclaris Christiana Religio, ac Pietas difficillimis temporibus maximopere juvaretur; verumetiam ex plurimis iis subsidiis, quæ in florentis modo Casinensis instaurationem à Vulturnensi collata olim fuere, idem nunc etiam emolumentum referre Christi Ecclesia videatur.

Neque tamen hoc totum fuerit, quod Longobardicæ Religioni Casinense Monasterium debeat: Extat adhuc, maximum illud quidem amplitudinis suæ caput, quod munificentissimæ Longobardorum Pietati acceptum referat. Ante depopulationem illam, quæ à Longobardis patrata est, nulla Casinensi Monasterio fuere prædia, nullæ possessiones, nisi quas ex Monasticæ Professionis more institutoque suis ipsi manibus, tum sese exercendi, tum alendi gratia excolere Monachi possent. Vivente ipso Sanctissimo Monachorum parente Benedicto, testata satis ex Magno Gregorio res est, qui illum *quodam die cum Fratribus ad Agri operam egressum* meminit (1). Post Benedicti verò obitum, dum Patris, ac Magistri doctrina, atque exemplum adhuc vigere, ac veluti ob oculos versari videretur, ejusmodi institutum ab ejus Alumnis posthàc servatum quis ambigat? Florebant tunc siquidem Casinates religiosæ professionis virtutibus; pollebant pariter divitiis opibusque, quas tamen quotidianæ fidelium oblàtiones tum ad eorum substentationem, tum ad Dei honorem, Ecclesiæque usum splendoremque, in eam vim, atque copiam adauxerant, ut Longobardos ad prædam excitarint. Eodem autem instaurato Monasterio, nihil pariter de prædiorum possessione cogitatum: quæ fuerint *plurima illa adjutoria*, quæ in idem Opus Sanctissimus Pontifex Zaccharias contulerit, Ostiensis speciatim recensuit, *Libros scilicet aliquot sacræ Scripturæ, necnon Codicem sanctæ Regulæ, quam Pater Benedictus propria manu scripserat, pondus etiam libræ panis, & mensuram vini, quæ olim inde (sicut supra dictum) sub Longobardorum invasione Monachi fugientes secum Romam detulere: Diversa etiam ad Ecclesiasticum Ministerium ornamenta, nonnulla quoque ad diversas Monasterii utilitates pertinentia, illi Apostolica liberalitate largitus est Zaccharias* (2). Hac curtâ, sed pretiosissima omnium supellectile, quæ Monachos deceret, instructi, locupletatique tunc reduces Casinates: Satis iis tantum rebus Monasticis necessitatibus, commodisque prospectum Apostolica Liberalitas censuit: instaurare cum ipso Monasterio veterem loci Religionem, tunc cura fuit; in quam rem à Sanctissimis Vulturnensis Monasterii Institutoribus plurimùm laboratum, atque, *quum essent potentes, ac divites*, temporalia quoque, quæ ad ædificia, alimentaque opus essent, præstita subsidia, superius jam diximus.

Sed validis licet hisce jactis fundamentis, deesse adhuc Loco videbantur opes illæ, quibus, perpetuis adjectis viribus ac veluti nervis subsistere in ævum posset: deerant nempe fundi, quorum ex reditibus certa atque tuta Monachis substentandis subsidia pararentur: Sicuti enim alendi Monachi pro eorum ingenti numero, statutisque legibus, omninò erant, ita si ex solo manuum

*me, vox, lateraque deficerent, si ea enumerare vellem, quæ Prælatorum absentia, & negligentia irrepserunt incommodo. Ubi tot Monachorum greges, tot præclaræ Constitutiones, tot prædia liberalitate religiosorum Principum donata? Conferantur antiquæ Saracenorum bujus Monasterii vastationes, tot Tyrannorum direptiones cum Prælatorum bujus Monasterii desidia, & negligentia; ab illis vix læsum Monasterium, à suis eversum judicabitur &c.* An Cæsar pro Abbatis Commendatarii jure, munereque à lacrimis, questubusque ad aliquod tanti mali remedium processerit, nec ipsi scimus, nec locus ostendit.

(1) Dialog. lib. II. cap. 32. Nec secus *Possessionem illam* intelligere debemus, *non longè extra januam Monasterii positam*, ad quam eundem Benedictum simul cum Scholastica Sorore quotannis convenire consuevisse idem Gregorius narrat l. l. cap. 33. Quare non satis probarim, quæ ad eum locum ab eruditis editoribus Benedictinis S. Mauri adnotata invenio; *Observa* (inquiunt) *ex boc loco Monachis Prædia ad victum assignata in ipso Benedictini Ordinis exordio; itaut non mendicando, non manibus laborando ad vitam necessaria parare cogerentur*. Observare enim ipsi debuissent, quæ superiore capite de Benedicto *ad agri operam cum suis Fratribus egresso* præmiserat Gregorius, itaut Casinatibus initio fuisse agros, fuisse *possessiones* certum sit, sed quæ juxta Monasterium essent, Monachorumque manibus excultæ, necessaria ad eorum vitam suppeditarent: Vide sequentem notam.

(2) Chron. lib. I. cap. IV.

manuum labore, quem in hortum, aut agellum ſuum impenderent, quem etiam nonniſi ſubſecivis horis, quum à Monaſticis officiis præcipuè exolvendis ceſſatum eſſet, adhiberent; ſi demum ex incertis fortuitiſque Fidelium oblationibus, eleemoſyniſque tota ejus neceſſariæ rei ratio pendere debuiſſet, periclitari cum ipſo loco Monachorum religio facile potuiſſet (1). Acceſſit itaque, quæ Monaſterii Caſinenſis inſtaurationem roboraret, Beneventani Ducis Giſulfi II. liberalitas, in qua & eximiam Pietatem, & Regiam munificentiam ſpectare jam licebit (2).

Quid igitur Giſulfus erga Monaſterium Caſinenſe præſtiterit, ex eodem Oſtienſe audire præſtabit: *Giſulfus junior* (id eſt Secundus) *nepos Liutprandi Regis Longobardorum, qui poſt Godeſcalchum Beneventanorum Dux extitit, cum per eos dies in hanc Arcem Caſini* (*quæ tunc Mello vocabatur*) *aſcendiſſet, atque juxta Corpus SS. Patris Benedicti tàm religioſè prædictos Fratres in Dei ſervitio vivere reperiſſet, divino tactus inſtinctu, cuncta in circuitu tàm campeſtria, quàm montana eidem Patri Benedicto contulit in ſcriptis, firmiſque donariis in perpetuum eadem poſteris habenda conceſſit* (3). Quàm prolixa ea Donatio fuerit, & quàm latè ſe effunderent eorundem *Campeſtrium montanorumque* locorum fines, ex ipſomet ſcimus Chronographo, qui ſervandæ Monaſterio ſuo Poſſeſſionis ſolicitus, quàquà circumirent, ſuis paſſim nominibus, limitibuſque deſcribit, ac recenſet: ſcimus etiamnunc ex Cl. Abbate De Nuce, qui ad eundem Oſtienſis locum, *verè* (inquit) *in circuitu; quod ex ipſa locorum deſcriptione clarè patet: amplam adeò regionem, quæ plura Caſtella, & Oppida, nedum Campos, & Montes complectebatur, ſuo jure conceſſit Dux Giſulfus, qui Ducatum Beneventanum præſenti Regno Neapolitano ferè parem obtinebat, Soram uſque pertingentem, ut alii obſervarunt* (4). An verò Giſulfus, vigentibus tunc Longobardis Regibus, ſupremis videlicet Dominis, ab Ducatu Beneventano tam latam Regionem divellere, atque in Caſinates transferre quiverit, an ejuſdem Regionis non ſolum reditus, atque fructus, ſed juriſdictionem quoque omnem, imperiumque ita à ſe abdicaverit, ut in omnimodam poteſtatem, liberumque dominium tradidiſſe cenſendus ſit, non heic, nec noſtra dicere intereſt: Hac de re ſatis prolixè, ſtudioſèque pro Caſinatibus ſuis nuper diſſeruit Cl. Eraſmus Gattula in Acceſſione ad Hiſt. Caſin. tom. III. Opp. à pag. I., præcipuum *Principatus* (ut vocat) *Caſinenſis* auctorem ſtatuens Giſalfum. Nobis verò id animadvertiſſe ſatius fuerit, feli-



(1) S. Monachum Iſaacum S. Gregorius Dial. lib. III. cap. 14. crebrò à ſuis Diſcipulis exoratum narrat, *ut pro uſu Monaſterii poſſeſſiones, quæ offerebantur, acciperet: ille ſolicitus ſuæ paupertatis cuſtos fortem ſententiam tenebat dicens: Monachus, qui in terra poſſeſſionem quærit, Monachus non eſt*. Atque hoc quidem exemplo, ut pauperem Religioſorum ſtatum commendent, utuntur S. Thomas Opuſc. XVII. cap. 6. & S. Bonaventura opuſc. XIX. cap. 6.; abutuntur verò, qui contra Religioſorum divitias aſſiduè vociferantur, ac calumnias intexunt. An igitur vituperandi qui offerant, quique oblatas poſſeſſiones accipiant Monachi? Satis de hoc argumento à me dictum eſt in *De Origine, & Jure Decimarum cap.* VI. & VII. Nunc quod attinet, illud animadvertimus, eundem Magnum Gregorium, condita à ſe Monaſteria reditibus ditaſſe, altero teſte Gregorio, ſcil. Turonico *Hiſt. lib.* X. Immo eundem SS. Pontificem Monaſterii Caſtellienſis, Caſſiodori conditoris munificentiâ ditati, non ſolum probaſſe opulentiam, ſed poſſeſſionem, quam Monachi Epiſcopo Scillitano ad ædificandam Eccleſiam donaverant, eidem reſtituendam juſſiſſe ſcimus ex epiſt. XXXIV. lib. VIII.

(2) Giſulfum hunc ex Romualdo Duce Regis Grimoaldi filio, tertio gradu prognatum, ſeu pronepotem fuiſſe conſtat, ex Romualdo II. Giſulfi I. filio natum: Is puer Patri ſuperſtes, à ſeditioſis ad necem quæſitus, ſed à Beneventano Populo, *qui ſuis ductoribus ſemper fidelis extitit* ſervatus, ab avunculo Rege Luitprando, qui ad compeſcendas turbas Beneventum advolaverit, in ſuam tutelam, educationemque ſuſceptus, Ticinum deductus eſt: unde demum regendo paterno Ducatui (cui interea adminiſtrando Audolaum, Gregorium, Godeſcalcum Liutprandus ſuffecerat) tam ætate maturus, quàm moribus, ac Conibergæ nobiliſſimæ fœminæ matrimonio junctus anno 732. ejuſdem adminiſtrationem feliciter auſpicatus fuit. Hæc latiùs Paullus Diac. enarrat lib. VI. c. LV. & LVIII. Retuliſſe autem hùc placuit; ut Regis Liutprandi in Beneventanum Ducatum, atque in ipſam quoque Chriſtianam Religionem, quæ hac in re eluxerunt, promerita paulliſper obſervemus. Plenum Religionis, cæterarumque Chriſtianarum Virtutum Liutprandi animum, plura ſunt, quæ memoriæ tradant, aut etiam oculis oſtendant monumenta: quis verò præcipuo loco non accenſebit ſummum illud ejus Regis ſtudium, ne Romualdi morte, Giſufi pueritiâ, aliquid detrimenti caperet Beneventanus Ducatus? Non tantùm verò Reip. quàm Religionis ſolicitudo fuiſſe videtur: Profligata enim eorum factione, qui Ducatum invadere, tyrannidemque exercere moliebantur, legitimi Ducis, Ducatuſque incolumitati proſpiciens, alteri Viros, qui probè, ſtrenuèque adminiſtrare ſcirent, præcarios, ſeu temporarios Duces præfecit; alterum in Regia Aula enutriendum curavit, atque (ut inquit Paullus) *paterna pietate eruditum*, talem Virum Principem efformare ſtuduit, qui Ciſtiberinæ Italiæ Imperio dignus eſſet. Sanctiſſimam Liutprandi operam haud fefellit Giſulfus: qui illud etiam exemplo ſuo poſteros quoſcumque generatim docet, nullam Reip. ſalubriorem operam præſtari poſſe, quam juventutis educationem: excolendos docuit, atque ad omnem recti bonique diſciplinam puerorum animos ſedulò informandos; raròque illud fieri, ut ex his veluti ſeminibus opportunè jactis, optata virtutum non prodeant germina, immò uberes ſæpè fructus ætate ſua referantur.

(3) Chron. Caſ. lib. I. cap. V.

(4) In Commentar. ad Chron. Caſ. l. I. num. 7. Vide etiam ſeq. num. 8. atque huic adſutum prolixum *Excurſum Hiſtoricum De Caſinenſi Ditione Temporali*.

felicem profectò reputandam Casinatis Cœnobii prædationem, vastationemque, à Longobardis olim patratam, quam scilicet Longobardi ipsi tot tantisque amplissimis beneficiis compensare debuissent. Hanc satis veram, manifestamque Gentis suæ laudem reticere noluit Paullus Diaconus, qui in suo Carmine de S. Benedicto, quod Historiæ lib. I. cap. XXVI. innexuit, ita cecinit:

*Omnia septa Gregis, præscitum est, tradita Genti:*
*Gens eadem reparat omnia septa Gregis.*

Idem enim Cœnobium postea reparasse Longobardi dicuntur, qui illud eversuri à S. Benedicto prænunciantur. Sed præstat hoc loco Cl. Ughelli sententiam referre, qui tom. VIII. pag. 89. edit. Rom. post descriptum Imp. Ottonis Diploma „ quid admiror, inquit, in Regibus, Imperatoribusque, dignitate, & dominatione potentissimis; *cum soli Beneventani Principes omnium in largiendo Ecclesiis exæquarint tum Regum, tum Imperatorum munificentiam?* .... Quid si huic calculo adjicerentur ea, quæ in singulis ferè paginis sui Chronici refert Leo Ostiensis de opulentissimis, ac frequentissimis Beneventanorum Procerum, & Civium oblationibus in Monasterio Casinensi factis, ut omittam alia, *quæ ab unica Civitate Beneventana veluti ex unico Pietatis Religionisque alveario* Monasterio S. Vincentii ad fluenta Vulturni collata sunt? Certè unusquisque in meam, ac Leonis Ostiensis sententiam deveniat, centupla scilicet retributione à Principibus, Proceribusque Beneventanis devastationem Casinatis Monasterii compensatam extitisse „. Præclara hæc quidem: sed ampliora, quæ Ducis Gisulfi religionem ac pietatem luculentiùs commendent, adhùc restant: non enim id diutiùs tulit, ut jamdudum instaurato, ac mox ad omnem rerum felicitatem evecto Casinensi Virorum Monasterio, quæ Mulierum olim sub eadem Benedicti Regula vigere cœperant, Monasteria negligerentur.

Virorum agmen (inquit Vir summus Mabillonius (1)) duxit Benedictus, Virginum Scholastica choris præivit, Dux, & Magistra in Schola Fratris sui edocta. V. C. Bollandus in Commentario ad S. Scholasticæ Vitam, duplex excitavit dubium: unum, an *Religiosa* claustralis fuerit, monasticis addicta regulis, an *Devota*, modesto quidem, sed communi amictu, communique instituto religiosam vitam ducens: alterum, an juxta Casinum habitarit: quorum istud negat, illud pia tantum ductus persuasione se credere profitetur. Quid verò Mabillonius? utramque rem contrariâ Bollando sententiâ, constanter affirmat, explicatisque S. Gregorii verbis, aliisque adductis monumentis, rationibusque manifestam efficit: & sanè, quod ad claustralem vitam attinet, non solum Gregorius Scholasticam *Sanctimonialem*, atque in *Cella* degentem scribit, quo utroque vocabulo rem ipsam ostendere satis habuit Mabillonius; verumetiam illud nobis alibi Gregorius narrat, *non longè à Monasterio vicum fuisse, ubi quædam Sanctimoniales Fœminæ inerant, & crebrò illùc pro exhortandis animabus Fratres suos mittere Benedictum curasse* (2). An verò cum hisce Sanctimonialibus claustralem vitam Scholastica duxerit, vel in aliò juxta Casinum Monasterio degeret, non satis liquet. Illud certum nosse sat fuerit, idoneo utriusque rei teste Gregorio, fuisse propè Casinum Scolasticæ *Cellam*; fuisse in propinquo Vico *Sanctimoniales*, quibus instruendis Monachos suos Benedictus ablegare consuebat. An verò sine exemplo res fuerit? Immo fuisse alibi per eam ætatem Sanctimonialium Claustra indubia omnino monumenta testantur (3).

Enituit igitur hac quoque in re Gisulfi pietas, ac munificentia. Quum enim laudato sæ-

(1) In Præfat. ad Sæculum I. Benedict. §. 3. pag. 18. edit. Venet. 1740.

(2) Dial. lib. II. cap. XIX. qui locus Mabillonium alia plura ex Gregorio afferentem fugit.

(3) Celebratum pluribus extat Capuanum Sepulcrale Marmor an. 1689. in lucem erutum, Justinæ Abbatissæ positum, à Muratorio, Mazochio, aliisque vulgatum in hæc verba. *Hic requiescit in somno Pacis: Justina Abbatissa Fundatrix: Sancti Loci hujus: Quæ vixit Plus Minus Annos* LXXXV. *Deposita sub Die Kalendar. Novembrium. Imp. D. N. Justino PP. Augus. Anno* III. *P. C. Ejusdm Indictione* III. Habemus igitur *Justinam Abbatissam hujus Sancti Loci* (cujuspiam scilicet Monasterii) *fundatricem*, anno ætatis 85.. Æræ autem vulgaris 566. defunctam; quam propterea S. Benedicto vel æqualem, vel supparem in Urbe Capua, Casino non omnino remota, Monasterium ad illorum instar, quæ juxta Casinum essent, sub eadem Regula condidisse, ac gubernasse, satis certum videtur. Sed & in aliis regionibus Claustralium Sanctimonialium obtinuisse institutum, & anterior ætas, qua SS. Augustinus, & Hieronymus floruere, & paullò Benedictini Ordinis origini posterior ostendit. Celebratum Monasterium à S. Gregorio habemus Dial. lib. IV. cap. 13. Romæ apud S. Petrum, nobilissimæ Viduæ, ac Sanctimonialis Gallæ sanctitate illustratum; ex quo Gregorio discimus etiam vetustissimum fuisse morem, etiamnum servatum, Sanctimoniales, provectæ præsertim ætatis, *Matres* appellandi. Ad hæc Gregorius lib. X. epist. 43. petenti Venantio Episcopo Lunensi *Ancillam Dei* misisse se scribit, *quæ in Monasterio, quod in ea Civitate situm erat, Abbatissæ regere posset officium*.

to ſæpius Abbati Petronaci Caſinatis Monaſterii inſtauratori locus ille Aliſani Territorii in *Cingla* appellatus (ubi Beneventanus Sculdais Saracenus Eccleſiam conſtruxerat, boniſque ſuis omnibus ditaverat) Sanctimonialium condendo Monaſterio ſatis opportunus videretur; mox Giſulfus non modo Petronacis conſilium probavit, verum etiam quicquid celeriter perficiendo, perpetuòque ſtabiliendo Operi neceſſarium, ac dignum videbatur, uberrimè præſtitit. Conſtructo namque Monaſterio plures cum earum prædiis Eccleſias ſubjecit; ampliſſimas & ipſe poſſeſſiones attribuit; & quod maximæ religionis argumento, præcipuæque laudis loco eſſe debet, Ganſanam, Pancritudam, & Gaſibergam probatæ Sanctitatis Sanctimoniales, quarum altera alteri obienti ſuccederet, eidem regendo Monaſterio præficiendas voluit, ut illarum exemplis inſtitutiſque fervidiùs provecta loci religio non ſolum Dei honorem augeret, verum etiam in Reip. felicitatem redundaret (1).

Atque hoc omnium primum poſt Caſinatis inſtaurationem, Puellarum Monaſterium Longobardorum pietate, ac munificentia inſtitutum reperio. Res tamen non ſine exemplo erat, quod quidem ſatis luculentum ante annos circiter LXXX. præſtiterat piiſſima Ducis Romualdi Conjux Theodorada: Superiore capite de inſigni ſub S. Petri titulo, Ancillarum Dei Monaſterio à Theodorada ad Beneventi mænia ædificato jam egimus: Illo autem adhuc florente, excitatum *Cinglenſe* fuit; cui mox Beneventanum alterum ſucceſſit celeberrimo S. Sophiæ Templo adjectum, de quo paullò inferius cum eodem Templo agemus. Interim non abs re factum arbitror, ut de illo etiam Monaſterio verba faciam, cui S. Mariæ in *Plumbariola* vocabulum fuit. Non illud quidem Beneventanos Longobardos agnoſcit auctores, adhuc tamen Longobardorum pietati originem ſuam debet; ad Beneventanos etiam, in quorum territorio conſtructum fuit, nonnihil pertinet. Thaſia igitur Regis Ratchiſii Uxor, ac Ratrudes Filia, Viri, Genitoriſque exemplum ſequutæ Monaſterium condiderunt. Ratchiſius ſuſcepto abdicandi terreni Regni conſilio, quò cœleſte ſibi tutiùs compararet, Regia Conjuge, ac Filia, quibus idem propoſitum perſuaſerat, ſecum aſſumptis, Romam adjens, & à Pontifice Zaccharia in Clericum attonſus, monaſticoque habitu indutus, ſtupente Româ ad inopinatam bellicoſiſſimi juveniſque Regis converſionem, in Montem Caſinum ſeceſſit, ſeque monaſticæ diſcipline tironem Petronaci Abbati inſtituendum tradidit, atque inter alios Religioſos communem vivendi rationem ſuſcepit. Thaſia vero, ac Ratrudes, eodem concedente, atque opitulante Petronace, Monaſterium Puellarum in dicto loco *Plumbariola*, non longe à Caſino, ubi S. Scholaſtica olim habitaſſe ferebatur, propriis ſumptibus conſtruentes, reliquos ibi vitæ annos religioſiſſimè tranſegerunt (2).

Sed

(1) Rem ex Oſtienſe audire non pigeat, qui lib. I. cap. 6. Eccleſiam Cinglenſem à Beneventano Sculdai ædificatam, boniſque omnibus locupletatam refert; ac mox: *Qui locus cum oculis Ven. Petronacis valdè utilis viſus fuiſſet, cum conſenſu, ac maximo adjutorio ejuſdem glorioſi Ducis Giſulfi, & Scaunibergæ Uxoris ejus conſtruxit ibidem Monaſterium Puellarum Dei, ad honorem B. Dei Genetricis, & ſemper Virg. Mariæ, conceſſa inſuper ibi à prædicto Duce Eccleſia S. Crucis cum omnibus territoriis, & pertinentiis ejus... necnon & aliis Eccleſiis, & Curtibus non paucis in circuitu... Quod videlicet S. Dei Genitricis Monaſterium, annuente præfato Abbate, idem Dux Giſulfus tunc confirmavit tribus Ancillis Dei, ideſt Gauſanæ, Pancritudæ, & Garibergæ, quæ poſtpoſitis parentibus, & univerſis opibus ſuis peregrinari pro Deo in partibus iſtis elegerant: eo utique tenore, ut quandiù quælibet earum adviveret, loci illius regimen teneret; poſt illarum verò exceſſum ſit poteſtas, ut ordinatio ejuſdem loci ad Caſinenſis Monaſterii ditionem rediret.* In membranaceo ſcripto Codice apud Moniales S. Mariæ Urbis Capuæ has Abbatiſſas hoc ordine, hiſque nominibus recenſeri, *Gauſam*, *Aceltrudam*, *Pancheitudam*, obſervat Nucæus ad hunc Oſtienſis locum num. 8. Ex domo Longobardæ ſuo ſe nomine produnt, quæ Sanctimonialium vitam ducentes ex Tranſtiberina fortaſſe Italia in noſtras oras peregrinationis cauſâ advenientes, ibidem Sanctitatis merito ſatis probatæ, Giſulfo Duci innoteſcere debuerunt, qui opportunam ipſarum operam recenti Cinglenſi Monaſterio inſtituendo delegit. Poſt illarum obitum ejuſdem Monaſterii *poteſtatem*, & *ordinationem* ad Caſinates rediiſſe ſatis probat Privilegium Caroli Magni illis anno 787. conceſſum, in quo eis ſubjecta, Monaſteria recenſentur, *S. Mariæ in Cingla*, *S. Mariæ Plumbariola*, & *S. Sophiæ intra Beneventum*. Vid. Mabillonium Annal. lib. XXII. num. 40. & lib. XXV. n. 61.

(2) Eodem *Plumbariolæ* loco Scolaſticæ *Cellam* fuiſſe, eaque de cauſa Monaſterium ibidem à Thaſia excitatum cenſet Nu-æus ad Oſtienſis lib. I. cap. 8. num. 5. aſſentiturque Mabillonius in Muſeo Ital. tom. I. part. II. pag. 36. & in Annal. lib. V. nu. 3. Interim Oſtienſem audiamus: *Uxor verò* (Regis Ratchiſii) *nomine Taſia, & filia Ratruda, concedente, & adjuvante eodem Abbate* (Petronace) *Monaſterium Puellarum non longè à Caſino, in loco, qui Plumbariola vocatur, propriis ſumptibus extruxerunt, multiſque ditatum opibus, ibi ſub magna cautela, & diſtrictione regulari vitam agentes, ultimum diem clauſerunt.* Eodem quoque elogio Ratchiſium ornat Oſtienſis, *poſt Religioſam ſatis, ac Deo placitam converſationem* in Monaſterio Caſinenſi defunctum. Nihil de Ratchiſio Rege ex Paullo ſcimus: qui non ultra Liutprandnm Hiſtoriam produxit. Oſtienſis verò Ratchiſii obitum nobis narraſſe contentus, non ſui eſſe inſtituti putavit, ea memoriæ prodere, quæ Ratchiſius ex Rege Monachus, iterum ex Monacho Rex patraſſe traditur. Aſtolfo enim Fratre ſine prole defuncto, mox e

Mona-

Sed ad noſtros Beneventanos redeamus, qui nos in Caſino hactenus verſatos, parumper adhuc non invitos detinebunt, ut quod reſtat inſigne Religionis facinus ibidem ſpectemus. De Giſulfo ſatis dictum eſt: De Scauniberga, ſeu (ut Paullus vocat) Coniperga illius Conjuge illud obiter ex ſolo loquente Oſtienſe auditum fuit, (not. 1. pag. 93), par nempe eidem pro Monaſterii Cinglenſis ædificatione fuiſſe ſtudium, collatam etiam opem. Illud nunc ſolius Scaunibergæ illuſtre opus celebrandum erit; ſublata nempe, quæ adhuc Caſini Religionem maculare videbantur, Idolatriæ monumenta. Templum vigebat adhuc inſanâ veterum Ethnicorum religione conſecratum: Deſertum illud opinari proclive eſt quoad S. Benedictus vixerit, cujus operâ factum ſcimus, ut quæ Caſini olim eſſent, omnes Idolatriæ reliquiæ ſubverterentur, incolæque ipſi ad Chriſtianam Fidem converterentur: at poſt ejus obitum, vel potius poſt Monaſterii vaſtationem, Monachorumque diſceſſum, nihil faciliùs, quàm ut in rudi populo avitæ Superſtiones rursùs pullulaſcerent, promptam fortaſſe occaſionem, aut certè offendiculum eodem Templo præbente, quod etiam tum incolume ad poſteros evaſiſſet. Rem itaque, aliis hactenus neglectam, animadvertens, indignèque ferens Scauniberga, illicò æternæ oblivioni dandam curavit, illud ſimul pro ſua eximia pietate agens, ut illatæ hactenus Caſino injuriæ ſera emendatio in majus Chriſtianæ Fidei decus, ampplioremque Caſinatis Monaſterii Religionem converteretur: *Templum Idolorum* (ita de Scauniberga Oſtienſis), *quod antiquitùs in Caſino Caſtro conſtructum fuerat, in B. Petri Apoſtoli honorem convertens, Yconas ibi, & cetera Eccleſiæ officiis congrua miniſteria in poſterorum memoriam devotiſſima contulit* (1).

Quid verò cauſſa fuerit, ut tam ſerò ſacrilega illa Ædes, vetuſtâ Superſtitionis labe expurgata, Chriſtiano tandem ritu in veræ Religionis uſum dedicaretur, facile conjectare erit. Ac primùm illud obſervandum, ſatis S. Benedicto fuiſſe, ut Apollinis Idolum contereret, Aram everteret, Lucos ſuccideret. Templum vero demoliri, neque tum neceſſarium, neque fas ſibi duxit: Vetabat Conſtantini Lex, qui licet *omnem Superſtitionem penitus eruendam* ſanciverit, *Ædes* tamen *Templorum, quæ extra muros eſſent poſitæ, intactas incorruptaſque ſubſiſtere* juſſit (2). Quumque Impp. Arcadius, & Honorius, ſiqua in agris Templa eſſent ſine turba, ac tumultu dirui mandaſſent (3); mox ab ea ſententia receſſerunt, latâ eodem anno novâ Lege, qua, ne prioris prætextu *Ædes everterentur*, interdixerunt, contenti, ut depoſitis Idolis, in eos legibus vindicaretur, qui in iiſdem Ædibus cultum vanæ Religionis impenderent (4). Atque hæ quidem de ea re fuere Principum Conſtitutiones. Quid tandem Eccleſia? Qui Anglorum Regi Edilbertho *Fanorum ædificia evertenda* mandaverat (5), idem ipſe Anglorum Apoſtolus Gregorius M., mutatâ ſententiâ, ſervanda illa, atque in Chriſtianæ Religionis uſum ritè transferenda decrevit: *Dicite ei* (hæc ut Auguſtino mandata perferat, Mellito Abbati ſcribit) *quid diù mecum de cauſa Anglorum cogitans tractavi, videlicet quia Fana Idolorum deſtrui in eadem Gente minimè debeant, ſed ipſa, quæ in eis ſunt, Idola deſtruantur. Aqua benedicta fiat; in iiſdem Fanis aſpergatur; Altaria conſtruantur; Reliquiæ ponantur; Quia ſi Fana eadem benè conſtructa ſunt, neceſſe eſt, ut à cultu Demonum in obſequium veri Dei debeant commutari; ut dum Gens ipſa eadem Fana non videt deſtrui, de corde errorem deponat, & Deum verum cognoſcens,*

Monaſterio in Aulam evolavit: Sed paullo poſt Pontificis Stephani II. ſuaſu, cujus operâ Deſiderius ad Longobardorum Regnum evectus fuerat, iterum in clauſtra Caſinenſia ſe recepit, ibique ſuſceptam repetens monaſticam vitam, tandem obiit. Audi Anonymum Brixianum in Chronico apud Muratorium Script. Ital. tom. IV. pag. 944. *Aiſtulphus Rex obit; gubernavitque Palatium Ticinenſe Ratchis glorioſus germanus ejus, dudum Rex, tunc autem Chriſti Famulus à Decembrio uſque ad Martium: in menſe verò Martio ſuſcepit Regnum Longobardorum Vir glorioſiſſimus Deſiderius Rex Anno Incarnationis Domini* DCCLVII. Chronographus iſte Ratchiſium rurſus *Palatio Ticinenſi*, ideſt Regni adminiſtratione potitum, *Chriſti Famulum* appellat, qualem atiam in ſuo Diplomate menſis Februarii ejuſdem anni DLVII. Ratchiſius ipſe Rex ſeſe inſcribit apud eundem Muratorium Antiq. Ital. to. III. p. 1008.; quid igitur Muratorius eodem loco, ac rurſus in Annal. Ital. tom. IV. in Ratchiſium invehitur, tamquam Monaſticæ Profeſſionis pertæſum, ad Regnum, & Sæculum ambitiosè regreſſum? Non *Regem*, ſed *Principem* ſe gerere, adhuc etiam *Chriſti Famulum* ſe profitebatur Ratchiſius (ut ex laudato Diplomate liquet) qui etiam non viribus fractus, neque factione ſua deſtitutus, ſed Pontifici ſuadenti morem gerens, quod ſalvam Remp. videret, eodem libenti animo, quo primùm ex Rege Monachum induit, iterum ex Palatio Ticinenſi Caſinum repetiit; ita ut vera illa ſint, quæ Oſtienſis de Ratchiſio nobis tradidit, eum ſcilicet *poſt Religioſam ſatis, ac Deo placitum converſationem* ex hac vita migraſſe.

(1) Chron. lib. I. cap. V. in fin.

(2) Lege III. Cod. Tdeodoſ. De Pagan. Sacrif. & Templ. Data Conſtantio IV. & Conſtante III. AA. Coſ. ideſt anno CCCXLVI.

(3) Lege XVI. ejuſd. Cod. & Tit. Data Theodoro V.C. Coſ. ideſt anno CCCIC.

(4) Ibidem Lege XVIII. Data eod. Coſ. Theodoro.

(5) Lib. XI. epiſt. 66. al. 60.

*scens, ac adorans, ad loca, quæ consuevit, familiarius concurrat* (1). At quæ vera, atque optima Gregorii ratio, ac providentia tunc fuit, cui etiam S. Augustinus præiverat (2), haud omninò in sequutæ ætatis morem recepta videtur. Exhorrebant Piorum animi, in iis Ædibus, quas impurissimis Sacrificiis, sacrilegisque ritibus Ethnicorum Superstitio fœdaverat, Sanctissima Christianæ Religionis mysteria celebrari: quod de ipsis etiam Hæreticorum Basilicis statutum à Concilio Epaonense fuit (3). Atque hanc veri satis similem fuisse caussam plerique observarunt, cur Romanum Pantheon adeò serâ ætate, post Sæculi videlicet VII. initia à Bonifacio PP. IV. ab antiquæ sordibus Idololatriæ expiatum, veri Dei cultui fuerit consecratum (4).

Ex his itaque intelligimus, cur octavo progrediente Sæculo Templum Idolorum adhùc in Casino Castro erectum haberetur: Destruendum vetabant tum Sæculares, tum Ecclesiasticæ Leges: Quò minus in Christianorum usum converteretur, inconsulta quædam pietas fortassis in caussa erat, quæ alienis exemplis imbuta, indignum Christianis Mysteriis, ac veluti inexpiabilem locum reputabat, ubi Dæmonum cultus aliquandò obtinuisset. At non hæc ferventi *devotissimæ* Scaunibergæ pietati obstaculo fuere, quin profanum Templum expiari tandem juberet: illud etiam egit, ut Ædes Christianorum esset, ac præterea in Principis Apostolorum honorem dicata; attributisque *congruis, atque ad posterorum memoriam perpetuis divinorum officiorum ministeriis* perennem veri Dei cultum ibidem constabilivit (5). Cur verò in S. Petri honorem eam Ædem dicari libuisset, non id privato *Gloriosissimæ* Mulieris consilio, obsequioque gestum; sed ex communi illo, satisque præcipuo Longobardicæ Ætatis, Gentisque erga Apostolorum Principem studio profectum sequenti mox capite opportuniùs ostendemus.

Augustiora nunc Longobardicæ Religionis, quæ hoc Caput spectant, Monumenta lustrabimus: Ad Arichim enim ventum est, cujus virtute magis, quàm ambitione factum fuit, ut quæ prostrata, atque excisa à Carolo Magno Longobardici Regni Majestas putabatur, in Beneventanam Urbem, Ducatumque, novam veluti Imperii sui Arcem, sese collegisse, ibique sua iterum jura explicare videretur. De Arichis rebus egregiè gestis alio loco agendum erit; nunc quod attinet, illud de Summo Viro tutò pronunciabimus, assumpto sibi cum Regiis Insignibus Principis titulo, amplificatisque potestatis juribus, paria ipsum Religioni quoque suæ fecisse incrementa. Præclarum ejus rei argumentum, specimenque præstabit insigne S. Sophiæ Templum, quod is Beneventi construendum curavit.

Bina S. Sophiæ Templa, seù Ecclesias Beneventi ólim fuisse, animadvertendum primo loco erit, ne in Cl. P. Augustini Lubinii incuriosam sententiam incidamus (6). Errorem is in Veteri Chronico S. Sophiæ in Bibliotheca Vaticana servato, atque ab Ughello publici juris facto deprehendisse se ait, quod *passim, & perperam Ecclesiam S. Sophiæ Virginis* appellet, quam non ad eandem Divam Sophiam pertinere constat. Sed falsum Virum doctum Chronicon ipsum ostendit, ubi nihil è Chronographi ingenio, manuque de ea Ecclesia, sed res tota ex antiquis Diplomatibus constat, quorum fidem nemo, nisi injuriâ, in dubium revocaverit, vel erroris redarguerit: Quum igitur id sibi semel Lubinius persuasisset, in deteriorem lapsus ipse est errorem, dum ex duabus unam S. Sophiæ Ecclesiam statuens, ab Arichi fundatam, in loco *Ponticello non longè à muris Beneventanis* sitam, atque à Zaccharia Abbate S. Benedicti constructam simul affirmat. Nihil hac re, sivè temporum, sivè locorum, sivè personarum diversitatem spectes, absurdius dici potuit. Constat enim multo antè Arichis tem-

(1) Eod. lib. epist. LXXVI.

(2) Non id modo licere, sed jam sua ætate usuvenisse satis indicat S. Augustinus, cujus in epist. 77. ad Publicolam hæc sunt verba: *Quum Templa, Idola, Luci ... in veri Dei honorem convertuntur, hoc de illis fit, quod de hominibus, quum ex sacrilegis, & impiis, in veram Religionem mutantur.*

(3) Anni DXVII. in cujus Canone XXXIII. hæc leguntur: *Basilicas Hæreticorum, quas tanta execratione habemus exosas, ut pollutionem earum purgabilem non putemus. sanctis usibus applicare despicimus.* Contrariam Disciplinam servavit idem Gregorius Magnus uti constat ex Dial. lib. III. cap. XXX. ubi Arianorum olim Ecclesiam Romæ in regione Suburræ ritu Catholico à se dedicatam refert: immò nihil sibi jucundius contingere ait lib. III. epist. XIX. quàm hujusmodi Dedicationes peragere: *Cor nostrum* (inquit) *pia divinitatis inspiratione compungitur, loca quondam execrandis erroribus deputata in Catholicæ Religionis reverentiam dedicare.*

(4) Vid. Labbeum in Collect. Concil. to. VI. pag. 1354. edit. Venet.

(5) Ad hunc Ostiensis locum Abbas Nucæus *ab Abbate Joanne traditum* observat num. 16., Scaunibergam tria in hoc Templo statuisse Altaria, B. Mariæ Virginis, S. Michaelis, & S. Petri: sed præcipuum fortasse S. Petro dicatum, unde in hujus honorem Templum conversum Ostiensis duntaxat meminit. Manent adhuc (eodem Nucæo teste) Templi hujus vestigia ad Orientem Casini veteris, cui propterea factum nomen *Castri S. Petri*, ita etiamnum appellatum.

(6) Notitiæ Abbatiar. Ital. pag. 45. edit. Rom. 1693.

tempora; ac sub ipsa quidem Sæculi VIII. initia, hunc Zacchariam Abbatem in sui Monasterii (cui S. Benedicti titulus) fundo suburbano Ecclesiam ædificasse, quam in S. Sopiæ Virginis honorem dicavit (1). Certa, atque explorata res fit ex tribus Diplomatibus Romualdi I., ac binis Gisulfi II. in eodem Chronico relatis, in quibus disertissimè exprimitur *Ecclesia Beatæ, Sanctissimæque Virginis Sophiæ, quam Zaccharias Venerabilis Abbas à fundamentis ædificavit in loco, qui nominatur ad Ponticellum, qui fuit de quodam* Wandolfo *&c.* (2). Quid igitur Arichis cum Zaccharia? Quid extramurana *ad Ponticellum* S. Sophiæ Virginis Ecclesia cum illa, quæ ejusdem quidem nominis, sed diversæ significationis intra Urbem ædificata longo post tempore fuit? Dum vero de priori Ecclesia præclarum, locupletissimumque testimonium prædicta Diplomata ferunt, quid vetat, Zacchariam Abbatem peculiarem eum cultum S. Sophiæ Virgini exhibere voluisse, ut in ejus honorem Ecclesiam in Monasterii fundo excitarit? Extare Virginem, eandemque Martyrem nomine Sophiam, ex Romano Martyrologio manifestum habemus (3); itaut nulla superasse queat dubitatio, quin Ecclesia aliquando Beneventi extiterit S. Sophiæ Virgini sacra, tum temporis, tum loci, tum conditoris differentiâ ab altera planè diversa, quæ tempore licet posterior, insignior tamen, celebriorque ita evasit, ut prioris extremuranæ nomen, atque cultum paullatim oblivioni dedisse videatur: quandoquidem neque apud inferioris ævi Scriptores ejus mentionem, neque nobis in suburbano *Ponticelli*, vestigia, aut rudera invenire est. Extat quidem in secundo Concilio Provinciali anni MLXII. ab Ulderico Archiepiscopo Beneventano celebrato, mentio *Amici, Abbatis Monasterii Sanctissimæ Virginis Sophiæ*; At manifestus error in ea nuncupatione habetur; etsi enim ad illud ævi extramurana illa Ecclesia ab Abbate Zaccharia olim ædificata, adhuc substitisset, non ipsa tamen vel olim, vel unquam Abbatiæ titulo, ac prærogativâ prædita fuit: manifestus etiam is error ex hoc ampliùs fit, quod in primo Concilio præcedentis anni ab eod. Uldarico celebrato idem *Amicus* recurrit Abbas *Monasterii S. Sophiæ*, à qua *Sanctissimæ Virginis* nuncupatio omnino abest; uti videre est in Synodico Provinciali Beneventano p. 15. & 17. edit. an. 1695. itaut ad Amanuensium, qui Acta Concilii collegerint, vel descripserint, inscitiam referendus sit posterioris nuncupationis error. Ingens itaque utriusque nuncupationis, sivè vocabuli S. Sophiæ fuit, eritque discrimen, diversaque Ecclesia; ac de priore quidem importuna fuit Lubinii observatio, ineptissima Concilii Beneventani nuncupatio, nullaque deinceps nobis erit loquendi occasio: Sed alacres ad alteram progrediemur, quæ adhuc superstes amplissimam differendi materiam præstabit.

Hanc igitur altetam S. Sophiæ Ecclesiam paucis ante Arichim annis Dux Gisulfus II. intra Beneventanam Urbem ædificare cœperat: Opus illius morte intermissum, neque à successore Duce Liutprando provectum, Arichis tandem Liutprandi successor perfecit. Gisulfum Arichis *Parentem* appellavit Cl. Gattula, de S. Sophia agens T. I. pag 90; quod omnino falsum; nihil enim ad Gisulfi genus Arichis pertinet, qui etiam non Gisulfo, sed Liutprando successit. At non ipse certè falsus Arichis, qui Templum ipsum à Gisulfo olim inchoatum, sese non absolvisse, sed potiùs *à fundamentis erexisse* in suis testatur Diplomatibus: non tàm enim perficiendum suscepit, quàm in augustiorem formam excitandum maluit, atque ad eam denique extulit molem, ac dignitatem, ut nihil eo magnificentius, nihil opulentius, nihil denique religiosius fieri posse videretur. Nomine S. Sophiæ decoratum voluit, scilicet Sanctæ Sapientiæ, quod Filii Dei, Verbi, Sapientiæque Æternæ nomen est, consecravit. Nihil hac re exploratius, quam suppares Scriptores Erchempertus, atque Ostiensis præclarè testantur (4): Sed non alius magis idoneus, quàm ipse Arichis, testis erit, qui in

(1) Nulla hodie ejus Ecclesiæ vestigia: Locus vero eandem *Ponticelli* appellationem retinet ex parvo, sed Romani operis Ponte; non longè à Porta Aurea, Trajanam Viam super rivum colligante, qui in Calorem influit.

(2) Ital. sacr. edit. veteris t. VIII. à col. 607. usq; ad 613.

(3) Ad diem 30. Aprilis, ubi hæc notat Baronius. *De qua* (S. Sophia Virgine, & Martyre) *etiam Tabulæ Firmanæ Ecclesiæ, ubi & Sacra ejusdem Pignora condita debito honore coluntur. Ferrarius etiam in Catal. SS. Ital. hanc sanctam Virginem Sophiam Ravennæ, & alibi in veneratione esse testatur*. Fuit etiam altera S. Sophia Martyr, de qua idem Martyrologium ad diem 30. Septembris, Mater Sanctarum Fidei, Spei, & Charitatis, quarum Reliquias à Romano Pontifice acceptas Rinudius Episcopus Argentoratensis in Monasterio Benedictinorum Aschaugiensi ab se condito reposuit, ubi Raduna Religiosa Dei, & Addala Abbatissa portiones suas in honorem S. Sophiæ tradiderunt, uti à Mabillonio observatum est *Annal. Bened. lib.* XXIV. *ad ann.* 778. *num.* 82. Habemus in Codice MS. Sæculi XI. nostræ Bibliothecæ sign. §. 2. Acta SS. tom. I. hujus S. Sophiæ Filiarumque Acta à pag. 237.: nescimus, an iis similia sint, quæ à Clarissimis Bollandistis propediem expectamus.

(4) Erchemperti hæc sunt Chron. num. 3. de Arichi Beneventano Principe: *Intra Beneventi moenia Templum Domino opulentissimum, ac decentissimum condidit, quod Græco vocabulo* Αγίαν Σοφίαν, *idest Sanctam Sapien-*

in Diplomate suo, quo eam Ecclesiam amplissimis possessionibus, privilegiisque locupletavit, *consecravi* (inquit) *Aulam tuæ Sanctæ Sapientiæ, qui es vera Domini Sapientia Christe* (1). Denique rem ipsam non solum loquitur, sed oculis etiamnum spectandam exhibet vetustum Anaglyphum marmoreum, supra Januam ejusdem Ecclesiæ appositum, de quo paullò inferius agemus.

Exemplum, Ecclesias, sive Templa in S. Sophiæ, idest Divinæ Sapientiæ titulum, honoremque ædificandi, & consecrandi jam prior in Urbe Regia Constantinopoli præstiterat Imp. Justinianus; qui in eo opere ejusmodi magnificentiam adhibendam voluit, quæ & ejusdem Sapientiæ majestate, & conditoris excellentiâ digna esset (2). Haud dubito, quin illud præclarissimum Sapientiæ donum flagitanti Salomoni adeo largiter à Deo tributum, atque imperantibus Dei munere Principibus, ut intelligant, ac justa decernant, adeò necessarium, in Justiniani mentem venerit, ut opus illud moliretur, quo magis supremi Numinis favorem sibi conciliaret: Si instaurandi, seu condendi iterum Juris solicitudinem excipias; qua etiam in re temperantiorem optassemus, an alia Principis verè Sapientis monumenta reliquerit, alii judicent. Eum certè, sivè id piè intenderit, sive aliud quidpiam humanè cogitaverit, alii Principes æmulari postea cœperunt. In Hortis Gallicani Monasterii S. Medardi perstant etiamnunc (Mabillonio teste) antiqua vestigia Basilicæ *S. Sophiæ, quam ex æmulatione Justiniani Imperatoris* prisci Francorum Reges Chlotarius, & Sigebertus condiderunt; supersunt etiam ejusdem Basilicæ Canonici duodecim, qui ad Divina officia singulis Dominicis cum Monachis conveniunt (3). Eadem procul dubio æmulatione ductus Arichis consimilem quoque Templum excitasse dicendus est; cui quidem Templo, pro sua, qua certè fervebat Christiana Pietate, proque sua pariter, qua eminere tunc cœperat, Principis Majestate, Magnificentiam, Opulentiam, Religionem maximopere contulit.

A' Religione, ut par est, ordiemur. Hanc extructo Templo non solum exemplo suo conciliare studuit Arichis, qui ibidem nocturnas agere vigilias consuebat (nam Templum Principis Palatio contiguum erat, unde secretus illùc accessus); sed aliis modis quampluribus, quos sua sibi Pietas suadere nosset, augere sategit. Præcipuum illum censere debemus, quod eidem Templo Sanctimonialium simul Cœnobium tunc primùm à fundamentis excitatum adjecerit. Eundem in Diplomate suo loquentem, iterum audire Arichim perjucundum erit: *Credo equidem* (inquit) *nec vana spe, divinitùs inspiratus, consecravi Aulam tuæ Sanctæ Sophiæ nomine, qui es vera Domini Sapientia Christe: in qua etiam Xenodochium Puellarum extruens, obtuli de tuis donis, atque datis &c.* Nihil ea re religiosius, nihil eo novo opere dignius, nihil denique Divinæ Sapientiæ congruentius, aut acceptius fieri potuit, quàm ut ejus cultui perpetuò famulaturæ, ac domestico veluti obsequio addictæ sacræ Virgines ibidem constituerentur; quarum etiam tunc primùm Garimberga ejusdem Arichis Soror, fraternam pietatem sequuta, religioso habitu suscepto, regimen auspicata est (4).

Sed nec Religiosi deerant Viri, sacrum in eodem Templo munus subituri. Extabat eodem Urbis loco ante Arichis, quin etiam ante Gisulfi II. tempora Benedictorum Monasterium S. Benedicti nomine nuncupatum, ut ex ipsius Gisulfi Diplomate constat, quo Zachariæ ejus-

ALTER N

*pientiam nominavit*. Iisdem omnino verbis rem ipsam ex Erchemperto hausit, ac in suum Chronicon transtulit Ostiensis lib. I. cap. IX. Uterque vero iisdem verbis usus videtur, quæ Paullus Diaconus scripsit in narrando Justiniani opere lib. I. cap. 25. *Extruxit* (inquit) *quoque idem Princeps* (Justinianus) *intra Urbem Constantinopolim Christo Domino, qui est Sapientia Dei Patris, Templum, quod græco vocabulo* ΑΓΗΑΝΣΟΦΗΑΝ *nominavit*. Quare fit, ut non solum de Tituli significatione, quem Arichis Ecclesiæ suæ dedit, satis constet, sed Constantinopolitani Templi magnificentiam ab eo spectatam Erchempertus, & Ostiensis indicare voluerint.

(1) Exemplum dicti Diplomatis habes in Chronico S. Sophiæ apud Ughellum tom. VIII. editionis primæ col. 572. Hæc in ejus fine legitur temporis nota: *Actum Beneventi in felicissimo Palatio Anno decimoseptimo* (ipsius Arichis) *Mense Novembris Indictione decimatertia*. Hoc est anno DCCLXXIV.

(2) Ejusdem descriptionem latissimè exequitur Procopius de Ædific. Justin. lib. I. ex quo discimus fuisse Constantinopoli ante Justinianum antiquum Sophiæ Templum, quod ab impiis concrematum Justinianus *multo post ita reparavit, & expolivit, ut quisquis de priore Templo audierit, monstrata præsenti venustate, optare possit illud perisse, ut in præsentem faciem mutatum cernat*. At de hoc celeberrimo Templo omninò videndus Carolus Du-Cange in Constantinopoli Christiana lib. III. Inter Scriptor. Hist. Bizantinæ tom. XXI. edit. Venet.

(3) Annal. Benedict. tom. I. lib. V. ad an. 546. num. 28.

(4) Petrus Pogianus *Hist. Monastic.* part. III. cap. *De Gariberga*; eorum, quæ in laudem ipsius Garibergæ, seu Garimbergæ Arichis Principis Sororis sanctissimæ narrat, Herempertum laudat auctorem idoneum, cujus tamen fusioris Historiæ deperditæ, Epitomen nunc solam habemus: Pogianum etiam de Gariberga loquentem laudat Ant. Caracciolius in *Propyleo ad IV. Chronologos Beneventanos*.

ejusdem Monasterii Abbati, atque alterius, de qua superiùs diximus, suburbanæ Ecclesiæ S. Sophiæ Virginis fundatori, nonnulla bona, atque exemptiones concessit (1): Ipsum autem, de quo nunc agimus, S. Sophiæ Templum juxta hoc Monasterium ab Arichi constructum fuit eo quidem consilio, ut eidem Templo non solum à Fœminis Deo dicatis, sed à Viris etiam religiosus cultus certatim impenderetur: qua de caussa præfatum Virorum Monasterium eidem Templo subjectum voluit, Xenodochiumque pro Peregrinorum susceptione, ibi antiquitùs institutum, quò magis præclarissimi Operis religio augeretur, exterique, ut ad eum invisendum, venerandumque confluerent, allicerentur, novis reditibus communivit: *Ecclesiam* (sic in laudato Diplomate Princeps piissimus, ac munificentissimus) *S. Benedicti, loco, qui vocatur Xenodochium, quod positum est juxta ipsum Monasterium cum omnibus sibi pertinentibus: Hoc & statuimus, ut ipse Præpositus jam dicti S. Sophiæ Monasterii ibi sedeat, ibique sit porta ad hospites suscipiendos: Pro quo & addimus, ut Decima omnium frugum ibi annualiter ex Monasterio detur ad stipendium Peregrinorum: & sicuti ab antiquis Rectoribus prædicta S. Benedicti Ecclesia possessa fuit, amodo, & deinceps S. Sophiæ Monasterii potestati subjaceat.*

Alterum Religionis, quæ Arichis operâ Templo accessit, eximium caput est, pretiosissimus ille Sacrarum Reliquiarum Thesaurus, quo is locum locupletissimum, & verè religiosissimum efficere studuit. Ac primum *Sanctorum Martyrum* XII. *Fratrum Corpora, diversis in locis per Apuliam, in quibus & decollati fuerant, quiescentia, honorabiliter allata, ad tutelam, & honorem Patriæ in singulis Capsis pariter sub uno Altare recondidit* (2). *Postmodum* vero Corpus *pretiosi Martyris Mercurii* (de quo mox digna, ac vera proferemus); *nec non & aliorum tam Martyrum, quàm Confessorum numero triginta & unum Sancta Corpora ex diversis Italiæ partibus per tempora diversa indeptus, ibidem nihilominus attulit, & per diversa Altaria in circuitu majoris Altaris satis reverenter locavit*: dignus planè, qui pro suo erga Sanctorum Reliquias conquirendas, meritæque venerationi restituendas studio, cælestis illorum præsentiæ, tutelæque & pignus, & honorem acciperet; nam (ut idem Ostiensis prosequitur (3)) oranti noctu in eodem Templo (uti moris ei fuisse diximus) SS. Martyres XII. Fratres astiterunt, quos quum ipse juvenili specie apparentes ignarus increpuisset, quod locum Virginibus sacrum ingredi ausi essent, ita sibi serenâ fronte alloquentes audivit: *Nos sumus, ò Princeps, quos tua devotio per diversa loca repertos, summo hùc studio detulit, quod nobis quidem quàm bonum, quàm jucun-*

(1) Extat hoc Diploma in eodem Chron. col.589. cujus priora verba describere præstat: *In nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi. Dum divina Omnipotentis Dñi Dei nostri gratia desuper inspirante misericordia, nostri piissimi Domini Reges nos in nostro Solio revocare dignati sunt; firmamus, atque concedere providimus nos Dominus Vir gloriosissimus Gisulphus summus Dux Gentis Longobardorum ea quæ in primordio Ducatus nostri per nostrum Præceptum vobis Zacchariæ Rmo Abbati firmavimus, secundum qualiter à bona recordatione Dominus Romualdus Genitor noster vobis ipsum Præceptum concedere visus est, hoc est Xenodochium, uti Monasterium S. Benedicti Domino auxiliante tenere videtis cum domorum ædificia &c.* Ex his quæ superiùs diximus lux affunditur his, quæ Gisulphus heic habet de sua *revocatione ad suum solium*, idest Ducatum Beneventanum, dum post Romualdi genitoris obitum in Regis Liutprandi tutelam, atque educationem in Aula Ticinensi susceptus, ætate jam major paterno *Solio* fuit restitutus. At quinam Reges illi plurali numero à Gisulpho memorati? Cum Liutprando intelligebat is Hilprandum illius in Regno successorem, & aliquando consortem, de quo Herchempertus: *Hilpran Nepos Liutprandi Regis post ejus obitum Longobardis præfuit, qui jam cum Liutprando octo regnaverat annos.*

(2) Acta tum Passionis, tum Translationis horum XII. Fratrum Martyrum ex vetusto MS. Codice ad dictum Monasterium S. Sophiæ olim pertinente, evulgavit unà cum Actis S. Mercurii V. C. Victorius Giovardi, qui etiam Præfationes, Notasque adjecit. Romæ 1730. Eorundem Martyrum memoria die I. Septembris in Roman. Martyrologio recolitur, ubi Baronius Alphani Archiepiscopi Salernitani Carmen de iisdem SS. Fratribus lucubratum meminit, ab laudato Giovardo editum cum dictis Actis.

(3) Chron. Casin. lib. I. cap. IX.: Non ingratum lectori fuerit, rem totam ex *Epitome* Chronicorum Casinensium apud Murator. Script. Ital. tom. II. part. I. pag. 367. audire. *Huic* (Gratiano Abbati Casinensi) *præfatus Dux Arichis obtulit Templum opulentissimum, quod Beneventi condidit, & græco vocabulo Sapientiam Sanctam nominavit, ditatum amplissimè, in quo Sanctorum Martyrum* XII. *Fratrum Corpora, diversis ex locis allata, honorabiliter in singulis Capsis pariter sub uno Altare recondidit. Postmodum Corpus pretiosi Martyris Mercurii; necnon & aliorum tam Martyrum, quam Confessorum, numero* XXXI. *Sancta Corpora ex diversis Italiæ partibus, per tempora diversa adeptus, ibidem nihilominus attulit, & per diversa Altaria in circuitu majoris Altaris sitis reverenter locavit. Ubi dum maximam devotionem (quoniam vicinum loco illi Palatium erat) frequentem consuetudinem in oratione pernoctandi habuit. Fertur, quadam nocte oranti illi Sanctos duodecim Fratres apparuisse, eumque pariter inclinatis amicabiliter vultibus salutavisse; quod dum torvo nimis aspectu respiciens, exteros quoslibet esse existimans, quinam illi essent, qui nocturno tempore Claustra Sancti monialium sic audacter ingredi præsumpsissent, inquireret, illi leviter arridentes:* Nos, *inquiunt*, sumus, Princeps, quos tua devotio, per diversa repertos loca, summo hùc studio detulit, ac studiosiùs delatos recondidit; quod nobis quidem quàm bonum, & quàm jucundum, tibi autem quam sit divina pietate proficuum, ultima dies ostendet. *Et his dictis, subitò Principis visio, quæ videbatur, disparuit. In quo etiam Monasterio contulit Ecclesiam S. Modesti cum multa substantia intra Civitatem.* Atque hæc quidem Auctor, qui Ostiensis locum totidem fere verbis in Epitomen suam retulit.

*jucundum, tibi autem quàm sit, divina pietate, proficuum, ultima dies oſtendet.* Quibus dictis ab ejus ſe oculis abſconderunt.

Venio nunc ad Templi opulentiam, paucis tamen verbis rem grandem tranſacturus, quam ſatis perſpicuè, prolixèque eloquitur laudatum Arichis Diploma: Jamdiù hoc Diploma apud Ughellum pervulgatum habetur, illuſtre illud quidem, ac propè ſingulare munificentiſſimæ, verèque Regiæ liberalitatis, ac pietatis monumentum: quod quicunque percurrerit, non ſine admiratione adeò ingentes, ampliſſimaſque opes in unum S. Sophiæ Templum coacervatas ſpectabit, ut in ipſo Principatu Beneventano alterum veluti tum prædiis, latifundiiſque, tum juribus, ac ditionibus inſignem Principatum inſtitutum oſtenderent. At non ſibi modum imponi Principis Pietas, ac Munificentia tulit, quam ipſius Principatus, univerſæ penè Ciſtiberinæ Italiæ tùm dominantis amplitudo, adeò latè effusèque in ejus Templi ditationem, explicandam ſinebant.

At de tali, tantoque Opere, tum Religione, tum etiam Opulentia præclariſſimo quid poſteritati ſervatum ſit, fortaſſe quæres? Monialium Monaſterium omnino evanuit; neque quo tempore, quave de cauſa defecerit, compertum hactenus mihi fuit. Monachorum Cænobium Benedictini Caſinates ad annum uſque 1595. obtinuere; quo tandem anno Pontifex Clemens VIII. Canonicis Regularibus SS. Salvatoris etiamnunc incolentibus attribuit (1). Abbatia ab Apoſtolica Sede jamdiù Clericis commendari cœpta, ampliſſimi Eccleſiaſtici Ordinis Viros habere ſolet Abbates *Commendatarios*, quippe quæ annuorum ducatorum ferè ſeptem millium reditu dives, ſuo Territorio pleriſque in locis gaudens, variiſque aliis juribus, privilegiiſque decorata, quædam veluti magni Corporis umbra, ſuis etiam præſentibus veſtigiis, quanta olim illius moles fuerit, hodieque oſtendit.

Reſtat nunc de Magnificentiâ, ſeù Ædificiis dicere, quæ tamen pejore fato nihil ferè nobis, quod nativum ſplendorem repræſentet, dicendum ſuppeditant. Templum eodem certè natalis ſui loco, ſed non eâdem quâ primum prodiit, majeſtate, atque elegentiâ exurgit. Frequenti Terræmotuum vi labefactatum, ac demum dirutum, accedente quoque hominum incuria, novam accepit, explicatque formam: nam mediocribus contentum ſpatiis in ſemicircularem quaſi formam, quatuor marmoreis ingentibus columnis ſuffultam, ac tribus Aris ſuper trinos ex eleganti marmore recentis operis Sarcophagos, ſeu Capſas Sac. Reliquiarum plenas erectis conſtat: Supra interiorem Januam, qua modo Templum aditur, lateralibus ex peregrino marmore columnis (quarum ſola epyſtilia, baſeſque ſuperſunt) ſpoliatam, vetuſtum viſitur Anaglyphum marmoreum, in poſteriori Templi inſtauratione ſatis aptè ibidem adſtructum, unicum fortaſſe, quod vix intueri nobis detur, priſci Operis monumentum; de quo mox plura pro ipſius dignitate loquemur. Janua prædicta Atrio ſubdiali ſuccedit, ſatis amplè in orbem patenti, ac muris circumſepto, quod majorem veteris Templi fuiſſe partem ipſe loci aſpectus demonſtrat: nam ex ipſo interiore Atrio per ſecundam januam in alteram publicæ viæ adjacentem aream exitus eſt, quæ ſatis ampla veteri Templo præſternebatur: In hac externa area Fons ille eſt, vetuſtiſſimo Romani operis marmoreo Anaglypho, Sabinarum raptum repræſentante inſignis; cujus anaglyphi exemplar ære expreſſum Superioris Theſauri præloquio noſtro præfiximus. Ad dexterum ejuſdem areæ latus marmorea tota non mediocris altitudinis, elegantiæque Turris Campanaria exurgit, recentioris quidem operis, ſed vetuſtioris Turris, in cujus locum, uſumque ſubſtructa fuit, lapideam Inſcriptionem adhuc ſervans; quam ſumma fide, deſcriptam, exculptamque heic exhibemus:



(1) Hiſt. Tripart. Ord. Cler. Canonic. Regul. lib. II. c. XXIX. §. IV. Mar. Vipera in Chronol. Epiſc. Benev. p. 170.

| | |
|---|---|
| ✝XPIFVLTVS | SPIRAMINE |
| GREGORIVS | PYRAMIDM |
| HANCIVNIOR | LAVDABILEM |
| NOVO STRVXIT | FVNDAMINE |
| PRINCIPANTE | CVMFILIO |
| PALDVLFO | ILLVSTRISSIMO |
| TVRRITVMHOC | EDIFICIVM |
| TNCCEPTABBS | INCLITVS |

Inſcripti Marmoris ad ſeptem plamos altitudini, ad quinque latitudini Literarum magnitudo reſpondet. Nihil de Arichi monumentum hoc nobis præſtat, nihil de ſequutis Principibus, niſi temporis notam, quo vetuſta Turris altera conſtrui cœpit, uti ſic legentibus eandem Inſcriptionem patebit:

✻ CHRISTI FVLTVS SPIRAMINE
GREGORIVS PYRAMIDEM
HANC IVNIOR LAVDABILEM
NOVO STRVXIT FVNDAMINE
PRINCIPANTE CVM FILIO
PALDVLFO ILLVSTRISSIMO
TVRRITVM HOC EDIFICIVM
TVNC CEPIT ABBAS INCLITVS.

Paldulfum, ſivè Pandulfum heic memoratum, ejus nominis III. Beneventanum Principem agnoſcere licet, qui cum Patre Landulfo V. & Avo Pandulfo II. ab anno 1012., cum Patre ab anno 1014. ſolus ab anno 1033., cum Filio Landulfo VI. ab anno 1038., cum Filio, & Nepote Pandulfo IV. ab anno 1056. ad Martium anni 1058. Principatum adminiſtravit (1). Igitur inter annum 1038. & 1056. quo annorum ſpatio Pandulfus *principabatur cum Filio* ſolo, jactà à Gregorio *juniore*, ideſt ejus nominis *Secundo* Abbate S. Sophiæ ejus molis *fundamina* fuerunt, quam idem (ut videtur) Abbas *inclitus* ad faſtigium perduxit, inſcriptumque titulum, ſeù monumentum appoſuit. Cur verò cœpti duntaxat Operis, non autem (quod magis fieri aſſolet) abſoluti tempus inſcriptum ſit, duæ mihi inſuetam rem conſideranti cauſſæ occurrerunt. Una eſt,

(1) Videſis Principum Longobardor. Stemma apud Cam. Peregrin. inter Script. Ital. Murat. T. II. P. I. poſt p. 326.

est, quod ædificium illud tunc temporis perfectum fortasse extiterit, quum extincta cum ipso Principatu Longobadorum Principum stirps jam fuisset: ab anno enim 1038. non longa quidem effluxere intervalla ad annum 1059., quo demum anno in dicto Pandulfo IV. Pandulfi III. ex Landulfo VI., Nepote, à Nortmannis occiso, Longobardi Principes defecerunt: Potuit itaque ejusmodi Ædificium aut ex ingentium sumptuum difficultate, aut alia quavis de caussa nonnisi serò ad sua culmina, ad eaque tempora pervenisse, in quibus cœpti duntaxat operis, non verò absoluti, certior epocha adhibenda visa fuit. Alteram veri fortasse similiorem caussam ex ipso Pandulfo Principe excipere licebit: Sanè Pandulfum hunc in eodem S. Sophiæ Monasterio anno 1058. monasticum induisse habitum testatur breve Chronicon ejusdem Monasterii, à Muratorio editum (1) ubi ad dictum annum sic legitur. *Factus est Paldolfus Monachus in S. Sophia.* Mensem adhuc, & diem posterorum memoriæ commendavit Chronicon alterum à Peregrinio editum, ubi sub num. x. hæc habentur. *Regnavit Dominus Paldolfus an.* XLVIII., *& factus est Monachus in hoc Monasterio S. Sophiæ Mense Martii in Festivitate S. Benedicti, & vixit Ann.* XLIII. (2): Docet denique Sepulcralis Titulus eidem olim Principi, postea Monacho defuncto in eadam S. Sophiæ Ecclesia erectus, cujus jamdiù deperditi exemplar in hæc verba nobis servatum est:

*Hic Monachus situs est Pandolfus stemmate clarus*
*Princeps eximius, ò Benevente, tuus.*
*Ex cœtu Procerum Monachus de Principe factus*
*Extitit hac celebri primus in Æde Dei.*
*Quem bonitas tanto pariter patientia compsit,*
*Afforet ut cunctis charus amore Pater.*
*Corde nitens, humilis sensu transcenderat annos*
*Cui canumque simul fulgida corda senum.*
*Ecclesiam venerans, algentum corpora texit,*
*Atque cibo recreans, verba sequendo Dei.*
*Sed quia culparum nullus sine labe recedit,*
*Dicite, da veniam Christe Redemptor, ei.*
*Bis duo lustra gerens carnis, bis quattuor annos*
*Cum Jani primo transit ab orbe diem* BK. K. (3).

Dum igitur Pandulfum Principem, in eodem Monasterio S. Sophiæ reliquæ suæ vitæ spatio Monachum egisse constat, potuit ea de re illud quoque fieri, ut *Turritum Ædificium* eo perfectum fuerit tempore, quum is monasticum institutum jam profiteretur; propterea que satius visum fuerit in Pandulfi Sophiani Monachi gratiam inchoati duntaxat ædificii tempus, quo is cum Filio *principabatur* inscribere. Hæc, donec alii meliora afferant, de temporis nota operi insculpta: pauca nunc de conditore dicemus.

Ædificii Auctor Gregorius Abbas in lapide memoratur: ipse idem proculdubio Gregorius (nam tempus, locus, munusque consentiunt) qui ab Leone Ostiensi tum ex aliis pluribus tum maximè ex eo commendatur, quod Desiderium, Virum videlicet illum, Genere, Doctrina,

(1) Antiq. Med. Ævi tom. I. pag. 254.

(2) Iterum à Muratorio vulgatum inter Script. Ital. tom. II. part. I. pag. 321. At mendum manifestum in relatis vitæ annis deprehenditur; unde ad eum locum sic Peregrinius: *Scribo annos* XLVIII. *nam secus, minus vixisset, quàm regnasset*. Sed nec mendum sublatum est: nam æquè omninò tum Regni, tum Vitæ anni numerarentur, ut sic absurdum consequatur, à primo Natalis sui die Pandolfum regnare cœpisse. Quid quod ex regnandi annis, tempus illud demendum quoque erit, quo Pandulfus Monachum egit? Itaque utraque numeralis tum Regni, tum Vitæ nota emendanda erit, ut scilicet Pandulfus ex statuta superiùs Chronologia, cum Avo, Patre, solus, cum Filio, & Nepote ab anno 1012. ad an. 1058. regnaverit annis XL. plus minus; vixerit verò annis XLVIII. quot sepulcralis illius inscriptio indicare videtur illo versu:
*Bis duo lustra gerenscarnis, bis quatuor annos.*

(3) Camillus Peregrinius tom III. pag. 317. edit. Neapolit. 1751. & Muratorius l. l. pag. 314. nescio quid ad hunc Pandolfi Tumulum somniatur, dum illum *credit fratrem Principis Pandulfi Caputferrei, factumque Monachum in mortis articulo, more tunc consueto*. Etenim Landulfus Princeps Beneventanus frater Capuani Pandulfi Caputferrei, Pater Pandulfi nostri fuit, ut etiam patet ex Chronico Comitum Capuæ ab ipsomet edito d. tom. III. pag. 153. Deceptus quoque ipse fuit, qui in d. Tumulo Landolfum pro Pandolfo scribit, qui solus Pandolfus fuit Monachus, ut ex superiùs relatis monumentis; neque *in mortis articulo*, sed à mense Martii anni 1058. Monasticum induit habitum, ac revere Monachus factus post novem menses & dies decem obiit, idest Kal. Januarii anni sequentis; uti ex supradictis satis constat.

ctrina, Sanctitate, administrato denique sub Victoris III. nomine Pontificatu Maximo, præclarissimum Longobardicæ Gentis, Beneventanæque Urbis decus, ad Monasticum Habitum in eodem S. Sophiæ Monasterio susceperit. *Gregorius* ( inquit illustris Casinensis Chronographus ) *tunc Vir valde prudens, ac strenuus eidem Monasterio* ( S. Sophiæ ) *præerat in Abbatem, qui Desiderium multa hilaritate recipiens, pro eo quod universis desiderabilis erat, tunc primum mutato ejus nomine Desiderium appellari præcepit; nam ad id tempus Dauferius vocabatur* (1). Verè itaque *inclitus* ( quo epitheto in lapide exornatur ) Abbas Gregorius, & quidem illustrior, qui è suo Monasterio ejusmodi Virum, universæ Ecclesiæ, Christianæque Reip. bono protulerit, quàm quum eâ *Pyramide laudabili* Monasterium ipsum condecorandum curarit.

Dum verò semel cœpimus, jucundam fortasse rem lectori præstabimus, si alia, quæ ejusd. ævi posterioris supersunt loci monumenta persequemur. Monasterii etiamnunc Templo adjacentis Claustrum, quà, quadrata fronte sua, subdialem aream aspicit, circumdatque, undique marmoreis columellis, numero LX. superiores Ædes substinentibus adsurgit: Earum verò Columellarum Epistylia omnia variis quaquaversus figuris, imagunculisque, quas vulgaris lingua appellat *Grottefchi*, pro ætatis more, rationeque affabrè elaboratis perornantur: atque eorundem una hos in epystilio suo versus eleganter insculptos, ac circumscriptos exhibet:

PERPETVIS ANNIS STAT QVARTI FAMA IOHANNIS
PER QVEM PASTOREM DOMVS HVNC HABET ISTA DECOREM.

Characterum forma nihil Longobardicum offert, sed Romanam æmulatur elegantiam; quam etiam Johannes ejus nominis IV. Abbas S. Sophiæ eidem Claustro adjicere fategit, expolitis, instauratis, erectis prædictis Columellis, quas antiqui Monasterii, aut Templi reliquias non inaniter existimavimus. Certè istud Sculpturæ, sivè etiam Picturæ genus, variis fabulosorum animalium formis, lusibusque, atque aliis quarumlibet rerum figuris intertextum, peculiaris quædam mediæ Ætatis exercitatio fuit, quæ pro sui ingenii ruditate, vel etiam ambitione, quâ se novum speciosiusque Architectonices genus, præter Græcum, Romanumque, invenisse videri vellet, ejusmodi ornamentis quammaximè delectabatur; Hic tum nobilium Ædificiorum luxus, hæc magnificentia; quæ etiam Sacras Ædes, Monachorumqoe Claustra pervasit: quod tamen à Religiosa paupertate, modestiaque alienum, ægrè ferens S. Bernardus, studiosà rei descriptione, quæ lectu digna est, vividiùs insectari conatus fuit. *In Claustris* ( inquit ) *coram legentibus Fratribus quid facit illa ridicula monstruositas, mira quadam deformis formositas, ac formosa deformitas? Quid ibi immundæ Simiæ? Quid feri Leones? Quid monstruosi Centauri? Quid Semihomines? Quid maculosæ Tigrides? Quid milites pugnantes? Quid Venatores tubicinantes? Videas sub uno Capite multa Corpora, & rursus in uno Corpore Capita multa: Cernitur hinc in quadrupede cauda Serpentis; illinc in Pisce cauda quadrupedis: Ibi bestia præfert Equum, Capram trahens retro dimidiam; hic cornutum animal Equum gestat posterius. Tam multa denique, tamque mira diversarum formarum ubique varietas apparet, ut magis legere libeat in marmoribus, quam in Codicibus, totumque diem occupare singula ista mirando, quàm in Lege Dei meditando. Proh Deo! Si non pudet ineptiarum, cur vel non piget expensarum* (2)? Hæc S. Bernardus, qui Cluniacensibus tum de ea re, tum de gravioribus aliis quibusdam satis molestus, sed veridicus censor, veniam fortasse nostris Benedictinis Sophianis dederit, quorum Abbas non ad fovendum Monachorum otium, sed augendum Monasterii *decorem*, Claustra sua taliter exornata voluerit.

Quo tempore Johannes iste IV. S. Sophiæ Monasterio præfuerit, non satis liquet: alium certè, longèque posteriorem à Johanne item S. Sophiæ Abbate, cognomine *Grammatico*, par est, ut existimemus: Hujus autem memoriam heic quoque revocare præstabit, ut vel ex uno ipso quanta olim, & Sophianæ Abbatiæ dignitas, & Monachorum observantia, ac multitudo extiterit, intelligamus. Mortuo anno 1120. Bernardo Abbate, Ademarius Monachus Madelmi olim Abbatis nepos à Monachorum parte in Abbatem sufficitur, alterâ parte, quæ monasticâ disciplinâ, sapientiâque magis quàm numero præstabat, electioni reluctante: Pontifex interea Callistus II. Beneventum advenit, deque Sophianorum Monachorum dissidiis certior factus, caussa diligenter cognita, priore rescis-

sa,

(1) Chron. Casin. lib. III. cap. V.

(2) In Apolog. ad Ab. Guil. S. Theodori cap. XII.

ſa, novam à Monachis electionem peragendam decrevit: Pontificiæ Sententiæ obtemperantes Monachi, *numero fere quinquaginta convenerunt, & clamantibus illis perſonam illam Johannis Grammatici, Virum prudentem, ornatum moribus comprehenderunt, & eum invitum, & renuentem, jubilando Cathedram ſuperſedere fecerunt: Ipſe autem indignum ſe & infelicem coram omnibus clamitabat. Deinde facta eſt actio venerabilis ſacra, & Monachus virgam in manu ejus paſtoralem poſuit, & eum ad locum Abbatis in Capitulo ſtatuerunt; continuò Decanus primùm, poſtea Fratres omnes pedibus ejus, ut moris eſt advolvuntur, & unicuique pacis oſculum ipſe donavit. Electo autem eo nuncium Calliſto Pontifici dirigit Congregatio, ſignificans Johannem Grammaticum electum fuiſſe: audiens igitur Apoſtolicus, quod regulariter electio illa fieret, complacuit ei, & confirmavit. Diebus autem non multis excurſis prædictus Pontifex Calliſtus Monaſterium S. Sophiæ advenit, & inter Miſſarum Solemnia* XIV. *Kal. Septembris præfatum Johannem Grammaticum, quem Congregatio Monaſterii elegerat, in Abbatem conſecravit.* Hæc ex noſtro Chronographo Falcone audiiſſe non piguit; ex quo etiam illud ſcimus, huic Abbati Johanni Grammatico, anno 1128. defuncto Franconem ſuffectum, quem anno ſequenti Pontifex Honorius II. Beneventum adveniens conſecravit: Addam etiam ex eodem Scriptore ad an. 1139. icto ad Beneventanam Urbem inter Pontificem Innocentium II. & Regem Rogerium fœdere, ingreſſum mox eandem Urbem Rogerium religionis ergo, non modo *S. Mariæ Baſilicam*, ideſt Epiſcopium, atque S. Bartholomæi Templum inviſere voluiſſe, verum etiam *intraſſe Monaſterium S. Sophiæ, & ante altare S. Mercurii ſe proſtraſſe, indeque proceſſiſſe per clauſtra Monaſterii, & Dormitorium, & Refectorium perambulaſſe; & Monachorum orationibus ſe commendaſſe*. At hæc ſatis eſſe arbitror, ut quantum ipſe initiis ſuis ſplendidiſſimus locus, & Religione ſua, & Monachorum obſervantia, & Abbatum dignitate per ſequiorem adhuc ætatem floruerit, quis facilè arguat: Quàm magna Sophiani Abbates auctoritate pollerent, quantoque apud Pontifices Summos, Supremoſque Principes in honore haberentur, innumera propè Beneventanæ Urbis tum in lucem emiſſa, tum adhuc inedita monumenta paſſim teſtantur. Eorum ſeriem texere haud modo vacat; at, ne injuria temporum, deteriorique hominum negligentia Monumentum hactenus ignotum fortaſſe pereat, eorundem Abbatum numero non levis mihi conjectura eſt, ut Guidenardus accenſeatur, cujus Sepulcralem titulum in ejuſdem Monaſterii viridario adhuc extantem, ac fortè mihi obſervatum, eâdem omnino, qua in vetuſto lapide, literarum formâ, nexuque exprimendum curavi:

MARMORESVBSTEGBAT
GRIDENARDVSNOMIRE
MAXIMADEGENERATVS
ATQUEFAMOSISSIMA:
QUEETEMULSIRTVM:
PRINCIPATVMTENUIT:
UNUMTANTEGESSITANN:
ETDUORUMENSUUM
UNDEDNMPRECEMVR
UTEIPARCATCRIMINA

Quem

Quem ſic leges : MARMORE SVB ISTA CVBAT : GVIDENARDVS NOMINE : MAXIMA DE GENTE NATVS : ATQVE FAMOSISSIMA : QVÆ ET CVMVLOS VIRTVTVM : PRINCIPATVM TENVIT : VNVM TANTVM GESSIT ANNVM : ET DVORVM MENSVVM : VNDE DOMINVM PRECEMVR : VT EI PARCAT CRIMINA .

At omiſſis hiſce poſterioris ævi monumentis, ad Marmoreum Anaglyphum Templi Januæ ſuperpoſitum, vix ſuperiùs indicatum, libentiùs properabimus: non enim aliud illo præſtantius ; quod Veteri Templo coævum , antiqui ejus decoris veſtigium aliquod ſpectandum relinquit. Ærea Tabula heic habes expreſſum , cui Chalcographus , ſervata in reliquis omnibus Archetypi fide, aliquid venuſtatis indulſit. Nos meliore conſilio, utiliore opera elegantiùs potius ex noſtris obſervationibus monumentum repræſentabimus. Marmoreæ Immagines omnes ſunt, ſed ea, quæ inter ipſas patet area, univerſa muſivo opere in auri ſpeciem lapillis compacta ſplendeſcit. Primum inter eas Imagines locum habet Divinus Salvator Jeſus Chriſtus, qui ſedens ſuper Sedem columellis marmoreis ſuffultam, ac pulvinari inſtructam, Thronique formam æquiparantem, elatâ, benedicentis ſpecie deſtrâ, ſiniſtra Librum fibulis clauſum coxendici impoſitum , atque erectum ſuſtinet: quo quidem Symbolo *Sanctam* ipſam *Sophiam*, ſeu *Divinam Sapientiam* demonſtrari manifeſtum eſt. Adſtat à dextris, ſuo nempè promerito loco, ejuſdem *Sapientiæ Sedes*, Genitrixque, Beatiſſima Virgo Maria, brachia, palmaſque ſimul junctas, ſupplicis more, ad Chriſtum extendens, veluti pro Principis fundatoris, Principatuſque univerſi incolumitate oratura. A ſiniſtris verò S. Martyr Mercurius adſtat, militaris potiùs Ducis, quam militis habitu apprimè conſpicuus, qui dexterâ Clypeum humi fixum, laterique admotum, Crucem pro ſtemmate præferentem, ſuſtinet; ſiniſtram ſupra Arichis in genua provoluti caput non tam protegentis, quàm eundem Chriſto oſtendentis, commendantiſque ſpecie porrectam habet. Sequitur denique poſt S. Mercurium genuflexus, conjunctiſque palmis orans Arichis.

De Salvatoris, ſeù S. Sophiæ, Deiparæque Imaginibus nihil explicandum occurrit; niſi quod illa *B. Virginis* diverſum ab eo, quod Chriſtus, ſimile autem, quod Mercurius, Diadema gerit, ideſt Circulum lucidum, quem Nimbum vocant: nam quod Chriſti eſt, Crucis formam intra ambitum ſuum effigiatam præfert. Quod quidem Diadematum diſcrimen in aliis quoque monumentis occurrit, ubi Chriſtus Apoſtolos, alioſve Sanctos adſociatos habet. Id (ut inſigniora tantum hùc memorem) manifeſtum ex Muſivo Abſidis Baſilicæ S. Petri, quam exhibet, illuſtratque Cl. Ciampinius in de Sac. Ædif cap. IV. p. 42. ac rurſus Cl. P. Janningus Oper. Bolland. T. VII. Junii p. 136., qui ex altera Abſide Triclinii à Leone PP. III. ædificati rem ipſam confirmat, ratus ejuſmodi diſcrimen, *non ex mero pictoris ingenio, ſed ex induſtria Sapientum adhiberi coeptum, qui voluerint illo ſigno conſultum rudioribus, ut inde cognita Chriſti Domini præ aliis Perſona, præcipuam ei venerationem deferrent, & Myſterium pictura repræſentatum, faciliùs caperent*. Quam tamen explicationem libentiùs admitterem, niſi, & ubi ſolus Chriſtus effictus eſt, idem Diadema Crucigerum eidem tribuant Monumenta alia, quæ apud eundem Ciampinium, alioſque paſſim invenias: ut jam opinio mea ſit, ideo adjunctam Chriſti Limbo Crucem, ut ejus Gloriam, quæ in Limbi ſymbolo exprimitur, nonniſi per Crucem ſibi peperiſſe Chriſtus oſtenderetur.

Adhuc vero in eadem B. Virginis Imagine illa palmarum conjunctio (quæ pariter in Arichis Simulacro viſitur) non antiquis ſuetum, ac perpetuo veluti more rituque receptum orandi habitum, expanſis potiùs quàm junctis manibus, repræſentat (1). In Arichis Simu-

(1) Plures Deiparæ veteres extant Imagines, quæ erectis à cubito brachiis, expanſiſque manibus orantis ſpecimen præſeferant. Satis erit heic inſignem Gemmam retuliſſe, quæ olim Muſei Victorii, nunc Bibliothecæ Vaticanæ, brevi commentario tertia vice edito illuſtrata fuit Typis Romanis Palearinorum 1760. Deiparæ Imaginem expanſis vel ante pectus, vel ad humeros ſurſum manibus orantem paſſim exhibent Numi Auguſtorum Byzantinorum, quos videre eſt apud Cl. Cangium in Familiis & Stemmatibus Imper. Conſtantinop. tom. XXI. Hiſt. Bizant. Venet. 1729. pag. 128. 137. & 141. cum hac epigraphe ΜΡ ΘΥ. Sed domeſtico exemplo libentiùs utar, nam ejuſdem Deiparæ Imaginem in candem orantis ſpeciem, expanſis nempe manibus, in quibus parvæ cruces depictæ ſunt, exhibet Ædicula eidem ſacra ſub nomine *S. Mariæ de Libera* extra Portam Rufinam noſtræ Urbis, quæ eo loco traditur ædificata, ubi S. Barbatus eandem pro Beneventanis orantem Duci Romualdo oſtendit; quam viſionem Urbis liberatio ab Imp. Conſtantis obſidione ſubſequuta eſt; uti ejuſdem Barbati Acta tradunt. Cæterum nihil in vetuſtis Chriſtianorum monumentis ſolemnius, quam ut expanſis manibus Orantes exhibeantur: Selectiora dedit V. C. Paullus Maria Paciaudius in *Græci Anaglyphi* Interpre-



*Anagliphum marmoreum ad Ianuam Ecclesiæ S. Sophiæ*

Fran: La Marra Neap. del: et inc:

Simulacro Barbam, commune suæ Gentis insigne, aspicere licet, quæ tamen ipsius ori nihil ferum, barbarumque, sed decorem majestatemque conciliet: De Longobardorum Barba Dissertationis I. initio satis diximus: Regia ejusdem Arichis, quæ Simulacrum ostentat, insignia, Coronam scilicet, quâ ejus Caput redimitur, Chlamydemque humeris appositam, suo loco illustrabimus, Principis nunc tantùm Religionem, pietatemque heic prosequuturi. Superest S. Mercurii Simulacrum, de quo plura observare operæ pretium erit.

Ac primùm cur præ aliis præfatum Sanctum Arichis delegerit, quem in eodem Anaglypho repræsentans, peculiari veneratione prosequi, patronumque sibi præcipuum adscivisse ostenderet, facilis explicatu res est. Inter alia Sanctorum Corpora, quæ is in S. Sophiæ Templum intulerat, *Corpus pretiosi Martyris* Mercurii recensuimus: Ejus autem Sancti, qui militiam professus, egregia tum vivus, tum post mortem facinora perpetrasse tradebatur, patrocinium promereri summoperè Arichis intererat, qui bellicosus alioqui Dux, artisque militaris callentissimus, Longobardicum Cistiberinæ Italiæ Principatum adversus Gallorum molitiones tueri opus habebat. De hoc SS. Martyre superiore Libro disseruisse contigit Differt. VII. pag. 202., quum scilicet marmorea Elogia Juliano Augusto Apostatæque à Beneventanis dicata illustraremus: atque necis quidem Juliano cœlitùs illatæ B. Mercurium auctorem, illius scilicet nefariæ perfidiæ, ac crudelitatis vindicem à Deo Christianæ Ecclesiæ datum fuisse tunc probavimus. Persuasum inde Christianis Exercitibus esse cœpit, hanc à Deo B. Mercurio militi, martyrique concessam prærogativam, ut bellatoribus Christianis ejus opem implorantibus, victoriam largiturus præsto esset. Ejus rei quamquam sequioris ætatis, illustre tamen exemplum nobis suppeditat Hierosolymitanæ Expeditionis Historia; cujus Synchronus Scriptor, Christianos milites *viriliter pugnasse vicissque*, ait, *adjuvante eos Domino, & visibiliter mittente eis in adjutorium Sanctos suos bellatores, quorum animæ in Coelo jam collocatæ erant, videlicet Mercurium multoties, aliquando Georgium, necnon & interdum Theodorum, aliquando totos tres cum suis dealbatis exercitibus, videntibus non solum Christi militibus, sed etiam ipsis Paganis inimicis, unde exterrebantur, & in fugam convertebantur* (1).

In Deciana Persequutione, & Urbe Cæsaræa Cappadociæ Mercurium martyrio coronatum, ibidemque sepultum, satis constat. De ejus Corporis translatione, quæ longo post tempore Beneventum facta est, dubitationem facessere videtur Græcorum Menologium Basilii Imp. studio, ac jussu An. DCCCCLXXVI. lucubratum, binis idcirco Seculis, translationi, de qua nunc agimus, posterius; in quo Mercurium in martyrii loco sepultum *ad eam usque*



terpretatione iisdem Typis Palearinorum edita an. 1751. Sed & Cl. Boldettus in De *Sacris Coemeteriis* simili orantis forma in vetustis plurimis anaglyphis, titulisque Christianorum sepulcralibus insculptas imagines exhibet, pag. 329. 337. & 466. id quod antea uberrimè præstitit Arighus in *Rom. Subterr.* lib. VI. cap. XXVI. Ad veteres quod attinet Scriptores, præter Eusebium, in Vit. Constant. lib. IV. cap. 25. aliosque quammultos, pluries eundem Orandi habitum Christianis consuetum meminit Tertullianus Apolog. cap. XXX. De Oratione cap. XI. ac tum adversus Judæos cap. X. tum adversus Marcionem cap. XVIII. ubi etiam, *& genibus depositis, & manibus cædentibus pectus, & facie humi volutante*, junctas vero aliquando manus prorsus silet; quem morem etiam præteriit eruditissimus piissimusque Cardinalis Bona, expansarum dumtaxat manuum veterem consuetudinem illustrasse contentus Rer. Litt. lib. II. cap. V. num. 7. Fateor, mihi curiosius *junctarum manuum* morem inquirenti, nihil adhuc occurrisse, nisi marmorei Sarchophagi anaglyphum à Cl. Bertolio *Antiqu. Aquilejen.* editum pag. 384. in quo Christus Salvator medius sedet dextra benedicens, sinistra librum gerens, ad utrumque vero latus duo viri adstant genibus flexis, manibusque junctis ad illum supplicantes: ut nostrum Sophianum Anaplyphum Aquilejensi monumento exemplum dedisse dicas. Sed & Arichis (cum nihil à Latinis nobis suppetat) è Græcis fortasse sibi exemplum fecisse videri debet: Restat igitur, ut & nos inter Græcorum mores eum orandi habitum perquiramus: id quod ex Nicolai I. ad Bulgarorum consulta responsis non tam ostendere, quàm conjectare licebit. Sic enim Pontifex habet cap. . *Dicitis, quod Græci fatentur, quod in Ecclesia qui non constrictis ante pectus manibus steterit, maximum habeat peccatum: Hoc ut fieret, præceptum fuisse nusquam, ni fallor, invenitur; ac per hoc nisi fiat, peccatum non est; nam quidem faciunt hoc, quidam aliud genus humilitatis.* Et paullò post hæc de eadem re subdit in Græcorum moris comprobationem, sive excusationem: *Quia in Evangelio reproborum ligari manus, & pedes reperiuntur, quid aliud isti agunt, qui manus suas coram Domino ligant, nisi Domino quodammodo dicant: Domine ne manus meas ligari præcipias, ut mittas in tenebras exteriores, quoniam ecce ego eas ligavi, & ecce in flagella paratus sum.* Ut autem *constrictas ante pectus manus* orando habere idem sit, ac *junctis ad utrasque palmas manibus* orare, facile ostendit noster Arichis, qui, ut alia perplura, ita eum morem à Græcis accepisse putandus est.

(1) Historia Belli sacri apud Mabillonium, Musei Italici tom. I. part. II. pag. 138. Hujus Historiæ epitomem dederat Auctor ille, qui primo loco inter *Gesta Dei per Francos* editus est. Integrum Opus ab oculato teste post expugnatam Hierosolymam ad ann. MC. conscriptum, Mabillonio debemus, qui è Bibliotheca Casinensi descriptum publici juris fecit l. l.

*diem quiescere, & curationes Fidelibus omnibus præbere* adhuc legimus (1). Ejusmodi monumenti fidem reprobare impune nobis esset, dum omnes norunt, quàm antiquum, verumque illud sit, quod Poeta cecinit, quantum scilicet *Græcia mendax audet in Historia* (2). Cur enim ipsa se eo sacro Pignore orbatam fateri voluisset? Sed mendacii notam à Menologii Scriptore libenter abjudicamus, qui quum ex antiquis tabulis Mercurium Cæsareæ sepultum nosset, ignarus fortasse translationis, illarum fidem sequutus fuit. Cæterùm si qua superesse dubitatio cuiquam possit, ex vulgatis jam à laudato V. C. Victorio Giovardo Actis Translationis (quæ in Tabulario S. Sopiæ, Marii Viperæ testimonio, extantia, Ughellus edenda desiderabat) sublata omninò videri debet: Ex ipsis igitur Actis jamdemum scimus, *qua occasione* (eorum verba sunt) *ipsum sacrum Corpus Cæsaræa Cappadociæ, ubi primò humatum extiterat, Quintodecimum delatum fuerit*. Nam *Imperator Constantinopoleos Constantinus, qui & Constans est nominatus, concipiens animo Italiam à Longobardis invasam sub sui ditionem Imperii revocare, Exercitum numerosum præparavit: Sicut autem Romanis Principibus, in expeditionem proficiscentibus, moris erat secum deferre Simulacra, de quibus Deos falsos invocarent; ita Cæsares Christiani pergentes adversus Hostes Imperii debellandos, Corpora Sanctorum habere in suo consueverant comitatu, eorum duntaxat, qui extitissent in Sæculo officii militaris. Itaque præfatus Augustus, exterminaturus, ut dictum est, in Italia Longobardos, robustissimi Athletæ Christi Mercurii juxta Prædecessorum consuetudinem, reverendum Corpus assumit cum trium aliorum Sanctorum Reliquiis, ac tribus tradidit Religiosis admodum Coenobitis diligentissima cura servandum*. Rei exitum Acta eadem satis prolixè distinctèque prosequuntur, nam & Sacrum Corpus in Apuliæ Urbe Quintodecimo, quæ primùm expugnata fuit, à Constante Beneventum properante depositum, ibique post ejus cladem, quam à Beneventanis Longobardis subiit, relictum, atque oblivioni traditum, post annos XCV. ab Arichi conquisitum, repertumque, Beneventum denique translatum, atque in Ecclesia S. Sophiæ reconditum, Translationemque ipsam non ingenti tantum lætitia, ac pompa, celebratam, sed miris etiam Signis illustratam commemorant.

Compertum igitur satis probo locupletique testimonio nobis est, quâ occasione, cujus operâ, quo consilio S. Mercurii Corpus Cæsareâ in Italiam appulerit, qua demum de caussâ in Urbe Quintodecimo conquieverit. Christianorum autem Principum, quem Actorum Scriptor indicat, morem Sanctorum Lypsana ad exercitus deferendi, jam inde ab ipso Christianorum Principum primo Constantino receptum fuisse scimus: atque is quidem sublatis illis, quibus tota olim Religionis Castrensis summa continebatur, militaribus æquè ac superstitiosis Signis (3), Labarum invexit Christi monogrammate insigne, Crucemque pro vexillis, ac Sacrorum Ministros in Castris adhibuit (4): addidit sequutorum Principum pietas Sanctorum Imagines, mox Reliquias etiam, & Corpora, Victoriæ oratores apud Deum, ac veluti sponsores sibi comparasse arbitrata: quod & Lege Ecclesiastica probatum deindè fuit; nam in Germanicæ Synodi anni DCCXLI. Canone II. illis tantummodo *Servis Dei*, idest Monachis in Exercitum pergere permissum fuit, qui *propter Divinum Mysterium, Missarum scilicet Solemnia adimplenda, & Sanctorum Patrocinia portanda* delecti essent. Heinc Carolus Magnus adversus Saxones anno DCCXCV. bellum illaturus, Fardulfum Abbatem Dionysianum comitem adhibuit, qui Pignora Beatorum Martyrum secum deferri curabat, & custodes Clericos è Monachis, debitam Sacris Lypsanis custodiam, ac cultum pro suo munere impensuros; (5).

Num

(1) De Menologio Basilii Augusti videndus Guil. Caveus tum ad an.976. Hist. liter. p.505. tum in peculiari Differt. De Libris, & Officiis Ecclesiasticis Græcorum, post d. Hist. pag. 187.: qui tamen de semestre, seu dimidia ejus Menologii parte à mense Septembri, ad Februarium desinente loquitur, *altera* (inquit) *partem vel deperdita, vel non dum eruta*; quam tandem in Monasterio Cryptæ Ferratæ latentem eruit, descripsit, ac in latinum vertit Jo. Franciscus Albanus, Pontifex deinde maximus S M. Clem. XI. Patrui Optimi sapientissimique lucubrationem utrique tum Ecclesiasticæ, tum Literariæ Reip. perutilem in commune commodum postremò protulit Card. Annibal Albanus, utrâsque Menologii parte tum grecè, tum latinè edita elegantibus Typis Urbinatibus an. 1727.

(2) Juvenalis satyr. X. vers.174.

(3) Omnium vice sit Tertullianus, cujus hæc sunt Apolog. cap.XVI. *Religio tota Castrensis Signa veneratur, Signa jurat, Signa omnibus Diis præponit*. Quæ propterea *propria Legionum numina vocavit* Tacitus Annal. lib.I. cap. 19. Videsis Havercampum ad Tertulliani locum; ad Taciti verò Lipsium, qui rem latiùs prosequitur in De Milit. Rom. lib. IV. Dial.V.

(4) Eusebius in Const. Vit. lib. III. cap. 36. Miraculosam Salvatoris Imaginem à Constantinopolitanis Augustis eorumque Ducibus in Castris, Præliisque adhiberi solitam Græci plures Scriptores tradunt, quos laudat, recitatque Cl. Christianus Lupus in Dissertatione *De Antiqua Disciplina Christianæ militiæ* cap. . to. XI. opp. edit. Venet.

(5) Auctor anonymus ejusdem ævi in lib. I. de Miraculis S. Dionysii; ex quo etiam modum, locumque dixi-

Num verò Imp. Constantis animo hanc inhæsisse Religionem putabimus, ut inter suæ expeditionis apparatus S. Mercurii Corpus secum deferendum cogitaverit? Nihil certe ejus rei solicitum hominem fuisse crediderimus, cujus nefariam impietatem, sacrilegasque manus in eadem ipsa Italica expeditione non solum omnis, quò Grecorum furor, & avaritia pervasit, Italiæ pars subire debuit, sed Roma quoque ipsa experta fuit. Sed non id mirum, inquam, de Constante, qui priscum magis morem, quàm suum ingenium sequutus, eâ re, quæ nulli sibi vel incommodo, vel impendio foret, non inanem ausis suis opem, atque eventum conciliari posse rebatur: Contra Longobardos, quos nempe homines barbaros, Imperii æquè, ac Religionis hostes reputaret, Sanctum Martyrem non modo sibi affuturum, sed id demum præstiturum sperabat, ut Classe Italiæ oris appulsa, videret tantum, & vinceret; hinc ipsius Italicum littus vix ingressi consilium, ut *Solitarium* illum (quod ex Paulo Diacono superius observavimus) adiret non pietatis quidem studio, sed ut præconceptæ animo victoriæ certum è Cœlo nuncium exciperet, ac veluti extorqueret. Sed sua illum vota fefellerunt, atque incassum bellici conatus omnes ceciderunt; Beatusque Mercurius, qui Græcorum Comes Longobardos vel in Italia deleturus, vel illinc saltem depulsurus credebatur, in horum potius partes transire, perpetuamque tutelam suscipere visus est: nam Græcos ingenti clade affectos, ac prædonum à tergo sibi timentium instar, ad sua revertentes omnino deserens, ipse in Italia, atque apud ipsos Longobardos remanere maluit, quorum Religionem, atque eximium illum, quem suo Corpori habituri essent honorem, certò nosset.

Ac non iis modo, quæ superius dicta sunt, sed aliis etiam insignibus Religiosi cultus argumentis piissimus Princeps Arichis Mercurium demereri studuit; nam quò magis ferventer suscepta, perenniùs erga illum propagaretur publica veneratio, ejusdem Martyris Acta proprio stilo lucubrata in lucem ipse edidit (1): ac alteram in ejusdem honorem Ecclesiam ædificavit (2): & pluries denique in anno memoriam solemniter celebrandam instituit: cujus rei præclarum nobis superest monumentum ex Chronicis membranaceis, ejusdem Sophianæ Ecclesiæ Breviario præfixis, in hunc modum:

FEBRVARIVS.

XV. F. XIV. KAL. MARTII. DEDICATIO S. SOPHIAE IN BENEVENTVM.

AVGVSTVS.

F. XVI. DEDICATIO ALTARIS S. MERCVRII MART. IN S. SOPHIA.

G. VII. (KAL.) TRANSLATIO S. MERCVRII MART. IN S. SOPHIA.

NOVEMBER.

XI. F. VIII. VIGILIA S. MERCVRII MARTYRIS.

G. VII. S. MERCVRII MARTYRIS IN S. SOPHIA.

DECEMBER.

C. IV NONAS OCTAVA S. MERCVRII.

Ex quibus vides, quàm assiduus, religiosusque cultus Martyri Mercurio in S. Sophiæ Ecclesia exhiberi olim consuesset (3): Veterem quoque, ac non ita facilè in Ecclesiastica Antiquitate obvium ritum illum agnosces, quo præter anniversariam Ecclesiæ Dedicationem,



discimus, in quo cum Exercitu Sacra Pignora deferebantur, *portatile* scilicet *fuisse Oratorium*, *domunculæ instar*, *in quo Ara ex lignea tabula compacta habebatur*, *linteo adoperta*, *accensis circa eam luminibus in honorem Sacrarum Reliquiarum*. Vid., Mabillonium Annal. Benedict. lib. XXVI. num. 1.

(1) Id certocertius ex iis Actis manifestum fuit, quæ Cl. Giovardus publici juris fuit; ex ipsorum enim autographo, cujus is specimen profert pag. 8. Titulus characteribus Longobardicis exaratus ita se habet. *Passio S. Mercurii Martyris edita ab Arichi Principe*. Non autem id absurdum suspicetur, vel mirum habeat de hoc verè *gloriosissimo* Principe, quem ad cæteras præclaras animi dotes, Literatum etiam, quantum ætas illa ferret, extitisse, & ejus Leges, & aliorum testimonia (de quibus suo loco agemus) satis probant.

(2) Id præclarè liquet ex ejus Principis Diplomate, quo Ecclesiam S. Sophiæ ab se ædificatam ditavit apud Ughel. tom. VIII. col. 35. edit. Rom.; nam præfatæ Ecclesiæ subjicere, seu concedere ait *Ecclesiam S. Mercurii, quæ posita est in Jano nostro, & de ipso Jano circa ipsam Ecclesiam largiti sumus terram modiorum quingenta &c.* Hoc *Jani* vocabulum Cangio non ignotum, sed non explicatum in suo Glossario, ubi tantum ex uno Arichis supradicto Diplomate proferre satis habuit. De eo in ejusdem Diplomatis in Appendice exhibendi notis nos agemus.

(3) Sed neque hodie religiosus erga SS. Martyrem, Patronumque Urbis Mercurium cultus deferbuit: nam non solum in Sophiana, sed in universa Beneventana Ecclesia, ejusque amplissima Diœcesi bis in anno solemnis illius memoria recolitur, die scilicet XXVI. Augusti, quo *Translatio*, die vero XXV. Novembris, quo *Natalis* occurrit; quibus diebus proprium in ejusdem Mercurii honorem Officium, ac Missa, ritu *duplici* celebrantur.

proprius etiàm festus ille dies quotannis haberetur, quo primùm Altaris ejusdem Martyris dedicatio facta est: Id quod diutiùs obtinuisse præclarè probat Falconis nostri testimonium, qui ad annum MCXX. Johannem Grammaticum (de quo paullò superiùs egimus) electum S. Sophiæ Abbatem, à Pontifice Callisto II. tunc Beneventi degente, *inter Missarum Solemnia ipsa die consecratum* narrat (i. e. XIV. Kal. Septembris, ut paullò ante dixit) *quo Dedicatio Altaris B. Mercurii celebratur iu S. Sophia* (1). Ad hæc, digna sane, quæ heic describantur, verba illa sunt, quibus Veteres Sophiani Monachi in anniversario Translationis Festo eximiam, qua Mercurium colerent, venerationem, & ipsi profiteri, & in Beneventanorum animis fovere solebant, sic eorum Civitatem alloquentes: *Has nobiles Civitates* (Armeniam, Romam, Cæsaræam) *Mercurii Sancti dignatio tibi postposuit Benevente .... ad hoc tuum studium enitatur, ut adeo in te sibi complaceat, quatinus de te dicat: Hæc requies mea in Sæculum, quoniam prælegi eam... Cæterum Congregatio S. Sophiæ cœlestibus dedita disciplinis, in Dei justificationibus assiduè se exercens, quæ sibi Martyrem Mercurium servat, ipsa sibi studet Martyrem complacere* (2).

Acceptissimum autem sibi ejusmodi cultum Mercurius demonstravit, qui vicissim tum Corporis, tum Patrocinii sui præsentiam assiduis beneficiis comprobavit: qua in re, ut alia plura nunc præteream, luculentum illud proferre exemplum libet, quod laudatus nobis superius, ac persæpe alibi laudandus Desiderius Abbas Casinensis, qui & S. Victor PP. III. posterorum memoriæ commendandum præcipuè duxit. „ In eadem enim Urbe Benevento „ (inquit Dialogor. lib. III.) Monasterium est, quod S. Sophiæ dicitur, in quo quidem „ à pueritia sanctæ conversationis, & magnæ humilitatis Monachus fuit, qui infra annos ado- „ lescentiæ nimio languore præventus ad extrema perductus est. Ad cujus exitum con- „ gregati Fratres, hymnis, & psalmis Deo cœperunt ejus animam commendare, Sancto- „ rumque cœtus in ejus auxilium invocare: qui crescente labore defunctus est. Sed cum „ ad lavandum ejus Corpus aqua præparatur, per unam ferè horam exanimis jacuit: cum- „ que qui aderant orationi, & psalmodiæ insisterent, subito Corpus ejus omne contre- „ muit, & paulatim reviviscens, cunctis mirantibus in lectulo consedit: Dein interroga- „ tus, cœpit illis, quæ egressus de corpore viderat, referre, dicens: Cum anima mea, „ vobis Litanias canentibus, de corpore egrederetur, mox ad preces vestras, Sancti, quos „ invocastis, meum in auxilium advenerunt: cumque illi ab eo requirerent, si illos, quos „ nunquam viderat, cognoscere potuisset, respondit: S Benedictum, & S. Gregorium co- „ gnovi, B. Donatum, & Felicem cum reliquis, qui in hac Ecclesia requiescunt; inter „ quos *B. Mercurius Patronus noster, velut splendidum Sidus, rutilans videbatur*: quem cum „ interrogassent utrum nam in hac vita esset moraturus? minimè, inquit, nam B. Mer- „ curius hodie se ad me assumendum venire spopondit; Quæ, ut dixerat, vera fuisse rei „ exitus comprobavit „. Quod autem Religioso huic Viro S. Mercurius beneficiorum omnium maximum præstitit, præstituros se quoque SS. XII. Fratres Principi Arichi, qui eorum, ejusdemque Mercurii Corpora in eadem Ecclesia recondidit, ei (uti superius diximus)

(1) Discrepat noster Falco in assignando ejus Dedicationis die à Chronicis Sophianis superius relatis, nam is ad XIV. illa ad XVI. Kal. Sept. referunt: mendum itaque in alterutro exemplari agnosci debet, quod facilius in Exemplari Giovardiano occurrere potuit. Dixi superius, difficilè reperiri veteris illius Ritus monumenta, quæ anniversariæ Altarium Dedicationes celebrarentur: obtinuisse antiquitus ex S. Augustini *Serm.* 252, & 255 *de Tempore* probatum sibi credit Gavantus *in Rubr. Mis. part.* IV. *tit.* 17. *num.* 12. Verum id non clarè Augustini verbis indicatum observat Guyetus Heortolog. lib. I. cap. 3. quest. 12., additque celebrandam quidem in ipsa Altaris Dedicatione propriam Missam, id autem eodem recurrente quotannis die, non licere, *tum quia* (inquit) *nullibi præscribitur, aut permittitur Festum Dedicationis Altaris, tum quia comprehenditur in Dedicatione ipsiusmet Ecclesiæ*. Adde nunc, præfatos Sermones falsò Augustino tributos, ac proinde ab eruditis Editoribus Benedictinis in *Appendicem* rejectos num. 129. 130. & 131. tom. V. opp. part. II. pag. 375. edit. Ven. 1731. Sed quicumque Auctor sit, antiquus sane, hunc titulum inscripsit: *In Dedicatione Ecclesiæ, vel Altaris Consecratione*: idemque si non clarè, non obscurè tamen de anniversaria potius, quam de ipsomet Dedicationis, Consecrationisque die loqui videtur; nam in 129. sic orditur. *Quotiescumque Fratres Charissimi Altaris, vel Templi Festivitatem colimus &c.* Quicquid vero ex hisce Sermonibus ad eam rem probandam argumenti excipi queat; nihil deinceps nobis de ejusmodi antiquo anniversariæ Altaris Dedicationis celebrandæ Ritu dubitandum amplius erit, quem olim servatum, atque ad Seculum usque XIV. in Sophiana Ecclesia perstitisse, non solum supradicta ejus Chronica docent, verum etiam Falco noster luculentissimè testatur. In antiquo Sæculi XIII. Martyrologio, in nostra Bibliotheca asservato. ad diem XIV. Februarii hæc in fine leguntur: *Ipso die Dedicatio Altaris beatorum Apostolorum Petri, & Pauli antiquæ Ecclesiæ*.

(2) Ex Actis Translationis S. Mercurii à d. Giovardo editis pag. 55.; quibus Actis in Lectiones XII. juxta Monasticum recitandæ Divinæ Psalmodiæ, seu Officii Ritum, distinctis, Sophiani olim Benedictini utebantur. Verba autem superius relata ex postremæ Lectionis fine descripta sunt.

mus) apparentes ſpoponderunt, promiſſaque ſua erga piiſſimum Principem ſuo tempore impleſſe, veri quidem ſimile, pium certè eſt, ut credamus.

Quam multiplex enim, atque undequaque ſingularis, vel in eo uno Opere ad Divinæ Sapientiæ honorem excitando, perficiendoque Arichis eluxerit Pietas, ex iis, quæ hactenus ediſſeruimus, manifeſtum fit. Quod ſi, quæ talis, tantique Operis fuerint fata, nunc quæris, breviter, ac penè invitus exponam: De præſenti Ædificiorum ſtatu, quæ obſervanda ſuperſunt, à me dicta jam tenes: Quod ad *Puellarum*, ſive Sanctimonialium *Xenodochium*, ſive Monaſterium attinet, nulla ejus habemus veſtigia; tempus etiam, cauſſamque ignoramus, quibus evanuit: Ad medium Sæculum x. Sanctimoniales Sophianas permanſiſſe credit Cl. Gattula tom. 1. pag. 51., conjecturam ſibi faciens ex binis Privilegiis Paldulfi, & Landolfi Beneventanorum Principum anni 961.; in queis *Abbas* S. Sophiæ Azzo memoratur; nam antea *Præpoſitus* loco conſtituebatur: At non tanti ea conjectura eſt, ut non ad ſeriorem ætatem Sanctimoniales perveniſſe potuerint; dum nil repugnat, & Abbatem Monachis conſtitutum, & Sanctimoniales priſtino loco conſtitiſſe. Longiori tempore Monachi perſtitere, Benedictini ipſi quidem, ſed à Caſinenſium ſubjectione, ſivè regimine ſegregati. S. Sophiæ Monaſterium Princeps Arichis Caſinenſi ſubditum ſtatuit: Succeſſores Principes exemptum volvere: ac mirum eſt, quantâ contentione Caſinates ſub Gregorio VII., Urbano III., Paſchale II. ſibi reſtituendum ſategerint, uti ex Chronico Oſtienſis, Regeſto Petri Diaconi, aliiſque monumentis idem Gattula oſtendit l. l.: Sed fruſtra id fuit: Adeſt apud eundem Gattula Epiſtola Beneventanorum Conſulum ad Præſidem Caſinatem ſcripta anno 1575., qua, vice præſentium Benedictinorum, iterum Caſſinates invehendos efflagitant. Præſagii veluti loco Epiſtola fuit, brevi Sophianum Cœnobium aliis, quàm Benedictinis ceſſurum: nam paullopoſt, anno nempe 1590. Pontifex Clem. VIII. in Benedictinorum locum Canonicos Regulares SS. Salvatoris, etiamnum incolentes ſuffecit (1): atque ubi olim frequentiſſima Monachorum Familia (quorum *quinquagenos*, Abbatem electuros anno 1120. Falco noſter ſuperiùs recenſebat) Divinis mancipata obſequiis florebat, hodie vix duo, treſve loci cuſtodes habentur. Vetuſta Monachorum Bibliotheca, quam hodie Archivum vocant, paucos, ac nullius monumenti MS. Codices ſuperſtites habet, vetuſtioribus, atque inſignioribus aliis partim ſubreptis, partim in Vaticanam Bibliothecam inlatis (2). Ipſa quoque Eccleſia magnâ Sacrarum Reliquiarum parte ſpoliata; quæ ad Monaſterium Montis Virginis translatæ, illius loci Religionem hodie augeſcunt. Abbatia denique à Calliſto III. Roderico Borgiæ commendari cœpta, ampliſſimi Ordinis Viros, habere ſolet Abbates *Commendatarios*; quippe quæ (uti diximus) annuorum ducatorum ſeptem millium circiter reditu dives, ſuo quoque pleriſque in Oppidis Territorio gaudens, aliiſque juribus, privilegiiſque ſatis decorata, ſolùm de præſenti rerum ſuarum ſtatu, ſi cum veteri magnitudine comparentur, dolere poſſit.

At licet præſens, mihi pro Operis ratione indicandus rerum ſtatus, plurimum à priſtina felicitate deciderit, nihil tamen Longobardicæ Religionis meritis, laudibuſque detrahere debebit; quandoquidem illa certè pro ſuæ ætatis ſpatiis, ſuaque florente Rep., ac Imperio vigente, præclara omnia, atque eximia, quæ in medium proferremus, uberrimè nobis ſuppeditavit: Immo, ex illatis ab eodem Principe Arichi in ſuam S. Sophiæ Eccleſiam, & Mercurii, & XII. Fratrum, & aliorum Sanctorum Lypſanis, quod nonniſi obiter ſuperiùs attigimus, illud jam pro ſervanda nobiliorum rerum ſerie, opportunè nobis præſtat, ac ad novi argumenti tractationem viam veluti ſtraviſſe videtur, ut non ſolum in Sacris Ædibus condendis, ditandis, condecorandis, quod hactenus egimus; verum etiam in conquirendis, honorandiſque Sanctorum Reliquiis Religioſiſſimos ſeſe probaſſe Longobardos ſequenti Capite demonſtremus.

CAPUT

(1) Hiſt. Tripart. Ord. Can. Regul. lib. II. cap. 39. §. 4. Mar. Vipera Chronol. Ep. Ben. pag. 170.

(2) De vetuſtis MS. Codicibus, quæ in Monaſterii Sophiani Bibliotheca ſervabantur, hæc Marius Vipera habet in Catal. SS. Benev. ubi de S. Benigno Martyre, atque Archidiacono Beneventano agit pag. 87. *Qui Codex* (ubi ejus Martyris Acta legebantur) *non Beneventi in prædicta Eccleſia, ſed Romæ in Bibliotheca Vaticana aſſervatur ea occaſione, annis non longè decurſis, cum Aſcanius Cardinalis Columna Eccleſiæ S. Sophiæ Commendatarius illum cum quibuſdam aliis Codicibus MS. antiquis ex eodem Archivio extractis Romam aſportandos curaſſet, ipſo mortuo, in poſſe Ducis de Altemps devenerunt, eoque de medio ſublato Paulus V. Pont. Max. de eis notitiam habens, ne interirent, in Bibliotheca Vaticana ſervandos invexit. Quod ad futuram rei memoriam hic adnotare curavimus*. Atque utinam reliquorum Codicum, quorum ſatis locuples Sophianum Archivum erat, eadem fuiſſent fata. Nam ex Codice illo, Acta S. Mercurii, aliaque plura complectente, quem Cl. Giovardus nactum in lucem edidit, de aliis pluribus facile judicabis, vel prædationem, vel extremam Cladem tuliſſe. Videſis ejuſdem Giovardi Præfationem generalem.

## CAPUT VI.

### *De Longobardorum erga Sanctos, eorumque Reliquias veneratione.*

In conquirendis, honorandisque Sanctorum Reliquiis solicitiores aliis Longobardi, quorum pium ejusmodi studium à criminationibus vindicatur: Tum ea de re, tum etiam peculiari cultu, quem S. Petro, Romanisque Pontificibus impendere satagebant, optimè de Christiana Religione, Apostolicaq; Sede promeriti demonstrantur.

PRæclaro huic Longobardicæ Religionis argumento quædam veluti fundamenta ab piissimo Principe Arichi jacta superiore Capite sunt: quandoquidem nobilissimam, quam ipse condidit, S. Sophiæ Ecclesiam, non spectabili tantùm ædificiorum magnificentia, non ingentibus duntaxat opibus, non adjectis demum duorum utriusque sexus Monasteriorum obsequiis decorasse contentus, in id quoque ardentiori fortasse studio incubuisse visus fuit, ut Sacris Reliquiis undique comparatis, illùcque invectis, ejusmodi cœlestem Thesaurum ibidem reconderet, quo nil loucupletius, splendidiusque, nihil etiam eo loco religiosius optari posset. Si Ostiensis verba superiore Capite recitata attentiùs perpendamus, præter SS. Martyrum XII. Fratrum, præterque Mercurii, de quo jam uberrimè egimus, *alias tam Martyrum, quàm Confessorum numero triginta & unum* (itaut quatuor supra quadraginta numerandi videantur) *Sancta Corpora ex diversis Italiæ partibus per tempora diversa adeptus, ibidem nihilominus attulisse, & per diversa Altaria in circuitu majoris Altaris satis reverenter locasse*, Arichis dicendus est: Esto verò priora Corpora speciatim memorata, sequenti Corporum numero accensenda existimentur, quantum Sacris Lypsanis præstantissimam judicabimus eam Ecclesiam, quæ unum supra triginta Sanctorum Pignora numeraret; quantum etiam is numerus eximiam Arichis pietatem commendabit.

Sed non ita serò nostrorum Longobardorum Religio ea in re enitere cœpit. Arichi II. Principi jamdiù præiverat Dux Arichis I., cujus precibus SS. Pontifex Gregorius Magnus Corpus S. Modesti Levitæ, & Martyris ex Urbe Beneventum transferendum concessit Anno DXCI. Quod quidem Corpus ab Episcopo cum Clero, ab ipso Duce cum sua militia, universoque Populo, ingenti lætitiæ, gloriæque apparatu receptum, primùm in Ecclesia S. Mariæ ad Olivolam, deinde in novam adjacentem Basilicam à nobilissima Beneventana Fœmina Doda-Parda eidem S. Martyri dedicatam inlatum fuit Anno DCXLIX. (1). Hoc fortasse illud *Xenium* fuerit, quod dicto Duci Arichi Gregorius promiserat, ut pro trabibus ad instaurandas SS. Petri, & Pauli Ecclesias ex Brutiorum partibus transvehendis gratiam referret (2). Non tale quidem *Xenium* Pontifex promisit; id tamen ab eo impetrandum præclara Arichis pietas existimavit, ejus nempe Sacri Corporis munus; ut videas, quàm subitò Longobardorum animis primævus Cupiditatis ardor deferbuerit, qui talibus locupletare Thesauris maluisse probantur.

Antea verò quàm instituto itineri gradum faciam, submovendum mihi impedimentum video, diluendam maculam, quæ ex propositi argumenti occasione Longobardicæ Religioni infixa aliquando fuit. Scio enim, Summum Pontificem S. Paulum I. non Longobardorum Religioni, ac pietati, sed sacrilego quidem facinori olim tribuisse, quod Romana Cœmeteria, ablatis Martyrum Corporibus, depopulati fuerint; qua re illud inquit consequutum, ut religisissima illa loca, diuturno trium Sæculorum spatio perpetuis priorum Fidelium orationibus, assidua Sacrorum Mysteriorum celebratione, innumeris Martyrum sepulturis consecrata, non modo venerationem omnem amiserint, sed in profanos etiam sordidosq; usus redacta fuerint.

*Igitur*

(1) Videsis Marium Viperam in Catal. Sanctor. Benev. part. I. ad 2. Octob. pag. 64.

(2) Lib. XII. epist. XXI. al XIV. Facilius autem fuit id Sacrum Munus Arichim ab Gregorio impetrasse, cui in Legatione Constantinopolitana Benevento transeunti jam perspecta fuerat ejusdem Ecclesiæ, Monasteriique, ubi hospitio receptus fuit, religio; quemadmodum capite I. dictum est. Certè hanc Translationem omnino veram admittunt, ac probant eruditi PP. S. Mauri Gregorianorum Operum editores, qui in Notis ad Epistolam XXX. libri IV. Linianum Beneventanum Episcopum interfuisse ajunt *solemni Translationi Corporis Beatissimi Levitæ Modesti Martiris ex Urbe Beneventum die 3. Julii an. 591. ex concessione Magni Gregorii ad preces Arichis piissimi Beneventani Ducis, à Monachis S. Mariæ ad Olivolam extra Civitatem positis, quod ab Episcopo cum Clero, Duce, universoque Populo honorificè receptum, in ipsa Ecclesia collocatum, donec ipsa Basilica in ejus honorem dedicata esset.*

*Igitur* ( sic laudatus Pontifex ) *cum per evoluta annorum spatia diversa Sanctorum Christi Martyrum, & Confessorum ejus foras muros hujus Romanæ Urbis sita Coemeteria neglecta antiquitùs satis manerent dirutam, contigit postmodum ab impia Longobardarum Gentium impugnatione funditùs esse demolita. Qui etiam, & aliquanta ipsorum effodientes Martyrum Sepulcra, & impiè devastantes quorundam Sanctorum secum depopulata auferentes deportaverunt Corpora: & ex eo tempore omninò dessidiosè, atque negligenter eis debitus venerationis exhibebatur honor: Nam (& quod dictu nefas est) etiam & diversa animalia in aliquantis ejusdem Sanctorum Coemeteriis aditum habebant, & illic eorum existebant septa bovilia, in quibus foetoris egerebant squallorem &c.*; Atque hæc quidem Card. Baronius ad ea plura congessit, recitavitque, quæ ad Annum DLXXII. adversus Longobardos studiosè collegit, ut ejus Gentis, quæ jam tumprimum Italiam occuparat, barbaros, impiosque mores demonstraret. At hæc ipsa duorum ferè Sæculorum intervallo ab Longobardorum adventu distabant; Paulus enim I. qui ea de re Longobardos caussabatur, non ante annum DCCLVII. in Romana Cathedra sedere cœpit, neque alium certè cogitare potuit, quàm regem Aistulphum biennio ante defunctum. Aistulphum sugillat Anastasius in vita Stephani III. tum ex aliis damnis Romanæ Urbi illatis, tum ex eo criminatus, *quod multa Corpora Sanctorum effodiens, eorum Sacra Mysteria ad magnum animæ detrimentum abstulerit*. Neque id de Aistulpo tacuit, ejus licet nominis aliquantum studiosus Anonymus Salernitanus, qui eundem *ablata multa Sanctorum Corpora ex Romanis finibus in Papiam detulisse* testatur. Non ego ex hoc Scriptore unius Aistulphi (1), sed, quod ad præsentem rem attinet, communem Longobardorum caussam tuendam suscipio.

Ac primum non id mirum videri debet, si ea Sanctorum Corporum ablatio Longobardorum crimini potius, quam Religioni olim verteretur. Ecclesiastica tunc vigebat Disciplina, quas Sanctorum Reliquias loco suo movere, atque aliò transferre piaculi loco habebatur. Laudati Gregorii Magni tum testimonium, tum auctoritas in promptu est, qui Constantinæ Augustæ Caput S. Pauli Apostoli, quod in recenti Ecclesia in ejus honorem ædificata reconderet, efflagitanti sic rescribit: *In Romanis, vel totius Occidentis partibus omninò intolerabile est, atque sacrilegum, si Sanctorum Corpora tangere quisquam fortasse voluerit: Quod si præsumserit, certum est, quia hæc temeritas nullo modo impunita remanebit, Pro qua re de Græcorum consuetudine, qui Ossa levare Sanctorum se asserunt, vehementer miramur, & vix credimus &c.* (2). Sed neque id apud Græcos impune olim fuisse dicendum est, vetante Imp. Theodosii Lege, in qua hæc sancita adhuc legimus: *Humatum Corpus nemo ad alterum locum transferat, nemo Martyrem distrahat, nemo mercetur. Habeant vero in potestate, si quolibet in loco Sanctorum est aliquis conditus, pro ejus veneratione, quod Martyrium vocandum sit, addant quod voluerint fabricarum* (3). Qua ex Lege illud etiam discimus, non solum debitam Sanctorum Lypsanis reverentiam in caussa fuisse, ne tangerentur, neve locis suis amoverentur, verum etiam ne amota semel, ac passim asportari cœpta, avaritiæ potiùs,quam Religioni occasionem præberent. Et sane non defuisse Pseudomonachos S. Augustinus querebatur, qui *circumeuntes Provincias, Membra Martyrum, si tamen Martyrum Membra venditare* consuebant (4).

Non isthæc tamen Disciplina constans omnino fuit: En tibi in alterutram partem ex Galliis exempla. In Gestis Dagoberti Regis, Chlodoveus, qui anno DCXL. apud Francos regnavit, *brachium S. Dionisii Martyris abscidiße instigante diabolo* dicitur, & *per idem tempus concidisse Regnum, Francorum casibus pestiferis* (5). Contrâ vero Caroli M. pietati vertebatur, quod Sanctorum Reliquias in Castra, & exercitus secum duceret; quemadmodum superiore Capite observavimus: adde nunc, illum quoque Galliæ Regibus morem solemni quodam ritu receptum, ut eorum jussu Sanctorum Reliquiæ in Provincias circumferrentur, ad quas ejus fidei,

(1) Anonymus quidem Salernitanus Regis Aistulphi vitia non dissimulavit, ac præsertim assiduas ejus in Pontificiam Ditionem invasiones: quæ tamen omnia, quum ad ipsius obitum pervenisset, hoc elogio temperanda sibi duxit. *Aistulphus Rex, de quo præmisimus regnavit annos* VII. *menses* V. *Fuit audax, & ferox; & ablata multa Sanctorum Corpora ex Romanis finibus in Papiam detulit. Construxit eorum Oracula, ubi & Monasterium Virginum, & suas filias dedicavit. Idemque etiam fecit Monasterium in finibus Æmiliæ, ubi dicitur Mutina, loco qui nuncupatur Nonantula, nam pro ejus cognato Abbate Arsenio ibi Virorum Coenobium fundatum est; nec non sibi ad Sacra Monachorum Coenobia per certas Provincias multa est dona largitus: Sed valde dilexit Monachos, & in eorum est mortuus manibus.* Cap. VII. Chronici inter opp. Cam. Peregr. edit. Neapol. tom. II. pag. 49.

(2) Lib. IV. Epist. XXX.

(3) Leg. ult. Cod. Theodos. tit. de Sepulchr. violat. data III. Kal. Martii Constantinopoli Honorio NB. P. (i. e. Nobilissimo Puero) & Evodio Coss.: i. e. anno CCCLXXXVI.

(4) S. August. De Opere Monachor. cap. CIII.

(5) Lib. de Gestis Dagoberti cap. LII. apud Mabillon. Præfat. Sæculi II. Bened. num. 42.

fidei, quæ Regi, ejuſque Filio deberetur, Sacramenta à Subditis Populis præſtarentur: Extat de hac re Marculphi Formula, cujus verba ſubjicimus: *Per loca, Sanctorum vel Pignora, quæ illùc pro eodem direximus, debeant promittere, & conjurare* (1).

Variatum igitur ab veteri diſcplina non ſolum pro temporis diverſitate, ſed eodem etiam tempore atque ab iiſdem perſonis eſt, quando juſta ratio ſuccurrere probaretur; ſi enim nulla ſubeſſet *mercandi*, ut Theodoſiana Lex loquitur, nulla inquam nundinationis ſuſpicio, nullam ſortilegiorum, vel ſacrilegi contemptus periculum, ſed ex Reliquiarum tranſlatione, vel largitione, ipſarum honos vel reſtituendus, vel augendus curaretur, non id amplius nefas, ſed Religionis loco putabatur. Præſtat illorum ſummorum Virorum, a quibus Reliquiarum tranſlationes tantoperè prohibitas paulò antea memoravimus, Auguſti ſcilicet Theodoſii, ac Pontificis Gregorii exemplis rem omnem conficere: Ac prior quidem, qui latâ Lege violati Sepulcri reos edixerat, qui Martyrum Corpora transferrent, diſtraherentve, eandem ipſe rem admiſiſſe probatur; nam *ſub ipſius Magni Theodoſii imperio Reliquias Sanctorum Martyrum Terentii, & Aphricani in Martyrium S. Euphemiæ in Petram* x. *Kal. Octobris depoſitas* teſtatur Sæculi VI. Scriptor Theodorus Lector; qua in re & deceſſorum exempla ſequutum, & Succeſſoribus Theodoſium præbuiſſe idem Scriptor oſtendit (2). Poſterior verò Magnus item Gregorius, qui rem *intolerabilem*, *Sacrilegam*, *divinaque ultione dignam* ad Conſtantinam Auguſtam ajebat, verbis factiſque ipſe aliquando comprobavit: nam eundem è Legatione Conſtantinopolitana magnis muneribus, nimirum Sanctiſſimis Reliquiis, ideſt brachio S. Andreæ Apoſtoli, & Capite S. Lucæ ditatum rediiſſe, eaque Sacra Pignora ab Imperatore impetrata, in ſuo Romano Monaſterio collocaſſe, refert Baronius (3): Alias præterea & ipſum inſignes Reliquias vel largitum fuiſſe, vel transferendas indulſiſſe non unum, quod ſuperius obſervavimus, S. Modeſti Corpus Beneventanis conceſſum docet, ſed plura paſſim exempla confirmare poſſent (4); quorum unum non aliorum fide, ſed ipſius Gregorii verbis recitare ſatis fuerit: Ad Petrum ſiquidem Campaniæ Subdiaconum ſcribens, *quia Eccleſiam* (inquit) *quam ſuperſtitio diu Ariana detinuit, in honorem S. Severini cupimus conſecrare, Experientia tua Reliquias B. Severini ſummopere debita cum veneratione tranſmittat* (5).

Patet

(1) Marculphus in Formul. lib. VII. cap. IV. Vid. Thomaſſin. Vet. Diſc. part. I. lib. II. cap. CIX. num. 2

(2) Collectaneorum lib. II. in Bibl. Patr. edit. Lugd. tom. XXVI. pag. 89. uti etiam meminit à Conſtantino Conſtantini Magni filio *ſanctas Reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei Conſtantinopolim* fuiſſe translatas (quod & à S. Hieronymo in lib. contra Vigilantium affirmatum legimus); præterea ab Arcadio Magni Theodoſii filio *S. Samuelis Prophetæ* Reliquias in eandem Urbem allatas: ab juniore Theodoſio dicti Arcadii filio Reliquias *S. Stephani, Laurentii, & Agnetis*, ac demum *S. Joannis Chriſoſtomi* in præfatam Regiam Urbem tranſvectas, Theodorus ibidem ſubdit. Ex Sozomeno lib. IX. cap. 2. habetur, Pulcheriam Auguſtam SS. XL. Martyrum Reliquias è ruderibus eduxiſſe, quod Nicephorus quoque Calliſtus tradit lib. XIV. cap. X. alias etiam plurium Sanctorum Reliquias translatas commemorans ejuſdem libri capp. 9. 10. & 11. Atque hæc quidem in Oriente: Haud ſecus in Occidente res ſe habuit. S. Amboſium Mediolanenſem Epiſcopum SS. Gervaſii, & Protaſii Reliquias è veteri in novum tranſtuliſſe locum; Perpetuum Turonicum S. Martini; Gregorium Lingonicum S. Benigni Martyris; Palladium Santonicum S. Eutropii Epiſcopi; Ebregiſilum Agrippinenſem Sancti Malloſi Martyris; Monulfum Trajectenſem S. Arvatii; Germanum Pariſienſem S. Urſini Biturigenſis corpora è tumulis ſuſtuliſſe, locoque decentiore recondidiſſe narrat S. Gregorius Turonenſis De Glor. Mart. lib. I. capp. 51. 56. & 63. De Glor. Confeſ. cap. 72. & 80.

(3) Ad annum DLXXXVI. num. XXIV. Quod & ab eruditis Benedictinis S. Mauri animadverſum fuit in ejuſd. Gregorii Vita, quam ſtudioſiùs elaborarunt lib. I. cap. V. num. 13. tom. IV. opp. pag. 213.

(4) Quæ collegerunt Cl. Editores Benedictini in notis ad d. epiſt. XXX. lib. IV.

(5) Lib. III. epiſt. XIX. Rurſus ejuſdem S. Severini Reliquias, Venantio, ut in Oratorio in illius honorem propriis ſumptibus ædificato conderet, concedendas, idem Gregorius mandat Paſchaſio Epiſcopo Neapolitano lib. XI. epiſt. XXXI. Quas autem ejuſdem Sancti Reliquias ſibi à Petro Subdiacono tranſmittendas Gregorius priore Epiſtola petit, nonniſi pro ea Eccleſia, quæ Romæ eſſet, ab ipſo Pontifice catholico ritu conſecranda, tranſmiſſas exiſtimamus. Verum quidem eſt, ex hiſce Reliquiarum translationibus pluribus malis occaſionem fuiſſe factam: hinc paſſim Piorum Virorum querelæ: Audi Guibertum Abbatem (qui an. 1101. floruit, pluraque ſcripſit edita à Cl. Luca Dacherio Pariſ. an. 1651.) De Pignoribus Sanctorum lib. I. cap. IV. *Certè ſi Sanctorum Corpora ſua juxta naturæ debitum loca, ideſt ſepulcra ſervaſſent, hujuſmodi quos recenſui errores* (nimirum SS. Reliquiarum nundinationes, ac falſificationes) *ceſſaſſent. Per hoc enim, quod è tumulis eruuntur, membratim huc illucque feruntur; & cum pietatis obtutu occaſio circumlationis extiterit, ad hoc ſubeunte nequitia detorqueri coepta eſt intentionis rectitudo, ut penè quæ ſimpliciter fieri conſueverant, corrumperet univerſa cupido..... Dicat quiſque quod ſentit: ſecurus planè ego inferam, non Deo, non Sanctis ipſis unquam fuiſſe placitum, ut eorum cujuſpiam debeat reſerari ſepulcrum, aut dirimi per fruſta corpuſculum.* Neſcio an huc pertineat, aut probari illud poſſit, quod à Petro Abbate Cellenſi admiſſum ſcimus ex ejus *epiſt. 18. lib. I. & ep. 3. lib. IV.* Circumferri enim per omnes Provincias fecit Reliquias B. Aigulſi, cujus Eccleſia incenſa fuerat, ut Sanctus ipſe mendicaret quodammodo ſtipem idoneam, qua Eccleſia inſtauraretur. In Concilio Pariſienſi anni 1212. prohibitum eſt Quæſtores, aut Concionatores admitti, *ſive Reliquias* portent, ſive ſine his accedant, niſi ex juxta cauſa, & cum literis Diœceſani, uti à Cl. Thomaſſino obſervatum eſt part. III. lib. II. cap. 74. n. 6. & 7. Inſignis Nebulonis à S. Gregorio Turonenſi memorati

Patet itaque ratio, cur Sanctorum Corpora à Rege Aiſtulfo *ad magnum ejus animæ detrimentum* ablata dixerit Anaſtaſius, cur etiam eadem de re Pontifex Paulus in Longobardos vehementiùs inveheretur: Sacrilegum, priſtino more, diſciplinâque, admiſſum facinus Uterque rebatur, ſi ſolum ea Corpora tangerentur; quantò magis quum eadem loculis ſuis amota, aliòque tranſlata fuerint; maximè verò quum Hoſti invadenti, quaſi profanæ prædæ loco ceſſiſſe exiſtimarentur. At ſi rem omnem circumſpicere libeat, nihil eſt, quod Longobardis jure exprobrandum videbatur; omnis verò querelarum ſumma adverſus Romanos convertenda erat: Nam ſi ablatis corporibus ablatus quoque honos Cœmeteriis fuit, addita quoque (ut inquit Pontifex) Cœmeteriis injuria, Romanorum tantùm hoc vitium fuit, qui & in Cœmeteriis Sanctorum adhuc Corpora ſupereſſe noſſent, & quamvis ablata univerſa eſſent, ſuam adhuc Cœmeteriis manere Religionem ſciebant. Quid verò Romani ejuſmodi loca venerari per eam tempeſtatem pergerent, quos idem Pontifex ex eo præcipuè, ac ſpeciatim redarguit, quod multò ante Aiſtulfi adventum, Sanctorum Corporibus nondum ablatis, Cœmeteria ipſa *neglecta antiquitùs ſatis manerent diruta*? Si dicere fas ſit; nullum Longobardorum Crimen, ſed Divina magis Providentia ea in re agnoſcenda erit; ut quæ ſcilicet infeliciſſimis illis temporibus apud Romanos (ipſo teſte Pontefice) Sanctorum Corpora, Cœmeteriaque neglectui, atque contemptui eſſe cœperant, ad Longobardos tranſirent, quorum operâ debitus illis honor, ac reverentia inſtauraretur. Res quidem ipſa vociferatur; nam quæ in Sanctorum Corporibus auferendis Aiſtulfi mens, quod fuerit conſilium, rei ipſius exitus ſatis luculenter demonſtravit, ſatiſque idoneo Anonymi teſtimonio ſuffultis tutiſſimè nunc affirmamus, iterumque proferimus. *Ablata multa Sanctorum Corpora ex Romanis finibus in Papiam* Aiſtulfus quidem detulit; *at verò conſtruxit eorum Oracula*; neque his contentus in iiſdem Oraculis *& Monaſterium Virginum, & ſuas Filias dedicavit*.

Sinamus itaque Longobardis, ut ejuſmodi facinora patrare pergant. Religionis emolumenta illa ſunt; dum Martyrum, ſeu Sacrarum Reliquiarum tranſlationes in eorum inſtaurandam, aut amplificandam memoriam, venerationemque vertuntur. Id egit Aiſtulfus; id certè (ut ad noſtra revertamur) Beneventani Principis Arichis exemplo ſuperiùs probatum fuit; cujus etiam Religionem latiùs erga eaſdem Reliquias ſeſe effudiſſe nunc erit inſpiciendum: Nam non ſolum, quas ingenti numero domum transferre ſtuduit, & pientiſſime ipſe colere, & publicum illis cultum maximopere comparare ſategit; ſed quæ alibi Sacra Lypſana celebrari noſſet, licet abſens, ſplendidiſſimis tum pietatis, tum liberalitatis officiis honoranda ſibi duxit. Qualem is erga S. Januarium Martyrem, cujus Corpus apud Neapolitanos tunc temporis quieſcebat, ſe præſtiterit, Neapolitanus vetuſtus, ac ſuppar penè Scriptor Johannes Diaconus non ſolum poſterorum memoriæ, Beneventorumque gloriæ non invidit, ſed fide optima, diſtinctaque narratione recenſuit; nam dum Neapolitani Epiſcopi Stephani tempora, ac geſta proſequitur, *ſub eodem* (inquit) *Antiſtite Arichis Beneventanus Princeps, inter multa alia, obtulit in Eccleſia S. Januarii, per Præcepti Seriem, locum qui Planuria nominatur, cum omnibus rebus, & ſuper Altare ipſius Eccleſiæ pretioſiſſimum cooperuit Mantum* (1).

Atque hæc quidem Arichis religioſa munificentia, hic, inquam, Beneventanorum erga S. Januarium cultus tum etiam fervebat, quum illius Corpus apud Neapolim ſervabatur. Non loci diſtantia, non Territorii diverſitas, non veteres utriuſque gentis Simultates

ALTER    P

rati lib. IX. cap. 6. qui falſas Reliquias per Calliam circumferens, tandem Pariſiis detectus pœnam luit, meminere quoque laudati Patres S. Mauri ad d. Gregorianam Epiſt. XXX. lib. IV. atque *utinam* (ſubdunt) *ſimilia non vidiſſet ætas noſtra; & Epiſcopi de tollendis tam nefandis Reliquiarum abuſibus tandem aliquando, ſerò quidem, ſed ſeriò cogitarent*. Quid verò ſi nequiſſimorum hominum improbitas, vigilantiam (quæ major deſiderari hodie nequeat) eluſerit? Cæterum etſi multa ex Reliquiarum translationibus ſuborta mala probentur, ſanctiſſimorum tamen, ſapientiſſimorumque Virorum, omnium ætatum auctoritate exemploque ratum id eſſe debet, fas aliquando, plerumque etiam opus eſſe, rem ipſam permittere; quod vel prætermiſſum inſtauret, aut ampliorem Sanctis honorem conciliare, Fidelium quoque pietatem vel excitare, vel fovere noſcatur.

(1) In Chron. Epiſc. Neapol. inter Scriptor. Ital. Muratorii tom. I. part. II. pag. 311. Mantum hocce cooperiendo S. Januarii Altari ab Arichi tranſmiſſum, ex *pretioſiſſimi* epitheto rectè exiſtimabimus non aliud fuiſſe, quam quo is pro Regiis ſui Principatus inſignibus paullòante ſibi aſſumptis uteretur. Id à piis Regibus præſtari conſuetum: Sic Rex Liutprandus (ut à Longobardica Hiſtoria non diſcedamus) Romæ præſens, *quæ fuerat indutus exuit, & ante Corpus Apoſtoli poſuit, Mantum, Armilauſiam, Baltheum, Spatham, atque enſem deauratum, necnon Coronam auream*: quemadmodum in Gregorio II. refert Anaſtaſius. Sed de *Corona aurea* idem à Principe Sicone eidem S. Januario præſtitum mox audiemus. Interim illud animadvertere licet, *Mantum* (de qua voce plurimis Cangius, non Regum modo, verum Pontificum quoque præcipuam olim, per quam inveſtituram acciperent, veſtem fuiſſe demonſtrans) ſive *Pallium*, ſive Aulæa Veteres dixerunt, quibus cooperiri ſimulque ornari Altaria conſueviſſe, luculenter oſtendit Cardinalis Bona R. L. l. I. c. XIV. n. XIII.

tates Januarii Epiſcopi olim, ſimulque Civis ſui oblivioſos Beneventanos efficere potuerunt; quin inſignibus ejuſmodi muneribus, *inter multa alia* collatis, Princeps religioſiſſimus & ſuam, & ſuorum Civium obſervantiam teſtatam voluit. Quantùm vero in Januario colendo ferventiores dehinc Beneventanos intueri licebit, qui ejus Corpore tandem potiti, reducem ad patrios lares Civem, iterumque in propria Sede, ac in media Plebe ſua quieſcentem Paſtorem habere lætarentur? Quibus lætitiæ, plauſuſque ſignificationibus, quo ſacræ pompæ apparatu, quâ ſacræ ædis magnificentia Corpus translatum, receptum, locatum fuerit, ex vetuſtis ejuſdem Translationis Actis audire jucundum erit: „ Omnes Cleri cum „ Reverendiſſimo Gutti Præſule inter denſiſſima agmina cum hymnis, & lampadibus Sa„ cra Oſſa ferebant: Sed Clericorum voces diſcerni non poterant propter agminum clan„ gorem; ſuum namque Patrem ſe recepiſſe gaudebant... Princeps verò eximius tantæ „ lætitiæ copulatus eſt, quàm ſi Urbem illam (*Neapolim*) ſuæ ſubdiderit ditioni; læta„ turque quod *Patrem* ſibi, ſuiſque reduceret, quem nullus potuit præcedentium Princi„ pum revocare... Fama verò jam Martyris Beneventanam Urbem invaſerat; unde omnis „ Urbs, cum lampadibus, & hymnis obviam illi facta eſt, laudantes Dominum, & di„ centes: Benedictus qui venit in nomine Domini: qui poſt tot tempora *Patrem* ſuum re„ cipere meruerunt... Eccleſiam Martyri Januario miro ordine renovaverunt, in qua „ etiam Cameram marmoream elegantius conſtructam eximius Princeps fieri mandavit, „ in qua corpora SS. Martyrum locarentur, Januarii videlicet, Feſti, ac Deſiderii..... „ Omnis Civitas ad illam ædificationem confluxit, etiam excellentiſſimus Princeps Sico, „ qui Coronam auro optimo, excellentemque gemmis pretioſiſſimis de capite ſuis mani„ bus depoſuit, & ſuper Altarium B Januarii locavit, quod ipſe ſimul cum Præſule au„ ro optimo, gemmis pulcherrimis, figuris variis undique per totum fieri mandavit „ (1). Hactenus de Translationis ſolemnitate; quando, à quo, quaque occaſione facta ſit, meminiſſe operæ adhuc pretium erit.

Quod Neapolitani antiqua fœdera violare auderent, atque ubi occaſio ferret, ſubdoli ingenii, græcæque fidei alumnos paſſim ſe proderent, Princeps Sico armis ſibi ſubigendos ſuſcepit: atque Urbs quidem *valde obſeſſa tellure pontoque, & fortiter ſcorpionibus, & jaculis oppugnata capta eſſet, ſi defuiſſet ingenium* (2) ideſt, ſi Neapolitani Ducis, *Genitrice ſua & duobus liberis obſidibus datis*, Siconis ingreſſum ad ſequentem diem remorantis, non adfuiſſet calliditas, uti Erchempertus tradit: vel (ut veri ſimilius Salernitanus affert Anonymus (3) niſi Urſi Neapolitani Epiſcopi preces interceſſiſſent. *Tunc Urſus electus prædictum Siconem deprecatus eſt, ut etiam amplius malum non permitteret, nec ſanguis effunderetur Chriſtianorum*. Exaudiendas Epiſcopi preces Sico exiſtimavit, ita tamen, ut Neapolitani certo quotannis pendendo Tributo obnoxii, Beneventani Principatus imperium agnoſcerent. *Pacem inientes, atque in ſcripto Pactum affirmantes inter Neapolitanos, & Longobardos, & obſides Neapolitanos ipſe Princeps abſtulit: Spopondit ipſe Neapolitanorum Dux cum univerſis ſuis hominibus ſub terribili fortiſſimoque Sacramento, atque in ejuſdem Pacti foedere præſcriptam paginam affirmavit, ſe daturum illicò omni anno Tributum, quod inter eos ſtatutum fuit, atque ſuis numiſmatibus ad ipſam Civitatem pro mercimoniis graderent* (4).

Hæc cum Neapolitanis Sico; atque hæc Siconis transferendi Beneventum Corporis S. Januarii occaſio fuit. Quum enim in eo felici rerum ſucceſſu quælibet Neapolitanis imperari fas videretur, haud diutiùs tulit Sico apud Neapolim peregrinum veluti, atque extorrem Januarium retineri, quem jure ſuo non Epiſcopalis modo Sedes, ſed Patrii quoque Lares ſibi vindicare videbantur. Itaque, uti idem ſubdit Anonymus, *ipſe Princeps Sico Januarii Sancti Martyris Corpus de Baſilica, ubi per longa temporum ſpatia requievit, elevans, & cum magno tripudio Beneventum regreditur*. Ingens profecto Siconis honos tum fuit, Neapolitanorum ſubjectionem ſtatuto Tributo, aliiſque ſancitis juribus, ſibi confirmaſſe, amplior tamen gloria, de qua etiam *tripudium* ageret, Januarii Corpus Beneventum tranſtuliſſe. Audi iterum Acta Translationis, in quibus poſt narratum religioſæ pompæ apparatum, Beneventanorumque plauſus, quibus ea Tranſlatio peracta fuit, hæc de eodem Principe deprædicantur. *Princeps verò eximius tantæ lætitiæ copulatus eſt. quàm ſi Urbem illam* (Nea-

(1) Apud P. Stiltingum in Commentar. ad Acta S. Januarii pag. 512

(2) Erchempertus cap. X. to. I. Opp. Peregr. pag. 86.

(3) Anonymus Salernit. cap. XLIX. tom. II. Opp. Peregr. pag. 116.

(4) Dux iſte Neapolitanus *Bonus* nomine fuit, cujus epitaphium extat apud Peregrinum tom. II. Scriptor. Ital. pag. 342.

(Neapolim) *suæ subdiderit ditioni, lætaturque, quod Patrem sibi suisque reduceret, quem nullus potuit præcedentium Principum revocare: Idcircò immensas retulit grates, quod suo tempore illi Christus miranda cessisset* (1). Utraque certè res, & Tributaria Neapolis, & Januarii Corpus translatum inter egregia Siconis facinora, summæque laudis loco recensetur in Sepulcrali ejus Elogio, cujus quæ hùc spectant Carmina recitare libet:

*Obsidione quatit Romanas sepè Catervas*
*Urbis Parthenope, falsidicosque Viros.*
*Qui Dominis, solita, Samnitum, fraude rebelles*
*Pellere Bardorum fortia jussa volunt.*
*Quos Sico perdomitos congressu fortis in omni*
*Servitia impellit solvere quæque jubet.*
*Abstulit inde etiam Beneventi in Sede locatum*
*Januarium quondam fortis Athleta dehinc.*
*Cujus Templa replens argento, auroque recocto*
*His dedit, ut jaceat Corpus inane locis* (2).

Digna autem tot monumentis celebrari res erat, qua nulla felicior, jucundiorque Beneventanis contingere unquam poterat, dum Episcopum Civemque suum Januarium accepissent, cujus Nominis, Martyriique claritas universi Christiani Orbis veneratione commendabatur, cujus Lypsanis receptis, præsenti jam Patrono amplius foveri, fortunarique sibi certò sponderent. Januarium Beneventanum Civem fuisse superiore Libro nostrarum Antiquitatum Differt. III. p.113. plurimis, validissimisque argumentis demonstravimus: Sed nonnullos nacti Adversarios pro Neapolitanis decertantes, iterum manum eidem tabulæ admovere coacti fuimus novâ lucubratione, quam jamdudum in lucem editam, ne pro ejus molis exiguitate inposterum deperiret, in hujus Libri Appendice recudendam curabimus.

Restat nunc de Translationis tempore, sive anno dicere: Neque ad annum DCCCXVII. ea Translatio retrahenda est, uti Tutinus, & Caracciolus censuerunt; neque ex nostro Vipera in Chronol. pag. 50. ad annum DCCCXXV. producenda. Constat enim Siconem non ante ipsum ann. DCCCXVII. Principatum suscepisse, uti in suis Annalibus Muratorius statuit; quanquam sequentem statuendum malit Pagius num. 7. Eginhardi testimonio, qui circa initium hiemis anni DCCCXVIII. venisse ad Imp. Ludovicum Siconis Legatos tradit, qui illum *de nece Grimoaldi Ducis antecessoris sui* excusarent. Veri igitur simillimum fit, nonnisi confirmato sibi Principatu, Siconem finitimis Neapolitanis bellum intulisse, itaut tribus plus minus lapsis annis, & illato bello, & Translationi, quæ inter alia, ejusdem belli emolumentum fuit, annus DCCCXX. tribuendus videatur. Sed de nostri Januarii Translatione jam satis.

Mox verò Neapolitani novam transferendarum Beneventum Sacrarum Reliquiarum occasionem fecerunt. Datam enim juratamque pendendi quotannis Tributi fidem fallentes, Sicardum Siconis Principis Filium, ac Successorem, ut justis armis eorum Urbem adoriretur, impulerunt. Bellum hoc, nullâ licet expressa caussa Johannes Diaconus memorat sub Episcopo Tiberio, sive Johanne Scriba, atque Andrea Neapolitano Duce, *contra quem Sicardus innumerabiles molitus est irruptiones, pro quibus commotus Andreas validissimam Saracenorum hostem ascivit* (3). Rei exitum meliori fide nobis indicabit ejusdem Sicardi Capitulare cum Neapolitanis sancitum, de quo suo loco agendum nobis erit: Interim non solum Tributum sibi à Neapolitanis, veteri ex fœdere præstandum, Sicardus confirmavit; verum etiam pleraque Sanctorum Corpora apud illorum Urbem extantia sibi vindicans, Beneventum transferenda curavit. Rem omnem paucis Anonymus Salernitanus ita cap. LIII. enarrat: *Ipso tempore Neapolitanus Dux quod jurejurando promisit Tributum distulit dare... Sicardus Neapolitanam advenit Urbem, quam & trium mensium spatio obsidens, & omni circum-*



(1) Eandem Translationem narrat quoque Leo Ostiensis lib. I. cap. 20. his verbis: *Ipse Sico cum diù Neapolim obsedisset, & afflixisset, tandem S. Januarii Martyris Corpus auferens Beneventum detulit, & cum SS. Festo, & Desiderio in ipso Episcopio honorabiliter recondidit, sicut in Historia Erchemperti refertur.* At in Erchemperto Neapolitanam obsidionem habemus, Januarii vero Translationem desideramus; unde vel Erchemperti locum mutilum ad nos pervenisse, vel Ostiensem memoriæ lapsu Erchempertum pro Anonymo Salernitano laudasse dicendum est.

(2) Apud Peregrin. tom. II. Scriptor. Ital. pag. 311.

(3) In Chron. Episc. Neapol. tom. I. part. II. Scriptor. Ital. pag. 314.

*datam parte quotidie fortiter expugnavit eam, omnia extra Urbem & igne, & ferro devastans, atque funditùs demoliendo consumpsit, ut Neapolitanam capere potuisset Urbem: Nam & Corpora Sanctorum effodiens, eorum Sacra Mysteria abstulit.*

Non autem heic substitit in Sacris ejusmodi comparandis, exportandisque Beneventum opibus hujus Principis studium. Quamvis enim ejus nomen ex pluribus impotenter gestis invidiæ plenum, & quadam execratione dignum ad posterorum memoriam pervenerit (1); Religio tamen erga Sanctorum Reliquias, Majorum exemplo, ferventior fortasse, successu certè felicior, insedisse ejus animo visa est. Instructa enim Classe quandam veluti Sacram expeditionem suscepit, ut universa ea loca, insulasque omnes, quæ Tyrreno Mare alluebantur, perlustrans, quæcumque nancisci Sacra lypsana posset, quò major ipsis honos, religioque compararetur, Beneventum transferret. Piissimum Principis studium non incassum cessit, immo obsecundare Deus visus fuit, illiusque non modo explere vota, verum etiam superare. Illud enim felix tunc, faustum, fortunatumque contigit, ut SS. Apostoli Bartholomæi Corpus, quod in Siciliæ Insula Lipari, paullò ante à Saracenis vastata, haud debito tunc cum honore servabatur, Sicardus auferens, ejusmodi pretiosissimo thesauro, ac gloriosissimo Patrono Beneventanam Urbem locupletarit. Testes hujus Traslationis habemus tum Anonymum Salernitanum, tum Leonem Ostiensem, tum denique Chronographum Cavensem (2). Sed ne plura heic præclarissimæ rei dabimus; multa enim adversus Tillemontium Liparitanam ex Asia Translationem in dubium revocantem, mihi disseruisse alibi occasio fuit, peculiari Dissertatione typis Venetis in T. IX. Collectionis Calogerianæ editâ. Interim in hujus Libri Appendice vetusta ejusdem Translationis Acta edita ex MS. Codice nostræ Bibliothecæ exhibebimus.

Neque verò, ut solius Bartholomæi Corpore potita sit, hodieque fruatur, Longobardorum Religioni Cistiberina debet Italia; etiam SS. Apostoli, Evangelistæque Matthæi Corpus acceptum refert; quod Salernum translatum in illa adhuc Urbe quiescit. Iisdem vetustis Scriptoribus testata res est: Nam Ostiensis, Abbatis Aligerni anno secundo, æræque vulgaris CMLIV. *Beatissimi Apostoli. & Evangelistæ Matthæi Corpus, quod primò apud Ætiopiam, ubi passus fuerat, postmodum autem apud Brittaniam per tempora diversa quieverat, tandem ejusdem Sancti Evangelistæ revelatione repertum, atque in Salernum translatum* narrat (3); Gisulphum Salernitanum Principem hæc Translatio auctorem habet, cujus *temporibus* (inquit Anonymus Salernitanus (4)) *inventum est sacratissimum Corpus B. Matthæi in Lucaniæ finibus, atque cum debi-*

(1) Non id mihi dissimulatum volui, quod de Principe Sicardo tum Erchempertus cap. XIII. tum Anonymus Salernitanus cap. LV. & seq. prodiderunt. Turpissimam omnium maculam ejus nomini intulisse videtur sacrilegum facinus, quo is Deodatum, seu Deusdedit Casini Abbatem carceri mancipavit, qua ex causa ille defunctus inter Martyres referri meruit; ipseque Sicardus à laudatis Casinatibus Historicis tàm malè audiit. Sed non ea quidem justa haberi caussa debet, ut *Tyranni* cognomen Sicardo aptari debeat, uti etiamnum ex Romano Martyrologio audire est ad diem IX. Octobris, quo Deodati memoria recolitur. Ac Mabillonius quidem, qui in Annal. Benedict. lib. XXX. ad annum 828. num. 25. Sicardum *spurcissimum, & avarissimum* dixerat, sequenti libro XXXI. ad an. 834. num. 28. paullò æquiorem cum Sicardo se habet, à quo *sæculari magis potentia, quam congrua ratione Deodatum depositum, & custodiæ mancipatum* observat; additque sub Authperto Abbate Sicardum *cum Casinatibus in gratiam rediisse ob Gualdum, idest Silvam, vocabulo Martoranum, S. Benedicto datum*. Rei summa, ac veritas hæc est: Flagitanti Sicardo pecuniam in Reip. necessitates erogandam a Monasterii opulentissimi Abbate, crimen visum fuit, repulsam tulisse, quam illius depositione vinculisque vindicare maluit, quam vim Monasterii thesauris inferre. Extorquendæ pecuniæ sive necessitas, sive cupido, facinoris occasio fuit. *Pro amore pecuniæ* (inquit Erchempertus cap. XIII.) *spectabilem, & Deo dignum Virum, sanctitate conspicuum, Deusdedit nomine, Beatissimi Benedicti Vicarium, sæculari magis potentia, quam congrua ratione deposuit, ac custodiæ mancipavit*. Solius *pecuniæ causam* affert quoque Ostiensis lib. I. cap. 21., à quo etiam discimus seq. cap. 22. eam facinoris notam, avaritiæque labem pia postmodum Sicardi liberalitate emendatam, qui *Gualdum, qui Martoranus vocatur, per suum Præceptum S. Benedicto concessit per fines, & terminos suos, cum ripis, & aquis fossariis, & piscationibus, & omnibus intra se positis, quemadmodum ad Palatii jus pertinere tunc temporis videbatur*. Ampliùs verò veteris sceleris, quam subierat invidiam, amoliri à se studuit Sicardus, quo (si Chronographum Vulturnensem audivimus) nihil deinceps religiosius, nihil erga sacras Ædes, Personasque liberalius haberi potest. *Beneventi Sicone defuncto, Sicardus ejus filius succedit. Hic multa dona Monasteriis Servorum Dei contulit, sed præcipuè Beatissimi Vincentii*. Ita is Chron. lib. III. tom. I. part. II. Scriptor. Ital. pag. 402.

(2) Anonymus Salern. cap. LXIV. *Interea factum est, ut Tyrreni æquoris insulas, Ausoniæque universa loca idem Princeps circuiret, ut quatenus corpora Sanctorum quotquot invenire posset, Beneventum cum debito honore deferret. Atque per idem tempus ex Insula Liparitana Bartholomæi beati Apostoli Corpus Beneventum cum magno gaudio deferri jussit*. Ex eodem Anonymo habemus etiam, Corpus S. Triphomenis ab Amalphitanis servatum, ea occasione à Longobardis, illorum Urbe capta, Beneventum translatum, uti is cap. LXV. & LXVI. pluribus narrat.

(3) Chron. lib. II. cap. V.

(4) Hist. cap. CLX. eadem habet Epitome Herchemperti in tom. V. Scriptor. Ital. pag. 32.

*debito honore per jussionem jam fati Principis Salernum deducitur*. Non in solius tamen Salernitani Principatus, ejusque Urbis felicitatem cedere ea res debebat: oportebat enim, ut utraque Beneventanam Urbem, ejusque Principatum, unde se propagatos agnoscebant, consortem haberent. Hinc Pandolfo I. Beneventano Principi, mox ut ea innotuit Translatio, Corporis partem flagitanti, Brachium concessum fuit, quod Beneventum summa lætitia, atque honore translatum, conditumque est (1).

Pluribus aliis exemplis, quod hoc Capite jam longè progressum est, Longobardicæ Religionis argumentum illustrare promptum esset: nisi, quod semel initio præstiti, nunc iterum piissimum istud in conquirendis sacris Lypsanis Longobardorum studium adversus importunas quasdam, satisque inconsultas præclari Scriptoris observationes, seù potius criminationes tuendi necessitas mihi incumberet. Tantum autem abest, ut rem dissimulandam voluerim, ut ex ea, in medium allata, ac penitiùs inspecta, non solum non imminutum Longobardicæ Religionis decus, sed planè adauctum probare, optimis rationibus, tutissimè spondere mihi possim. Quæ igitur V. C. Ludovici Muratorii, *De Christianorum Veneratione erga Sanctos post declinationem Rom. Imperii*, differentis sententia fuerit, ejus ipsius verbis auditam volo: *Erat* (inquit) *ferreis illis Sæculis incredibilis sacrarum Reliquiarum aviditas, atque inde sæpè, ac sæpius manabant furta illa, atque rapinæ; sibique arridere fortunam putabat quisquis aut bello eripere hosti, aut fraude surripere incautis sacra hujusmodi pignora poterat*. Hæc autem à Muratorio pronunciata tunc demum leguntur, quum is paullo ante in Beneventanam Civitatem, suorum Principum curâ, Sanctorum Reliquiis in immensum locupletatam hisce verbis stilum exacuerat. *Ita Civitas illa alienis spoliis locupletabatur, piumque arbitrata est triumphum, Templa fi-* niti-

(1) Alterum Corporis S. Matthæi brachium, sive illius *os integrum* à Duce Roberto (post ædificatam anno 1080. Apostoli Basilicam, illucque Corpus illatum) *argentea theca reconditum, ad suam filiorumque tutelam reservatum narrat Id. Ostiensis* lib. III. cap. XLIV. Restituendum filio Rogerio mandavit in Constantinopolitana expeditione obiens Robertus (ut idem narrat cap. LVI.) sed fortè Beneventi repertum anno 1122. Casinum transferendum, Girardum Abbatem curasse subdit lib. IV. cap. LXXIII. Observanda hæc fuerunt, ne Brachium Casinum translatum cum altero Brachio confunderetur, quod in primæva Translatione Beneventani acceperunt. Bellovacensis Ecclesia ejusdem Apostoli Caput servare se credit, uti tradit Tillemontius in *Matthæo tom. I. pag. 392. edit. Venet.* qui tamen, more suo, de antiqua, seu omnium prima Corporis Translatione, propterea quod non adhuc solidæ probationes sibi occurrerint, dubium facit: De diebus enim, quibus Apostoli memoria celebrari solet, agens, præter diem 21. Septembris, *le mettent* (inquit) *ancora le 7. d' Octobre, & le 6. de May, auqual le Martyrologe Romain celebre aujourd' hui la Translation de son Corps. Car ayant estè, dit on, transportè d' Etiopie en Bretagne, ou en Bithynie, il fut enfin trasferè à Salerne l' an 954. & trouvè en cette ville l' anno 1080. Le Duc Robert y fit bastie une grande Eglise sous son nom, ou sons Corps fut mits du temps de Gregoire VII. Il est certain, qu' on pretendit l' auvoir trouvè à Salerne sons ce Pape; & qu' on luy bastie une Eglise. Nous n' avons pas ancore trouvè de prouve bien solide du reste, non plus que de la pretention de l' Eglise de Beauvais, que croit avoir son Chef*. Ejusmodi scrupulos, quos passim subjicere Tillemontius solemne habet, in nostro, de S. Bartholomæo, Libello generatim removere sategimus: Nunc, quod ad rem attinet, duplicem, quæ Salernum ipsum respicit, ejus Corporis Translationem distinguere opus est: altera enim ea fuit, quum primum in Urbem pervenit; altera, quum anno 1080. in novam à Duce Roberto ædificatam Basilicam illatum fuit. Priorem, ac præcipuam Translationem vel ignorasse, vel neglexisse videtur Cardinalis Baronius in notis ad Martyrol. Rom. sub die 6. Maji. Ac Gregorius quidem VII. in epistola ad Alfanum Episcopum Salernitanum, ab ipso Baronio laudata (quam ex ejus Registro datam inquit *Anno octavo ejus Pontificatus, tertia Indict. VIII. Kal. Maji anno Dom.* 1080. in Collectione vero Conciliorum Labbeana tom. XII. inter ejusdem Gregorii Epistolas lib. VIII. epist. VIII. pag. 487. hanc unam temporis notam habet: *Dat. Romæ* XIV. *Kal. Octobris*) gratulatur de invento B. Matthæi Corpore, hortaturque Episcopum, ut illud debita veneratione prosequatur, ac moneat Ducem Robertum, ejusque Conjugem, ut tam insigni Patrono congruum honorem exhibeant. Quod Pontificis monitum in caussa esse debuit, ut Robertus eam Basilicam ædificaret, quam eandem, non verò aliam ab se conditam (uti Tillemontius asserit) ipse postmodum Pontifex Salernum adveniens dedicavit. At si Apostoli Corpus ab an. 954. ad Salernitanos delatum, cur anno 1080. illa de eodem invento Corpore Gregorii gratulatio, cur adeò sera Basilicæ, ubi locaretur, constructio? Nil mirum. A priore Translatione anni jam CXX. & amplius effluxerant, quo longo temporis intervallo sacrum Corpus in Ecclesia Cathedrali initio conditum, defervescente paulatim (ut hominum fert fragilitas) Civium cultu, oblivioni datum, sub Alfano tandem Episcopo sanctissimo in memoriam lucemque rursus prodiit, ac debitæ venerationi restitutum fuit. Cæterum de præcipua Translatione anni 954. dubitari nefas esse debet. M. Antonius Marsilius Columna Archiepiscopus Salernitanus (quem tum Baronius l. l., tum Ughellus laudat tom. VII. in Bernardo Episcopo pag. 362. & in Alfano Archiepiscopo pag. 386.) in Vita S. Matthæi cap. VIII. ejus Translationis Historiam ex *Veteri Monumento* scripsit, quam ejusdem Scriptoris verbis recitare eidem Ughello libuit: ex qua denique habemus, ex eodem Apostoli Corpore Brachium, petente Pandulfo Principe, Beneventanis concessum, ab iisque summo gaudio, atque honore receptum; cujus translatio insigni quoque miraculo, reliquiæ veritatem comprobante, fuit illustrata. Ne verò quis de ejus Scriptoris fide controversiam faciat, qui rem totam ex *Veteri Monumento* excepisse testatur, vetus ipsum monumentum (idem fortasse, quo Scriptor usus fuit) in hujus Tomi Appendice ex nostra Bibliotheca proferemus, quæ illud nobis suppeditat in vetusto Codice Sæculi XI. Longobardicis characteribus exarato: cui adscriptus Titulus: *Acta Sanctorum, Sermones, & Homiliæ* à pag. 159. ad 166.

*nitimorum expilare, ut sua ditaret*. Ex quo, aliisque aliundè consarcinatis exemplis, hunc Dissertationi suæ Epilogum facit, reique universæ coronidem imponit. *Ex quibus omnibus jam tandem colligimus, apud rudium Sæculorum homines sanctam quidem Christi Religionem viguisse, multos tamen ex iis (de Sæcularibus loquor) parum excolendis veris animi virtutibus, & solidæ pietatis officiis operam dedisse: Satis quippe eis fuisse videtur, si Sanctorum patrocinia apud Deum sibi procurarent: Quod etiam crasso quodam modo, ac, ut ita dicam, sensuali devotione peragebant, eorum tantummodo Imagines, & sacra Lypsana venati, ac venerati: Fortassis etiam terrenæ potius utilitatis, quàm pietatis intuitu, erga Sanctos tanta veneratione tenebantur* (1).

Absit, ut ingenii vitio tribuendum existimem, quod ad verum sincerumque Religionis cultum, atque obsequium vindicandum tum in vetustis Sæculis observavit, tum nostra quoque ætate, quasdam Christianæ *Devotioni Regulas* edicens, notavit Muratorius. Desideranda tamen in eo fuisset major sivè Zeli, sive Critices sobrietas, diligentior autem temporum, ac personarum distinctio, rerum etiam pertractandarum investigatio, ne suscepti labores in Religionis incommodum potius, quam emolumentum verterentur: Ad rem quod attinet, Longobardis nostris Sanctorum Lypsana adeò flagranter conquirentibus nullam avaritiæ labem exprobrare Muratorius valebit, dum in construendis locupletandisque illorum Ecclesiis adeo effusos Longobardos universi norunt, ut nihil ipsis liberalius fuisse constet. Ubi igitur quis tam largiter sua in Deum, ejusque Sanctos elargitur, Pietas certè, ac Religio illius animo insit, necesse est: Quæ verò virtutes Ecclesiasticorum, Religiosorumque hominum necessaria videntur ornamenta, in Sæcularibus optandæ quidem, haud verò sunt requirendæ. Sed rationes hasce libenter mittimus, uno, quo satis Muratorio faciamus, contenti argumento: argumentum autem *ferrea* illa (quæ is vocat) Sæcula, ac vigens tunc Christianæ Reip. status facile suppeditabunt: quod ubi demonstratum à me erit, nonnemini persuasum iri arbitror, falsum omnino esse, quod *incredibilis illa Sanctorum Reliquiarum aviditas aut ex sensuali devotione*, aut ex captando ad scelerum impunitatem Sanctorum patrocinio, aut alia quavis profana ex caussa proficisceretur: Sic enim statuo, ut ea potius in re manifestum Divinæ Providentiæ consilium, ac satis tunc opportunam Catholicæ Religionis tutelam, necessariam denique Catholicæ Fidei propugnationem agnoscere, ac fateri necesse nobis sit.

Ecquis enim ingentem illam malorum colluviem ignorat, quæ ex Inomachorum Hæresi, in Oriente latius grassante, in ipsum exundavit Occidentem. Constantinopolitanum Augustum Leonem cognomento Isauricum ejus Hæresis auctorem scire suffecerit, ut nihil illâ perniciosius unquam Catholicæ Ecclesiæ contigisse affirmemus. Monstrum ejusmodi non virulentis, ut aliàs, verborum blandimentis, non captiosis scriptionibus, non simulato in virtutis speciem aspectu subrepere, subdolisque artibus sensim adolescere, sed mox ortu in ipso immane, atque ingens ex ipso Augusti solio, natalis sui sede, erumpere simul, ac furere cœpit; paratumque nutibus suis imperialem gladium habuit, quo in omnes Romani Imperii, scilicet Christianæ Reip. Cives, ceù in Majestatis reos, ubique animadverteret. Res eò processit, ut post dejectam Christi Salvatoris effigiem, quæ supra æream Constantinopolitanæ Ecclesiæ Portam, & suâ dignitate, & vetusta Civium veneratione insignis erat; indictumque quadriennio post, nempe Anno DCCXXX. (qui ipsius imperantis erat XIV.) in universas sacras Imagines Bellum, furentem hominem nec præsentis Constantinopolitani Patriarchæ Germani hortationes precesque temperare, nec crebræ Gregorii Secundi, Tertiique Romanorum Pontificum admonitiones, ac dirarum tandem imprecationes deterrere, aut cohibere potuerint, quin potius pertinaciorem adhuc, atque efferatiorem reddiderint. Haud extinctum cum ipso Augusto id malum, qui Imperii æquè, atque impietatis hæredem Constantinum Copronymum reliquit: additum etiam ab successore novum Hæresi robur, Ecclesiasticæ scilicet auctoritatis velamen: nam anno DCCLIV. coacto tercentum trigintaocto tumultuario Episcoporum conventu, Imaginum cultum Ecclesiastica Sanctione damnandum curavit. Non ante annum DCCLXXXVI., quo ea de re Nicæna II. eademque Septima universalis Synodus celebrata fuit, vindicatum Catholicæ Fidei Dogma, restitutus Sacrarum Imaginum cultus, ac proscripta Iconoclastarum Hæresis; cujus tamen non omnes evulsæ radices, Gallis Nicænum Decretum non omnino probantibus, Claudioque Episcopo Taurinensi damnatam Hæresim mordicus propugnante; itaut quod suas in Oriente vires amiserat, in Occidente malum ipsum recrudescere, superatisque Italiæ claustris in ipsam Religionis sedem irruere niteretur.

At

(1) Antiquit. Medii Ævi tom. V. Differt. LVIII.

At Longobardorum Religione per eam ætatem omnem factum est, ut incolumis Italia servaretur; illudque felix faustumque contigit, ut non solum intra ejus fines Catholica sese Fides contutaretur, verum etiam de validissimis tot Adversariorum conatibus triumphum veluti ageret. Dum enim in universo Oriente atrocissimum adversus Sacras Imagines Bellum flagrabat, memoratusque Taurinensis Claudius in Occidente Iconomachorum patronum ageret, eodem certè tempore Longobardorum, universæ ferè Italiæ tum dominantium, animis, diligentiùs conquirendarum, religiosiùsque quàm unquam colendarum Reliquiarum studium fervescebat; Eadem quippe Reliquiarum, atque Imaginum ratio, atque caussa tum erat. In Romano Martyrologio ad diem XXIV. Augusti, & fusiùs in Græcorum Menologio S. Georgii Limniotæ Monachi memoria celebratur, qui quum impium Leonem Imperatorem reprehendisset, quod Sacras Imagines frangeret, *Sanctorumque Reliquias combureret*, ejus jussu manibus abscissis, & Capite incenso martyr occubuit: Sic idem paullo ante laudatus Dungalus adversus dictum Claudium Taurinensem scribens, *Picturas Sanctas, & Sanctam Domini Crucem, & Sacras Electorum Dei Reliquias, dignis, & congruis honoribus à Catholicis, & Orthodoxis in Deo, & propter Deum venerari oportere* demonstravit (1). Quidni igitur peculiari Dei providentiâ, qua Catholicæ Ecclesiæ prospectum iret, illud evenisse fateamur, ut ad honorandas Sanctorum Reliquias tanta animorum contentione Longobardi excitarentur? Certè alibi, ac per universum ferè Christianum Orbem ferro, atque igne adversus Sacras Reliquias, earumque Cultores ab Imperialibus Ministris sæviebatur: Ad hæc *de illis confringendis, proiiciendisque, deque Cruce non adoranda ampliùs, quàm asinus quilibet, aut spinosa rubus, ac demum de Memoriis Sanctorum nullimodè adeundis*, Claudius vociferabatur (2): At contrà quàm lætum, ac triumphale, quàm Catholicæ Fidei salutare, ac decorum, quàm deniquè Posterorum omnium laudibus celebrandum, Longobardos in media Italia videre est, in id maximopere intentos, ut conquisitis undique vel latentibus, vel neglectis Sanctorum Reliquiis debitus honos, cultusque vel instauraretur, vel augeretur: adhuc etiam munificentissimam Longobardorum Pietatem intueri, quâ sacris Ædibus amplissimo attributo censu excitatis, non solum ipsi sese, reliquosque indigenas Italos Orthodoxæ Religionis assertores, ac propugnatores profiterentur, verum etiam certa, tutaque, atque in omne mansura ævum, ejusmodi sacrorum Pignorum & custodia, & veneratio constaret. Quæ quum ita sint, non ampliùs de hac re Muratorium audiemus; nam ex hactenus dictis, animadversisque, Longobardos *ex sensuali devotione, terrenæque potius utilitatis intuitu Sanctorum Imagines, ac Lypsana venatos, veneratosque* qui dixerit, iniqui criminatoris loco habendus, inconsulti certè Scriptoris nomine censendus erit: Qui verò sincera virtute, divinoque consilio gesta hæc affirmarit, non is equidem à veritate aberasse, immò verò satis promeritam Longobardicæ Religioni laudem vindicasse existimabitur.

Sed de hac ipsa re præclariora adhuc suppetunt: Non enim illud Longobardis satis videri debuit, ut in eo Catholicæ Fidei discrimine, pro Sanctarum Imaginum, Reliquiarumque cultu, Religione suâ, ac solis privatæ Pietatis exemplis quodammodo decertarent: intererat quoque Romanæ Ecclesiæ, ut quos propiores, circumque sibi positos haberet, ac suo veluti sinu receptos aleret, ac confoveret, ipsos etiam Longobardos adversus Hostium conatus, qui in Italiæ simul, ac Religionis interitum irruere nitebantur, propugnatores experiretur: Ac Romanæ quidem Ecclesiæ spem, quæ in unius tunc Longobardicæ Gentis fide, viribusque posita erat, non solum non fefellisse, sed planè superasse Longobardi visi sunt: Horum enim constantissima ope, validisque præsidiis Christianæ Res tunc in Italia steterunt, ipsaque Religionis Caput, Romana Petri Sedes servata incolumis est. Singulare hoc Longobardorum Decus plurimis, indubiisque, mox recensendis, rerum gestarum monumentis comprobare promptum habeo; at priùs de caussâ præfari libet, qua factum videtur, ut ad eam alacriùs exhibendam enixiùsque implendam operam Longobardorum studia, viresque excitarentur. Communis quidem illa ratio fuit, quæ ex Catholici nominis professione manabat, ut Longobardi Orthodoxæ Fidei, quam semel suscepissent, imprimis studiosissimi, publicam Religionis caussam tueri, atque in ejus, qui & verus Petri Successor, & veræ Religionis Antistes, ac Magister erat, partes transire, sui esse muneris existimabant: Urgebat verò, ac veluti currentibus stimulos addebat peculiare illud, quo erga ipsum Apostolum Petrum jamdiù eorum animi affecti erant, venerationis obsequium.

De S. Petri prærogativis etiamsi summatim loqui liberet, infinita prope res esset, atque omni-

(1) Apud Mabillonium in Præfat. Sæculi IV. Benedictini num.39.

(2) Ibidem num.23.

omninò supervacanea, quippè quæ innumeris passim omnium ætatum Scriptoribus celebrata, nemini certè, qui tantùm Christianus audit, ignorata esse potest. Heinc illa universæ Christianæ Ecclesiæ, quæ super ipsum ædificatam, Christi ore, se noverat, quum adhùc Petrus inter homines ageret, ampliùs quum inter Cælites receptus est, perpetua, ac præcipua erga supremum Pastorem suum veneratio: Heinc certissima illa, ac tutissima Orthodoxæ Fidei nota, quam quisque profiteri censeretur, si unam Petri Sedem, eumque in Successoribus suis superstitem agnoscerent, colerentque; contrà verò *exors mysterii intelligeretur esse Divini, qui ausus fuißet à Petri soliditate recedere* (1): Hinc frequentissimæ à vetustissimis usque Sæculis, toto, quâ longè pateret, Christiano Orbe in ejusdem Petri honorem Ædes sacræ, Basilicæ, Oratoria, Aræ; quemadmodum à sapientissimo Baronio observatum est (2); cui id libenter adjicimus, ex quo scilicet per Occidentem Benedictinus Ordo propagari cœpit, ex frequentissimis aliis pluribus intra solius sesqui Sæculi spatium erectis passim Monasteriis, ad nonaginta, & amplius illa fuisse, quæ in S. Petri honorem, ejusque nomine insignita numerarentur (3): Hinc denique (ut ad rem propiùs accedamus) illa ejusdem Occidentis universi in S. Petrum, ejusque Successores, Romanæ Cathedræ Præsides, tùm observantia, tùm fides, tùm obsequium, ut instar Numinis, quod Deus Optimus Maximus moderando Terrarum Orbi præfecisset, cuncti suspicerent, ab eoque tùm privatam, tum publicam sospitatem, mundanarumque, ac Cœlestium rerum, bonorumque omnium dispensationem pendere, persuasum sibi haberent: Hanc Occidentalibus laudem Sanctissimus Pontifex Gregorius II. ad prædictum Imp. Leonem primo loco scribens, tribuebat: *Occidens* (inquit) *universus ad Humilitatem nostram convertit oculos, & licet tales non sumus Nos, illi tamen magnoperè Nobis confidunt, & in Eum, cujus denuncias te Imaginem eversurum, atque deleturum, Sancti scilicet Petri, quem omnia Occidentis Regna velut Deum terrestrem habent* (4).

Inter Occidentis autem Regna hanc profectò laudem jamdiù sibi promereri cœperant Longobardi, qui per Italiam ferè universam constitutis sibi laribus, Regnique juribus confirmatis, ex propinqua Roma, ubi Petri Sedes ejus tùm Sanguine, tùm Sepulchro consecrata vigebat, ferventiores erga Petrum effecti, non solum aliis non concedere Christianis Populis, sed cunctos ea de re anteire, ac præcellere nitebantur. Præcipuum argumentum illud erit, ut quam omnium primam à Longobardis Beneventi dominantibus Ecclesiam ædificatam scimus, illam nonnisi in S. Petri honorem, ejusque nomine decoratam voluerint. Fuit isthæc insignis illa Basilica cum adjuncto Ancillarum Dei Monasterio, quam (uti superiori Capite copiosiùs observatum fuit) piissima Theodorada Ducis Romualdi Conjux an. circ. DCLX. haud longè ab Urbis pomœriis ad Sabathi ripam ædificavit. Cur verò eandem Basilicam extra muros eo loco, qui inferiori ætate *Planities S. Petri* Apostoli (5), nostrâ verò *S. Pietro da fuori*, dictus est, Theodorada extruendam curaverit, digna nunc observatu res erit: non enim illas, etsi pias, ejus rei caussas probamus, quas in hisce extramuranis S. Petri Ecclesiis Vulgus excogitavit, nonnullique doctiores adoptarunt; sed potior hæc fuerit, ac verior, quam à Cl. Camillo Peregrinio satis aptè animadversam invenio, ut scilicet *Theodorada eam extra Beneventi moenia construxisse videatur Ecclesiam, ut pio quodam affectu D. Petri in Vaticano Campo extra Romam conditam Basilicam imitaretur* (6). Fervebat siquidem Theodoradæ, ejusque Gentis erga S. Petrum religio, sed quum Romanam Basilicam adire frequentiùs nequirent, satis congruum subiit consilium, ut constructâ ad Romanæ exemplum Beneventana Petri Basilica, *pio affectui* satisfieret.

Sed neque sacræ peregrinationis ad Romanam Basilicam à Longobardis Beneventanis susceptæ exempla desunt. Illud heic meminisse satis fuerit, quod tres illi Sanctissimi æquè, ac Nobilissimi Beneventani Fratres Tato, Taso, ac Paldo præstiterunt. Horum quidem Pietas tùm

(1) S. Leo I. epist. LXXXIX.

(2) Ad an. DLXXV. ubi sic habet num. XVIII. *Quum in honorem Apostolorum omnium, atque Martyrum erigerentur à Majoribus nostris ubique Memoriæ, quas sive Ecclesias, sive Templa, atque Basilicas nominamus; nomine tamen ipsorum Principum Apostolorum Petri, & Pauli ubique locorum Christiani Orbis frequentiora, atque celebriora excitari consuevisse monumenta, præsertim in Galliis, quæ diversis in locis sunt à nobis superius dicta, fidem faciunt.*

(3) Ab anno scilicet DCCI. ad annum DCCCL. uti obvium erit percurrenti Indicem secundum Monasteriorum tomi II. Annalium Benedictin. V. Cl. Mabillonii.

(4) In Epistola I. Gregorii IV. ad Imp. Leonem, relata in Actis Concilii Nicæni II. apud Labbeum to. VIII. Conciliorum pag. 671. Eandem posterioremque Epistolam Gregorio III. attribuit idem Labbeus De Scriptor. Eccles.; at à Gregorio IV. scriptas anno 930. contendit Pagius ad an. 726. num. 3., quo anno illas Baronius profert num. 28.

(5) Falco Beneventanus in Chron. ad an. MCXXXVII.

(6) In notis ad d. Falconem num. 53. tom. V. Scriptor. Ital. pag. 127.

tùm in fundando Monasterio Vulturnensi, tùm in Casinate instaurando amplissimam disserendi materiam, superiore Capite, nobis suppeditavit: præsto etiamnunc est, ut præsenti argumento digna proferamus: Quum enim Divini Numinis afflatu, propositum Viris piissimis fuisset, Patriâ, suisque relictis, longinquis in regionibus monasticam profiteri vitam, Romam primùm pergendi consilium fuit, & *Apostolorum Principis Petri se suffragiis commendare, ejusque desiderata limina osculari*. Quod & ab ipsis, Peregrinorum habitu, factum est, S. Thoma Farfensi Abbate comitem se præbente: Rem, quam versibus quoque celebrandam existimavit S. Authpertus Abbas, haud minus relatu dignam nos ducimus.

*Te simul ecce petunt, Petri dum limina quærunt,*
*Roma beata nimis, Fratresque, Senexque fidelis,*
*Quos trahit ipsa ferens Fidei per littora navis* (1).

Sed, ut ad Sacras Petri Ædes redeam, quàm præclarum illud censeri debet, quod in Casino Monte à Scauniperga Ducis Gisulfi Conjuge, superiore quoque Capite, factum audivimus. Templum ibidem Idololatriæ usui olim ædificatum, ad ea tempora permanebat, quod piissima Mulier Christiano ritu expiatum, consecratumque, sacris Iconibus, pretiosa supellectili, certis reditibus, cæterisque aliis ad Ecclesiasticorum officiorum ministeria decorè, perenniterque peragenda necessariis instructum, *in B. Petri Apostoli honorem convertit* (2). Hunc, scilicet, honorem Petro deberi Scauniperga censuit, ut quæ tuncprimùm ex Idolorum cultu ad veri Dei venerationem Ædes convertebatur, illius potissimùm nomine dedicaretur, quem Christus omnium Apostolorum dignitate primum, *in consortium individuæ unitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari, dicendo: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam* (3).

Præter autem illud, quod à Theodorada extra mœnia primitùs constructum fuit, aliud quoque cum eàdem S. Petri appellatione Sanctimonialium Monasterium, *intra Beneventanam Civitatem situm*, vetusta produnt monumenta (4). Fuit etiam Monachorum, uti ex Alcuini ad Carolum Magnum Epistola manifestum fit; denunciat enim Carolo Alcuinus, *se non sine dolore, & lacrimis audivisse Manganfredum, Regis fidelem, sibique carissimum amicum in Benevento obiisse, seque rogatum à Fratribus S. Petri literas Regi dirigere pro cellulis ad eam antiquitus pertinentibus Ecclesiam, ut aliquas ex his S. Petro restitueret, simulque spatium concederet pro atrio intra muros Civitatis, unde fratribus S. Petri honesta habitatio construi posset* (5).

Adde nunc binas illas Ecclesias in S. Petri honorem à Principe Arichi constructas, quarum alteram, nempè *S. Petri Principis Apostolorum, quæ ædificata est in Galo*, Ecclesiæ S. Sophiæ in suo Donationis Diplomate is subjecit, alteram Salerni intra sui Palatii ambitum ædificavit; de qua Salernitanum audire Anonymum jam libebit: munitâ enim Urbe, in eaque *miræ magnitudinis, imo & pulchritudinis Palatio constructo, ibidem in Aquilonis parte Ecclesiam in honorem Beatorum Petri, & Pauli instituit, quæ, ut ajunt, dum olim asylum Principis fuisset, & ipse Princeps Idolum jacens illic invenisset ex auro fabrefactum, inde ipsam Ecclesiam deauravit*. Honoris ejusdem cum Petro Paullum socium voluit Arichis, quorum in Apostolico munere consortium, pariaque in Christianam Religionem promerita agnoscebat, ac venerabatur. Quantum vero Petrum ipsum venerari debuit Arichis, qui (quemadmodum Beneventi in Ecclesia S. Sophiæ Palatio proxima consuevit) etiam dum Salerni degeret, ejusdem Apostoli Ecclesiam suo item Palatio conjunctam frequens adire, nocturnæque vacare orationi soleret: ita enim, si ejus Principis pietatem spectemus, illa Anonymi verba interpretari fas erit, quibus ea Ecclesia *Principis olim asylum* fuisse dicitur: Quàm felix etiam, ac planè jucundum ejusdem Principis Religioni contigisse debuit, ut vetustum illud ex auro Idolum eodem in loco abditum, sibi detegendum servaretur, ut quantumvis pretiosissimas illas, ac plurimi semper habitas, profanæ licet Antiquitatis Reliquias in Regium Cimeliarchium haud quidem inferri sineret, sed melioribus auspiciis, ac mirâ nullius fortasse exempli pietate in ejusdem Ecclesiæ ornamentum, Sanctique Petri honorem statim converti maluerit.



(1) In Vita eorundem, præfixa Chronico Vulturnensi tom. I. part. II. Scriptor. Ital. pag. 340.
(2) Ostiensis in Chron. Casin. Lib. I. cap. V.
(3) S. Leo in d. epist. 89.
(4) Apud Falconem in Chron. Benev. ad ann. 1121. Quod tamen verisimile est idem ipsum à Theodorada extructum, videri, quod inferiore ævo intra Urbem translatum sit.
(5) Alcuinus epist. XXIV.; de qua videndus Cl. Mabillonius Annal. Benedictin. lib. XXVII. num. 5. qui *de Monasterio S. Petri*, ad Corpus *dicto*, *quæ modo Ecclesia Paroecialis est*, locutum Alcuinum interpretatur.

Hanc Principis Arichis religionem erga S. Petrum, adeò præclarè teſtatam, non æmulari tantum, ſed ſtudioſiùs quoque illius Succeſſores exhibere adniſi ſunt; ita ut, quos, ob eximium in colligendis, honorandiſque Sanctorum Lypſanis, Imaginibuſque ſtudium, Catholicæ Fidei adverſus Iconomachorum inſaniam aſſertores antea demonſtrare fas fuit, eoſdem nunc ipſos adverſus illorum hoſtilem furorem propugnatores oſtendere jam ſuppetat; idque denique, quod mihi propoſitum paullò antea fuerat, probatum modò præſtem, haud alia ſcilicet in re Longobardorum Religionem, eorumque erga S. Petrum venerationem enituiſſe magis, quàm quum ejus Apoſtolicam Sedem, ſupremoſque Pontifices, Italiam denique univerſam ab Iconomachorum erroribus, inſidiis, violentiis illæſam ſervarint.

Interficere Sanctiſſimum Pontificem Gregorium Auguſtus Leo conſtituerat, propterea-quod is nefariæ Hæreſi, ne Romam, Italiamque pervaderet, fortiter obſiſtebat: Marino Imperiali Spathario, ac ſubinde Paullo Ravennati Exarcho in mandatis datum, ut ſacrilegum facinus per inſidias patrarent; ſed ubi utriuſque conatus in irritum ceſſit, ad apertam vim ventum fuit: *Denuò Paullus* (rem ita narrat Anaſtaſius) *ad perficiendum tale ſcelus, quos ſeducere potuit ex Ravenna cum ſuo Comite, atque ex Caſtris aliquos miſit: ſed motis Romanis, atque undique Longobardis pro defenſione Pontificis, in Salario Ponte Spoletini, atque hinc inde Duces Longobardorum circumdantes Romanorum fines hoc præpedierunt* (1). Vides igitur, Longobardis ſatis opportunam validamque ferentibus opem, objectum irruentibus hoſtibus impenetrabilem veluti Clypeum, quo & illorum impetus retunderentur, ac cum ipſa Pontificis vita Catholica ſimul protegeretur Religio.

Dum vero Leo Auguſtus nova, ac deteriora in Pontificem, ac Religionem molitur, ſceleſtior ipſe, nonniſi Religioſiores, ac fortiores Longobardos effecit. Quid enim? *Neapolim miſit Imperator* (ſic pergit Anaſtaſius) *ut illud, quod Exarchus Paullus, Spatharii quoque, & cæteri malorum conſiliatores facere nequiverunt, perficeret ille.* Piget profecto hæc attingere debuiſſe, quæ nonnihil veterum Neapolitanorum nomini officere videbuntur. Quantum enim piaculi, invidiæque tunc illud fuit, ut Græcos ſe, Græcique Auguſti fideles ſubditos oſtentarent, impiis illius conatibus operam ſuam contuliſſe; unoſque ipſos, ex univerſa Italia, Pontificis vitæ, ac Religionis detrimento, Principis juſſa, atque gratiam prætuliſſe: Scio equidem, à Viris Clariſſimis plurimùm laboratum, ut Neapolitanos ab ea adverſus Religionem, ac Pontificem proditionis nota excuſarent, id omninò unum Neapolitanis tùm propoſitum arbitrati, ut nihil committerent, quo à Græci Imperii fide deſciviſſe probarentur (2). At impiiſſimo Principi, qui tam ſæva, ac ſacrilega imperaret, obtemperaſſe tantùm, nonniſi ſummi ſceleris loco habendum erit: quid vero ſi non temporis, atque obſequii neceſſitate, ſed unanimi quodam conſilio non ſolum imperata feciſſe, verum etiam prævertiſſe convincantur? Ac primùm Dux Exhilaratus cum Adriano filio, qui ob ſacrilegas cum Epiphania Diaconiſſa Nuptias à Gregorio Pontifice percuſſus anathemate fuerat, arma cum Imperialibus Satellitibus conjungens in Pontificis necem, ac Romanos Pontificis fautores intulit, à quibus tamen ſuâ, ſuorumque juſtiſſima cæde mulctatus fuit (3). Sergius præterea Epiſcopus trigeſimus

(1) Anaſtaſius Biblioth. in Vit. Gregorii II. tom. III. part. I. Scriptor. Ital. pag. 156.

(2) Neapolitanorum cauſſam ea de re quovis ſtudio tueri conati ſunt P. Giannettaſius in Hiſt. Neap. Dec. I. lib. V. pag. 97. Petr. Jannonius lib. V. cap. III. pag. 341. Joſ. Aſſemanus Ital. Hiſt. Scriptor. tom. III. pag. 421. & ſeq. Sed Jannonium audiamus. *Queſti* (ideſt Pontifex Paulus I.) *nonmeno, che i ſuoi predeceſſori, era odioſo agl Imperadori di Oriente, i quali ſi erano impegnati à far valere il decreto di quel Concilio* (ideſt Pſeudoconcilii Conſtantinopolitani) *anche nel Ducato Napoletano .... I Napoletani, ancorchè avverſi ad eſeguirlo, come quelli, ch' erano più di tutti gli altri Popoli d' Italia attaccati all' adorazione delle Immagini; nulladimeno perchè ciò non s' imputaſſe à loro diſubbidienza, procuravano in tutto il rimanente moſtrarſi riverenti, ed eſatti in aderire al volere, e poteſtà de' loro Signori; laonde eſſendo in queſti tempi accaduta la morte del lor Veſcovo Calvo, ed eſſendo ſtato dal Pontefice ordinato Paolo Diacono della Chieſa di Napoli ſuo molto amico, e familiare; ripugnava l' Imperadore, per eſſer coſtui aderente al Papa, che foſſe ricevuto in quella Chieſa, come quelli, che avrebbe in Napoli fatti riuſcir vani i diſegni di far ricevere il Decreto del Concilio di Coſtantinopoli. I Napoletani aderirono in ciò al volere del loro Imperadore, e de' Greci.* Rem totam, ejuſque exitum ab Joanne Diacono, tanquam ex proprio ſinceroque fonte ſuperius hauſimus: Interim quod Giannettaſio, Aſſemano, Jannonio obſervaſſe placuit, nihil eſt; quomodò enim illud conciliari poteſt, ut Neapolitani obſervantiſſimi ſacrarum Imaginum cultores, Imperatoris edictum averſati dicantur, cui non ſolum in omnibus obſequi, ſibi ſtatuerunt: ſed etiam, illius juſſu, proprium Epiſcopum canonicè electum, ſanctiſque illuſtrem moribus, quod Imaginum, ideſt Catholicæ Fidei cauſſam tueretur, ex Urbe ejectum tamdiù divexarunt?

(3) Non à Romanis, ſed ab ipſiſmet Neapolitanis occiſum Ducem Exhilaratum ex Sigonio, & Maimburgo contendit Petrus Jannonius Hiſt. lib. V. §. 3. pag. 313. *Era il Ducato di Napoli, ſiccome ſi diſſe, governato da un Duca, che anche da Coſtantinopoli ſolevan mandare gl' Imperadori Orientali, a' quali era ſottopoſto. Ne' tempi*

ſimus ſeptimus Archiepiſcopi titulum ( etſi poſtea abjectum ) à Pſeudopatriarcha Conſtantinopolitano Anaſtaſio, quem in Germani violenter dejecti locum impius Leo ſuffecerat, ſuſcipere auſus fuit (1): Poſt hæc quadrageſimus Epiſcopus Paullus, Orthodoxæ Fidei, Romanoque Pontifici addictiſſimus, *propter deteſtabilem Imaginum altercationem* ( inquit Joh. Diaconus ) *quæ inter Apoſtolici tramitis auctoritatem, & foediſſimam Conſtantini Imperatoris Caballini vertebatur amentiam, novem ſunt menſes elapſi, in quibus non potuit conſecrari: quia tunc Parthenopenſis Populus poteſtati Græcorum favebat: attamen hic cum cuperet prædicto Papæ* ( ſcilicet Paulo I. ) *quaſi amicus de talibus aliquo modo ſuffragari, clanculo Romam perrexit, qui ſtatim conſecratus Epiſcopus Neapolim eſt directus: ſed propter Græcorum connexionem noluerunt illum recipere ſui concives* (2). Atque hæc quidem à Neapolitanis, impiiſſimo Principi ſuo plus æquo obnoxiis, ſumma animi fideique conſtantia, ſeù potius pertinacia patrata certò ſcimus; quibus ii à Romanæ Eccleſiæ obedientia, Pontificiſque obſequio omninò defeciſſe videntur: nam Paullum Epiſcopum à Romano Pontifice conſecratum non recepiſſe, immo extra Urbem ejeciſſe quid aliud fuerit, niſi, ut non ſolum *propter Græcorum connexionem* ( ut Diaconus inquit ) ideſt Hæreſis ſocietatem Leoni faverent, verum etiam à Pſeudopatriarcha Conſtantinopolitano ( quod paullò ante Sergius in affectando Archiepiſcopi titulo admittere auſus fuerat ) proprium Epiſcopum, in manifeſtam Catholicæ Religionis, Pontificiſque Romani injuriam, præſtolarentur? Quaſi vel parem cum Græco Antiſtite Chriſti Vicarium, Petrique ſucceſſorem agnoſcerent, vel etiam ab Imperiali Aula Fidei dogmata excipienda, ac ſectanda arbitrarentur. Hinc novum illud atque æquè impium Neapolitanorum conſilium, ut quos veteri legitimoque titulo reditus ad ſuum Patrimonium pertinentes Romana Eccleſia intra Neapolitani Territorii fines poſſidebat, ne deinceps eidem præſtarentur, edixerunt; qua de re ejuſdem Pontificis extat ad Regem Pippinum Epiſtola, ut *illos ad reſtituenda Patrimonia B. Petro illic Neapoli ſita conſtringat* (3).

Prætereunda hæc facile mihi permiſiſſem, niſi Chriſtianæ Eccleſiæ, Romanorum Pontificum, univerſæ Italiæ cujuſmodi tunc temporis ſtatus haberetur, demonſtrandus mihi fuiſſet. Omnia enim tùm maximè ex Neapolitanis, inteſtinis veluti hoſtibus, Græcorum furori faventibus, in extremum diſcrimen adducta videbantur. At nullus erat ex Græcis, Neapolitaniſque metus, ſi ſoli Longobardi pro Pontifice, ac Religione ſtetiſſent: Hinc ſi ſolos Longobardos Græci expugnaſſent, omnia pro voto ſibi ceſſura rebantur: quum verò recentibus edocti exemplis, aperto bello illatiſque armis illorum vires aut frangere, aut cohibere deſperarent, fidem ſaltem corrumpere, ac labefactare, auro, argentoque, eximiiſque promiſſis muneribus, cogitarunt. Fruſtrà tamen id quoque fuit: neque enim quales initio, iidem tunc Longobardorum animi, atque mores: In publica enim Religionis cauſsâ, nihil Religione ipſa præſtabilius eſſe ducebant, quam non modo nullâ divitiarum copiâ, nullis terrenis quibuſlibet emolumentis prodendam, ſed ſuis adhùc fortunis, ſuoque capite, ac ſanguine ſibi propugnandam ſtatuerunt. Hujus rei teſtem quoque idoneum, atque adeo locupletem habemus Anaſtaſium eundem, ut nihil luculentius, aut glorioſius pro Longobardis deſiderari queat. *Munera tunc* ( inquit ) *hinc inde Ducibus Longobardorum* ( Beneventano ſcilicet, ac Spoletino ) *& Regi Græci pollicentes plurima, ut ab juvamine deſiſterent Pontificis, per ſuos Legatos Patricius ille ſuadebat. Qui reſcripſit* ( fortè *reſcriptis*, vel *ex ſcriptis* ) *deteſtandam viri doloſitatem deſpicientes, una ſe quaſi fratres Fidei catena conſtrinxerunt Romani, atque Longobardi,*

ALTER Q 2

*tempi di Leone governava queſta Città per l' Imperadore, Eſilarato, ſucceſſore di Giovanni, il quale ſpinto da preciſi ordini di Leone, ſollecitava i Popoli della Campagna à ricevere l' Editto, ed à ſeguitare la Religione del loro Principe: aveva medeſimamente ſubornati uomini per fare ammazzare il Papa, . . . queſta eſecranda viltà ſcoverta da' Napoletani devotiſſimi, che furono ſempre de' Ponteſici, e tenaciſſimi in ſoſtenendo la Dottrina della Chieſa Romana: parve loro sì orrenda, e moſtruoſa . . . . che preſero le armi . . . rivoltaronſi contra il Duce Eſilarato . . . . . l' ammazzarono inſieme con Adriano ſuo figliuolo.* Melioris fidei teſtes à Jannonio optaſſemus: aliter enim eam rem in Gregorio II. narrat Anaſtaſius, qui non Neapolitanos, ſed utique Romanos ejus cædis auctores præclarè teſtatur.

(1) Joh. Diaconus in Chron. Epiſc. Neapolit. tom. I. part. II. Scriptor. Ital. pag. 307. *Hic* ( Sergius ) *dum à Græcorum Pontifice Archiepiſcopatum nanciſceretur, ab Antiſtite Romano correptus veniam impetravit.*

(2) Joh. Diac. l. l. pag. 309. Quem Conſtantinum cognomine *Caballinum* Chronographus Joannes hic appellat, *Copronymum* Scriptores alii ferè omnes vocant. Ideo verò *Caballinum* heic dictum notavit Muratorius, *improperii cauſſa, quod equino ſtercore, ut ferunt, delectaretur.* Aptiùs dixerimus *Copronymi* græcum vocabulum, in barbaræ latinitatis *Caballinum* à Joh. Diacono converſum. Id unum enim apud Theophanem, Diaconum, Cedrenum, Zonaram, cæteroſque convenit, ab ſtercore, quod Baptiſmo infans admotus eliſerat, Copronymi cognomen Conſtantinum meruiſſe; ex quo S. Germanus Patriarcha, qui eum baptizabat, haud vanum impietatis illius omen accepit.

(3) Inter Pontificias Epiſtolas Codicis Carolini n. . tom. III. Scriptor. Rer. Ital. pag. .

*gobardi, desiderantes cuncti mortem pro defensione Pontificis sustinere gloriosam, nunquam illum passuri perferre molestiam pro Fide vera, & Christianorum certantem salute* (1).

Sed nullus melior testis, cujus omnium loco auctoritas est, quàm ipse idem Pontifex Gregorius II. Ejus ad Augustum Leonem Epistolæ paullò antea meminimus: adhùc heic Gregorium loquentem libenter audiemus. *Quod si nobis* (inquit) *insolenter insultas, & minas intentas, non est nobis necesse tecum in certamen descendere: ad quatuor, & viginti stadia secedet in Regionem Campaniæ Romanus Pontifex; tùm tu vade, ventos persequere*: Et post pauca: *Scis Romam Imperium tuum ulcisci non posse, nisi fortè solam Urbem propter adjacens illi mare, & navigia: sed si ad quatuor & viginti stadia Roma fuerit egressus Papa, nihil tuas minas extimescit: unum est, quod nos malè habet, quod agrestes, & barbari mansueti sunt, & tu non mansuetus, contra agrestis, & ferus. Totus Occidens Sancto Principi Apostolorum Fidei fructus affert: Quod si quospiam miseris ad evertendam Imaginem S. Petri, vide, protestamur Tibi, innocentes sumus à sanguine, quem fusuri sunt*. Tutum sese, atque incolumem Pontifex ait, tantùm ut Româ ad stadia XXIV. in Campaniam secedat, Longobardorum fidem, præsidiumque præsto sibi esse ostendens, qui tunc temporis ad Romanæ usque Urbis fines suam ditionem protulerant, atque in circumjacentibus Urbi locis sua Castra locaverant, & (ut satis verè, ac pulchrè ajebat Anastasius) quadam veluti *Fidei catena fraternoque* foedere Romanis conjuncti, non solum in suam fidem, tutelamque Pontificem, si quando Româ egrediendum ei esset, suscipere, verum etiam à Romanis finibus hostiles impetus arcere paratissimi erant (2). Quàm decorum autem Longobardis Pontificium illud præconium fuit; quod scilicet *agrestes* olim *barbarique* ad eam animi mansuetudinem, ac pietatem informati essent, quæ in Christiano Imperatore jam desiderari videbatur; adeòut is nunc *agrestis, & ferus* Longobardorum exemplis, aut condocefieri egeret, aut erubescere cogeretur.

Inter hæc verò Longobardorum omnium in Religionem, Romanumque Pontificem promerita, pleraque jam observasse fas erit, quæ peculiari Beneventanorum virtuti, præcipuæque ipsorum laudi tribuenda sunt. Cur enim Pontifex Gregorius II., dum in transtiberina Italia Longobardi æquè Urbi proximi ditionem suam exercebant, in cistiberinam potiùs *Campaniæ* Regionem secessurum se asseveravit? Probata sibi certè omnium fides Longobardorum, explorata Religio, roburque erat; ampliùs verò Beneventanis Ducibus fidendum tunc ostendit, apud quos non perfugium tantùm, verum etiam validiorem sibi, ac Religionis rebus ferendam opem spondebat. Neque, si opus tunc fuisset, Pontificis consilium Beneventani Duces fefellissent, qui paullopostea in deteriori rerum discrimine, luculentiori quoque exemplo fidem suam comprobarunt. Ex Pontificis Gregorii III. ad Carolum Martellum Epistola testata res est: eo namque testimonio ipsum quidem Longobardorum Regem Liutprandum ab ea fide, quæ Romano Pontifici deberetur, defecisse scimus; at id simul novimus, Beneventanum scilicet, Spoletinumque Duces, spreto proprii Regis tum exemplo, tum etiam jussu in eadem fidei constantia perstitisse. Certè vivente adhuc Gregorio II. (uti Anastasius narrat) *Eutychius Patricius, & Liutprandus Rex inierunt consilium nefarium, ut congregatis exercitibus Rex subjiceret Duces Spoletanum, & Beneventanum, & Exarchus Romam, & quæ pridem de Pontificis persona jussus fuerat, impleret. Qui Rex Spoletum veniens, susceptis ab utrisque Ducibus Sacramentis, & Obsidibus cum tota cohorte in Neronis Campum secessit* (3). Compositæ tunc cum Pontifice res: Sed mox cum Successore Gregorio III. renovatæ in Pontificem, Romanamque Ditionem à Liutprando invasiones; ac Beneventano, Spoletinoque Ducibus imperatum, ut vires, atque arma conferrent:

(1) Anastasius l. l. to.III. Scriptor. Ital. P.I. pag.157.

(2) Nicolaus Alemannus in *De Parietin. Lateran. cap.* XV. ad recitata superius Gregorianæ Epistolæ verba sic commentatur: *Hæc non de Coemeteriorum latebris, ut docti Viri opinantur, Gregorius dixit, sed de Beneventani Ducis præsidio*: In eo tamen falsus, quod eandem rem ex Epistola ejusdem Gregorii II. ad Carolum Martellum confirmari posse ajat, quam quidem Epistolam ad Gregorium III. pertinere mox videbimus. Peregrinius etiam in Dissert. *De Ben. Duc. fin. ad Occid.* plurimùm in ejusdem Gregorianæ Epistolæ verbis explicandis laborat; haud sibi persuadens Beneventani Ducatus fines ad muros propè Romanæ Urbis attigisse, ut proindè existimet *Romæ* vocabulum pro Romano *Agro*, seu *ditione* usurpatum, à qua stadia illa XXIV. Pontifici memorata, dinumeranda arbitratur. Illud potius obscurum, nec facile explicatu in eadem Epistola Peregrinii animadversionem merebatur, dum scilicet Gregorius inter *Romam*, atque *Urbem* discrimen quoddam faciens, Romam à Græcorum impetu tutam, non item Urbem fatetur. *Scis* (inquit ad Leonem) *Romam Imperium tuum ulcisci non posse, nisi fortè solam Urbem propter adjacens illi mare, ac navigia*. Quæ sic intelligo, ut maritimis viribus non adeò instructi Longobardi, Imperialem Classem haud ita facile repellere valerent, ne Tiberim ingressa in Urbem penetraret: unde illud fuisse videtur Pontificis consilium Græcis appellentibus, in Campaniam secedendi.

(3) In Vit. Greg.II.To.III. part.I. Script.Ital.p.157.

ferrent: his verò imperium detrectantibus, conversa in ipsos Regis arma fuere: quo in discrimine constans adhuc ipsis propositum fuit, & Ducatus, & capitis jacturam potiùs subire, quàm impiis armis se conjungere; neque enim, quam Principi debebant fidem, atque obsequium sese violare arbitrabantur, qui Pontificis, ac Religionis hostes esse nollent, atque utriusque caussam tueri statuissent. At Gregorium tandem audire præstat, qui in communi periculo æquè pro seipso, ac pro dictis Ducibus Caroli opem adversus Liutprandum implorans, sic scribit. *Non credas Fili* (inquit ad Carolum Gregorius) *falsidicis suggestionibus, ac suasionibus eorundem Regum* (idest Liutprandi, & Hilprandi, quorum paullò superiùs meminerat): *omnia enim falsò tibi suggerunt, scribentes circumventiones, quod quasi aliquam culpam commißam habeant eorum Duces, idest Spoletinus, & Beneventanus: sed omnia mendacia sunt; non enim pro alio (satisfaciat tibi veritas, Fili) eosdem Duces persequitur capitulo, nisi quod noluerant præterito anno de suis partibus super nos irruere, &, sicut illi fecerunt, res Sanctorum Apostolorum destruere, & peculiarem Populum depradare, ita dicentes ipsi Duces*: Quia contra Ecclesiam Sanctam Dei, ejusque Populum peculiarem non exercitamus, quoniam & pactum cum eis habemus, & ex ipsa Ecclesia Fidem accepimus, ideoque mucro eorum dæsevit contra eos. *Nam ipsi prædicti Duces parati fuerunt, & sunt, secundum antiquam consuetudinem eis obedire; sed illi retinentes iram pro eo, quod superiùs diximus, per exquisitam occasionem volentes illos, & nos destruere, & invadere, ideò utrosque persequentes, vestræ bonitati suggerunt falsa, ut & Duces illos nobilissimos degradent, & suos ibidem pravos ordinent Duces, & multò amplius cotidie, & ex omni parte Dei Ecclesiam expugnent* (1).

Nihil utrique Duci desiderandum Pontifex Gregorius reliquit, quo ipsorum eximia fides, ac Religio tàm præclaro commendata testimonio, amplissimas laudes apud præsentes tunc, posterosque promereretur: Qui vero Duces ii fuerint, quove vocarentur nomine, id unum nobis desiderandum, ac jure meritoque inquirendum Pontifex reliquit. Spoletanum Ducem fuisse eo tempore *Trasimundum* non obscurè Paullus Diaconus indicat (2), manifestum vero ex Anastasio didicerimus (3). Obscurior de Beneventano res est; & sane posteaquam *de Beneventani Ducis præsidio*, in Epistola ad Imp. Leonem, loquutum Gregorium consentiat cum Nicolao Alemanno Camillus Peregrinius, hæc statim subdit: *Eo tempore erat Romualdus II. si Paulli Diaconi stat supputatio, sin mea, quam suo loco aperiam, Gregorius Dux erat Papæ cognominis* (4). Sed neutrum certè Peregrinio concedimus, qui cum Alemanno deceptus ejus Epistolæ auctorem Gregorium II. existimavit: Falsum vero id superiùs notavimus, ac probatum nunc damus ex ipsarummet Epistolarum, in Carolino Codice, Sylloge, quibus eademipsa Gregorii III. ad Carolum Epistola exordium facit (5): rem adhuc ipsam eadem comprobat Epistola, ubi Reges Liutprandus, & Hilprandus commemorati leguntur; quorum posterior ab ipso patruo Liutprando in Regni consortium adscitus octo cum eodem regnavit annis, eique demum anno 743. vel sequenti succedens, solis mensibus septem superstes fuit (6); adeout ea Epistola nonnisi Gregorio III. tribuenda sit, qui ab anno 731. ad 741. Pontificatum gessit, neque ante annum 736. eandem scripsisse debuit. Non igitur Romualdus II., neque Gregorius tunc temporis Dux esse poterat, quem vix ad æstatem anni 729. pervenisse ipsemet in sua Chronologia Peregrinius pronunciavit; sed vel Godescalchus, qui Gregorio successit, vel ipsius Godescalchi Successor Gisulphus II. statuendus omnino erit.

Ac de Godescalcho quidem certa res ex Paulo Diacono affirmari posset, nisi is diversam plane, simulque justam caussam, quâ Liutprandus in Ducem Godescalchum desævierit, in medium attulisset. Gisulfum puerum Romualdi filium à Liutprando in tutelam susceptum superiùs commemoravimus, qui interim Gregorium Beneventano Ducatui administrando præfecit: Gregorio post annos VII. mortuo Godescalchus (ut inquit Paullus) Dux *effectus*

(1) Inter Epistolas Pontificias Codicis Carolini Epistola hæc est *ordine prima*. Tom. III. part. II. Scriptor. Ital. pag. 76.

(2) De Gest. Longobard. lib. VI. capp. 55. & 57.

(3) In Vit. Zachariæ PP. tom. III. part. I. Scriptor. Ital. pag. 161.

(4) In ead Differt. De Ben. Duc. fin. ad Occid.

(5) Id omnium primus ejusdem Codicis editor observavit Jac. Gretserus. Ingolstad. ann. 1613. hanc ad ejusdem Epistolæ I. titulum, Gregoriique Pontificis nomen notam subjiciens: *Iniit Pontificatum anno Christi* 731. *mortuus* 741. Gretserum Du-Chesnius, Labbeus, atque Harduinus sequuti sunt. Vid. Scriptor. Ital. Murator. tom. III. part. II. pag. 75.

(6) Vid. Descriptionem de postremis quinque Regibus Longobardorum, ex Pontificali Romano exceptam apud Camil. Peregrinium To. I. opp. edit. Neap. pag. 39.

*ctus est*, ambitiosè quidem, ut videtur, ac citra Regis Liutprandi auctoritatem. Dum vero Gisulfus ætate jam idoneus videretur, ab invito ac demum interfecto Godescalcho armorum vi Ducatus abjudicandus fuit, quem Liutprandus Gisulfo restituit: Hæc profectò Diaconus (1); in quo nihil de his occurrit, quæ in sua ad Carolum Epistola Pontifex commemorat; ita ut ex ipsa Epistola nonnisi Gisulfus nobis offeratur, solo Beneventani Ducis titulo à Gregorio memoratus. Ne Liutprandi verbis fidem præstet, Carolum monet Gregorius, hoc unum omnino verum asseverans, ideò Liutprandum in Beneventanum Ducem *desævire*, quod is *noluerit de suis partibus irruere, & res Sanctorum Apostolorum* destruere. Liutprandus autem, quod Beneventanus Dux *obedientiam* abnueret, quod Ducatum ipsum à Longobardico Regno divellere, Regisque imperio subducere eniteretur, hæc, aliaque ejusmodi, Carolo obtrudere, ac suadere conabatur: *Sed omnia* (inquit Pontifex, cujus testimonium præ omnibus stare debet) *omnia mendacia sunt; non enim pro alio* (*satisfaciat tibi veritas, Fili*) *eosdem Duces persequitur capitulo, nisi quod noluerunt de suis partibus super nos irruere... ita dicentes ipsi Duces: Quia contra Ecclesiam Sanctam Dei non exercitamus, & ex ipsa Ecclesia Fidem accepimus, ideoque mucro eorum desævit contra nos.*

Sed & alterum eadem de re, pari Religione præclarum, qui Gisulfo II. successit, Beneventanus Dux Liutprandus adhuc nobis celebrandum exemplum suppeditat. Liutprandum hunc, quem dicti Gisulfi, simulque Regis Liutprandi Nepotem fuisse ferunt, (2) haud certè cum ipso sanguine, ac nomine illius in Romanam Ecclesiam hostilem animum in se transduxisse constat. Eo quidem tempore Benevento is præerat, quum Longobardorum Rex Desiderius, decessorum suorum Liutprandi, Aistulfique exemplo, Romanorum ditionem passim invadere, sibique usurpare moliretur: Necessariam, uti olim Liutprandus, ita pariter Desiderius Beneventani Ducis opem, quò expiditior res sibi procederet, Domini jure, jussuque requirebat, quam tamen Dux Liutprandus, utpote Romanis Pontificibus injuriosam, atque in Ecclesiæ, ac Religionis detrimentum cessuram, exhibere abnuit: Res eò devenit, ut perduellionis nomine, non modo Ducatus privatione, sed etiam capite mulctandam contumaciam Desiderius aggrederetur; ipse vero Dux Regio furori, atque armis haud resistere valens, non illum (ut facilè poterat) obsequio tandem placare, sed fugâ evadens, potius se Ducatu spoliari passus est, quàm Ecclesiæ, ac Religionis hostibus Socium se præbere. Egregia hæc Beneventani Ducis Virtus meliori tunc fato digna, ampliori tamen præmio decorata est; nam id meruit Liutprandus, ut ejus fides Pontificio quoque commendata testimonio, exploratior, ac splendidior Posterorum memoriæ, laudibusque servaretur. Rem totam ex Pontificis Pauli I. ad Regem Pippinum Epistola compertam habemus; posteaquam enim Paullus vastationes illas narrasset, quas Desiderius tum Romanæ Ecclesiæ, tum etiam Beneventani Ducatus Civitatibus intulerat, quid de ipso Duce actum fuerit, sic scribere pergit: *Appropinquante autem eo* (Desiderio) *Benevento, illicò Dux Beneventanus fugam arripuit in Otorantinam* (Hydruntinam) *Civitatem, & dum diù immineret, ut ex ipsa sua Civitate exire eundem Ducem suaderet, & nequaquam in eo suam adimplens voluntatem, constituit Ducem alium in eodem Beneventano Ducatu, nomine Argis* (3).

Atque hic ille est, in Liutprandi locum à Rege Desiderio suffectus Arichis II. Beneventanus Dux, mox Princeps, Longobardicæ Gentis, cujus res, post Desiderii captivitatem, Regnique eversionem, instauravit, ac, quod magis est, Longobardicæ Religionis Decus eximium; de quo tam multa, ac præclara superiùs disseruimus. Ut sibi obnoxium, ausisque suis, atque nutibus paratissimum Arichim Desiderius haberet, & Beneventanum Ducatum, & Regiam Filiam tradidit Conjugem: At tum pro ipsius Arichis virtute, tum pro familiari illa, ac veluti hæreditaria Beneventani Ducatus laude, omnia in ampliora Religionis emolumenta cesserunt.

Ac cum ipso religiosissimo Arichi absolvenda tandem de Longobardorum Religione tractatio est, immo potius, quæ mox recitavimus, quantivis æstimanda, Sanctissimorum Pontificum Gregorii III., Paullique I. testimonia universæ rei, ac Dissertationi dignam præstabunt coronidem; illudque promptum, paratumque, atque tutò affirmandum sinent, non am-

(1) De Gest. Longob. lib. VI. cap. LVII.

(2) Sic vocat Anonymus Monachus S. Sophiæ in Chronico Ducum, & Principum Beneventi tom. II. Scriptor. Ital. pag. 320: hæc enim post Gisulfum II. habet: XIV. *Liutprandus Filius ejus* (idest præfati Gisulfi) *Nepos Liutprandi Regis sedit annis* VIII. *mens.* III. Sed hæc opportuniore loco illustrabimus.

(3) Inter Epistolas Codicis Carolini *ordine* XV. T. III. part. II. Scriptor. Ital. pag. 122. Pro *Argis* Lambecius *Argisem* legit: Monui alias Arichim Beneventanum Principem variis mendosis nominibus appellatum.

ambitiosam videlicet, sed satis promeritam Laudem fuisse illam, quam Beneventani Principes Genti suæ tribuere gestiebant, ut *Catholicam* nempè, *Deoque dilectam* nuncuparent. Ita certè Princeps Grimoaldus III. in suo Diplomate: *Dominus* (inquit) *Vir Gloriosissimus Grimoaldus, eximius, & Summus Princeps* DOMINO DILECTÆ ATQUE CATHOLICÆ GENTIS LONGOBARDORUM (1). Jure id factum videri debet; dum eam laudem antiquis meritis partam, illumque incomparabilis honoris titulum, multiplici sanè nomine, egregiisque ad Religionem pertinentibus rebus comparatum probavimus.

Sed illud modo reliquum est, ut (quoniam & ipsa rerum series, & instituti argumenti ratio id postulant) aliqua etiam ex inferiori eorundem Longobardorum, sive Beneventanorum nostrorum ætate, appendicis veluti loco, in medium proferamus. Hanc itaque, quam erga S. Petrum, ejusque Romanam Sedem à Majoribus suis imbiberant, ac quodam veluti hæreditario jure sibi propriam vindicabant Religionem, nunquam non suis inhæsisse animis, Beneventani Longobardi profiteri deinceps studuere: immò & præclariora alia adjicere argumenta satagerunt, quæ non sine plausu, admirationeque excipienda videntur. Rem ex synchrono probatissimoque Scriptore audiemus, Wiberto scilicet Archidiacono Tullensis Ecclesiæ, ac Sanctissimi Pontificis Leonis IX. familiari, qui in Ejus Vita diligentissimo, atque uberrimo stilo conscripta, post narratum Leonis adventum in Urbem, electionem, consecrationemque, mox Beneventanorum erga novum Pontificem observantiam, munificentiamque commemorat, eò sanè spectabiliorem, quò magis è re Pontificis tunc fuit, illam accepisse. Sic itaque Wibertus. *Pater venerandus dum in initio sui adventus Romæ commoraretur, aliquanto angustiæ, & doloris mœrore perstringitur. Nam ibidem adveniens nihil Pontificalium sumptuum invenerat; jam enim erant in domesticos usus absumpta, imò in eleemosinarum prærogationem cuncta, quæ secum attulerat, distributa: Defecerant cunctorum ejus Comitum plenæ delatæ crumenæ: non erat ulla spes opis, nisi proprias vestes ad minus pretium venderent; & quacunque sequuta arte benignissimum Patrem fugiendo in Patriam redirent. Quorum renitendo consilio Vir beatus, in Divino confidere solatio sagaciter admonebat; sed tamen illorum afflictioni misericordi affectu ex intimis condolebat. Instante autem die, quo cuncti Comites ejus disposuerant clanculo recedere, ecce adsunt* LEGATI NOBILIUM BENEVENTANÆ PROVINCIÆ, *deferentes Xenia Apostolicæ congrua Dignitati, ejus Benedictionem, atque solatium suppliciter deposcentes promereri: Quos Deo dignus Præsul, ut suam decebat honorificentiam, susceptos sacra Benedictione roboravit; non tam lætus de oblatione munerum, quàm Deo rependens grates de devotione Fidelium* (2). Plura in hac Wiberti narratione animadvertenda nobis erunt. Primum illud, nihil tale ab aliis populis quibuslibet gestum, sivè illis, qui in reliqua Italia manebant, sivè iis præsertim, qui Sedis Apostolicæ subditi ad temporale Romani Pontificis dominium, principatumque pertinebant: Non eos certè Wibertus reticuisset, si Beneventanorum exemplum, aut præissent, aut fuissent consectati: Singulare igitur id fuit *Nobilium Beneventanæ Provinciæ* exemplum. Alterum est, multò ante à Beneventanis hæc fuisse gesta, quàm idem Pontifex Leo (quemadmodum Ostiensis in suo Chronico narrat (3) Urbem Beneventanam pro Ecclesia Bambergensi ab Henrico Imperatore sibi tradendam curasset: Vigebat adhuc Principum Longobardorum Stirps, atque dominatio, quæ anno demum MLXXVII. cum Principe Landulpho IV. extincta fuit. Nulla itaque subjectionis ratio in causa fuit, ut ea Legatione, atque Xeniorum delatione Beneventani Romanum Pontificem adeundum, sibique demerendum deliberarint; sed spontaneum id fuit illius veteris religionis testimonium, quam illi Apostolicæ Sedi profiteri perrexerunt, Pontificiam Benedictionem, uberrimum munificæ Legationis fructum, sibi, suisque à novo Pontifice largiendam, domum reportaturi: Id etiam Leo ipse satis demonstrat, rem totam *devotioni*, seù ejus Gentis pietati, religionique attribuens, cujus Legatos, ut eorum *decebat honorificentiam, susceptos, sacra benedictione roboravit, non tam lætus de oblatione munerum, quàm Deo rependens grates de devotione fidelium*. Animadvertenda denique erit, tùm Legationis, tùm Munerum, seù Xeniorum magnificentia: Illa enim *Nobilium Beneventanæ Provinciæ* nomine gesta fuit; hæc ita copiosa fuisse videntur, ut exhausto jam Pontificio Ærario satis congruentem, opportunamque opem, atque subsidium afferre potuerint.

At majora adhùc suppetunt, præstita à Beneventanis erga Sanctissimum Pontificem eundem

(1) In Chronic. S. Sophiæ apud Ughellum Ital. sacr. tom.x. edit. Ven. pag.459.

(2) Wibertus in Vit. S. Leonis PP. IX. lib. 2. cap. 2. apud Acta SS. Operis Bollandiani ad XIX. Aprilis; apud Mabillonium part. II. Sæculi VI. Benedictini, & inter Scriptores Ital. Muratorii tom. III. part. II.

(3) Chron. Casin. lib. II. cap....

dem religionis argumenta. Grassabatûr tùm per cistiberinam Italiam, cædibus prædisque assueta Northmannorum Gens, quam Pontifex, Populorum calamitates, assiduasque querelas miseratus, primùm iteratis cohortationibus, dein justis minis, illatis denique armis compescere, ac delere molitus, infestam quoque sibi sentiit: nam profligato Pontificio exercitu, ipsoque Pontifice in hostium potestatem abducto, omnia ad Northmannos inclinare videbantur. Quid ad hæc Beneventani? Solâ tunc ipsorum religione servata Romano Pontifici reverentia, erectus Pontificis animus, recreata mentis corporisque ægritudo: nam ab ea clade revertentem, *multò aliter, quàm is credidit, honorificè* in suam Urbem exceperunt. Rem hanc uberiùs pertractabimus in Vita ejusdem Pontificis, quam nondum editam, ac commentario illustratam in Appendice hujus libri proferemus. Interim, quod ad præsens pertinet argumentum, verebatur Pontifex, ne non Beneventanorum religio, seù *devotio*, quam sui Pontificatus initio probaverat, constans etiamtum in eo rerum discrimine sibi adesset; sed *multò aliter, quàm is credidit, honorificè* à Beneventanis susceptus, talem reipsa illorum Civitatem expertus fuit, qualem S. Bruno Signiensis Episcopus, Scriptorque synchronus, ejusdem Pontificis res gestas persequutus, juremerito, eaque de causa appellat, *Civitatem utique B.Petro fidelem, ac familiarem* (1).

Ex hac Beneventanorum erga S. Petrum, ejusque Successores Religione, studiisque illis, quibus ipsum Leonem vix tùm Pontificem renunciatum prosequuti sunt, factum arbitror, ut idem Pontifex Beneventanam Urbem Apostolicæ Sedi immediatè subjiciendam curarit; quò magis scilicet Beneventanorum animos adeò prolixè de B. Petro, ejusque Successoribus promeritos, in eâdem fide, religioneque, quam difficillimis illis temporibus exhiberi Sedis Apostolicæ maximoperè intererat, non modo confirmaret, sed vehementiùs etiam devinciret. Nullam certè vigentibus etiamtum Beneventanis Principibus injuriam intulisse videtur Leo, qui ruentem Principatum animadvertebat, simulque norat, jam olim à Pippini, Magnique Caroli ævo, amborumque largitione, inter alia plura Beneventanum quoque Ducatum Sedi Apostolicæ attributum. Sed de his opportuniore loco differemus, quum scilicet de Longobardici Principatus occasu agendum erit. Nunc Leonem ipsum audire præstat, qui Beneventanorum fidem, pietatem, religionem proprio ore ita commendavit, ut nihil eo elogio (si tempus, si verba, si loquentem spectemus) sincerius, nihil præclarius atque honorificentius inveniri possit: Dum enim (eodem S. Brunone teste) morti proximus, extremas funderet preces, Beneventanorum præcipuè memor, *Domine* (inquit) *Jesu Christe, Pastor bone, Fideles tuos Beneventanos, qui in tuo nomine tàm honestè me susceperunt, tamque affluenter mihi servierunt, benedicere, & custodire digneris*.

Hactenus veterem, egregiisque testatam argumentis erga S. Petrum, ejusque Romanam Sedem Longobardorum Religionem, dum Beneventanus staret Principatus, demonstravimus. Illud modo, coronidis veluti loco, ejusdem veteris Religionis merito adscribendum statuemus, ut, quando demum Principatus ipse pro humanarum rerum vicissitudine extremum subire fatum debuit, in suas illum manus exceptum Petrus voluerit. Faustum equidem, felix, fortunatumque Beneventanis fuit, ut solam Petri Sedem, quam hactenus Matrem colebant, Dominam pariter habere deinceps lætarentur. Addita exinde Beneventanorum animis ex avita religione majoris cultus, obsequiique observantioris occasio: ac sicuti (Paulli Diaconi testimonio) eorum laudi jampridem vertebatur, quod *suis Ductoribus semper Fideles extiterint* (2); ita postmodum magnificentissimo illo, assiduis egregiisque factis comprobato, *Fidelium B. Petri* nomine sese ipsi appellare, vocarique ab aliis gavisi sunt (3). Hanc autem Fidem, non ut tantum subditi, sed æquè ut filii, profiteri sategerunt; immò major ipsorum animis religionis vis, atque ratio, quàm subjectionis; quæ tamen subjectio ex ipsa Religione sinceriorem, utilioremque erga Petri Successores fidem suam comprobavit. Hanc certè Beneventanorum fidem Romani Pontifices luculento, ac veluti perenni exemplo testatam reliquerunt. Nam à Sæculo XI. ad XIII. ipsorum si duos, aut tres excipias, nemo extitit

(1) S. Bruno in Vit. S. Leonis PP. IX. Scriptor. Rer. Ital. tom. III. part. I.

(2) De Gest. Longob. lib. V. cap. LV.

(3) Eadem appellatio in Falconis nostri Chronico sæpissimè occurrit; itaut id olim in more positum videatur, ut Beneventani proprio veluti vocabulo, *Fideles B. Petri* vocarentur: Id verò tum ex Pontificiæ Sedis dominio, tum ex peculiari eorundem in ipsum Petrum veneratione profectum, idem Falco ostendit, dum id Beneventanis constans, ac solemne tradit fuisse, ut tum in secundis, tum in adversis rebus Deo simul, & B. Petro vel gratiarum actiones, vel supplicationes publicas peragerent.

titit unus, qui non Beneventanam Urbem non modo invisere, sed Privilegiis exornare, Conciliis ibidem celebratis illustrare, suamque temporariam Sedem, ac interdum asylum constituere, solemne habuerint. Erit postremæ ætatis, ac Pontificii magis, quàm Longobardici Ævi, hæc sigillatim ostendisse. Sit heic omnium instar, quod à Beneventanis cum Innocentio II. actum fuit; quem Pontificem (uti Falco noster ad an. 1139. enarrat) post deletam Pseudopontificis Anacleti factionem, sancitumque cum Rege Rogerio fœdus, *Beneventanus Populus honore multo, ac devotione cordis suscepit*, ET QUASI BEATUM PETRUM IN CARNE ASPICIENS, *lætatus valdè gaudebat*.

Quæ igitur de ejusmodi argumento in lucem protulimus, pluribusque distincta Capitibus illustravimus, ea quidem simul collecta omnia, quàm multiplex Longobardorum, atque prolixa in Deum, ejusque Sanctos veneratio, ac liberalitas, quàm constans erga Ecclesiam, Romanosque Pontifices obsequium, quàm sincera, nec ullâ unquam hæreseos labe maculata, Catholicæ Fidei professio fuerit, quantum denique Religione sua Longobardi excelluerint, manifestum efficient. Facessat itaque injuriosa illa invidiæ nota, quæ Longobardorum nomini semel inusta, præjudicatis potiùs opinionibus, quàm certis rerum gestarum monumentis sustineri visa est. Res igitur ipsas æquiùs, ac diligentiùs inspicienti cuique illa statim veritas affulgebit, quâ vel invitus non Longobardorum modo Nomini parcere, sed plaudere etiam audietur. Sit omnium instar Clarissimus Muratorius, quem in hac ipsa Dissertatione adversus Longobardos plura carptim effutientem refutavimus: & tamen Muratorius, *De Moribus Italicorum post arreptam à Barbaris Italiæ dominationem* differens, hæc tandem de Longobardis summatim quidem, sed satis seriò, verèque pronunciat: *Ad Longobardos redeo. Illi, ubi Arianismo abjurato, Religionem Catholicam, & Leges amplexi sunt, tunc, ut ita dicam, cicurati, Pietatis, Clementiæ, Justitiæ, ac Humanitatis operibus cum aliis Nationibus certarunt: itaut in eorum Regno, & sub eorum Regibus benè Populo fuerit* (1). Hæc verò Muratorius, Longobardicum Regnum, Longobardorumque Reges tantummodo contemplatus. Nobis non similia tantum, verumetiam ampliora de Longobardico Beneventano Principatu, ejusque Principibus pronunciasse fas tandem promptumque nunc fuerit; itaut diversa deinceps, ac nonnisi honoris, laudisque plena omnia, quicunque lucubrationes nostras perlegerit, de nostris Longobardis sentire incipiet; eorumque Principatum ad integra quinque Sæcula apud Beneventanos confirmatum cum vetustis, florentissimisque Principatibus aliis, non tam facile, quàm jure meritoque comparaverit. Quod si quis aliis de rebus primas ei tribuendas repugnaverit, non heic hanc litem instituam. Dum verò de *Religione* res est, certa illa stare sententia debet, nullibi profectò majora, vix etiam paria apud veteres Nationes quaslibet ejus Virtutis argumenta, atque exempla inveniri posse, quàm quæ ex Longobardis prodiisse demonstravimus.

ALTER R DISSER-

(1) Antiq. Med. Ævi. Diss. XXIII. T. II. pag. 301.



# DISSERTATIO III.

## DE NUMMIS

## Principum Longobardorum.



RES Nummaria nostrorum Longobardorum, & ipsa labores nostros expostulat; nihil enim eo argumento præclarius videri debet, quo & Principibus Beneventanis Majestatis jura luculentiùs vindicare licebit, & insigniora ejusdem Principatus facta, variosque memorabiliores successus eorundem Nummorum subsidio in meliorem, quàm hactenus, lucem proferri continget. Fateor quidem hujus rei materiam non cum ipsis Beneventani Ducatus primordiis simul exurgere, sed ad seriorem ætatem initia referre sua; quando scilicet super ipsis Longobardici Regni ruinis non tam jacta ab eisdem Longobardis Beneventani *Principatus* fundamenta fuerunt; quàm vetustâ prioris Regni instauratâ auctoritate, refloruisse simul Majestas visa est: Non, inquam, ante id tempus, binis videlicet, & amplius à Ducatus institutione, elapsis Sæculis, Beneventanorum Nummos spectare licebit: Quod alterutra hac ex caussa evenisse putaverim, vel scilicet, quod qui ante id tempus cusi à Beneventanis Ducibus fuerunt Nummi, dispeniere omnes; vel potius, quod ii procudendæ monetæ prærogativam non habuerint, aut non exercuerint, servato Regibus suis hoc jure, quorum soli nummi in commercio, atque usu tum haberentur.

Priori caussæ favere videtur V. C. Muratorius, qui in recensendis Ticinensis Urbis vetustis Nummis, Officinam Monetariam, quæ sub Gothis instituta ibidem fuit, sub Longobardis maximè, qui eam Italici Regni sedem statuerunt, viguisse ita affirmat, ut eodem quoque tempore, ac pari privilegio *Mediolanum*, *Lucam*, *Tarvisium* Urbes insignitas adjungat: *neque* (inquit) *licuisse alibi signare nummos mihi persuadeo, si Beneventanum Ducatum excipias, de quo suo loco erit sermo* (1). Adde nunc, quod veri similiorem eam caussam efficiat, nil mirum videlicet, nullos Beneventanorum Ducum Nummos ad posteritatem pervenisse, quandoquidem ex Regiis ipsis Nummis, qui frequentiores esse debuissent, plures *lectori exhibere cupiens* Muratorius, vix duos spectandos dedit, alterum Regis Agilulphi; *in quo facile adulterinam mercem agnoscendam* voluit, alterum Liutprandi *aureum*, qui sitim curiosis incendere potius, quàm restinguere possit. At licet hæc generatim, ac sine ullo temporum discrimine animadversa, non levis conjecturæ loco haberi digna sint; si tamen temporum rationem (uti par est) spectemus, frustra ad eam rem confirmandam eos Beneventani Ducatus Nummos à Muratorio indicatos adhibebimus, quos non ante, immo etiam longè post erectum Principatum Beneventanum, ac primùm sub secundo Principe Grimoaldo percussos invenisse erit.

Satis igitur fuerit (neque id enim priscæ Beneventani Ducatus dignitati injuriosum erit) ut nulla, Italico Longobardorum florente Regno, Beneventanis Ducibus concessa, vel usurpata Nummos condendi facultas existimetur: Quam in sententiam, ut pronior sim, primum Lex illa Regis Rotharis suadet, quâ is gravissimâ sancitâ pœnâ omnibus monetam signandi potestatem sine regio permissu, aut indulgentia, generatim interdixit. *Si quis* (inquit) *sine jussione Regis aureum signaverit, aut monetam confinxerit, manus ejus incidatur* (2); ut videas quàm seriò, rigidèque Reges Longobardi jus illud Majestatis inviolatum, sibique

(1) Antiq. Med. Ævi Differt. XXVII. to. II. pag. 581. Regis Agilulphi Nummum, quem *adulterinum* agnoscit Muratorius, probum sincerumque censuit Cl. Ciampinus Vet. Monum. part. II. cap. IV. pag. 14. ubi ex Angelo Breventano *in Long. Reg. Gentilitio Arbore* n. 4. illum exhibet, ac multis illustrat.

(2) In Cod. Legum Longobard. inter Leges Reg. Rotharis num. CCXLVI. tom. I. part. II. Scriptor. Ital. Murat. pag. 36. Dum verò Rex Rotharis *confingendi* verbum usurparit, ne quis putet, contra eos, qui Nummos adulterarent, Legeque *Cornelia de Falsis*, sive *Julia Majestatis* tenerentur, eam Sanctionem promulgasse. Satis enim apertè eos intelligit, persequiturque, qui *sine jussione Regis*, non impetrato scilicet illius permissu, ac indulgentia, vel certè non ad Regis libitum emolumentumque in ejusdem monetaria officina, *aureos signaret*, aut quamlibet aliam, sive argenteam, sivè æream *monetam confingerent*: Etenim *confingere* heic idem, ac *signare* est; dum nullus sine *effigie*, *signove* nummus, qui proinde *cudi*, aut *percuti* dicebatur.

que unis servatum curarint; ut non ita facile, nisi certa suppetant documenta, suis Ducibus communicatum dicendum sit: Ex ipsa autem Beneventanorum Ducum conditione, difficilius adhuc videri debet, hanc illos sibi facultatem, jure veluti suo, propriæque titulo dignitatis, vindicare potuisse. Quod ut omnino liqueat, non abs re fore reor, si, quæ olim Beneventani Ducatus conditio obtinuerit, quòusque illius præstantia progressa sit, quo demum Jurisdictionis, sive Imperii genere regeretur, in antecessum exponam. Ac Camillus quidem Peregrinius, inter alias plures, quas desideramus, de Beneventano Ducatu Dissertationes, *an Ducatus ipse ad hæredes transiret*, scribere cogitabat (1). Hanc simul rem nondum exploratam modò explicabimus, operæ quidem pretium facturi, dum Rei Nummariæ tractationem aggressi, de illorum, qui hoc jure potiti sunt, primævâ conditione dignum aliquid, atque argumento opportunum præloquamur.

## CAPUT PRIMUM.

*Beneventanos Longobardorum Duces, vigente Longobardico Italiæ Regno, Nummos percussisse, nullo certo exemplo probatur; Neque ejus rei privilegium sibi factum, neque arreptam auctoritatem ostendit dicti Ducatus primæva conditio, atque œconomia; Cujus Ducatus Successiones ab Anno* DLXXI. *ad Annum* DCCLXXIV. *per singulos Duces à Zottone ad postremum Arichim II. tùm chronologicè, tum genealogicè, præclarioribus illorum omnium rebus gestis in novam lucem erutis, recensentur.*

PRimum omnium Beneventanum Longobardorum Ducem Zottonem constitutum, certa res est; Incertum tamen illud, ac controversiæ plenum, quo is tempore, quo etiam auctore ad eum regendum Ducatum accesserit. De utrâque re dubitandi, ac curiosiùs inquirendi occasionem fecisse Paullus Diaconus existimatur, qui (uti in Dissert. I. latiùs observavi) tunc demum Beneventani Ducatus, Ducisque primi Zottonis sermonem instituit, quum Anno circiter DLXXXV. Italiam Cistiberinam ad Fretum usque Siculum à Rege Longobardorum Authari, victoris magis præsagio quàm emolumento, speque dominii potius quàm jure imperioque, peragratam narrasset (2). Qui Antonii Caraccioli sententiam probant, (probavitque olim Camillus ipse Peregrinius, sibi postea, ac Caracciolo discors, novusque malesanæ sententiæ auctor) immo qui Paulli Diaconi locum, ubi ejus rei meminisse cœpit, ejusque in universo opere institutum adverterint, illud sibi (quod l. l. jam monui) facilè persuadent, nullimode ab ipso incœptam Beneventani Ducis mentionem, ac statutam simul Beneventani Ducatus originem; Triennio post adventum, Alboino Duce, ac Rege, idest An. DLXXI. Longobardos in Italia dominari cœpisse, præclarus alibi ipsemet Paullus testis est (3); delectâque Regiâ Sede Ticinensi Urbe, tunc primùm opportunis Italiæ locis, quasi necessaria novi Regni propugnacula, institutos fateri oportet tres illos Ducatus, idest Forojuliensem, Spoletanum, ac Beneventanum. Beneventani autem Ducatus, ubi nihil antea memoratu dignum occurrerat, sicut & Spoletani, jam eo loco, temporeque, commeminit Paullus, ubi rei potius occasio, cui inprimis servire solet, quàm Chronologiæ ratio postulabat: Sequi namque voluit Regis Autharis iter, sive excursionem, qua ille *per Spoletium Beneventum perveniens, eamdemque regionem capiens, usque Rhegium extremam Italiæ Civitatem, vicinam Siciliæ perambulavit*, ut Columnam illam in mari positam, Longobardici Regni statutum ab Authari terminum (quod ipse suorum famâ acceperat) posterorum memoriæ commendaret: Exin vero, occasione jam facta, quum semel Beneventi mentio incidisset, tum sibi Paullus duxit, sequenti mox Capite Zottonis primi Ducis mentionem quoque subjicere, quem tamen, neque ab Authari Ducis munus suscepisse dicit, immo eodem loco, unoque penè verbo, totum, quantum fuerit administrati à Zottone Ducatus tempus tum ante, tum post Autharim perstringens, illum *in Benevento per curricula annorum viginti principatum fuisse*, commemorasse satis habuit. Sit itaque non veri tantum simillima, sed constans mihi, atque indubia Beneventani Ducatus Epocha Annus ipse DLXXI., quo Longobardi *in Italia dominari* cœperunt; sitque Zotto non ab Authari quidem, sed ab Alboino Rege primus Dux constitutus; cui dum amplissima viginti annorum spatia tribuimus, angu-



(1) Vid. Indicem Dissertationum, quas sibi lucubrandas, atque in Parte secunda edendas servavit Peregrinius tom. V. pag. 315. edit. Neap. an. 1754.

(2) De Gestis Longob. lib. III. cap. XXXI. & XXXII.

(3) Hist. Miscell. lib.

anguſtos tamen, qui vix Urbem ſubjacenteſque agros excederent, (ut exigua ferè ſunt rerum omnium primordia) Ducatus fines aſſignamus, itaut Regionem omnem Autharis demum adventu ſubactam, prædationibus potius, quàm ditioni ſuæ obnoxiam antehàc Zotto obtinuerit.

Sed qualis poſt Zottonis obitum Beneventani Ducatus ſucceſſio, ſtatuſque extiterit, ex eodem Paullo audiſſe præſtat: *Mortuo* (inquit) *Zottone Beneventanorum Duce, Arigis in loco ipſius à Rege Agilulpho miſſus ſucceſſit* (1). Fruſtra è Paulli manu, qui talia aut neglexit, aut ſuſcepto operis ſuis conſilio non opportuna exiſtimavit, deſignatum ejus Succeſſionis annum didicerimus, quem tamen Æræ Chriſtianæ DXCI. ex eo ſtatuere licet, quod Anno præcedenti Agilulphus Reginæ Theodolindæ, Regis Rotharis Viduæ electione, in Thalami ſimul ac Regni conſortium evectus jam fuerat; ut ex hac quoque re, definitam ſuperius in anno DLXXI. Ducatus per annos XX. à Zottone adminiſtrati Epocham confirmatam habeamus (2). Sed quod nunc attinet, manifeſtum illud fit, hanc ab ſuis uſque primordiis Beneventani Ducatus fuiſſe conditionem, ut qui illum adminiſtraturi eſſent, a Rege deligerentur. Fuit, inquam, Beneventana Regio Longobardici Regni pars, cum aliis pluribus Tranſtiberinæ Italiæ, Regio veluti diademati infixa, atque in ſceptri dominio, imperioque conſtituta, cujus Regimen idoneis viris demandabatur, qui Ducum quidem titulo inſigniti, ab Regis tamen nutu pendentes, vel temporariam, vel ſi liberet, vitæ ſpatiis tantum ampliatam, ejus ſive muneris, ſive dignitatis adminiſtrationem gerebant.

Arichis igitur anno DXCI. à Rege Agilulpho miſſus, primo Duci Zottoni ſuceſſit, quem tamen non ſolum longæva Ducatus adminiſtratione, quam ad annos quinquaginta perduxit, ſed felicioribus rerum omnium ſucceſſibus, anteceſſiſſe probatur. Atque hanc quidem adminiſtrati Ducatus diuturnitatem, ſimulque ipſius poſterioris Ducis in illo amplificando, exornandoque promerita, fuiſſe in cauſſa exiſtimo, ut cum ad ejus Succeſſorem deveniendum ſit, non nihil mutatam, quæ hactenus obtinuerat, ſucceſſionis legem inveniamus. Unicus Arichi filius fuit Ajo, quem in Ticinenſi Aula, ubi Rex tum Rotharis imperabat, liberaliter educandum miſit, optimè ratus non ſolum illi neceſſarias regendis populis virtutes expeditiùs comparandas, verum etiam magis conciliandam eidem Regis gratiam, qua paternam ſucceſſionem, alioſque honores ſibi pareret. Sed paternis votis, conſiliiſque infelix reſpondit ſucceſſus; nam ſive Romanorum *malitia* (uti Paullus refert (3)) propinata Ajoni Ravennâ tranſeunti, venefica potione, ſive ex ingenito corporis vitio, adeo labefactata ejus mentis vis fuit, ut paterno regendo Ducatui omnino imparem eum oſtenderet. Præſenti malo occurendum duxit Arichis, ac ne quid detrimenti ex Succeſſoris filii amentia Reſp. caperet, morti jam proximus Radoaldum, & Grimoaldum *jam florem juventutis habentes, quaſi proprios filios Longobardis, qui aderant, commendavit; eiſque dixit, quod melius eos regere iſti, quàm Ajo filius ſuus poſſet.*

Plura ex hoc Arichis facto obſervanda nobis ſunt: Spectare primum ejus virtutem licebit, quà prima omnium Boni Publici ratio apud ipſum valuit; adeout non naturæ, ſed virtutis hæredes ſibi quæreret, nec tam qui naſci potuit, quam qui eligi debuit, ſucceſſorem Ducatui potius, quam ſibi deligeret. Tum ea in re Arichis prudentiam animadvertamus, qua ſui ſimul Filii honori, utilitatique proſpexiſſe viſus fuit: neque enim Succeſſorem ſibi declaravit; neque à ſucceſſione omnino repellendum edixit: alterum enim ſivè Regis, ſivè Longobardorum Procerum judicio irritum fieri potuiſſet: in altero autem, ſalva Reip. incolumitate, ſpem Filio reliquit, vel in meliorem mentem reverſo, vel ſaltem Rodoaldi, Grimoaldique operâ adjuvando tum Ducatus ſucceſſionem obtinendi, tum rectam illius adminiſtrationem gerendi: atque ea quidem res pro Arichis voto poſtea ceſſit, ut mox videbimus. Illud interim poſtremo loco, ſed præcipua obſervatione dignum, nullam videlicet Regii Juris vel rationem, vel mentionem occurrere, qua Arichis, quem ſucceſſorem Ducem ſibi haberet, vel a Rege deligendum, vel ſaltem confirmandum oſtenderet. Sibi certè ſuiſque præterea Longobardis rem totam attribuit, nam filium ſuum Ajonem legitimum quidem, ſed vix

(1) Lib. IV. cap. XIX.

(2) Quod jam à V. Cl. Horatio Blanco in nota 64. ad hunc Diaconi locum iterum obſervatum fuit; *Jam*, inquit, *liquidò conſtat ex Epiſtol. S. Gregorii PP. ad Johannem Epiſcop. Raven.* (*cujus verba recitavi*) *Indictione* X. *anno ſcilicet* DXCI. *quo data eſt, Arichim ad Principatum Beneventanum jam elatum fuiſſe, atque Neapolitanæ Civitati cum Ariulpho alio Duce inſidias paraſſe; cumque Paulus noſter Agilulphi Regis beneficio Principatum accepiſſe ſcribat, neceſſario dicendum paullo poſt Regis inaugurationem, id accidiſſe: unde ſi retro numerum* XX. *annorum duxeris jam ad Caraccioli tempora* (ideſt annum DLXXI.) *venies &c.*

(3) l. l. cap. XLV.

vix idoneum ſibi ſucceſſorem oſtendens, alios imperio digniores adſtantibus Proceribus commendavit, aut potius deſignavit, Ajoni pro eorum arbitrio, judicioque vel conſociandos, vel ſufficiendos.

Rodoaldus itaque, ac Grimoaldus germani fratres ex nobiliſſimo quidem Longobardorum, ſed non Beneventanorum genere, Giſulfi Ducis Forojuliani filii, ægrè paternum Ducatum à patruo Graſulfo ſuſceptum, vel potius præreptum ferentes, cum ſeſe inter illius ſubditos numerari abhorrerent, cui imperare debuiſſent, nec tamen per ætatem, ac vires aliquid moliri auderent, meliori, quod tempus ferebat, conſilio apud Arichim Beneventanum Ducem ſeſe receperunt. Perſpectæ aliàs optimæ indolis Adoleſcentes gratiſſimè ab Arichi ſuſcepti ſunt; atque in ejus Aula enutriti iis ſeſe moribus ornatos comprobarunt, ut non ſolum *filiorum loco habiti* ab illo ſint, verumetiam jam *florem juventutis habentes* ab eodem moriente, uti jam dictum fuit, ſucceſſores deſignati. Sed nec Ajonis ignavia, nec Arichis judicium illorum animos in ambitionem incenderunt; Ajoni enim, ut Ducatum iniret, ſuffragia ſua contulere, eique ſicuti *ſeniori Fratri, & Domino per omnia parere* ſategerunt; donec ipſe Ajo poſt annum, ac quinque menſes Sclavis ad Sipontinam Urbem irruentibus temerè occurrens, nece ſua vacuum illis Ducatum reliquit (1). Ajonis necem mox hoſtibus cæſis, profligatiſque ultus eſt Rodoaldus, qui ſimul cum Grimoaldo fratre viventi illi in adminiſtrando Ducatu operam navarat; Eo vero defuncto Rodoaldus quidem Dux inauguratus; at Grimoaldum etiam ſibi conſortem habuiſſe, non obſcurè Diaconus indicat; qui Diaconus Ajoni (ut dictum eſt) annum, menſeſque quinque, Rodoaldo quinque annos, quinque autem ſupra viginti Grimoaldo ſuperſtiti aſſignat; quos tamen Grimoaldi annos nunquam in ſuo Ducatu tranſactos inveniemus, niſi cum Ajonis (2) germanique Rodoaldi annis conjugamus (3).

Ex his igitur hactenus obſervatis ab Arichis ſecundi Ducis morte, atque ejuſdem quidem judicio mutatam fuiſſe conſtat Beneventani Ducatus ſucceſſionem; nam qui prius, uti Zotto, idemque ipſe Arichis, ab ſuis Regibus Beneventum cum imperio mittebantur, novo poſtea more filios ſuperſtites, vel quos liberet ſucceſſores ſibi deligere cœperunt. Nec ſecus in inſignioribus aliis Longobardorum Ducatibus obtinuiſſe per hæc poſteriora tempora invenio. Nam in Forojuliano Ducatu (ut paullo ſuperius dictum eſt) mortuo Giſulfo Graſulfus Frater ſucceſſionem ſibi vindicavit, injuriâ quidem, propterea quod Giſulfi filios Rodoaldum, Grimoaldumque a paterno jure repuliſſet. In Spoletino autem Ducatu (ut Diaconus refert dicto lib. IV. c. XVII.) Ariulfo defuncto, inter duos Faroaldi ſuperioris Ducis filios de ejuſdem Ducatus

(1) Id. Diac. l. l. cap. XLI. XLV. XLVI. & XLVII.

(2) Falſus eſt Editor Neapolitanus Operum Cam. Peregrinii, qui tom. V. pag. 40. not. (1.) Ajonem Rodoaldi Germanum affirmat. *Rodoaldus* (inquit) *Ajonis Germani ſui à Sclavis trucidati necem digniſſimè ulciſcens, Princeps* (verius Dux, nondum enim Principatus obtinebat) *ſufficitur*. Magna quidem hallucinatio, poſtquam explorata ex Paullo res eſſet, Radoaldum, Grimoaldumque Giſulfi, Forojuliani Ducis filios fuiſſe, quos quidem Arichis nonniſi *filiorum loco* habuit; illi verò Ajoni ſicut *ſeniori fratri, & Domino* paruerunt.

(3) Mortuus eſt Grimoaldus è Beneventano Duce Italiæ tandem Rex an. DCLXXI. vel potius (*uti Cl. P. Manſi in notis ad Criticam Baronianam* Pagii tom. XI. pag. 586. cenſet) anno ſequenti DCLXXII. Bis Diaconus Grimoaldi annos recenſet; ac primò quidem Lib. IV. cap. 47. *poſtquam Dux Beneventanus effectus eſt, gubernavitque Ducatum Samniticum annis* XXV. Dein Lib. V. cap. 32. ejus mortem narrans, ſequutam ait, *poſtquam regnaſſet annis novem*. Hos novem Regni annos cum prioribus viginti quinque concludendos, enumerandoſque ſtatuit Camillus Peregrinius in ſua *annorum Ducum Beneventi cum Paullo Diacono comparatione* t. V. pag. 41. itaut anno DCXLVII. ejus Ducatus exordia affigens excurrentes exinde annos XXV. inter ipſum Ducatum, ac ſubſequutum Regnum diſpertiat, priori annos XVI. poſteriori IX. attribuens, quos ad annum ſupradictum emortualem DCLXXI. perducit. Sed qui Diaconi *abſurda* notare voluit, in abſurdiora prolapſus ipſe eſt Peregrinius. Ac Paullus quidem, qui priore loco Grimoaldi annos XXV. memorat, nihil de ejus Regno commeminit, neque commeminiſſe potuit, voluitque: ſiquidem non eo tunc Regem, ſed Ducem agebat Grimoaldus, *gubernavitque* (ita ſatis diſerte Paullus) *Ducatum Samniticum annis* XXV. Annos vero Ducatus à Regni annis diſtinguere, omnino propoſitum ſibi fuiſſe oſtendit Paullus, nam poſt longum temporis, operiſque ſui intervallum ideſt d. Lib. V. cap. 32. ad ejuſdem Grimoaldi jamdiù Regis obitum perveniens, nullam de prioribus XXV. annis rationem, mentionemve habens, defunctum ipſum affirmat, *poſtquam regnavit* IX. *annis*. Præclariſſima igitur ex Paulli teſtimonio res iſthæc fit; cujus etiam optimam conſtare fidem comperio. Nam ſi emortuali Grimoaldi anno DCLXXII. novem illos demas Regni annos, annus tibi DCLXIII. occurret, a quo ſi retro annos Ducatus XXV. enumerare incœperis, eamque tibi tutiorem in Chronologiæ ambagibus regulam ſtatuas, non ſemper annos integros, ſolidoſque, quos veteres Scriptores memorant, cuique rei aſſignandos, quæ ad paucos ejuſdem anni menſes pertingere potuit, jam ad annum DCXLII. Ducis Arichis emortualem ita proximum te habebis, ut jam certè attigiſſe tibi videaris. Ex hac autem Chronologia, facili ratione brevibuſque verbis, ſed certis documentis ſtatuta, illud (quod ſuperius ajebam) manifeſtum fit, Grimoaldum tum ab Ajone, tum à Rodoaldo in Beneventani Ducatus adminiſtrationem adſcitum, proptereaque Ducatus annos XXV. eidem a Paullo rectè attributos.

catus ſucceſſione ex primævis Paternæ poſſeſſionis juribus decertatum fuit: *atque unus ex ipſis victoriam adeptus, nomine Theudelapius, Ducatum ſuſcepit*. An vero ejuſmodi Succeſſionum incœpto mori Regius quoque acceſſerit aſſenſus, nondum certum habeo. Adſunt quidem in Regis Rotharis Edicto Longobardicæ leges quàm plures, quibus Filii ad Paternas Hæreditates, excluſis *Barbanis* ideſt *Patruis* vocantur; Parentibus vero, ne filios ſine juſtis cauſis, *certiſque culpis* exhæredent, interdictum eſt (1). Sed nequaquam hiſce Legibus obnoxium tunc putaverim Ducatuum, aliorumque publicorum munerum ſucceſſiones, quæ nullatenus inter paterna bona recenſebantur, ſed a Regis liberalitate, ſive potius electione profecta, non ſolum ad ejus nutum revocari, verum etiam eorum, qui perfuncti fuerant, morte ad eum devolvi videbantur. Non dum autem in eiſdem ſucceſſionibus Feudorum Leges agnoſcere licet, quas ab ipſis Longobardis Auctoribus ſeriùs invectas, uſuque receptas alibi dicemus, quum de Longobardorum Legibus peculiari Diſſertatione agendum erit. In hiſce igitur Ducatuum ſucceſſionibus, nihil tum juris fuiſſe hæreditarii par eſt, ut credamus: Poterat tamen quis ſibi filium, aliumve ſucceſſorem deſignare, ſed à Rege probandum, in cujus arbitrio res poſita erat; ita tamen ut etiam citra Regis vel ignari, vel diſſimulantis juſſum effectum aliquando ſortiretur. Sed poſt recenſitas Beneventanorum Ducum ſubſequutas ſucceſſiones conſultiùs de re ipſa judicium feremus.

Ut igitur ad Ducem Grimoaldum ſermo revertatur, poſtquam is Ajonis primum, dein Rodoaldi ſocius, ac ſolus denique Ducatum XXV. annis tenuiſſet, occaſionem Italicum Regnum invadendi, ex ea diſcordia ſibi fecit, quæ inter Bertaridum, ac Godabertum Regis Ariperti Filios hæredeſque exardeſcere incœperat. Godabertus Grimoaldum in ſuas partes trahere, ejuſque militarem opem, promiſsâ in matrimonium Regia germana ſorore, ſibi comparare ſategit: At Grimoaldus ex ipſius Legati à Godaberto miſſi cohortatione, ut ſcilicet ipſe potius *ætate maturus, conſilio providus, & viribus fortis Longobardorum Regnum, quod adoleſcentes germani diſſipabant, arriperet, mox animum ad illud obtinendum erexit; ordinatoque apud Beneventum Romualdo ſuo filio Duce, cum electa manu Ticinum profectus eſt* (2). Facile Grimoaldo fuit, diviſis, ac utrinque etiam non parum labefactatis Longobardici Regni viribus, Godaberto cæſo, Bertarido in Pannoniam ſecedente, in ejus ſe poſſeſſionem mittere. Fas vel nefas Grimoaldo id fuerit, in præſenti, quod Paullus reticere noluit, Longobardici Regni diſcrimine, judicandum aliis relinquo; illud animadvertere præſtat, noluiſſe Grimoaldum Regni ſpe, vacuum relinquere Ducatum, ſed potius tantam habuiſſe capeſſendi Regni fiduciam, ut Ticinum profecturus Romualdum *filium ſuum ex priore conjuge Itta captiva, ſed tamen nobili Puella ſuſceptum, apud Beneventum Ducem ordinarit*. Quo jure, vel quo potius conſilio id à Grimoaldo geſtum ſit, facilè intelligemus, ſi rei tum præſentis circumſtantias ſpectemus: non tam filio enim, quam ſibi ipſi proſpicere is voluit, veritus, ne ex infelici expeditionis ſuæ ſucceſſu, irritiſque conatibus ſuis, juſta Regibus, vel etiam Beneventanis Longobardis vacuum invadendi Ducatum cauſſa, promptaque occaſio pararetur (3). Cæterum poſteaquam ipſe rerum potitus eſt, hoc quoque in negotio

(1) In Cod. Leg. Longobard. cap. CLXIV. CLXVIII. ſeq. pag. 27. & 28. tom. I. part. II. Script. Ital. Muratorii: Porro Rex Rotharis Edictum ſuum promulgavit ann. DCXLIII. uti ex ejus Prologo liquet.

(2) Lib. IV. cap. LIII. Nihil magis inter Viros doctiſſimos diſceptatum, quàm de Regis Ariperti poſtremo, primoque ſtatuendo Regis Grimoaldi anno. Illum ad annum DCLX. Hunc ad ſequentem DCLXI. refert Sigebertus in Chronico, à quo recentiores omnes, ſi unum excipias Sigonium de Reg. Ital. lib. II. ſibi recedendum cenſuerunt. Ex his autem Panvinius in ſua *Chron. Eccl.* rem ad annum DCLXVI. protulit: Baronius vero, Pereginiuſque, ac Manſius denique ad Crit. Pagii de anno DCLXIII. conveniunt. Præcedentem demum annum malunt ipſe Pagius, Blancus in not. 271. ad Diacon. ac Muratorius in Annal. to. IV. pag. 133. Poſtremi hi eundem Grimoaldum teſtem ſibi adhibent, qui in ſuis ad Rotharis Edictum additamentis, *ſe ſui Regni ſexto anno, menſe Julio Indictione* XI. (quæ in an. DCLXVIII. incidit) ea promulgare profitetur: Hinc retrocedendo (ait Blancus) *ad* DCLXII. *quo mors Ariperti eſt aſſignanda, veniemus: non animadvertit hæc Peregrinius; nullaque interpoſita mora inter mortem Ariperti, & initium Regni Grimoaldi, quod ſerius in ſua comparatione ſtatuit*, (i. e. ad Kal. Jan. an. 663.) *Paulum non bene prochroniſmi arguit*: At nihil hæc me movent; nam ut pro veris certiſque habenda eſſent, verum illud, certumque eſſe deberet, ſex illos Regni Grimoaldi annos jam tum integros, ſolidoſque effluxiſſe: ſi igitur in primo ſexti anni menſe, vel die ſextus Regni annus rectè numerari, enunciarique potuit, quid vetat initium ab an. DCLXIII. vel etiam ſequenti deſumere? ac Grimoaldus certe non ſtatim poſt Ariperti mortem (ut ex Diacono præclare colligitur, ipſeque Blancus affirmat) Regno potitus fuit.

(3) Quod ſi Muratorius animadvertiſſet, non ita facilè illud in Annal. ad an. 702. pronunciaſſet: *almeno ſembra poco veriſimile, che Grimoaldo nel partirſi da Benevento per andare à Pavia dichiaraſſe Duca il Figliolo, ſenza ſapere ſe gli riuſcirebbe farſi Rè*. Non ſolum autem fieri potuiſſe veriſimilè ſuperiùs diximus, ſed factum plane conſtat ex Paullo, de cujus fide nihil heic erat, ut Muratorius dubitaret.

gotio prisca Regum jura manifestè sibi asseruit, in usumque revocavit: nam quod ad Ducatus alios attinet, Grasulfo, cujus paullo ante meminimus, Duci Forojuliano, Theudalpio quoque Duce Spoletano, defunctis, alteri Ajonem, alteri Attonem, nullo, quod Paullus memoret, consanguinitatis jure suffectos legimus (1). Attone denique mortuo, Rex Grimoaldus Trasemundum Capuanum Comitem, *qui ei ad percipiendum Regnum strenuissimè paruerat, Spoletanum Ducem constituit* (2).

Haud ita vero de Beneventano Ducatu actum fuit, quamvis post Regis Grimoaldi mortem, Rex iterum Bertaridus omnium votis Ticinum revocatus Regni administrationem suscepisset. Non solum enim illatas sibi a Grimoaldo injurias adversus filium Romualdum nullomodo vindicandas sibi duxit, verum etiam æquis eum fovere oculis, Ducemque Beneventanum ita agere tulit, ut nec ille Regio Imperio se obnoxium, nec Ducatus successionem Regis arbitrio subjiciendam ostenderet. Cur ita res Romualdo cesserit, plures afferri caussæ possunt. Ac prima illa est, quod Bertarido flagitanti Rodelindam conjugem, Filiumque Cunibertum, quos Grimoaldus sive obsides, sive captivos Beneventi custodiendos miserat, mox Romualdus dimiserit, sicque sibi Ducatus confirmationem, ampliataque etiam illius jura à Bertarido impetrare potuerit. Alteram vero caussam a Ducis potentia Ducatusque situ revocare promptum est. Celebre tum erat Romualdi nomen ex rei militaris præstantia, bellicàque virtute, quam tum in Beneventanæ Urbis obsidione adversus Imp. Constantem, tum adversus abscedentes ejus Copias ostendit; probavitque amplius in Tarentinæ, Brundusinæque Urbium expugnatione, quibuscum omnem illam, *quæ in circuitu est, latissimam Regionem suæ ditioni subjugavit*. Satius igitur Bertarido, sequutisque Regibus permittere visum, ut Romualdus, ejusque successores in ejus Ducatus possessione consisterent, quem ad universam penè Cistiberinam Italiam suis illi viribus protulerunt; atque hi quidem tantam Beneventanæ Urbi rerum omnium præstantiam, ac felicitatem compararant, ut æquo licet, ac velut communi Longobardici nominis jure, æmulam Ticinensi Aulæ potentiam, ac majestatem referret; qua de re decorum simul, atque utile Reges ipsi Longobardi sibi duxerunt, cum Beneventanis Ducibus traditis in Matrimonium Regis Fœminis adfinitates conjungere. Regis Godaberti Sororem, quamvis ille pacto non stetisset, immo fidem violasset, Grimoaldus Regno potitus (mortua jam priore conjuge Itta) sibi desponsaverat, ex qua etiam Gariboldum Filium, (de cujus fato nihil memoriæ ad nos pervenit) suscepit: ejusdem Regis Grimoaldi Nepoti Grimoaldo II. Ducis Romualdi filio, *in conjugio sociata fuit* Wigilinda *Soror Cuniberti, filia Berthari di Regis* (3). Ex quo videas simultatibus extinctis, juribusque quodammodo exæquatis, quanta inter Grimoaldi, Bertaridique posteros, interque Ticinensem, Beneventanamque Aulam obtinuerit necessitudo. Sed non dum prætereundus Romualdus nobis erit, nisi prius de ejusdem successione videamus.

Ac Romualdi quidem successionem per plures gradus recensens, sic uno loco, ac veluti summatim Paullus Diaconus perstringit. *Romualdus postquam sexdecim annos Ducatum gessit, ab hac luce subtractus est: post quem ejus filius Grimoaldus tribus annis Samnitum populos rexit: Defunctoque Grimoaldo Gisulfus ejus Germanus Ductor effectus est, præfuitque Benevento annis decem, & septem; huic sociata fuit* Winiberta, *quæ ei Romualdum peperit* (4). De quo posteriore Romualdo hæc alibi idem Diaconus: *Romualdus denique Dux Beneventi, uxorem sortitus est Guntbergam nomine, quæ fuit filia Auronæ Liutprandi Regis Sororis, de qua filium genuit, quem nomine sui Patris Gisulfum appellavit* (5). Ac rursus alibi: *Romualdo autem mortuo juniore Beneventanorum Duce, qui viginti & sex Ducatum tenuerat annis, Gisulfus ejus Filius adhuc puerulus remansit* (6). Subsistere hæic parumper operæ pretium erit, ut antequam novos extraneosque exhinc sequutos, sive potius interjectos successores attingamus, de tradita hactenus successione, quam, Diacono duce fidissimo, excurrisse libuit, necessaria plura observemus.

Mortuus est Grimoaldus major Beneventi Dux exinde Italiæ Rex anno DCLXXII. exactis in Ducatu XXV., IX. vero in Regno annis, cumque is in ipsa ad Italicum Regnum capessendum suscepta profectione Romualdum filium *Ducem Beneventi ordinasset*, jam illud consequitur (quod in superioribus notis statutum fuit) ut Romualdus Ducatus sui tempus ab anno DCLXIII. auspicatus dicatur. De annorum sexdecim, quos in Ducatu Romualdus transe-

(1) Lib. IV. cap. LII.
(2) Lib. V. cap. XVI.
(3) Lib. IV. cap. . & lib. VI. cap. II.
(4) Lib. VI. cap. II.
(5) Lib. VI. cap. L.
(6) Lib. VI. cap. LV.

transegit, numero, certa ex Diacono res est; hos vero non a tempore (ut mox dictum est) quo Pater Regnum invasit, sed ab ejus morte enumerandos contendit Cl. Bollandus, his fixus fundamentis, quod *si anno* DCLXIV. *aut* DCLXV. *post Græcos à Beneventi obsidione depulsos, casum Hunnorum opera Lupum Forojuliensem Ducem data est* (uti Diaconus narrat L. V. c. 25.) *Theodorada ejus Lupi filia conjux Romualdo secundum jam, aut tertium in principatu annum agenti, qui fiet verisimile filio* (*Grimoaldo II.*) *qui nonnisi triennio Patri superstes fuit, junctam Matrimonio Wigilindam filiam Bertharidi, adhuc penè puero* (1)? Vir summus plus nimio Paullo fidere potuit, sive potius narratarum a Paullo rerum seriem inconsultò sectari. ut ex illarum locis Chronologiam illam sibi certam statueret, quam in narrandis rebus vix, aut nunquam a Paullo servatam fuisse pluriès docti Viri animadverterunt. Id vero de præsenti re satis Bollando animadvertendum præstabatur ex ipsa, quam scribens illustrabat, S. Sabini Vita (2). Evidentius adhuc fit ex vita S. Barbati; ubi eodem tempore, quo Græcorum Imperator Constans Beneventum obsidebat, non modo Romualdi Conjux Theodorada tum extitisse, sed eximia Pietatis, Religionisque exempla dedisse legitur (3). Quum igitur Romualdus circa Annum DCLXIII. quo Ducatum inchoavit, Theodoradam uxorem accepisset, annosque sexdecim in Ducatu transegisset, potuit certè Grimoaldum filium statim ex illa suscipere, qui quidem Grimoaldus licet Patri triennio solo superstes, ætatem saltem annorum 14. aut 15. attigisse potuit, sicque ante ejus obitum cum Wigilanda nuptias inire (4); Hæc certe non veri solum simillima sunt, contra quàm Bollandus argumentabatur, sed certa etiam nobis videntur: neque exinde, quod Bollandus verebatur, vacillaturam sequutorum Beneventanorum Ducum Chronologiam, sed potius constitutam magis efficient.

Scio in ea statuenda Chronologia improbum quidem a Camillo Peregrinio laborem susceptum, qui, ut sua Chronotaxis explicatior asset, *Comparationem* cum Beneventanorum Ducum successione à Diacono tradita, distinctis, atque ad oram descriptis cujusque Ducis ad Arichim II. usque annis, lucubravit. At caligine adhuc res circumfusa visa fuit doctis Viris, quorum novas, discordesque inter se sententias sigillatim collegit Cl. Assemanus, qui sic eam Chronologiam statuendam concludit: ut Ducatus Romualdi initio ab anno DCLXII. deducto, attributis eidem Annis sexdecim, deinde ejus filio Grimoaldo II. annis tribus, mox alteri filio Gisulfo annis decem, & septem, ad annum tandem DCXCVII. veniendum sit, quem tamen neutiquam Gisulfi emortualem admittit, qui quum Johannis VI. à Kal. Nov. An. DCCI. ad V. Id. Jan. An. DCCV. Pontificatu perfuncti tempore, Campaniam invasisset, jam post dictum Annum DCXCVII. quo desinere Chronologia visa est, vivere adhuc Gisulfus debuit. *Quid igitur* (inquit) *si pro* XVII. *uti in Pauli Historia scribitur, anni* XXVII *Gisulfo sunt consignandi; itaut ad Annum Ch.* DCCVII. *devenerit? Hoc suadere videtur ipsa Gisulfi actio . . .*

*quæ*

(1) In Comment. ad Vit. S. Sabini IX. Febr. tom. II. num.61. pag.320.

(2) Biographi hæc sunt cap.V. num.16. pag. 327. *Eodem quoque tempore Longobardorum Regni gubernacula sustinebat Grimoalt: qui filium suum Romualt Beneventi Principem instituit, eique Lupi, qui è nobili prosapia extiterat, filiam nomine Theodoradam, quam modo meminimus, in matrimonium dedit: Romualt defunctus eam ad regendum Samnitum populum cum parvo filio reliquit.* Vel igitur ante susceptum à Grimoaldo Regnum, Romualdumque Ducem institutum Theodoradæ nuptiæ celebratæ sunt, vel eodem saltem tempore, certè ante Lupi mortem, ac Beneventi obsidionem.

(3) Vide quæ de Theodorada uberrimè dicta a me sunt Differt. II. cap. III. p. 57.

(4) Eadem adversus Bollandum observavit Clariss. Assemanus *Ital. Hist. Script. to.* II. *cap.* XVIII. *pag.* 572. Assemanus autem in Bollandum insurgit, plures illius, ut ait, *allucinationes* aperire, & emendare conatus in Commentario ad d. Vitam S. Sabini, ubi de Beneventanorum Ducum successione, scriptæq; ejus vitæ tempore disseruit. Mendosum ejus Vitæ exemplar Bollandus nactus est, quod sic explicit. *Hæc principante viro gloriosissimo Emerith prole Grimoalt scripta, cujus temporibus multa Salentinato populo prospera occurrere.* Certè illud *Salentinati*, alterumque *Emerith* vitiosissima sunt, atque in causa fuerunt, ut Bollandus meliori lectione destitutus, tum de *Salentinis* supervacue dissereret, tum de illo *Emerith*, cujus ex quatuor Grimoaldis Beneventi Ducibus filius fuisset, curiosiùs inquireret, atque ad primum, vel secundum se reciperet, *quum* (inquit Assemanus) *non de filio Grimoaldi, sed de Grimoaldo ipso quisnam esset, cujus hìc mentio ingeritur, investigare debuisset.* Quid igitur Assemanus? Pro *Salentinati* populo legendum ait *Samniti*; ac rectè omnino: illud autem *Emerith*, sive *Ermerich*, & *Ermenrich*, loco *Arichis* positum arbitratur, illudque denique *planum* statuit, de Grimoaldo III. filio Principis Arichis mentionem ibi esse. At quis Assemano vaticinatus est, non de filio Grimoaldi, sed de Grimoaldo ipso ibidem agi, cum *Tò prole* inter duo illa nomina æquè in consonantem T. Longobardica pronunciatione, scriptioneque desinentia, locatum, ambiguam rem faciat? Quis etiam vetabit, ut illud *Emerith* non in *Arichim*, sed potius, quod affine quoque mendoso vocabulo est, *Romualt* vertamus? Certè de Romualdo, ac Theodorada, eorumque filio Grimoaldo ejus Vitæ Scriptor plura in dicta Vita commemorat, ut potius scriptam putemus *principante Romualdi prole*, ideſt filio Grimoaldo II. quàm ad seram Principis Arichis, Grimoaldique III. ejus filii ætatem præproperè prosiliamus.

.... *quæ quum juxta Anastasium ad Joannis* VI. *tempora referatur, exinde non immerito colligitur, errorem in numero annorum* XVII. *cubare* (1). Sed qui Bollandum erroris redarguit, aliam ipse ad eundem terminum iniens viam, erraſſe pariter dicendus eſt Aſſemanus, Ille ſiquidem ut Giſulfi Ducatum ad An. DCCVII. deduceret, Romualdi I. annos à Patris ideſt Regis Grimoaldi morte, ſpreto Diaconi præclariſſimo teſtimonio, numerandos voluit; ipſe vero, ut Giſulfi Ducatum ad Annum eundem protraheret, mendum in annorum numero, quos Diaconi exemplaria præferunt, agnoſcendum, ac pro XVII. addito denario numero, XXVII. à Diacono ſcriptum cenſet. Tantum licentiæ ſibi indulgere Aſſemanus nequibat, ut mendum pro ſuo arbitrio ſupponeret, corrigeretque: Non id certe Diaconus permittebat, neque nobis modo ſinit, quippe qui ſolos cujuſque Ducis annos recenſuiſſe contentus, in quos illi Æræ Chriſtianæ annos incidere debeant, poſterorum curæ, ſi tanti ea res videretur, inveſtigandum ſervavit. Fateor quidem ex ſtatuta, Diacono ipſo nobis auctore, Beneventani Ducatus Epocha, admiſſiſque, ejuſdem teſtimonio, ſuperiorum Ducum Zottonis, Arichis, Ajonis, Rodoaldi, Grimoaldi, Romualdi, ac denique ipſius, de quo nunc agimus, Giſulfi annis, non alium nobis ex Paullo poſtremum occurrere Giſulfi annum, quam DCXCVII., qui tamen Giſulfus ex indubiis aliorum teſtimoniis ineunte Seculo VIII. ſub Johanne PP. VI. adhuc vivebat. Sed non ideo tam liberaliter X. alii anni Giſulfo tribuendi ſunt, ut non ſolum Pontifici Johanni advixiſſe, ſed biennio etiam ſupervixiſſe tradatur. Atque Aſſemani quidem ſententiam, ſive opinionem nulla prorſus ratione niti ex eo dicit Cl. Pratillus, *quod, ut alia omittam argumenta* (quæ potius, ſi qua eſſent aſſerenda erant) *Chartæ Mon. Benev. S. Sophiæ, & S. Petri, nec non Cavenſis Archivii Venuſini, Mon. Sanctiſſimæ Trinitatis & Caſinenſis in annis 706. conſignatæ habent Romualdi Ducis inſcriptum nomen Ind.* IV. *quæ utique huic anno reſpondet*. Indicaſſet Pratillus Cl. Muratorio hanc ex tot conglomeratis Archivis Chartarum ſtruem; opportunè enim Muratorio Annales ſuos ſcribenti, ac talia ad eam definiendam quæſtionem deſideranti obtigiſſent (2). Niſi quod, quum Pratillus eas chartas ad Indictionem IV. quæ in annum incidit DCCVI. univerſas referat, parum ſubſidii ex iis accipiendum oſtendit, quæ vix ad unum retrò annum nos retrahunt. Sed de hiſce Chartis catervatim ſub una Indictione indicatis mox agemus. Interim haud aliis melior Pratillus, qui, Diacono poſthabito, Catalogum Ducum, Principumque Beneventanorum, Chronico Anonymi Salernitani præfixum in quo Giſulfo annorum XIV. numerus adſcriptus legitur (3), incertam nempe, mendoſam, ac dubiæ fidei chartam ſequi malens, huic potius annorum XIV. numero, quam illis XVII., à Paullo Giſulfo traditis, denarium numerum ſupplendum, ac Giſulfum ipſum ad annum DCCIV. ſuperſtitem ſtatuit (4).

Peregrinium non moror, qui præjudicata in Paullum, *abſurda* (ut ait) loquentem, ſententiâ in ſua *Comparatione* de Giſulfi annis agens, illum *juxta ſupputationem Paulli, quem ſecuti ſunt Anaſtaſius Bib., & Adō in Chron. ſedente Joanne VI. anno circiter* DCCIII., juxta ſuam vero comparationem, è regione appoſitam, *ſedente Joanne V. atque in anno circiter* DCLXXXV. abſurdiſſimè ipſe quidem defunctum cenſet (5). Quid igitur? veri quidem ſimillima, ſi Paullo, ut par erat, non adeo adverſus fuiſſet, Peregrinius attigiſſet. Ajo itaque, relinquendos Giſulfo, quos ei Paullus tradidit, annos XVII. atque eundem Giſulfum ad Joannis VI. tempora perveniſſe, ſub quo, quum, (inquit Anaſtaſius) *in Campaniam veniret ..... denominatus Pontifex, miſſis Sacerdotibus, cum Apoſtolicis donariis, univerſos captivos redemit, & illum cum ſuo hoſte ad propria repedare fecit* (6). Dum vero Johannes anno DCCI. Pontificatum gerere cæpit, quid vetat, ut eodem, vel ſequuto anno poſt Campaniæ invaſionem defunctus Giſulfus ſtatuatur? Id vero quum ſtatuimus, a Paulli Chronologia parum, aut vix diſtabimus, quam etiam optime conſtare inveniemus; ſi cuilibet annorum numero, quos cuique Duci hactenus Paullus aſſignavit, plures alios non integros annos addamus, menſes ſcilicet illos, quos (integros dumtaxat annos, more ſuo, computaſſe contentus) Paullus neglexit: ut jam illud certum conſtet, ipſos Giſulfi annos XVII. verè ad annos DCCII. perductos, neque ultra ſequentem Annum DCCIII. producendos videri. Dum enim Chartas, (quas a Pratillo generatim indicatas,

ALTER S

(1) Ital. Hiſt. Scriptor. tom. II. cap. XIII. à num. VII. ad XI.

(2) In Ital. Annal. tom. IV. pag. 203. ad an. 702. Bollandi Chronotaxim contra Peregrinii ſupputationem objiciens rem ipſam in medio relinquere maluit. *Io per me laſcio la queſtione come ſtà; à decider la quale ci occorrerebbe qualche documento di que' medeſimi tempi*.

(3) Inter opp. Peregr. ab ipſo edita tom. II. pag 16.

(4) In notis ad Cam. Peregrin. tom. V. pag. 44.

(5) Tom. V. Opp. d. pag. 44.

(6) Simila habet ipſe Paullus Diaconus lib. VI. cap. 27. & Joannes alter Diaconus in Chron. Epiſc. Neap. ſub Laurentio Epiſcopo tom. I. part. II. pag. 306. Rer. Ital. Scriptor. Muratorii.

tas, ſatis tamen ſedulò, ſigillatimque ab Aſſemano ex Chronici S. Sophiæ antographo in Vaticana Bibliotheca ſervato deſcriptas invenio (1) conſulere libeat, jam plura Romualdi, qui Giſulfo ſucceſſit, Diplomata occurrent, non quarta ſolum, ſed ſecunda, tertia, quinta, ſexta, ſeptima, decima, tertiaquedecima Indictione ſignata. Ac mirum quidem in Indictione ſecunda, ac tertia annum 719., & 720. duntaxat ab Aſſemano agnitum, definitivèque ſtatutum, qui in Indictione quinta, ſextaque (quod in ceteris ſervavit) alterutrum annum vel 707. vel 722. ſicque vel 708., vel 723. intelligendum permiſit. Eadem enim de omnibus Indictionibus ratio habenda erat, habendamque, quæ ſuperius a nobis obſervata ſunt, prorſus ſuadent, ùt ſcilicet, quæ Secunda Indictio eſt ad Annum 704. referenda omnino ſit; quo ſane anno dum Romualdus Giſulfi ſucceſſor Ducatus adminiſtratione fungebatur, id quod definitum ſuperius nobis fuit, comprobatum magis efficit, nonniſi anno DCCII. vel ſequenti Giſulfo defuncto, ejuſdem Ducatus regimen ſuſcepiſſe.

Poſteaquam hac temporum ratione ſemel ſtatuta, præcedentium, ſequentiumque Ducum annos præclarius quam hactenus demonſtrandes curavi, quid in eorum ſucceſſione a Regis Grimoaldi tempore geſtum ſit, obſervandum modo erit. Poſtquam igitur, Arichi, ejuſque filio Ajone defunctis, ad Rodoaldum, ejuſque Fratrem Grimoaldum Beneventanus fuit delatus Ducatus, jam hic hæreditarium jus ſibi quæſiſſe videtur; quandoquidem in Grimoaldi familia, quouſque ejus poſteritas viguit, conſtitiſſe probatur. Plures Ducum ſucceſſiones à Grimoaldo deductas, atque ex ejuſdem Grimoaldi ſanguine propagatas ex Paullo ſuperius audivimus: Nam Grimoaldus Romualdum filium ſibi Ducem ſuffecit, cui defuncto, Grimoaldus II. ipſius filius ſucceſſit; quem poſt triennium ſine prole defunctum excepit Giſulfus germanus frater: qui filium Romualdum II. ſucceſſorem reliquit: ex quo tandem poſteriore Romualdo, Giſulfus II. (in quo ſuperius ſubſtitimus) ex Aurona conjuge Regis Liutprandi nepte ſuſceptus, ætate licet puer, ad paternum Ducatum vocatus fuit. Dum itaque has ſucceſſiones attendamus, in queis tam diuturno temporum ſpatio in unius Grimoaldi poſteritate Ducatus poſſeſſio perſeveravit, neque a tot ſucceſſoribus Ducibus, ut rerum potirentur, Regia auctoritas unquam impetrata legatur, quid ni unico, ac pleno Hæreditatis Jure, **Αὐτονομίαν** ſivè **Αὐτοκρατίαν** adeptus Beneventanus Ducatus cenſendus ſit? Sed ſententiam proferre non dum licet, niſi de præfato Giſulfo II., ejuſque ſucceſſoribus, quemadmodum res ſe habuerit uſque ad Beneventani Principatus inſtitutionem, prius cognoſcamus.

Ex Giſulfo I. qui (uti diximus) ad An. DCCII. pervenit, Romualdus II. natus eſt, qui poſt exactos in Ducatu annos vigintiſex, anno DCCXXVIII. mortuus Giſulfum II. filium adhuc puerum ſibi ſucceſſorem reliquit. At ipſa ætas, quæ impedimento ei fuit, ne Ducatus adminiſtrationem ſuſciperet, in cauſſa quibuſdam etiam extitit, ut eo extincto vel exturbato, Ducatum invadere molirentur. Sed cœptæ machinationes in irritum ceſſerunt, primùm Beneventanorum fide, mox Regis Liutprandi providentiâ. Ac de Beneventanorum fide, quò, præclarius commendata habeatur, libet Diaconi verba in medium proferre, *Contra quem* (parvulum Giſulfum) *aliqui inſurgentes, eum moliti ſunt extinguere, ſed Beneventanus Populus*, qui ſui Ductoribus ſemper fidelis extitit, *eos peremerunt, ſui Ducis vitam ſervantes* (2). Regis autem Liutprandi providentia in eo fuit, ut ad ſedandas turbas Beneventum adveniens, Giſulfum puerum ſub ſua tutela in Ticinenſi Aula educandum ſuſciperet, intereaque, ne Ducatus Giſulfo adultiori ſervandus, ambitioſorum factionibus iterum pateret, temporaneo Duci adminiſtrandum reliquit (3). Quibus ex cauſis permotus Liutprandus fuerit, ut de incolumi ſervando, liberaliterque educando Giſulfo, deque altero illius vice ad Beneventani Ducatus regimen ſubſtituendo, adeò ſolicitum ſe probaret, haud difficile intellectu erit, ſi ejus cum Giſulfo neceſſitudinem, ac præterea Beneventani Ducatus rationes animadvertamus. Liutprandi *Nepotem* Giſulfum vocat Diaconus, communi quodam vocabulo uſus, qui alibi ex Guntberga natum affirmat, *quæ fuit Filia Auronæ Liutprandi Regis Sororis* (4). Par igitur fuit, ut in eo graviſſimo Ducatus, vitæque diſcrimine opem ſuam Giſulfo neptis ſuæ filio Liutprandus exhiberet: ſed & ejuſdem Regis intererat non ſolum Giſulfum incolumem eſſe, ſed & Beneventa-

(1) Ital. Hiſt. Script. tom. II. pag. 578. Eaſdem Chartas legere eſt in dicto Chronico S. Sophiæ, quam ab Ughello vulgatum tom. VIII. edit. Rom., modo tom. X. edit. Venet.

(2) Lib. VI. cap. LV.

(3) Verba Paulli l. l. hæc ſunt. *Qui Giſulfus cum propter ætatem puerilem idoneus ad tantum populum regendum non eſſet, Liudprandus Rex Beneventum tunc veniens, eum exinde abſtulit, & apud Beneventum ſuum Nepotem Gregorium Ducem ordinavit ..... Ita rebus compoſitis ad ſuum ſolium remeavit, Giſulfumque ſuum Nepotem paterna pietate erudiens, ei Contbergam, nobili ortam progenie in matrimonium junxit.*

(4) Lib. VI. cap. L.

ventanum Ducatum ab iis administrari, qui Regiæ auctoritati obsequentes Longobardici Regni jura, majestatemque in Cistiberina Italia tuta, atque integra præstare possent.

Itaque si Paullum, uti hactenus factum fuit, sequamur, Romualdo II. defuncto, ejusque filio Gisulfo II. regendo Ducatui nondum per ætatem ideoneo, mox Gregorius prædicti Regis Liutprandi nepos ab eodem delectus, ac Dux successor nobis occurret. Sunt tamen vetera monumenta alia, quæ inter Romualdum, Gregoriumque, Adelaym, seu Audelajum, aut potius Audoaldum Ducem consignent, cui quidem Chronicon S.Sophiæ annos duos (1), Cavense vero annum unum, mensesque novem attribuunt (2). At non hæc Paullo adversantur, neque horum fides ex Paulli silentio labare debet. Ex Paullo enim nullimode contrarium evinci potest, sed vehemens potius conjectura est, in illa Ducatus, quem mox Romualdo mortuo, ac sub Gisulfo puero aliqui invadere moliebantur, pertubatione, Audoaldum hunc sese in ejusdem Ducatus administrationem intrusisse, quem veluti raptorem, tyrannumque prætermisit Paullus, prætermissum etiam invenio in altero veteri Chronico Salernitano (3). Commemorandum vero, ac ob non exiguum administrati Ducatus tempus inter Duces recensendum sibi duxerunt auctores utriusque Chronici Sophiani, & Cavensis; ac Cavense quidem ità habet: *Adileus sedit A. I. Mens. IX. qui postea fuit occisus*. Ut jam videas hæc cum Paullo omnino convenire, qui factiosos homines, quorum signifer Audoaldus esse debuit, Gisulfi pueri vitæ insidiantes *a Beneventano Populo peremptos* diserte testatur: ac cum a Beneventano quidem Populo peremptos sciamus, illud etiam satis certum consequitur, ut non illico, sed aliquo post Romualdi obitum temporis spatio, Regis Liutprandi adventum statuamus; itaut menses illi viginti, & unus, quibus Audoaldus Ducatum occupavit, effluxisse potuerint. An vero temporis illius spatium, quo Audoaldus Tyrannidem potius, quam Ducatum exercuit, separatim, atque sub ipsius Audoaldi nomine numerandi sint, vel potius successori Gregorio adjudicandi, mox videbimus.

Licebit nunc post Audoaldum ad Paullum redire, qui (uti diximus) Gregorium Ducem a Liutprando Beneventanis relictum, sivè *ordinatum* tradit; qui *dum apud Beneventum annis septem ducatum gessisset, vita exemptus est* (4). Gregorii mors, Gisulfique, qui adhuc in Ticinensi Aula educebatur, absentia, Godescalcho Ducatus successionem aperuit. An legitimus Gregorii successor Godescalchus fuerit, non rectè constat. Ac Leo quidem Ostiensis, qui Gisulfum *juniorem nepotem Liutprandi Regis post Godescalcum Beneventanorum Ducem extitisse*. Lib. I. cap. V. Chronici sui affirmaverat, mox cap. VIII. inter decessorem Gregorium, successoremque ipsum Gisulfum præterire maluit. Diaconus vero post Gregorii obitum revera Godescalcum *Ducem effectum*, *annisque tribus Beneventanis* præfuisse tradit: at illud etiam innuere videtur, eundem Godescalchum, Transemundi (cujus narrationem eodem loco conjungit) Spoletanum Ducatum invadentis exemplo, in Beneventanum Ducatum irrepsisse, nam mox subdit: *Rex Liutprandus talia de Spoleto, sive Benevento audiens, rursus cum exercitu Spoletum petiit*: expulsoque Transemundo, Agebrandoque suo Nepote Duce constituto, *quum Beneventum properaret, Godescalchus audito ejus adventu, navem conscendere, atque in Græciam fugere molitus est. Qui postquam uxorem* (Annam), *& cunctam suppellectilem suam in navim imposuisset, & novissimè ille ascendere vellet, irruentibus Beneventanis Gisulfi fidelibus extinctus est. Uxor sanè illius cum omnibus, quæ habebat, Constantinopolim perlata est* (5). Nihil ea re clarius haberi potest, ut Godescalchus facta sibi ex Gregorii morte, Gisulfique absentia occasione, Beneventani Ducatus invasor existimandus sit. Neque ad eum profligandum solus Liutprandum excitavit,



(1) Tom. II. part. I. Ital. Scriptor. Murator. pag. 320. & inter Opp. Peregr. tom. V. pag. 21.

(2) Inter Opp. Peregrinii tom. V. pag. 6.

(3) Eadem tom. V. Peregrinii pag. 16.

(4) Lib. VI. cap. LV. & LVI. Cl. Assemanus tom. II. pag. 571. Caracciolum Beneventanorum Ducum successionem in *Propyleis* contexentem erroris redarguit, *quod ab hoc Gregorio Duce Gisulfum puerum adnotatum* scripserit; at à Liutprando (etsi obscurè) educatum Gisulfum Caracciolus potius dicit, qui Paullum, ex quo eam successionem hauriebat, præ oculis habens, manibusque tunc terens sic scribit: *Gisulfo ob pueritiam inepto regimini, Liutprandus Rex substinuit nepotem suum, cui nomen Gregorius, eique uxorem dedit Giselbergam. Hic* (scilicet Liutprandus, qui præcedentem loquutionem regit) *Gisulfum puerum educavit, educatoque Conibergam Conjugem duxit. Idem Paullus lib. 6. cap. 55.*: quo loco Paullus de Liutprando educatore loquitur, à quo tandem (non à Gregorio qui septem post annis obierat) juncta est Gisulfo uxor Coniberga. In eo potius errare dicendus videtur Caracciolus, quod impropriè nimis à Liutprando *Patruo*, qui *proavungulus* erat Gisulfum Ducatui restitutum eodem loco asserit. Sed & Assemanus ipse errasse videtur; qui l. l. Audoaldum, sive, uti vocat, Adelajum, à Liutprando Rege amotum pro certo tradit, quem à Beneventanis *Gisulfi fidelibus*, fortasse etiam ante Liutprandi adventum, occisum testatur Chronici Cavensis Auctor, cujus verba superius recitavimus.

(5) Lib. VI. cap. LVI. & LVII.

vel Regiæ auctoritatis contemptus, vel Gisulfi legitimi successoris detrimentum; sed illa quoque satis vehemens ejusdem Godescalchi cum Græcis fœderis suspicio, ex quorum gente *Annam* conjugem habuisse verisimile est, ad quos etiam ipse transfretaturus confugere moliebatur. Sed injuriâ prorsus, suorumque factione (reliqui enim, idest *Beneventanus Populus*, Gisulfo fidem desponderunt) Godascalchus Ducatum surripuisse videtur: quamobrem dubitare subit, num tres anni illi quibus Benventanis præfuit, eidem tribuendi sint, vel potius Gisulfi annis adnumerari debeant. Id quod paulo inferius statuendum erit.

Sed jam demum juniorem Gisulfum ad Paterni Ducatus possessionem admissum intueri suppetit; properè quidem, si adhuc ejus spectabimus ætatem; nam puer à Patre moriente relictus, post annos illos, quos interim Audoaldus, Gregorius, Godescalchus expleverant, vix ad XIV. ipse circiter annum adoleviſſe potuit; sed Ducem Gisulfum præfici maximè intererat, ne novis turbis, invasionibusque, & illius successio, & Reip. status amplius perturbaretur. Godescalcho igitur exturbato, interfectoque, *Tunc* (inquit Paullus) *Rex Liutprandus Beneventum perveniens, Gisulfum suum nepotem iterum in loco proprio Ducem constituit: rebusque ita compositis ad suum Palatium* (idest Ticinum) *remeavit* (1).

De posterioris, seu *Junioris* hujus Gisulfi annis, quibus Benevento præfuit, nihil habet Paullus, qui Historiam suam, cum Regis Liutprandi obitu (superstite quidem ipso Gisulfo, paulo ante, ut videtur, Ducatum ejusdem Regis ope adepto) conclusam voluit. Ad veteres igitur Chronographos convertemur, quos inter sese discrepantes inveniemus. Qui Chronicon S. Sophiæ conscripsit, annos XVII. diesque X. Gisulfo II. attribuit (2). Pauciores præstat Chronicon Anonymo Salernitano præfixum, a quo Anni XIV. Gisulfo assignantur (3). Ex his partem aliquam demit Chronicon Cavense, ubi XII. anni, mensesque VII. inscripti habentur (4); minorem adhuc numerum exhibet Salernitanum Chronicon, cujus auctor annos duntaxat VII. recensere satis babuit (5). Quid in tanto tot veterum Chronologorum dissensu dicemus? Obscurissima fortasse res videbitur; atque etiam desperata post aliorum parùm probatos labores, qui ad veri aliquam similitudinem eam perducere conati sunt; sed, quum perduxisse intererit summopere, an verisimiliora haberi queant, experiundum mihi nunc erit.

Ac primum flocci faciendum Cavensis Chronici testimonium ajo, quod, quum nulla ratione, vel aliis tribus Chronicis propiùs accedere, vel conciliari possit, mendosum omnino censeri debet, aut (si genuina lectio est) non est, cur aliis tum numero, tum prærogativâ præstantibus Chronicis, illius fidem anteferamus. Respuenda pariter est editoris Pratilli animadversio, sive *nota* illa (8.), quam ad ejusdem Chronici locum appinxit, ubi Anni XII., mens. VII. Gisulfo tribuntur: sic enim subdit: *Chronologus Sansophianus huic Duci* (Gisulfo) *annos tribuit* VII.; *sed quam male suo loco patebit*. *Malè* equidem, si Chronologus Sansophianus Annos VII. scripsisset; at contra in omnibus editionibus, tum ipsiusmet Pratilli, tum Ughelliana, tum Muratoriana, Annos is constanter disertissimèque habet XVII., & dies X. Quid, si in ipso Chronico Cavensi oscitanter fortasse descripto pro XII. scriptum sit XVII.? nihil veri magis simile ut numeralis nota V. post numerum X. è describentis manu (quicunque is fuerit) effugere potuerit: neque enim Chronologus, aliorum Chronologorum in aliis ferè omnibus fidem sectatus, ejus duntaxat rei singularem se testem ostendisse censendus est.

Restat itaque ut ex S. Sophiæ Chronologo Annos XVII. Gisulfus sibi accipiat; quos quidem annos ab cæteris pariter Chronologis, si quis illos penitius advertat, facili negotio eidem Gisulfo attributos inveniat. Ad Salernitanum enim quod attinet Chronicon, quis numerum illum Annorum VII., adeo enormi temporum distantia ab aliorum annis remotum, ibi legens, non illico antecedentem notam X. (quæ ante illos VII. præscripta omnino erat) excidisse pronunciaverit? Ita sane res est; ut jam Chronologum hunc non VII. sed XVII. scripsisse, propterea que cum nostro Sansophiano concordem affirmare liceat. Haud secus postremum Chronicum Anonymo Salernitano præfixum (admissa omnino, probataque, quam exhibet annorum XIV. scriptione) cum eodem Sansophiano convenire videtur. Etenim tres illos, quos in Gisulfo detraxit annos, decessori Godescalcho assignavit, ratus fortas-

(1) Lib. VI. cap. LVIII.

(2) Inter Opp. Pereg. edit. Neapol: tom. V. pag. 21., & inter Scriptor. Ital. Murator. tom. II. pag. 320., & apud Ughellum Ital. Sacr. tom. X. pag. 419. edit. Venet.

(3) Inter Opp. Peregr. edit. Neapol. tom. II. pag. 36.

(4) Edidit Patrillus inter eadem Opp. Peregr. tom. V. pag. 6.

(5) Ibid. pag. 16. & apud Murator. d. to. V. pag. 319.

fortaſſe Godeſcalchum, etſi haud legitimum Ducem, minime triennio ſuo privandum, quo Ducatum adminiſtraſſe, ſeu occupaſſe à Diacono traditur. Chronologus autem Sanſophianus quamvis de Godeſcalcho non ſileat, integros annos XVII. Giſulſo attribuiſſe videtur: Id quod ex Diacono præclarius fit, qui Giſulſum non tunc primum poſt Godeſcalchi necem, ſed *iterum in loco proprio Ducem* à Liutprando *conſtitutum* affirmat (1), ut jam a Gregorii morte, cui nullum alium Rex Liutprandus ſucceſſorem dedit, proximum Ducem, ſucceſſoremque reputandum Giſulſum, ac Godeſcalchum è Ducum Gatalogo expungendum Diaconus demonſtrat; quemadmodum & is, Audelajo, ſeu Audoaldo (qui mox poſt Ducis Romualdi II. mortem in Ducatum irrepſit, ac ſeſqui anno circiter tenuit) nullum inter Duces locum tribuit, immo nullâ prorſus memoriâ dignum exiſtimavit.

Ut vero ex Giſulfi I. obitu, ſequutorum Ducum hactenus traditæ ſucceſſiones, ſingulisque attributi adminiſtrati Ducatus anni, rectius conſtent, Chriſtianæ Æræ, cui illi alligandi ſunt, ratio heic ineunda erit, quemadmodum ad præfatum uſque Giſulfum I. ſuperius factum fuit. In Anno DCCII. ſuperius ſubſtitimus, quem dicti Giſulfi I. emortualem probavimus. Ab anno igitur ſequenti DCCIII. Romualdi II. ejus filii, ſucceſſoriſque Ducis ſumenda initia ſunt; qui quum per annos XXVI. advixerit, puerumque filium Giſulfum II. reliquerit, anno certe DCCXXVIII. ineunte Audoaldo Ducatum invadendi occaſionem aperuit, Audoaldo exturbato, ſive extincto Gregorius Anno DCCXXIX. ſuffectus eſt; ſeptennii ſpatium Gregorio huic Diaconus aſſignat, qui quum Audoaldum Ducem non agnoſcat, immo poſt Romualdi II. obitum eundem Gregorium Ducem a Liutprando *ordinatum* proxime ſtatuat, jam huic Gregorio ſeptennio ab ipſo Romualdi poſtremo anno DCCXXVIII. exordium faciendum ſuadet; Gregorius itaque ſeptem poſt annos, vita, ducatuque ſuo perfunctus, Godeſcalcho quidem, ut ab anno DCCXXXIV. triennii ſpatio ejuſdem Ducatus adminiſtrationem ſibi uſurparet, Giſulſo vero II. præſtitit, ut ab eodem anno (uti ſuperius probatum eſt) Ducatus ſui tempora enumeraret: quæ quum integro annorum XVII. ſpatio concluſa fuerint, id demum efficiunt, ut ab dicto Anno DCCXXXIV. ad annum uſque DCCL. Giſulfi vitam, ejuſque Ducatus tempora metientes (2) ad Liutprandum demum perveniamus, qui poſt VIII. Ducatus ſui annos, menſeſque III. (quos ei tradit, reliquis accuratior, ac ſincerior Chronologus noſter Sanſophianus (3)) ad *Arichim* denique II. nos tuto itinere perducit; eum nempe Ducem in quo *Ducum* Beneventanorum Series definit, præclariorque altera *Principum* Epocha decurrere incipiet; quem Arichim Anni DCCLVIII. menſe Februario Ducatus regimen ſuſcepiſſe apud omnes convenit, indubiæque fidei monumenta teſtantur.

Poſt ſtatutam, quæ individua ſucceſſionis comes erat, Beneventanorum Ducum Chronologiam, de poſtremis duobus paulò ante memoratis Ducibus *Liutprando*, atque *Arichi* adhuc

(1) Lib. VI. c. LVIII. Ac Frid. Lindenbrogius in ſua Paulli editione pro: *in loco proprio*: legit: *in loco priſtino*: ut ſemper illud utraque lectione certum ſit, Giſulſum veteri jure, quo ad Paternam ſucceſſionem vocabatur, pro vero legitimoque Duce ſemper habitum; neque eandem Codeſcalchi, ſicut Gregorii rationem habendam, qui Giſulfi adhuc pueri vice a Rege Liutprando ad Ducatus adminiſtrationem legitimè promotus fuerat.

(2) Ex Chronicis tum Sanſophiano, tum Vulturnenſi Giſulfi, quæ extant, diplomata omnia recenſuit Cl. Aſſemanus d. tom. II. pag. 580. ſeq. Ex Indictionibus, quæ ſingulis inſcripta ſunt, primus qui occurrit annus eſt DCCXLII. qui nihil turbare debet, dum non omnia Giſulfi diplomata, ſed quæ ad rem ſuam pertinebant, Chronographi illi colligenda curabant. Sed quod ad poſtremum annum attinet duo obſtare videntur Diplomata; alterum eſt ex part. 3. num. 5. Chronici Sanſophiani ubi Indictio IV. legitur, quod Diploma ad annum DCCLI. quo ea Indictio currebat, Aſſemanus refert: Si quis itaque Giſulfum ad eum annum perveniſſe malit, haud repugno, dummodo anni partem attigiſſe dicatur, reliqua parte ſucceſſori Liutprando relicta, quem ab dicto anno nos Ducem ſuperius ſtatuimus. Cur vero (quod probabilius fuerit) cum ipſa Indictione IV. ad an. DCCXXXVI. non retroceſſiſſe liceat, quo eadem Indictio locum habet, ac Giſulfus ipſe Ducatum auſpicatus jam fuerat? Alterum Diploma habetur in Chronico Vulturnenſi apud Murat. tom. I. Script. Ital. part. II. pag. 356. ex quo Giſulfum ad annum uſque DCCLXIII. perveniſſe videtur: At ſuppoſitium, vel mendoſum id Diploma jamdiù ante Aſſemanum conſentientem Muratorius ipſe animadvertit, pronunciavitque.

(3) Tom. II. Script. Ital. pag. 320. num. XIV. & inter opp. Peregr. tom. V. pag. 21. & apud Ughell. tom. X. pag. 419. Ejuſdem autem Chronographi (ſecus, ac Salernitani, qui falsò annos VI. & pro Liutprando *Limpandrum* habet; uti *Cavenſis*, qui annos III. menſ. VII. ſcribit) fides de tradito Annorum VIII. menſ. III. tempore optime conſtat ex ejuſdem Ducis Liutprandi Diplomatibus, quæ ex eodem antographo S. Sophiæ Chronico laudatus Aſſemanus d. tom. II. pag. 586. recenſet, nam, ut ea, quæ medii temporis ſunt, prætercam, adeſt Diploma ab ipſo Liutprando datum *menſe Martio per Indictionem tertiam* hoc eſt An. DCCL., ut jam illud certum ſit ab dicto An. DCCL. Giſulfum defeciſſe, ſuſceptamque a Succeſſore Liutprando Ducatus adminiſtrationem. Adeſt alterum eodem loco relatum, *datum menſe Februario per Indictionem decimam* hoc eſt Anno DCCLVII. *atque eodem menſe*, *atque anno*, antequam idem Liutprandus Ducatu pulſus Arichi locum dedit, uti ſuperius dictum eſt.

adhuc dicere restat: ut quo ipsi jure, subsidiisque ad Ducatum capessendum accesserint, perscrutati, de ipsius Ducatus conditione (quod rei caput est) decernamus. Extitisse Ducem Beneventi Liutprandum (de quo plerique silent) certissima res est, quam præter Diplomata in Chronico S. Sophiæ extantia, alia etiam ejusdem Liutprandi Charta manifestam efficit, de qua noster Chronographus Falco disertè meminit in An. 1121. (1): obscurum potius illud videri potest, ut de ejus prosapia statuamus. Ant. Caracciolus nihil de hoc Liutprando Duce nactus apud Paullum Diaconum, non ultra Gisulfi II. exordia progressum, aliis vero vetustis destitutus monumentis, ac præsertim Chronicis, quæ postea in lucem prodierunt, post Gisulfum II., in quo Paullus conquieverat, Erchempertum sibi adhibuit, qui *sequentium* (inquit) *Beneventi Principum seriem sic habet*: ac mox: *Liutprandus an. 8. m. 3. hunc puto Gisulfi filium*. Convenit quidem sive Erchempertus, sive Caracciolus de Ducatus annis cum Chronographo S. Sophiæ, ut jam res isthæc superius a me statuta novo hoc testimonio amplius confirmata maneat; at quum Chronographus iste nondum Caraccioli ætate evulgatus haberetur (2), eidemque (ut videtur) ignotus omnino esset, hinc *opinari* tantum ei subiit, Gisulfi filium fuisse Liutprandum; quem certa sententia, & Gisulfi filium, & Regis Liutprandi nepotem Chronographus statuit, hæc post Gisulfum II. habens n. XIV. *Liutprandus filius ejus, nepos Liutprandi Regis sed. An.* VIII. *mens.* III. (3). Quod quum ita sit, mirum videri debet, cur Cl. Assemanus, cui ex ipso Chronographo res istæc omnino liquebat, Caraccioli opinionem, sive conjecturam falsitatis notaverit, quam potius ex verisimili omnino certam Chronographus effecisse videtur. *Colligitur* (inquit Vir summus) *Scaunibergam Gisulfi II. uxorem, post viri obitum Liutprando nupsisse: hoc enim significant, quæ supra ex Cod. Vat. 4939. protuli Diplomata, in quibus nomen Scaunibergæ Liutprando præmittitur, & ambo Summi Duces Longobardorum dicuntur: Quare Ant. Caracciolus fallitur, dum de Liutprando sic conjectatur*. Hunc puto Gisufi filium: *si filius fuisset, Matrem Scaunibergam in conjugium sibi non copulasset: quod autem Liutprandus Scaunibergam uxorem duxerit, ex eo arguitur, quod Domnus vir gloriosissimus post Scauniperga nomen appellatur: nam eadem Scauniberga nuptiis suis Liutprandum virum ad Ducatum Beneventanum extulit* (4). Sed veniam dabit Vir doctissimus, si (sepositio etiam Chronographi testimonio) parum feliciter processisse ejus argumentationem affirmarim. Nullam litem facio de Scauniberga, quam Gisulfi conjugem statuit: si fides Paullo, quam certe Assemanus præstitit pag. 569. quæ *nobili orta progenie* conjux Gisulfo à Rege Liutprando tradita fuit, non *Scauniberga*, sed *Coniberga* est appellata (5): Esto tamen Scaunibergam, aut Conibergam unam, eamdemque alterutro nomine, ipsamque Gisulfi conjugem haberi libeat, nam Scaunibergam appellat Paulli exemplar, seu Codex Bibl. Ambrosianæ (6), eodemque nomine vocat Ostiensis (7). Quis tamen sibi persuadeat, fœminam Gisulfi Ducis *relictam* non solum ex viri morte Ducatus successionem sibi comparasse, verum adeò pleno jure arbitrioque assequutam, ut spreta Regis auctoritate, nullisque Populi suffragiis, quem mallet Virum in Ducatus Thorique consortium delegerit. Divinat profecto Assemanus, dum commentitium illud pro certo, ac vero supponit, Scaunibergam *nuptiis suis Liutprandum ad Ducatum extulisse*. Sed, inquit, ex tot Diplomatibus æquo Scaunibergæ, & Liutprandi nomine inscriptis id arguitur; in quibus Liutprandus ipse post Scaunibergæ nomen Domnus Vir gloriosissimus appellatur: Leviuscula, immo inanis ea conjectura est; si verò ea ex re conjecturam facere liceat, illud potius, vel æque saltem ex inscriptis utriusque nomine Diplomatibus argui potest, vel Scaunibergæ *Virum*, vel potiùs *Filium* Liutprandum

(1) Apud Murator. tom. v. Rer. Ital. pag. 47. Agitatam Kal. Martii anni 1121. coram Callistro PP. II. Beneventi tunc degente caussam inter Agnetem Abbatissam Monasterii S. Petri, & Bethlehem Abbatissam Monasterii S. Mariæ refert Falco, additque ab Agnete, seù *ejus Advocato ostensum Privilegium, quod Leoprand olim Dux Civitatis Beneventanæ concessit, & tradidit prædictam Ecclesiam S. Mariæ sub jure, & Dominio prædicti Monasterii S. Petri*. Adversus hoc Privilegium (de cujus fide nullum fuit dubium) Bethlehem quinquagenaria præscriptione suam libertatem tuebatur: Pontifex vero ita rem temperandam duxit, ut Monialibus S. Mariæ fas, liberumque maneret Abbatissam sibi eligere, a Romano Pontifice consecrandam, adjecto tamen onere annui census Monasterio S. Petri in veteris subjectionis signum persolvendo.

(2) Post Caracciolum primus omnium Camillus Peregrinius edidit non integrum Chronicon S. Sophiæ (quod postea ab Ughello factum est tom. VIII. nunc X. Ital. Sacr.): Sed quæ ipsi Chronico præit, solam Chronologiam Ducum, Principumque Beneventanorum ex Cod. Vaticano descriptam, quam sibi ignoranti ab Ab. Constantino Cajetano transmissam, summoque gaudio, ac subsidio exceptam inquit in Præfatione. Vid. tom. v. opp. pag. 19.

(3) Ibidem pag. 20. & apud Murator. Rer. Ital tom. II. pag. 320.

(4) Tom. II. pag. 591.

(5) Lib. VI. cap. L.

(6) Ut Blancus animadvertit not. 225.

(7) Chron. Casin. lib. I. cap. V.

dum esse potuisse, ut scilicet Scaunibergam matrem post Gisulfi genitoris obitum, adhuc in Ducatus administrationem admiserit, atque honoris caussa in suis Diplomatibus secum memorandam Liutprandus voluerit. At cur demum Liutprandum Gisulfi, ideoque & Scaunipergæ filium ambigamus, quem Ghronographus S. Sophiæ præclarissimè affirmat? An ex levissima illa, atque omnino ancipite conjectura, Chronographi testimonium contemni debeat (1)?

Breve admodum Liutprandi Ducatus, annorum scilicet VIII. ac Mensium III. spatium fuit, ac infelix exitus. Mortuo Aistulpho, Ratchisioque Monacho ejus fratre, qui in abdicatum Regnum rursus irrepere conabatur, in ordinem redacto, anno DCCLVI. Desiderius Longobardorum Rex suffectus fuit, qui violatæ Religioni, ingratissimi animi vitium adjungens, in Romanum Pontificem, cujus præcipua ope Regnum obtinuerat, ac in Pontificiæ Ditionis Urbes arma movit, atque undique invasiones molitus fuit. Paucis quoque ante annis hanc nomini suo labem Rex Liutprandus (Anno DCCXLIII. vel sequenti defunctus) conquisierat, qui ut expeditiorem rei successum pararet, Ducibus tum Spoletano, tum Beneventano (qui Gisulfus II. tunc erat) ut ex sua quisque parte Romanæ Ecclesiæ terras invaderent, imperavit; quod illi tamen facere detrectantes, regiam potius subire indignationem, quam eam Romano Pontifici injuriam inferre statuerunt, uti ex Pontificis Gregorii III. ad Carolum Magnum Epistola alibi memoravimus, ac paullo inferius observare adhuc oportebit. Regis itaque Liutprandi exemplo ductus, è re sua Desiderius duxit, si eosdem Duces facinoris sui socios haberet, ut scilicet Beneventanus Liutprandus in Cistiberina Italia positus Campaniam Romanam invadendam sibi arriperet: sed qui cum ipso Ducatu paternæ simul Religionis successor fuit Liutprandus, piissima etiam seù *devotissima* (ut Ostiensis vocat) Scauniberga matre fortasse consulente, genitoris potius Gisulfi exemplum sequi voluit, seseque in illud discrimen injecit, ut Regem Desiderium furentem hostem experiretur, à quo vix fuga evadens Ducatus demum privationem passus est. Aliter rem istam ab Anonymo Salernitano narratam invenio. Non is quidem Ducis Liutprandi meminit, sed illud duntaxat de Rege Desiderio prodit, *in initio sui Regni Spoletanos, & Beneventanos rebelles fuisse: quos Desiderius hyemis tempore cum suo exercitu pergens per pugnam ad suum reduxit servitium*: & paullo post: *aliam præfatus Rex habuit filiam, cui nomen Adelberga fuit, quam nuptui tradidit Arichi Beneventanorum Duci* (2): non inquam Anonymus hoc loco, atque hac occasione Liutprandi meminit, nec Liutprandi successorem Arichim ab eodem Desiderio Ducem constitutum aperit, immo alibi (uti mox videbimus) diversa de Arichis successione profert; sed & Regiæ expeditionis caussam Beneventanorum rebellioni generatim attribuit, qui à Desiderii fide, ac subjectione nullatenus defecisse probantur, sed in una ea re, quam diximus, illius iniquis jussis nequaquam sibi obsequendum cum suo Duce duxerunt: At nil mirum, rem istam ab Anonymo dissimulatam, immo sic expositam, ut in Beneventanorum potius, quam Desiderii invidiam verteretur; dum is eodem loco sese studiosissimum ejus Regis prodit, qui pessimè, & passim ab aliis audivit (3). Fueritne privatum erga Desiderium Anonymi, hominis certè Longobardi, studium, vel ob Longobardici Regni interitum, ejus animi ægritudo, ut Desiderium nulla alia ex causa, quam *ex iniqua suorum cupiditate, ac proditione* Regi Carolò traditum affirmaverit, illud fatendum

(1) Majus negotium facessere videtur Chronographus, qui Liutprandum Gisulfi *filium*, etiam Regis Liutprandi *nepotem* appellat. Ex hoc Cam. Peregrinius Paullum Diaconum cavillandi occasionem arripuit, quod is Gisulfum II. ejus Regis nepotem effecerit, quando ex nostro Sansophiano Chronographo constat, non ipsum Gisulsum, sed Liutprandum Ducem Liutprandi Regis nepotem fuisse. Satis autem huic Peregrinii objectioni a Cl. Assemano factum est d. t. II. p. 569. Quum igitur Gisulfus Regis Liutprandi nepos fuerit, quomodo Dux Liutprandus nepos quoque ejusdem Regis esse potuit? Potuit eo modo quo Gisulfus, nepos esse. Si enim Gisulfus nepos ab omnibus appellatus fuit, quamvis ex Regis Liutprandi nepte, ideST ex Guniberga filia Auronæ Sororis Liutprandi natus: Liutprandus quoque ejus filius, remotiore licet gradu, ejusdem Regis Liutprandi nepos appellari potuit.

(2) In Chronico cap. IX. inter opp. Peregr. t. II. p. 51.

(3) De Rege Desiderio hæc habet *Brevis descriptio de postumis quinque Regibus Longobardorum Italiæ* excerpta ex Romano Pontificali apud Peregrinium tom. I. pag. 44. *Desiderius cum Adelgiso filio regnavit Annis* XIX. *Hic cum diversas persequutiones faceret Reipublicæ, & nollet Romano Pontifici ablatas Urbes reddere, & justitiam facere: vel quia filios Karlimanni fratris Karli cum Matre illorum ad se fugientes suscepit, super Papiam Carolus Rex advenit tempore Adriani Papæ ..... ipsamque* (uti subdit Fragmentum Historicum Paullo Diacono tributum, quod dictam Descriptionem subsequitur) *obsidens fortiterque debellans, eandem Civitatem, simulque & Desiderium Longobardorum Regem, atque cunctos, qui cum eo erant, comprehendit, suæque potestati subjugavit dominans Italiam An. Domini Incarnat.* DCCLXXIV. *Præfatum vero Desiderium ejus conjugem* (nam Adelgisum filium fuga elapsum Constantinopolim se recepisse paulò superius dixit) *ad Franciam misit. Finitumque est Regnum Longobardorum, quod mansit per Annos* CCVI. *postquam ipsi Italiam intraverunt.*

tendum semper erit, a Desiderio ipso, deterrima quæque contra sacramenti fidem auso, suæ ac communis Longobardicæ fortunæ occasui occasionem factam: Fatendum præterea non aliam, quàm quæ superius exposita a nobis est, fuisse caussam, cur Desiderius in Beneventanos, ac præcipuè in ipsorum Ducem Liutprandum desæviit: Testem ejus rei fidissimum, locupletemque habemus Pontificem Paullum I., qui in sua ad Pippinum Regem Francorum Epistola, post narratas injurias, vastationesque tum Romanæ Pentapoli, tum Spoletino, ac Beneventano Ducatui a Rege Desiderio illatas, propterea quod *in fide B.Petri sacramentum præbuerunt*, mox hæc subdit: *Appropinquante autem eo* ( Desiderio ) *Benevento illico Dux Beneventanus fugam arripuit in Otorantinam* ( hoc est Hydruntinam ) *Civitatem : & dum diù immineret, ut ex ipsa sua Civitate exire eundem Ducem suaderet, & nequam in eo suam adimplens voluntatem, constituit Ducem alium in eodem Beneventano Ducatu nomine Argis*: hoc est Arigis, seù Arichis (1): En igitur exitum, ejusque caussam, quam Liutprandi Ducatus sortitus est: Quæ posteriora ejus fuerint fata prorsus ingnoramus: Conjectare pronum est, postquam novi Ducis constitutione desperata sibi omnia, suæque vitæ sibi incumbere periculum conspexisset, ex Hydruntina Urbe, ubi se contutabatur, undeque meditatum fortasse iter arripere paratissimum sibi fecerat, in Græciam transfretasse, atque ad Aulam Constantinopolitanam se recepisse, consuetum nempe asylum, quod sibi (uti superius observavimus) Godescalchus sibi comparabat; quod paulo post Adelgisus ipsius Regis Desiderii filius sibi quæsivit: illud vero certum, Liutprando ibidem, aut alibi defuncto, cum ipso simul Ducum Beneventanorum, qui ex Grimoaldo I. Duce, ac dein Rege per annos fere CXV. floruerant, extinctam prosapiam.

Beneventanus itaque Ducatus Februario Mense Anni DCCLVIII. ( quod anni tempus Anonymus etiam indicat Salernitanus, qui Regem Desiderium Hyemis tempore in Beneventanos irruisse testatur ) Arichi cessit, qui a Rege Desiderio ad eam dignitatem, tum ob generis nobilitatem, tum ob perspectas animi, corporisque dotes obeundo muneri pares, deligi promeruit; cui etiam Desiderius, quo magis probatam hactenus Viri fidem sibi confirmaret, Adelbergam Regiam Filiam Matrimonio conjunxit. At satis nunc de Arichi, cui suscepti *Ducatus* modus attingendus heic tantum fuit; administrati vero, ac *Principatus* majestate adaucti successum sequenti Capiti reservamus, ut jamdemum expleta omnium Ducum serie quod propositum initio nobis fuit ) de ipso Ducatu judicium proferamus.

Ut vero de ea re rectè pronunciemus, colligere heic præstat illam gestorum omnium varietatem, quæ, hactenus in Beneventanorum Ducum successionibus observavimus; atque illud præcipuè animadvertendum, quid in iis successionibus Populus, quid ipsi Duces, quid denique Reges, jure factoque sibi vindicarint. Ad Populum quod attinet, cujus nulla superiùs mentio facta est, meminisse autem nunc interest, & ipsum aliquando in sui Ducis successione, vel arbitrum, vel suffragatorem fuisse legimus. Paullus certe Diaconus id primum innuere probatur, quum ab moriente Arichi I. Grimoaldum, ac Rodoaldum adstantibus Longobardis *commendatos* tradit, proptereaquod *melius eos regere isti, quam Ajo filius suus posset* (2). Apertiùs alibi loquitur quum Ducem Romualdum II. Gisulfi I. Filium solo Populi suffragio paternam Ducatus successionem consequutum affirmat: *Defuncto* ( inquit ) *Gisulfo Benventanorum Duce, Samnitum Populus, Romualdum ejus Filium ad regendum se sublimavit* (3). Paria de Arichi II. Anonymus Salernitanus nobis prodit, *quem ab acclamante* Populo universo Ducem *adscitum* scribit. *Dum* ( inquit ) *Dux nomine Liutprandus fuisset extinctus, una omnes Arichisium Principem acclamabant; quapropter in Principatus dignitatem honorificè illum ascivetunt; nam non, ut solent plurimi per pecuniam, & per pollicitationem opprimere in mirum* ( alibi *nimirum*: sed puto legendum: *arripere primum* ) *honorem sed cuncti uno agmine coacti, licet non a se, sed ab illo, qui dixit: Ubi duo, vel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi sum in medio ipsorum: illum Principem sublimarunt* (4). Nihil hoc testimonio præclariùs; nisi plura essent, quæ Anonymo narranti adhibendam fidem vetant: nam post Liutprandum ( communi, vel violento fato) extinctum, Arichis electionem statuit, quam vivente adhuc, ejecto licet Liutprando, evenisse constat: Principis, & Principatus pro ætatis, quâ is scribebat, ratione vocabula usurpat, atque ita ex proprio ingenio Ducatus & Principatus quæ diversa fuere, communia successionis jura permiscet. At cur non poterit *Samnitum Populus* Arichim ad Principatum, sive Ducatum sublimare eodem jure, quo Romualdum olim Gisulfi filium

(1) Inter Epistolas Pontificias Codicis Carolini ordine XV. apud Murator. t. III. p. II. Scriptor. Ital. p 122.

(2) De Gest. Longobard. lib. IV. cap. XLV. apud Murator. Rer. Ital. tom. I. part. I. pag. 471.

(3) Ibid. lib. V. cap. XXXIX. pag. 523.

(4) In Chron. cap. XIX. tom. II. opp. Peregr. p. 72.

lium, teste Diacono, *ad se regendum sublimavit*? Falsus ex ipsa sua narratione Anonymus ostenditur: mendacem adhuc Pontifex Paullus I. convincit, qui Arichim a Rege Desiderio Ducem constitutum disertè affirmat; atque ita rem fuisse, & Adelbergæ Matrimonium, & Beneventanorum, si non rebellio, suspecta saltem Desiderio fides, omnino confirmant. De Romualdi autem exemplo incerta res est, non ut de Paulli fide, sed ut de Paulli lectione dubitare debeamus. Etenim, ubi Muratoriana editio, quam superius recitavimus, legit: *sublimavit*: Lindrembogiana habet: *suscepit*: ita ut populus *ad se regendum* non ipsummet *sublimasse*, sed ab alio constitutum Ducem Romualdum *suscepisse* dicendus sit: præclarior, certiorque res ipsa sit ex utroque Diaconi Codice, tum Ambrosiano, tum Modoetiensi, ubi pari consensu, iisdemque verbis ita scribitur: *Populum Romualdus ejus Filius regendum suscipit* (1). De Arichis I. denique facto sic videtur statuendum; Qui præ Ajone Filio, regendo Ducatui vix, aut nil idoneo præfatos Grimoaldum, Rodoaldumque Longobardis suis commendavit, id cèrtè providere voluit, ut Ajone filio (quem tamen primo loco excludere noluit) regimen sustinere non valente, successores illos, oppignorata quodammodo sibi adstantium Longobardorum, qui ratum id habere deberent, fide, successores, inquam, suo quidem judicio designatos, ac secundos veluti hæredes, Rodoaldum, ac Grimoaldum certissimos sibi constitueret: Quod & postea factum est, utroque equidem sola Arichis designatione, Ducatum adepto, nullis vero Populi, aut Optimatum adhibitis suffragiis, quorum nullum prorsus, quum ad utriusque successionem ventum est, apud Paullum, aliosve vestigium occurrit.

Ad ipsos itaque Duces (quod secundo loco animadvertendum præmonebam) deducenda res modo erit. Atque si duos priores Duces Zottonem, atque Arichim excipiamus, alterum a Rege Alboino, alterum a Rege Agisulfo Beneventanis datos, jam ab eodem ipso Arichi, jus hæreditarium in Beneventanum Ducatum invectum intueri erit; atque ea ampliori licentiâ uti cœpit Arichis, ut suis non contentus hæredibus (quod paulo ante dictum est) extraneos Ducatus successores sibi deligeret: Dum vero post Ajonem, in quo ejusdem Arichis progenies mox defecit, ac post Rodoaldum, Grimoaldo fratri superstiti Ducatus delatus est, exploratior justiorque ejusmodi juris possessio Beneventanis Ducibus quæsita videri debet. Id enim jam paulo ante momoravimus, quod nunc seriò observare oportet: quotquot videlicet ab eodem primo Grimoaldo ad Gisulfum II. sive potius Liutprandum, ab Anno DCXLII. ad Annum DCCLVIII. Duces extitere, eos quidem omnes, nunquam interrupta successionis serie, Grimoaldum ipsum Ducalis Prosapiæ, sivè Familiæ auctorem agnoscere. Quod si aliquando Gregorio a Rege Liutprando Duci constituto Beneventum paruit (nam Audelajum, seù Audoaldum, ac Godescalchum pari vi, qua Ducatum invaserant, brevi expulsos observavimus); non ea res hæreditariæ successionis jus turbasse, immo potius confirmasse videtur: Puerilis siquidem Gisulfi II. ætas sufficiendi, sivè interiiciendi Gregorii caussa fuit; quem Gisulfum in Regiam tutelam educationemque susceptum, ætate demum, ac virtute idoneum Rex Liutprandus *pristino*, seu *proprio loco constituens*, paternum scilicet ei Ducatum attribuens, id profecto ostendit, observatum hactenus hæreditarium jus, illæsum manere voluisse.

Restat, ut de Regio jure videamus: Nihil juris in Beneventanum Ducatum Regibus, Longobardis fuisse, aut si quid initio fuerit, paullatim ex ejusdem Ducatus, partim longinquitate, partim succrescente in dies, atque ad summum denique provectâ potentiâ, evanuisse, plura sunt, quæ ostendunt argumenta. Primum illud ex ipso Longobardicarum Legum Codice occurrit, ubi ipsi Longobardorum Reges, quum Leges, sivè Edicta sua promulgarent, in iis condendis, subditarum sibi Regionum, Provinciarumque mentione facta, Judices, ac Optimates ad Consilium accitos Proemio fatebantur. Sic in Legum suarum *Prologo* Rex Liutprandus: *una* (inquit) *cum omnibus Judicibus de Austriæ, & Neustriæ partibus, & de Tusciæ finibus cum reliquis fidelibus meis Longobardis, & cuncto populo assistente, hæc nobis juxta Dei timorem, atque amorem sancta comparuerunt, & placuerunt* (2). Ita quoque Rex Rachisius in suas, quas promulgabat Leges præfatus, *dum* (inquit) *cum Gentis nostræ, idest Longobardorum Judicibus tam de Neustriæ, quam de Austriæ, vel de Tusciæ finibus, universa, quæ ab Antecessoribus nostris statuta sunt, sollicitè consideraſsem, quædam ibi justa, & quædam purganda invenimus* (3). Nullam prorsus in tam gravi negotio Beneventanorum mentionem habemus:



(1) Sic testatur Cl. Blancus ad dictum locum Diaconi not. 155.

(2) In Codice Legum Longob. apud Murator. Script. Ital. tom. 1. part. II. pag. 51.

(3) Ibid. p. 85.

mus: at Beneventani quidem, qui universæ penè Cistiberinæ Italiæ ditione, satis amplam præclarissimamque Longobardici Regni partem constituebant, adhiberi, vel certè memorari in iis Legibus debuissent, quæ Longobardis universis observandæ proponebantur: Quid ni igitur à Transtiberinis Longobardis distinctos, propriis ipsos legibus vixisse, ac propterea à Regum auctoritate exemptos Beneventanos dicamus? Adde nunc illam Regis Rachisii Legem, Anno DCCXLVI. promulgatam, qua sancitum est, ut *si quis Judex, aut quicunque homo missum suum præsumpserit dirigere Romam, Ravennam, Spoletum, Beneventum, Franciam, Bajoriam, & Alemanniam sine permissione Regis, animæ suæ incurrat periculum, & res ejus infiscentur* (1). Haud ergo in Longobardorum Regno Beneventani fuerunt, qui inter Romanos, Græcos, Francos, Alemannos, externos scilicet peregrinosque Populos, ac veluti communi *hostium* nomine, locoque habitos, recensentur. Quid tandem supremi juris, dominiique in Beneventanum Ducatum obtinuissent ii Reges, qui nihil Tributi nomine exinde percepisse probantur: Instaurato post Anarchiam Longobardico Regno, Regia Lex ea fuit, ut singuli Duces, qui antea rerum potiti fuerant, quod veteri possessione locorum frui permitterentur, tertiam redituum partem in Regium Ærarium deinceps inferrent: Non ea lex Beneventanos Duces tenuit, qui eodem titulo, diverso tamen jure, longèque majori auctoritate præstabant: neque enim ulla pensitati Regibus vel minimi Tributi mentio, aut vestigium aliquod ex universis Longobardicæ Antiquitatis Scriptoribus extundi potest; immo potius supremi juris, dominiique compotes agnosci suis Ipsi titulis passim, palamque gestiebant, dum sese in Diplomatibus suis *Summos Longobardorum gentis Duces* inscribere in more habebant. Atque hæc quidem non levioris momenti videri queunt, ut de Regia Auctoritate in Ducatum Beneventanum, dubitandum sit.

At quum rem ipsam penitiùs considerandam mihi proposuissem, non tanti ea esse argumenta perspexi, ut Duces Beneventanos Regibus Longobardis nullimodè obnoxios affirmemus; quasi Longobardorum Regnum bifariam divisum in Transtiberina Italia ei, qui *Regis* nomine, in Cistiberina vero ei, qui *Ducis* titulo gauderet, seorsim obtemperaret. At Beneventani quidem (ut a postremo ordiar) haud sane immeritò se *Summos* Longobardorum Gentis Duces appellare poterant, non Longobardicorum tamen Regum respectu, qui in universam Gentem supremi Dominii jure potiebantur, sed quod ipsi inter eam Gentem *summam* revera dignitatem, qua nulla præstantior esset, obtinerent. Nec si nullum unquam Tributum iis Regibus pensitarint, certum libertatis, nulliusque prestandæ subjectionis argumentum erit, quam quidem subjectionem sine ullo licet Tributo, pluribus etiam aliis modis exhiberi posse, ac solere perspicuum est. Ad Regis Rachisii Sanctionem quod attinet, mirum id certe Muratorio visum fuit, Beneventanos, Spoletinosque cum aliis populis extra Longobardorum Regum dominium omnino positis, enumeratos legi, neque ejus rei causam invenisse scivit. *Nam cur* (inquit) *hac eadem lege involvitur Spoletum, ac Beneventum? Nonne & in eas quoque Regiones Longobardis Principibus subjectas protendabatur Regis Longobardi potentia?* (2) Ita quidem: sed satis consultò Rex Rachisius cum Romanis, Francis &c. Beneventanos, ac Spoletinos commiscet, vetans scilicet, ne sine Regio permissu à suis Transtiberinis Longobardis in illorum partes *Missi dirigerentur*; licet enim Beneventani, Spoletinique ejusdem Gentis essent, eidemque Regi subjectionem præstarent, suspecti tamen tunc erant, propterea quod a reliquæ Gentis seù Regni finibus remoti, ac divulsi, studiosiores, quàm Longobardici Regni utilitas ferret, Romanorum Pontificum se ostendebant; qui sane Pontifices non modo se suaque adversus Longobardorum invasiones tueri, sed Francorum validâ frequentique ope Longobardicum Regnum evertere moliebantur; quemadmodum superiùs observavimus, ac mox luculentiùs dicetur. In Longobardicarum Legum denique Pròemio Beneventanorum silentium, haud satis est, ut solutos Longobardicis Legibus Beneventanos conjectemus: Est siquidem inter Regis Liutprandi Leges, quæ Beneventanæ Regionis ita meminit, ut certe intra Longobardici Regni fines ditionemque constitutam demonstret; nam Dominis fugitivos servos persequendi spatium definiens, pro varia ejusdem Regni locorum distantia breviorem, vel longiorem interpellationem permittit; *ut si fuerit* (inquit) *in Benevento aut Spoleto, habeat spatium Dominus ejus menses tres: quod si fuerit intra Tusciam, habeat spatium per menses duos: si fuerit de ista parte Alpium habeat spatium ad eum* (servum) *perquirendum in mensem unum* (3). Cæterum ipsimet Beneventani Duces eodem, quo ceteri Longobardi, jure se vixisse ostendunt; quandoquidem tum Civilia, tum Criminalia judicia secundum Leges, vel secundum Edicta se definisse

(1) Ibid. pag. 87. num. v.
(2) Ibid. dicta pag. 87. not. 14.
(3) Ibid. pag. 68. n. XXXIV.

finisse fatentur (1): has vero Leges, ipsaque Edicta, non alia esse, quàm quæ à Longobardis Regibus promulgata essent, ex eo potissimum patefit, quod nullas profecto Beneventanorum Ducum Leges, aut Edicta habeamus; Legum enim ferendarum jus tunc primum exortum, quum eversi Longobardici Regni jura in Beneventanum Principatum ab Arichi magno institutum, uti in Dissertatione *De Legibus* observabimus, tandem concesserunt.

Quæ quum ita sint, de Regis jure, quod, quantumque in Ducatum Beneventanum olim extiterit, sic statuendum videtur. Ex eo quidem Jure, si rerum attendamus primordia, quemadmodum Zottonis primique Arichis exempla docent, Ducum Beneventanorum electio omnino repetenda erit: invecta postmodum, sive permissa Hæreditaria quædam Successionis species, quæ tamen supremæ Regis auctoritati obnoxia permansit. Id aptiùs certe ex ipso Liutprandi facto arguere licebit; nam qui Gisulfi pueri, quem *secum abstulit*, loco, *apud Beneventum suum Nepotem Gregorium Ducem ordinavit*; qui Godescalchum post Gregorii mortem, Ducatu exturbavit; qui demum Gisulfo possidendum concessit; jam is quod Regis interesset, vel etiam quod Regi luberet, de Beneventano Ducatu statuendi jus integrum fuisse, ac plane exercuisse demonstrat. Præclariorem rem efficient mox sequuti inter eosdem Regem Liutprandum Ducemque Gisulfum rerum successus: Imperatas a Liutprando hostiles in Romanam ditionem invasiones Gisulfus exequi renuit: nulla apud Liutprandum valuit consanguinitatis ratio, qui nullam esse necessitudinem ostendens, quam revereri, aut agnoscere Majestatis jura sciant, animadvertere in Gisulsum, & Ducatu eum exturbare aggressus est; ac apud Regem Francorum, cujus patrociniis, auxiliisque communiri illum posse verebatur, violatæ sibi fidei, ac perduellionis reum expostulat:Sed opportunè Pontifex Gregorius III. Gisulfi simul Beneventani Ducis, ac Spoletini caussam suscipiens, ita Carolo Martello rei veritatem aperit. *Non credas* (inquit) *Fili falsidicis suggestionibus eorundem Regum* (Liutprandi & Hilprandi), *quod quasi aliquam culpam commissam habeant eorum Duces, idest Spoletinus, & Beneventanus. Sed omnia mendacia sunt. Non enim pro alio, ( Satisfaciat tibi veritas Fili ) eosdem Duces persequuntur Capitulo, nisi pro eo, quod noluerint præterito Anno de suis partibus super Nos irruere, & sicut illi* ( hoc est Reges Liutprandus, & Hilprandus ) *fecerunt, res SS. Apostolorum destruere, & peculiarem Populum deprædare: ita dicentes ipsi Duces: Quia contra Ecclesiam Sanctam Dei, ejusque Populum peculiarem non exercitamus*, ( hoc est Exercitum seù bellum gerimus ); *quoniam & pactum cum eis habemus, & ex ipsa Ecclesia fidem accepimus: ideoque mucro eorum desævit contra eos. Nam ipsi prædicti Duces parati fuerunt,& sunt secundum antiquam consuetudinem eis obedire; sed illi* ( Reges ) *retinentes iram, pro eo, quod superius diximus, per exquisitam occasionem volentes illos, & nos destruere, & invadere, ideo utrosque persequentes vestræ bonitati suggerunt falsa, ut & Duces illos nobilissimos degradent, & suos ibidem pravos ordinent Duces* (2).

Ex insigni hoc monumento, quid demum de Beneventani Ducatus jure certiore sententia judicandum sit, paratissimum habemus. Qui enim initio Duces a Longobardis Regibus eorum arbitratu delecti Beneventum cum imperio mittebantur, ita alios successores, qui sua ex prosapia essent, sibi postmodum reliquisse dicendi sunt, ut nihil nisi privati cujusdam Hæreditarii tituli jus tribuere viderentur, Regia postmodum auctoritate necessariò confirmandum. Nulla, inquam, ex decessoris Ducis institutione, vel propinquitate acquirebatur successori possessio, quam non solemnis, vel saltem tacitus Regis consensus comprobasset: ritè verò quæsitam abjudicandi jus mansit, si ita è Rep. foret, aut Longobardici Regni rationes postulassent. Id Duces ipsi, Beneventanus, Spoletinusque ore suo profitebantur, qui ( Pontifice Gregorio teste ) *paratos se fuisse, & esse* ajebant, *secundum antiquam consuetudinem suis Regibus obedire*: itaut eam *obedientiam*, non præsentis periculi metus extorqueret, sed *antiqua consuetudo*, quæ videlicet ex ipsa subditi Ducatus primæva institutione, observatâque lege promanabat, Regibus vindicaret. Id denique res gestæ demonstrant, nam quod Rex Liutprandus adversus Ducem Gisulfum sibi temperasse voluit, Rex Desiderius paulopost adversus Gisulfi successorem Liutprandum peregit, cui à Ducatus possessione dejecto, Arichim suffecit. Non aliter tamem suffecit, quam ut ex veteri Regni jure ejus sibi obsequia confirmaret, nec tam Beneventanos proprio Duci subditos traderet, quam se ejusdem Ducis Dominum comprobaret. Hoc certè jure Pippinus Caroli Magni filius, atque Italiæ Rex ejusdem Arichis Filium, ac successorem Grimoaldum obnoxium sibi efficere conabatur. *Agebat* ( inquit Herchempertus num. VI. )

ALTER T 2 *per*

(1) Vid. Chron. S. Sophiæ apud Ughellum tom. VIII. idest Diploma Arichis pag. 575. Gisulfi pag. 590. Radelchis pag. 635. & aliorum passim.

(2) Inter Epist. Pontificias Codicis Carolini Epist. I. apud Murator. Rer. Ital. tom. III. part. II. pag. 76.

*per legatos suos Pippinus: Volo quidem, & ita potenter disponere conor, ut sicuti Arichis genitor illius subjectus fuit quondam Desiderio Regi Italiæ, ita sit mihi & Grimualt.* Dum enim alter Italico Regno potitus esset, præstanda simul ab altero eadem obsequia contendebat, quæ prioribus Italiæ Regibus a primæva Ducatus Beneventani institutione, atque ab ipso nuper Arichi præstita fuisse videbantur.

Hactenus Beneventanorum Ducum Successiones tum Genealogica, tum Chronologica serie, rationeque deductas, breviori quidem sermone, sed aptiore methodo, ac tutiore veterum monumentorum fide comprobatas exposuimus, ut hæreditarius, an non, Ducatus ipse fuerit, quidque juris in eo administrando sibi Duces vindicare possent, cognosceremus. Ad rem modo Nummariam redeundum erit, cujus tractatio præcipue instituta nobis fuit: tantum verò abest, ut ab eo proposito argumento divertisse videamur, ut id potius in antecessum cognosci, statuique oporteret, sine quo in ipso argumento progredi, deque eodem rectè judicare nequissemus. Clarissimi Muratorii initio meminimus, qui de Nummis Ticinensibus sub Longobardis Legibus agens, non licuisse alibi signare pecuniam sibi persuasum ait, *Beneventano tamen excepto Ducatu*, de quo suo loco sermocinaturum se pollicetur: Promissa quidem sedulò, eruditèque implevit, omnes, quotquot obvios habere potuit, exhibens, illustransque Nummos, qui ad Beneventanos Dynastas pertinerent: ac sic scribere orditur: *Præter tres Italici Regni Urbes Ticinum videlicet, Mediolanum, & Lucam, olim Duces quoque, & Principes Beneventani pecuniam cudisse deprehenduntur. Splendida plane fuit barbaricis temporibus illius Ducatus dignitas, amplitudo, atque potentia, utpote qui potiorem partem Regni nunc Neapolitani complecteretur. Attamen dum stetit Longobardorum Regnum sub suis Regibus, nunquam induxissem animum ad credendum, licuisse Ducibus illis signare Nummos, nisi ex iis unum nobis in Stemmate Genealogico Regum Longobardorum servasset Angelus Breventanus, quem heic sisto sub Num.* 1. *Visitur ibi effigies Hominis cum Cruce, ac duabus stellis, & in postica altera Crux cum Monogrammate, idest cum literis OGRE, seù GREO, quæ idem Breventanus interpretatur GREGORIUS. Anno revera DCCXXXI. Beneventanæ Provinciæ præfuit Gregorius Dux, regnante tunc Liutprando Rege. Et sane in eo Monogrammate ne ego quidem alium legere potui, nisi:* Gregorius. *Verum durum adhuc mihi videtur credere, tantum auctoritatis fuisse Ducibus Beneventanis, ut sub Rege Longobardo, quem uti supremum Dominum colebant, & à cujus imperio pendebant, pecuniam cuderent, una sui effigie signatam, nullaque facta Regis mentione:* Hactenus Muratorius (1) qui invitus licet, fidem tamen Breventano accommodasse videtur, ejusdem amplexus sententiam, qui de Gregorio Duce Nummum interpretatus fuerat; & sane Moratorius *non alium ibi, quam* Gregorium *legere potuisse* fatetur. At non omnino submotus Muratorio scrupulus, quo Beneventanis Ducibus permissam pecuniæ cudendæ auctoritatem ægrè credidit, acuere magis ejus ingenium, diligentiamque excitare debuisset, ut certiora, vel veri saltem similiora de re ipsa, quam tum agebat, investigaret. Animadvertisset equidem ipse literis illis, quibus Nummi Monogramma componitur, sive Crux ibidem sculpta ad quatuor extremas partes, inscribitur, alium præterea, quàm *Gregorium* Beneventunum Dynastam legi posse; nam ex literis GREO sive potius (ut nummus ipse monet) GEOR, æque, imo promptius GEORGIUS legi potest, uti certe *Georgium* legendum ajo, alterum nempe ex binis illis Græcis *Patriciis* seù *Strategis*, qui Anno DCCCXC. Ursi Benentantani Principis tempore, in Beneventanam Urbem, ac Principatum invadentes quadriennii ferme spatio supremam ibidem dominationem exercuerunt. Sed de hac re opportuniùs, quum de eo Nummo inferius agendum erit, differemus; Interea dum nullo ex alio certo Nummo, vel alio quopiam indubiæ fidei monumento, signandæ pecuniæ mos, sivè facultas apud Duces Beneventanos probata extiterit; contrà vero exposita superius ipsius Ducatus a Regis Imperio omnino pendentis conditio id sibi vindicare nequibat; vetabatq; præterea Regis Rotharis Edictum, qui generatim (ut initio diximus) auri, pecuniæque signationem, injussu Regis factam, manus abscissione puniendam sancivit; illud modo reliquum videtur, ut ex Beneventanis *Ducibus* ad *Principes* transeamus, quorum nova conditio, atque Majestas, quos hactenus desideravimus cusos Beneventanos Nummos, non mediocri numero, maximarum autem ad nostros Longobardos pertinentium rerum indices, ac testes jamdemum nobis repræsentabit.

(1) Antiq. Medii Ævi t. II. Differt. XXVII. pag. 617.

CAPUT

## CAPUT II.

*Principatus Beneventanus post Longobardici Regni interitum à postremo Duce Arichi II. Regiis attributis sibi Insignibus Juribusque institutus: Frustra à Carolo Magno, ejusque filio Pippino armis tentatus: Fœdera cum ipso Principe Arichi, ejusque filio, ac Successore Grimoaldo à Francis sancita: Nummi ejusdem Caroli inscripto nomine à Grimoaldo percussi: Qui tamen paullòpost aliis suo nomine cusis, pluribusque rebus domi, militiaque egregiè gestis omnimodam libertatem, ac Majestatem sibi asseruit.*

POsteaquam Italicum Longobardorum Regnum, Ticino Principe Urbe victricibus Francorum armis tandem expugnatâ, captivoque Rege Desiderio in Gallias abducto, in Caroli Magni potestatem concessit; spes adhuc manebat reparandæ Longobardicæ Fortunæ, dum Adelgisus superesset Desiderii Filius Regnique consors: Is incolumi vitâ, ac libertate, Veronâ, quam sibi tuendam susceperat, evadens in Constantinopolitanam Aulam, non Asylum tantum, sed opem quoque recuperando Regno opportunam quæsiturus se receperat (1). Non inanem spem faciebant, tum Græcorum Augustorum liberalis voluntas, quorum intererat Longobardos magis, quàm potentiores Francos Italiæ dominari; tum præsertim Beneventani Ducis Arichis, cujus vires in Cistiberina Italia adhuc florebant, paratissima auxilia. Græcorum opem remorata primum fuit Constantini Copronymi mors, Leone Filio, ac successore relicto, cujus Conjux Augusta Irene post Viri obitum Imperii administrationem assequuta, nihil sibi magis cogitandum, enitendumque duxit, quo exundanti in Italiam Francici Regis potentiæ obsisteret, quàm ut Adelgisum in pristinam sedem restitueret. De Ducis Arichis conatibus testis est Pontifex Hadrianus in sua ad eundem Carolum M. Epistola, sequenti post subactum Longobardorum Regnum anno, idest an. 775. transmissa: Certiorem, Pontifex, Carolum fecit *de sævissimo consilio*, quod Arichis cum aliis simul Ducibus, Spoletino, Forojuliano, ac Clusino, gerere *non differebat*. . . . . *adhibentens* (inquit) *adversus nos perniciosum consilium, qualiter, Deo eis contrario, proximo Martio mense adveniente, utrosque se in unum conglobarent cum caterva Græcorum, & Athalgiso Desiderii Filio, & terra, marique ad dimicandum super nos irruant . . . . necnon Longobardorum Regem redintegrare, & vestræ Regali potentiæ resistere* (2). Statim itaque, vehementerque in eam rem Arichis incumbere occœpit, ratus certe, sua id maximopere interesse, tum ex sua cum Rege Adelgiso necessitudine, cujus Sororem Adelbergam conjugem habebat, tum ob proprii Ducatus tutelam, qui regnantibus in Transtiberina Italia Francis, summoperè periclitari videbatur.

At dum hæc agitarentur, novum Arichi consilium subiit, qui Vir, Paulli Diaconi testimonio, *consilio cautus, providus, atque sagax* (3) rectè animadvertebat, parum certe Græcorum animis, viribusque fidendum, contrà vero Longobardorum res in Transtiberina Italia collapsas vix erigi posse post invectam, satisque confirmatam Francorum dominationem, cui & Romani Pontifices omnino assentiebantur, & favebant Italorum animi, postremorum Longobardorum Regum impotentiæ pertæsi: Solas itaque vires suas non solum tantæ rei moliendæ impares, sed in certissimum etiam discrimen adducendas agnoscens, suæ potius statuendæ fortunæ servatas voluit: ac proprio tum Ducatu contentus, quò magis ejus sibi jura, possessionemque communiret, abjecto *Ducis* titulo, *Principis* appellatione Regium imperium, atque insignia sibi attribuit. *Hic Arichis* (præstat ab Erchemperto audisse) *primus Beneventi Principem se appellari*

(1) Qui Adelgisus, vel etiam Adelchis latinis Scriptoribus dicitur, Theodotus a Græcis, Desiderii filius appellabatur: Sic Theophanes ad An. XXXV. Imp. Constantini Copronymi, idest A. D. DCCLXXIV. *Hoc etiam anno*, inquit, *Longobardorum Rex Theodotus in Urbem Imperatricem veniens ad Imperatorem confugit*. Regem rectissimè appellat, nam (ut superius dixi) Adelgisus vix lapso triennio, a quo Desiderius pater Regno potitus fuit, consors ab eodem adscitus fuit: Plurimas apud Muratorium legere est Chartas, utriusque Regis nomine, ac tempore signatas. *Tom. I. Antiq. med. ævi p. 525. tom. II. pag. 229. & 1023. tom. III. pag. 573.* itaut Anni Desiderii integro biennio Adelgisi annos superent: Diversum vero numerum inscriptum habet Charta à V. C. Marchione Maffejo edita in sua *Verona illustrata lib. XI. pag. 379.* ubi sic legitur: *In N. D. I. r. regn: Dux Desiderius, & Adelchis ejus excell. Regis, annis Regni eorum octavo, & quintodecimo, pro Indict. duodecima de Mense Aprili. Actum Civitate Verona feliciter*. Ac cum ex hac charta mense Aprili, ac Indictione XII. signatâ eruatur annus DCCLXXIV. jam illud constat, eodem licet anno, post mensem tamen Aprilis, tum Desiderii Captivitatem, tum Adelgisi fugam accidisse, nec ante Junium mensem Carolum fuisse rerum potitum.

(2) Inter Pontificias Epistolas Codicis Carolini Ordine LIX. apud Murator. *Script. Ital. tom. III. part. II. pag. 212.*

(3) In ejns Epitaphio l. l.

*lari jussit, cum usque ad istum, qui Benevento præfuerunt, Duces appellarentur, nam & ab Episcopis ungi se fecit, & Coronam sibi imposuit, atque in suis Chartis*: Scriptum in Sacratissimo nostro Palatio : *in finem scribi præcepit* (1). Magna profecto, quæ fortasse haud ea temporum conditio ferret, ausum Arichim fateri oportet, sed tamen is, qui *Stirpe Ducum, Regumque satus* à Paullo Diacono celebratur, ab Herchemperto verò *in Rebus Bellicis strenuissimus*, Arichis, inquam, Animo sublimissimus, ac Ducatus sui amplitudine, situ, viribusque fretus audere scivit. Quale autem in eo suscipiendo nomine, eoque in facinore ejus consilium fuerit, æquum est, ut paullo curiosiùs observemus.

Primum ominum, qui in Italia *Principis* nomen pro *Honoris* simul, ac *Potestatis* titulo invexit, Arichim Ducem Beneventanum fuisse, Viri docti, Erchemperto, atque Ostiensi consentientes, affirmant, eoque exemplo in reliquam Italiam, atque ab Italia in cætera Regna, etsi in quibusdam seriùs, profluxisse ejusmodi Principis titulum veteribus edocti monumentis testantur (2). Id vero sic accipiendum reor, ut non recens tum vocabulo ea vis, ac significatio accessisse, sed potiùs quæ veteri Latio olim probata, atque admissa, postmodum temporum, populorumque successione obsoleverat, novo usu recepta, ac revocata videatur. Ad rem satis appositè egregièque Tertullianus: *Possum* (inquit) *& aliter Principium interpretari, non ab re tamen: nam & in Græco* Principii *vocabulum, quod est* ARKH, *non tantum* ordinativum, *sed &* potestativum *capit* Principatum: *unde &* ARKONTAS *dicunt Principes, & Magistratus: ergo secundum hanc quoque significationem* Principium *pro* Principatu, *&* Potestate *sumetur* (3). At rem ipsam celeberrimo sanè exemplo, quod Romana nobis Resp. suppeditat, comprobasse præstat: Postea enim quàm Augustus, Antonio prostrato, Lepido in ordinem redacto, rerum potitus est, *cuncta* (inquit Tacitus) *discordiis civilibus fessa nomine* Principis *sub Imperium accepit* (4); quo quidem titulo ambitionem ipse suam obtegere, tutiùs vero arreptam potestatem sibi confirmare arbitrabatur, dum *non Regno, neque Dictatura, sed Principis nomine constitutam Remp.* suo tamen nomine, arbitrioque administraret. Quod quum sibi feliciter processisse Augustus conspexisset, *Principis* nomine contentus, quod in *Principe Senatus*, aliisque Reip. muneribus Romanorum auribus jamdiu suetum, ab invidiosis illis nominibus, quorum tamen auctoritatem exerceret, constantissime abstinuit: Hinc & Domini appellationem (quam ejus Successoribus haud invitis sequuta ætas tum ore, tum scriptis, tum perpetuis in posteritatem omnem marmore, atque ære signatis, passimque ante Cæsarum nomen sigla illa D. N. vel si plures simul imperarent DD NN. vel etiam DDD. NNN. idest Dominos Nostros præferentibus monumentis tradere gestiit) *ut maledictum, & opprobium semper abhorruit*. Qua in re illud etiam ex Svetonio scimus, quod *quum spectante eo ludos, pronunciatum esset à mimo: ò Dominum æquum, & bonum: & universi quasi de ipso dictum exultantes comprobassent, statim manu, vultuque indecoras adulationes represserit, & insequenti digravissimo corripuerit edicto*; Dominumque *se posthac appellari, ne a liberis quidem, aut nepotibus suis, vel seriò, vel joco passus est* (5). Atque huc quidem, turpiore fortasse adulatione Augusti consilium potius, quàm animum sequutus, eum Romæ Conditori præferens, Ovidius respexit, hoc Romulum alloquens versu.

*Tu Domini nomen, Principis ille tenet.*

Augusti igitur, sive prudentiam, sive moderationem Arichis sectatus est, qui Antiquitatis non ignarus, hoc ab tanto Viro sibi accepit usurpandi nominis exemplum, quod ipse postea æmulantibus aliis præstare cœpit. Supremam is certè potestatem, nullique amplius obnoxium imperium sibi vindicare enitebatur; itaut Ducatus in Regnum, & veteris auctoritatis prærogativæ in Majestatis jura transirent: At non sine quadam perfidiæ nota

(1) In Chron. Num. III. inter Opp. Peregr. tom. I. pag. 38 Eadem ex ipso Erchemperto tradit Leo Ostiens. lib. I. cap. IX.

(2) Vide Du-Cangium *Glossar. med. & infim. Latin.* v. Princeps. Extat Muratorii Dissertatio LIV. Antiq. Med. Ævi. *De Principibus, aut Tyrannis Italiæ*, qui initio de *Principis* vocabulo pauca, nec plura, quam Cangius dedit. *Tom.* IV. *pag.* 700.

(3) Adversus Hermogenem c. XIX. p. 240. edit. Venet. an. 1744. Consentiunt Tertulliano in significatione ἀρχὴν pro *principatu*, Xenophon. lib. I. *de Imp.* Aristot. *Politic.* I. Plato de *Rep.*, uti ad eum locum notat Pamelius. Sed & Glossæ Græcæ distinctè ἀρχὴ τὸ πρόγονον, idest *exordium* explicant, & mox ἀρχὴ idem ac *imperium, magistratus, præsidatus*.

(4) Annal. lib. I. cap. I.

(5) Sveton. in Aug. cap. LIII.

nota id consilium, discriminis praeterea plenum fuisset, si rem ipsam facto exequutus, *Regis* quoque nomine confirmasset. Adhuc enim suus Longobardis aderat Rex, Adelgisus videlicet (ut Desiderium captivum mittam), qui jamdiù cum ipso Desiderio in Regni consortium adscitus, res suas tum Graecorum, tum maxime ipsius Arichis ope instaurare conabatur: An igitur fidei, atque etiam necessitudinis jura, Regium titulum praepropere assumens, non violasset Arichis? Quantum vero invidiae apud Francos sibi conflasset: eo certè titulo illorum adversus se arma quodammodo ciere voluisset, dum illi a Longobardo Homine, quem solo gentis nomine hostem reputarent, hanc novam injuriam acciperent, ut Longobardico Regno Ticini deleto, iterum Longobardorum Rex Beneventi salutaretur. Satius igitur visum Arichi fuit, *Principis* nomine Regium administrare imperium: qua re Regi suo illaesa jura servavit, integra sibi, dum rerum successus ita tulisset, usurpare paratus: Francos vero (quandoquidem Carolus Italico Regno potitus, mox *Rex Francorum, & Longobardorum*, in suis Chartis inscribebatur, & ab Romanis Pontificibus salutabatur, & ab Transtiberinis Italis agnoscebatur (1)) non asperiores adversarios habuisset; quos tamen nequaquam Dominos ipse habere, Princeps re, nomineque factus, palam demonstravit.

Res faustis inchoata auspiciis, in plures quoque annos feliciter processit: Profuit certè sequutus mox post eversum Longobardicum Regnum Caroli discessus, qui Saxonicum Bellum suscepturus, *Italia* (ut Annales habent Bertiniani ad an. 774.) *sibi subjugata, & ordinata custodia Francorum in Papia Civitate, dimittens cum uxore, & reliquis Francis, cum magno Triumpho Franciam reversus est*. Iterum vero anno 776 (ut cum iisdem Annalibus pergam) Italiam ingressus, satis habuit, Forojulianam, Tarvisinamque Civitates, cum reliquis, *quae rebellatae fuerant*, expugnare, suisque Francis custodiendas tradere, *& iterum cum prosperitate, & victoria reversus est in Franciam*. Tertius Anno 781. Caroli adventus in Italiam fuit, *Orationis caussa* Romam petiturus, ubi ejus filium Pippinum a Pontifice Adriano baptizatum, & de sacro fonte susceptum, Italiae Regem declaravit; ac Mediolanum pergens, *abinde est reversus in Franciam* (2).

Nulla igitur adhuc contra Arichim Caroli expeditio; nullam etiam Carolus deinceps cogitasset, si ipsa rerum suarum felicitate, quae prudentissimos quosque ad immoderationem plerumque transducit, rectiùs uti Arichis voluisset. Est inter alias ejusdem Hadriani ad Carolum Epistola, qua de Neapolitanis vehementer queritur, quod, *prabente malignum consilium Arighis Duce Beneventano Terracinensem Civitatem, quam servitio* (inquit) *B. Petri, & vestro, atque nostro antea subjugavimus, ipsi nefandissimi Neapolitani cum perversis Gracis invasi sunt*. Deteriorem adhuc Arichis caussam apud Carolum efficere Pontifex pergit, ex eo maximè criminatus, quod Neapolitanos injuriam, datis obsidibus, emendare paratos dissuaserit, novaque consilia de Adelgiso reducendo cum Graecis agitaret: *Impedimentum jam fatus Arichis solus fecit, ut minime nos obsides à Neapolitanis reciperemus: quia quotidie ad istam perditionem Filium* (Adelgisum) *nefandissimi Desiderii dudum, nec dicendi Regis Longobardorum expectat, ut una cum ipso pro vobis nos expugnet*. Hinc illud Hadrianus a Carolo etiam, atque etiam exorat, flagitatque, utriusque Gentis Neapolitanorum, ac Beneventanorum expugnatione puniendum facinus, frangendas vires, opprimendam libertatem, *ut eos* (inquit) *in omnibus subjugantes sub vestra, atque nostra sint ditione* (3). An vero quae de Arichi Hadrianus retulit,

(1) V. C. Mabillonius in *de Re Diplomatica* pag. 72. docet Carolum in suis Diplomatibus inscribendis, variis pro Dignitatum accessione usum titulis, in quibus *tria* (inquit) *consideranda sunt tempora. Primum ab initio Regni Francorum, ad Regnum Longobardicum ab an. 768. ad 774. excurrente: alterum ab eodem anno ad annum 800. quo coronatus est Imperator: tertium inde ad finem vitae*. Primo ille tempore hanc formulam adhibuit. *Carolus Gratia Dei Rex Francorum Vir Inluster &c.* Secundo intervallo hac formula est usus. *Carolus Gratia Dei Rex Francorum, & Longobardorum, ac Patricius Romanorum*: Tertio. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Carolus Serenissimus Augustus a Deo coronatus Magnus, & Pacificus Imperator Romanorum gubernans Imperium, qui & per misericordiam Dei Rex Francorum, & Longobardorum &c.* Primus Pontificum autem, qui in Epistolis Carolo *Regis Francorum, & Longobardorum* titulum dedit, Hadrianus fuit, a prima sua Epistola orsus, quae in Codice Carolino est ordine XLIX. Eo namque Pontificatum jam gerente, Carolus Italiam subegit, ac post Desiderii Captivitatem atque Adelgisi fugam a cunctis populis, ac praesertim Longobardis Transtiberinis certatim subjectionis sacramenta recepit; Audi Blondum Hist. Dec. II. lib. I. *Spoletini, Reatinique omnium primi postquam suos, qui ad Desiderii edictum iverant, redisse, & rem Longobardam inclinasse viderunt, sese, & Urbes, agrosque B. Petro, & Rom. Pontifici subdiderunt. Eam deditionem in hanc maximè formam invenio factam: Longobardi habita per internuncios fide publica, singuli Civitatum, Oppidorum, Castellorum, vicorumque Populi Romam veniebant, & apud B. Petri Basilicam cogebantur; inde capillum, barbamque, à cujus nutrita longitudine id nominis eos diximus nactos, detonsi, jurisjurandi fidelitatis perpetuo servandae ab Adriano Pontifice adacti religione B. Petro se, ac sua omnia subigebant*. Sed de Blondi fide opportuniore mox loco videbimus.

(2) Tom. II. part. I. Script. Ital. Murator. pag. 498.

(3) Epistola ordine LXIV. eod. tom. III. pag. 219.

lit, vera fuerint (ſalva Pontificis fide, qui plurima *aliorum relatione* accepta in Epiſtolis ſuis nunciare paſſim fatetur) non leve ex eo dubium fit, quod nec tum Carolus in Arichim arma movit, atque vix ulla, aut certè non adeo concors inter Arichim, Neapolitanoſque obtinebat conſuetudo, quâ ſibi ea in re obſequentes illos, ac veluti obnoxios haberet: immo nihil Neapolitanis magis cavendum tum videbatur, quàm ab propinqua, ac ſuccreſcente Arichis potentia: & ſane id certum conſtat, perpetuum illud Arichi fuiſſe conſilium, ut ad amplificandos Principatus ſui fines, Neapolitanos ſibi ſubderet, quod tandem anno 786. indicto bello, atque Neapolitanæ Urbis obſidione molitus eſt.

Res ingenti apparatu ſuſcepta, dum vehementiùs urgeretur, non tam Neapolitanorum viribus, quàm Caroli in Italiam adventu, interturbata eſt: Sub ejuſdem anni exitum Carolus Italiam ingreditur, iter Romam *Orationis cauſſa ad limina Beatorum Apoſtolorum* facturus, atque initio ſequentis anni 787. jam Romæ conſiſtens, adverſus Arichim expeditionem meditatur, ſive ad id conſilium Neapolitani Carolum perduxerint, ut Arichim ab ſe removerent, ſive bellicos Arichis conatus, quibus in media Italia Longobardi Principis potentia augeretur, propriis tum oculis ſpectans, ipſe Carolus iniquiùs ferret, maximum certè bello inferendo incitamentum ex Romani Pontificis ſententia fuit, qui jamdiù id a Carolo expetierat; tunc vero juſtis cauſſis olim allegatis, recentes ex Arichis ambitione, ejuſque armorum ſtrepitu addebat, veritus ne deteriora, quàm à Duce Giſulfo II. paucis ante annis Romanam Campaniam aggreſſo, ab Arichi ſibi imminerent, qui viribus, ac dignitate auctus, Neapolitani belli exemplo Principatus ſui fines, circumquaque proferre nunquam deſtitiſſet. Hinc quum Arichis fœdera ac pacem impetraturus Romualdum filium Romam ad Carolum ablegaſſet, ſuaſor Carolo Pontifex fuit, ne illius precibus aures, promiſſiſque fidem præberet, uti præfatus Bertinianus Annaliſta teſtatur (1). Sed quis tandem rei exitus fuerit, ex aliis quoque Scriptoribus diſcere libet.

Exteros primum audiamus, quorum omnium vice unus ſatis ſit Eginhardus; cujus hæc ſunt: Arichim audito Caroli adventu, compertaque expeditionis Beneventanæ deliberatione, illum miſſo cum muneribus Romualdo majore filio ſuo ab eo propoſito avertendum curaſſe: at Carolum Capuam properaſſe, inde bellum aggreſſurum, niſi Arichis iterum *ſalubri conſilio prævenisset. Nam relicta Benevento, quæ caput illius Terræ habetur, in Salernum maritimam Civitatem, velut munitiorem, ſe cum ſuis contulit, miſſaque legatione utroſque filios ſuos Regi obtulit, promittens, ſe ad omnia, quæ imperarentur, libenter obediturum; cujus precibus Rex annuens, Divini etiam timoris reſpectu, bello abſtinuit, & minore Ducis Filio nomine Grimoaldo, obſidis loco, ſuſcepto majorem Patri remiſit. Accepit inſuper a Populo obſides* XI. *miſitque Legatos, qui & iſpum Ducem, & omnem Beneventanum Populum per Sacramenta obſtringerent* (2). Hoc igitur modo rebus ſuis, quæ in extremum diſcrimen adductæ videbantur, tempori potius, quam Francorum imperio concedens Arichis proſpexit; cujus etiam illud viri ſagaciſſimi conſilium animadvertere oportet, quod nunquam ſeiſpum, etiam poſt arma depoſita, ſancitaque pacta, Caroli conſpectui permittere paſſus ſit, ratus, ſe uno incolume, ac libero, citius, ac tutius omnia in integrum reſtituenda. Illud etiam ex Eginhardi teſtimonio promptum erit, ut Bertiniani Annaliſtæ fidem ſpernamus, qui ad an. 814. de Lodovico Pio Caroli filio dicere exorſus, inter alia, quibus is paternam ſucceſſionem auſpicatus fuit, *cum Grimoaldo Beneventanorum Duce* (non ipſo Arichis Principis filio jamdiù defuncto, ſed cum Grimoaldo altero illius ſucceſſore) *pactum feciße, & confirmaſſe* ait, *eo modo, quo & Pater: ſcili-*

(1) Annaliſta Bertinianius ſic Annum 787. orditur. *Igitur Domnus Carolus Rex Romam venit....... & aliquot dies ibi moratus eſt cum Domno Apoſtolico Adriano. Et Arighis Dux Beneventanus miſit Romualdum filium ſuum cum magnis muneribus poſtulare de adventu jam dicti Domni Regis, ut in Benevento non introiſſet, & omnes voluntates præfati Domni Regis adimplere cupiebat. Sed hoc Apoſtolicus minime credebat, neque Optimates Francorum, & conſilium fecerunt cum ſupranominato Rege, ut partibus Beneventanis cauſas firmando adveniſſet: quod ita factum eſt; & dum Capuam veniſſet Rex, Arighis reliquit Beneventum, & in Salernum ſe recluſit. Et timore perterritus non fuit auſus per ſemetipſum faciem Domni Regis Caroli videre. Sed mittens miſſos, & ambos filios ſuos proferens, ideſt Romualdum, quem Domnus Carolus ſecum habebat, & Grimoaldum, quem prædictus Arigiſus ſecum retinebat: & offerens multa munera, & alios obſides, ut petitionem ejus Rex annueret. Tunc Domnus, ac glorioſus Rex proſpexit una cum Sacerdotibus, vel ceteris Optimatibus ſuis, ut non terra deleretur illa, & Epiſcopia, & Monaſteria non deſertarentur: Elegit namque* XII. *obſides, & tertiumdecimum* (ideſt, obſidem) *Filium ſupradicti Ducis nomine Grimoaldum, & acceptis muneribus juraverunt omnes Beneventani, tam ſupradictus Dux, quam & Romualdus: & reverſus eſt ſupra nominatiſſimus Rex, & celebravit Paſcha cum Domno Apoſtolico in Roma.*

(2) Eginhardus de Geſt. Caroli M. ad finem Anni 186. Similia (levioribus quibuſdam diverſè narratis) habent toties nobis laudatus Annaliſta *Bertinianus*; *Metenſis* quoque, ac denique Chronicon *Hildenſheimenſe*.

*ſcilicet, ut Beneventani tributum ſingulis annis ſeptem millia ſolidorum darent*. Nihil hac re falſius; quam ipſe Annaliſta (dum ſub Carolo geſtam diſtinctè narravit) omnino præteriit, ſiletque cum ceteris aliis exteris Scriptoribus Eginhardus (1).

Rem itaque eandem ex noſtratibus Scriptoribus didiciſſe proderit; in qua quidem enarranda uberior aliis, ſed non omninò ſincerior ſe habet Anonymus Salernitanus, multa intermiſcens, quæ ex popularibus traditionibus accepta in poſteros, quorum credulitatem ex ſuo ævo metiebatur, tradere laboravit (2). Non is igitur remorari nos debet, ſed locum tum temporis, tum fidei prærogativam habenti Erchemperto concedat, à quo hæc tradita habemus: num. II. *Capta ac ſubjugata Carolus Italia, Pipinum filium ſuum illic Regem conſtituit. Tunc ille ſtipatus innumerabili exercituum agmine, crebrius Beneventum adiit capeſſendum. Quo tempore Arichis gener jam fati Deſiderii, Vir Chriſtianiſſimus, & valde illuſtriſſimus atque in rebus bellicis ſtrenuiſſimus Beneventi Ducatum regebat; qui audiens eos ſuper ſe adventare, Neapolitibus, qui a Longobardis diutina oppreſſione fatigati erant, pacem ceſſit, eiſque Diaria in Liburia, & Cœmeterio per incolas ſancita diſpenſatione miſericordiæ vice diſtribuit, titubans, ut coniici valet, ne ab eorum verſutiis Franchi aditum introeundi Beneventum reperirent. Super Beneventum autem Gallico exercitu perveniente, prædictus Arichis viribus, quibus valuit, primo fortiter reſtitit, poſtremo autem acriter præliantibus, univerſa ad locuſtarum morem radice tenus corrodentibus, magis Civium ſaluti, quàm Liberorum affectibus*



(1) Solidorum ſeptem millia ejus Tributi nomine adhuc exigua Blondo Flavio viſa ſunt, qui in ſuæ Hiſt. *Decad.* II. *lib.* II. *edit. Venet. an.* 1484. ad aureorum viginti quinque millia adauxit. *Ut omnis* (inquit) *Italia ubique quieſceret, conceſſit Carolus Grimoaldo Beneventano Duci, quem unicum in Italia, ex Longobardorum reliquiis ſuperfuiſſe oſtendimus, pacem dare, tributo illi vigintiquinque millium aureorum in quot annos ex foedere imperato*: Sed hæc ex Blondi ingenio ſunt, cujus illa etiam lib. I. fuerunt: *Aregiſium Ducem Beneventanum, qui Romano Pontifici ſubjectas Campaniæ Urbes pertentaret, & multis ſepè numero afficeret incommodis, a Carolo admonitum quieviſſe, & Childebrando, & Grimoaldo filiis Romam miſſis, pacem cum Pontifice integraſſe, ſecundum quam pacem Caroli interventu conſtitutam obiit Salerni Aregiſius, & Filii Ducatum concordi animo adminiſtrantes bellum Græcis accolis intulerunt*. Ex quibus noſcis quanta huic Hiſtoriographo fides adhibenda ſit, qui tanta uno loco falſiſſima coacervavit, uti ex eis, quæ ſuperius legeris, comprobatum tibi erit. Quod vero ad Tributum attinet, negotii aliquid faceſſere nobis Paullus Diaconus videtur, qui in Epitaphio Arichis hæc cecinit:

*Sollicitè gratiam paucis ſervavit amator*
*Conſilio cautus, providus, atque ſagax.*
*Cum Natis proprium nil ducens tradere cenſum,*
*Inſuper, & Patriæ promptus amore mori.*

Dum enim his verſibus, quæ Arichis ad bellum avertendum Carolo præſtitiſſet, commemorata habentur, jam præter Filios obſides, Tributum ſimul, *Cenſus* vocabulo expreſſum, traditum videri poteſt. At aliam uſurpato vocabulo ſignificationem tribuendam præclarè, opportunèque docet Herchempertus, ex quo ſcimus, Arichim Carolo *geminam prolem, ſimulque cunctum Theſaurum ſuum tradidiſſe*; ut jam qui *Theſaurus* Herchemperto memoratur, *Cenſus* æquo vocabulo a Paullo dictus fuit, non in ſingulos deinceps annos præſtandus, ſed ea duntaxat occaſione cum obſidibus ſimul traditus.

(2) Veri quidem ſimilis videri poteſt Epiſcoporum Beneventanæ Provinciæ legatio ab Arichi ad Carolum cum exercitu jam properantem miſſa, ut a belli propoſito averteret; ſed quis credat illud Caroli juramentum, qui audiens Arichim *ejus juſſa contempſiſſe pro eo, quod capiti ſuo precioſam deportaret Coronam, hæc protuliſſe traditur*. Niſi ſceptrum, quod in mea manu geſto, Arichis percutiam pectus, *vivere nolo*? Dulcius illud eſt: ut eorundem Epiſcoporum calliditate fatis Caroli juramento factum fuerit, exhibita illi pro Arichi, quem præſentem adducere ſpoponderant, picta illius imagine: *cumque Rex ſe ex omni parte ſuperatum cerneret, cum ingenti ira ſuper illam imaginem venit, & ſceptro quod manu gerebat, illius imaginem percutiens, pectus, & coronam quam in capite depictam gerebat, diſrumpere fecit*. Sicque res omnis tranſacta eſt, atque urgentibus Epiſcopis ictum fœdus, Grimoaldo cum aliis obſide dato. Ad hæc illam denique vulgi traditionem ſilere noluit Anonymus, quâ *ferebant plane nonnulli, quod ipſe Rex Carolus in Legati* (qui Salernum ad firmandæ pacis fœdera, obſideſque accipiendos miſſus fuerat) *formam ſe transformaſſet, ut auditam Arichis magnitudinem cernere poſſet, & quod ipſe Legatus, quem ſupra diximus, Carolus fuiſſet*. Hæc aliaque ejuſmodi omnino reſpuimus, reſpuiſſetque ipſe Arichis, cui tot, tantaque ſuppeterent argumenta veræ laudis, ut commentis hiſce non egeat. At Arichis imaginem, ſeù effigiem, cujus Anonymus meminit, *in angulo Eccleſiæ depictam*, veram credidiſſe licet, ex qua, adhuc fortaſſe ævo ſuo ſuperſtite, fabuloſa illa is conſtruxit. Nihil enim veri magis ſimile, quam ut Arichis, qui Principis nomine, Regia inſignia, honoreſque cum ipſa *Conſecratione* ſibi attribuerit, etiam Imaginem ſuam more Auguſtorum, aliorumque Regum tum maximè vigente, in ſubditas Civitates publico loco, ac præſertim in Eccleſiis aſſervandam tranſmiſerit. Præclarum inter alia plurima, exemplum illud eſt ex Appendice ad Epiſt. S. Gregorii M. *Tom.* II. *Opp. edit. PP. S. Mauri p.* 1302. *num.* XII. *Venit Icona Phocæ, & Leontiæ Auguſtorum Romam* VII. *Kal. Maii & acclamatum eſt eis.... Tunc juſſit ipſam Iconam Dominus Beatiſſimus, & Apoſtolicus Gregorius Papa reponi in Oratorio S. Cæſarii Martyris*. Haud quidem ſuper Altare, ſed in pariete, vel porticibus, vel foribus, ubi morem fuiſſe oſtendit Bacchinius in notis ad Agnell. Rav. *in vit. Boni.* Donatiſtarum olim calumnia fuit, quod Catholicis aſſentientibus Imperatorum imagines in Altari tempore Sacrificii repoſitæ fuiſſent: at falſum id oſtendit Optatus Milevitanus *lib.* III. *De Schiſm. Donatiſt.* cap. II. Falſum præterea oſtendere poſſumus ex noſtro Anonymo; ex quo hoc ſaltem emolumentum habemus, dum refert ab illis Epiſcopis oſtenſam Carolo *ingentem Arichis effigiem* non in Altari, aut alio eminentiore, aut ſacratiore loco, ſed *in angulo Eccleſiæ* depictam, ac collocatam.

*consulens, geminam Sobolem vice pignoris, jam dicto tradidit Cæsari, hoc est Grimoaldum, & Adelgisam, simulque cunctum Thesaurum suum, ex quibus Adelgisa multis cum precibus proprio fuit restituta Genitori*. Hactenus Herchempertus; quem suis verbis loquutum volui, ut ipsa rei narratione majorem præ aliis sibi fidem promereret, doceretque nos, quæ ab aliis Scriptoribus, ipsoque multiloquo Anonymo incassum discere est: Neapolitanam videlicet expeditionem, à qua, ne Francorum advenientium conatibus vis adderetur, non sine tamen Arichis emolumento, atque honore recedendum fuit; tum Arichim, Francis propinquantibus non continuò perterrefactum (uti alii narrant) in Urbem Salernum sese abdidisse: sed *quibus potuit viribus, primò fortiter restitisse*: aucto denique rerum discrimine impetrandæ pacis conditiones obtulisse; quibus demum sancitis publica quidem salus curata est, at simul incolumis suscepti Principatus majestas, ac successio sustineri visa fuit; nam Grimoaldo cum aliis XII. Beneventanis Optimatibus obside duntaxat recepto, atque universo Principis ablato Thesauro, non solum Adelgisa filia proprio fuit restituta genitori, verum etiam Romualdus major filius, qui initio Romam ablegatus adhuc à Carolo detinebatur, ad Paternos Lares abire permissus. Ita tunc honestiùs, atque utiliùs, quàm res ipsa permittere videbatur, sibi suisque Arichis prospexit: At quum ex eo discrimine se liberum nosset, pristina mox libertatis ac ditionis suæ jura integranda sibi duxit.

Quid post Caroli discessum, Arichis moliri cœperit, Adriano Pontifici Gregorius Presbyter Capuanus retulit, Adrianus verò Carolo mox nunciavit: Legationem videlicet ab Arichi ad Græcum Imperatorem Constantinum, ejusque Matrem Irenem missam, qua sibi Patricii dignitatem, ac Ducatum Neapolitanum concedi postulabat, futurus propterea Græcorum subditus, quorum etiam vestes, tonsuramque adhibere paratus esset: mittendum quoque Adelgisum cum valido exercitu, cujus ope ipse in Cistiberina Italia, ille in Transtiberina, Francorum dominatione deleta, primævis juribus potirentur: Faciles postulatis aures Constantinum, atque Irenem præstitisse, missis in Siciliam Legatis suis, qui, Romualdo obside recepto, Arichim Patricium constituerent, allatis vestibus auro textis, simul & Spatha, cum pectine, & forcipibus, quibus & Patriciatus insignia, & Græci hominis formam susciperet: Adelgisi denique expeditionem quamprimum Ravennam versus maturandam (1). Atque hæc quidem cum Græcis agitare cœpit Arichis, cujus tum quidem intererat, Francorum ab se jugum excutere; Græcos vero Dominos agnoscere, non solum tolerabiliùs sibi, sed etiam Neapolitani Ducatus accessione imprimis opportunum. At cœptis, ne ad exitum perducerentur, obstitit mors. Nam ejusdem Anni 787. mensis Julii die 21. turbato naturæ ordine Romualdus decessit; cujus præcox fatum paucos post dies, nempe Augusti die 25. Arichis genitoris obitus consequutus est. Sic Beneventani Principis Aula, ex summo felicitatis Apice, conceptaque ampliorum rerum, qua tunc erigebatur spe, repente dejecta, ac penè radicibus solo prostrata in summum illum mœrorem incidit, quem Paullus Diaconus in ejusdem Arichis Epitaphio, Adelpergam Viduam solatus, verè simul atque eleganter sic expressit.

*Jam felix olim, nunc namque miserrima Conjux*
*Regali in thalamo, quem tibi junxit amor.*
*Eheu perpetuo pectus transfixa mucrone*
*Languida membra trahens, & moribunda dolet.*

*Viderat*

(1) En Adriani verba ex ejus ad Carolum Epistola 88. Codicis Carolini pag. 256. edit. Muratorianæ. *Gregorius Presbiter retulit nobis dicens, quia dum Domnus Carolus Magnus Rex præterito anno a Capuana Urbe reversus fuisset, Arichis Dux ad Imperatorem, Deo sibi contrario, emisit Missos, petens auxilium, & honorem Patriciatus una cum Ducatu Neapolitano sub integritate simul, & suum Cognatum Athalgisum cum manu valida in adjutorium sibi dirigi, promittens ei tam in tonsura quam in vestibus usu Græcorum perfrui, sub ejusdem Imperatoris ditione: Hæc autem audiens Imperator emisit illi suos Legatos scilicet Spatharios duos in ditionem Siciliæ, ad Patricium eum constituendum ferentes secum Vestes auro textas simul & Spatham, vel Particum, & Forcipes, sicut illi prædictus Arichisus indui, & tondere pollicitus fuerat, petentes Romualdum ejusdem Arichisi Filium in obsidiatum. De Atalchio* (Athalgiso) *vero cognato emisit ei dicens: quia nunc illum non dimisimus; sed eum dirigimus cum exercitu in Tervisio, vel Ravenna. Qui venientes Dei nutu, per suffragia Apostolorum malignantium consilia dissipata reperierunt, eo quod Arichisum Ducem, vel ipsius Filium Waldonem* (Romualdum) *defunctum invenerunt.* Epistolam hanc perperam anno 787. consignandam censet Muratorius *in Annal. ad an.* 788. *pag.* 397. All' anno precedente senza dubbio appartiene la lettera 88. del Codice Carolino . . . . . *Gregorio Prete avendo chiesto di poter parlare a Papa Adriano in segreto, gli aveva parlato, come nell' Anno precedente, dapoichè Carlo Re grande si era partito da Capua &c.* Si igitur, quæ anno præcedenti idest anno 787. gesta essent, ab Adriano nunciantur, procul dubio ad sequentem annum 788. Epistola pertinere debet.

*Viderat unius nuper, heu funera Natì:*
*Aſt alium extorrem Gallia dura tenet.*
*Huic geminæ Natæ vernanti flore ſuperſunt*
*Solamenque mali, ſolicituſque timor.*
*Has cernens reddi vultus ſibi credit amatos:*
*Heù trepidans fit, & fluctuabunda manet.*

Ex quo etiam Epithaphio diſcimus verum filiorum numerum, quos Arichis ex Adelperga ſuſcepit, duos nempe mares, nempe Romualdum Patri præmortuum, & Grimoaldum Carolo obſidem traditum, ac in Gallia jam tunc manentem: totidem prætera fœminas, nempe Theuradam & Adelgiſam, quæ poſterior obſes cum Grimoaldo fratre expetita, ſummis tamen precibus (ut ex Erchemperto didicimus) (1) in paternis laribus remanere permiſſa eſt, ipſaque cum Theurada ſorore, ſolum ſupereſſe videbatur, non ſatis validum Principis Familiæ munimentum, unicum, *ſed ſoliciti timoris plenum*, Matris ſolamen.

Verendum certe Adelbergæ erat (quam propterea *trepidantem*, ac *fluctuabundam* Paullus nobis expreſſit) verendum, inquam, ne Arichi, Romualdoque defunctis, Grimoaldo autem non ſolum abſente, ſed obſide, aut potius captivo ſub Caroli poteſtate detento, novarum rerum moliendarum occaſio vel Francis, vel ipſis etiam Beneventanis præberetur; ita ut vel hi, quem maluiſſent, alium ſibi Principem deligerent, vel a Carolo miſſum accipere cogerentur. Interea Adelgiſus, cum Græcorum claſſe non Tarviſium, aut Ravennam, ut Conſtantinus Imperator præmonuerat, ſed in Calabriam appellens, in finibus Ducatus Beneventani conſedit; ad quem contendere Adelbergà cogitavit; ac ne ulla ejus conſilii ſuſpicio eſſet, rumorem ſparſit, ſe ſuaſque filias ad Garganicam S. Michaelis Baſilicam orationis ſpecie profecturas; re autem vera Tarentum aditura, ubi Theſauros ſuos recondendos curavit, ut Adelgiſo fratri ſe adjungeret (2). Satis prudens utriuſque conſilium fuit, Adelgiſi nempe non Ravennæ, ſed Calabriæ oras petendi, ut mox inter Beneventani Principatus fines, atque adeò inter ſuos Longobardos poſitus tutiores, expeditioreſque auſis ſuis progreſſus faceret: Adelbergæ vero, Adelgiſo ſe ſociandi, ut ejus præſentiâ, atque viribus, non ſolum ſubditos in officio contineret, verum etiam adversùs externos, ac communes hoſtes validorem opem, ac tutelam nanciſceretur.

At prudentiores in eo rerum diſcrimine Beneventani Optimates ſeſe probarunt; Secum enim ii reputabant, non è Rep. fore, ut cum Græcorum copiis Adelgiſus in Beneventanum Principatum pervadere fineretur; vel enim Adelgiſo ipſi Regiam ſedem vix repetituro, vel potius Græcis ſerviendum deinceps eſſet, qui ſuo milite Beneventum, reliquaſque Principatus Urbes occupaſſent; deterior denique eorum cauſſa apud Francos efficeretur, qui aſperiore bello ipſos divexandos, ſibique ſubiicendos contenderent. Satius igitur viſum fuit, legationem ad Regem Carolum inſtituere, ut obſes Grimoaldus ad ſuſcipiendum Paternum Principatum dimitteretur: Id certe Carolus abnuere iis nequiret, qui ad ejus æquitatem, magnanimitatemque confugere maluiſſent, a quo etiam pro conſtanti ea fide, quam erga naturales Principes ſuos oſtenderent, exaudiendi ſimul, ac laudandi eſſent. At quum ea res moram



(1) Cl. Muratorius in Annal. ad An.787. pro Adelgiſa ſcribit Adelgiſum: quare tres Arichis filios mares ſtatuere videtur. *Per ſicurezza della promeſſa diede egli* (Arechi) *dodici oſtaggi al Rè Carlo, e quel che più importa, gli diede ancora Grimoaldo, ed Adelgiſo ſuoi figliuoli: tante poi preghiere ſi frappoſero, che Adelgiſo fù rilaſciato in libertà.* Niſi is Typographi error ſit, vereor, ne Muratorio impoſuerit Chronologica adnotatio, quæ ab eodem Paullo Diacono Arichis Epitaphio ſubſcripta fuit hiſce verbis: *Vixit autem* LIII. *annis, Obiit* VII. *Kal. Sept. Anno ab Incarnatione Domini* DCCLXXXVII. *ex Domna Adelberga Principiſſa filios Romuald. & Grimoald., Egiſiſum Theuradam, & Adelciſam ſuſcepit.* An illum Egiſiſum tertium Arichis marem filium putaverit, atque Adelciſum vocandum duxerit Muratorius? Sed pro mendoſo illo ſeù monſtruoſo *Egiſiſo* (quod adhuc in Muratoriana editione Script. Ital. tom. II. part. I. pag. 311. & Peregrinii editione a Pratillo curata t. III. p. 306. ſervatum eſt) *& filias*: ideſt Theuradam, & Adelgiſam, legere debemus, ei vocabulo mox ſuccedentes: qua mea emendatione omnes ejuſdem Epitaphii partes ſibi rectiſſimè reſpondebunt.

(2) Hæc ex Epiſtola Hadriani ad Carolum, quæ in Cod. Carol. ordine XC. eſt, ſic narrantur. *Sic enim* (inquit Pontifex) *de jam dicto nequiſſimo Athalgiſo nunciatum eſt, quia in veritate, Deo ſibi contrario, cum Miſſis Imperatoris, in partibus ſcilicet Calabriæ reſidet juxta confinium Ducatus Beneventani ..... nempe quidem ſcimus, quia ipſe iniquus, & perfidus Athalgiſus pro nulla alia cauſſa in iſtis declinavit partibus, niſi tantummodo pro veſtra, & noſtra contrarietate .....* Tum Adelpergæ conſilium Adelgiſum fratrem conveniendi ita aperire pergit. *Eeo Epiſcopus ſecretè nobis ſic fatus eſt, quia Adelberga relicta Arighis, tale habet conſilium, ut dum ipſe Grimoaldus filius ejus Beneventanos fines introierit, ingenioſe cupit duos filios ſuos ſecum deferre, & quaſi Orationis cauſa ad S. Angelum in Garganum pergere, & deinde in Tarantum, ubi & Theſauros ſuos reconditos habet.*

moram postularet, Græcorum vero copiæ in Principatus finibus paratæ essent, Græcique jam adessent Legati, illud æquè prudens consilium subiit, ut Legati Beneventum ingredi vetarentur, sed Salernum convenirent, ubi Adelberga manebat: Datum autem illis responsum, expectari oportere Grimoaldum, quem a Carolo sibi mittendum flagitassent; ut quæ cum Arichi constituta erant, perficere ipse posset: Interea Neapolim græcam Urbem adirent, ibi rerum exitum præstolaturi. Quo certe facto, tum Græcorum, tum Caroli gratiam sibi fovendam duxerunt, ut nullam ab Grecis molestiam, à Carolo Grimoaldum acciperent (1).

Unus Beneventanorum Optimatum Legationi, ne felicem sortiretur exitum, obsistebat Pontifex Hadrianus, qui Grimoaldi reversioni intercedendum apud Carolum sibi duxit hisce verbis. *Quapropter nimis poscentes, quæsumus præcelsissimam vestram excellentiam, ut nullo modo pro causa Grimoaldi filii Arichisi credere plus cuiquam debeatis, quam nobis. Nam pro certo sciatis, quia si ipsum Grimoaldum in Beneventum miseritis, Italiam sine conturbatione habere minime potestis*. Italiæ certe tranquillitas, Reip. salus, Populorum quies Hadriano imprimis cordi erant, præque ejus oculis versabantur, ut Carolum a dimittendo Grimoaldo deterreret: non inanis suberat metus, ne recenti malorum exemplo iterum Italiæ res restitutis Longobardis pessumdarentur, atque in æquum discrimen tum Romanæ Ecclesiæ, tum Francici Regni ditiones rurus deducerentur: hæc sanè Pontificis Sanctissimi sensa erant, quæ is ad Carolum sic exprimere pergit: *In hoc minime vestra à Deo premota excellentia considerare debeat, quod pro nostra aviditate ipsas Civitates acquirendum, quas Beato Petro Apostolo, & nobis condonastis, talia vobis insinuare studuimus: sed pro magna securitate Sanctæ Dei Catholicæ, & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, atque vestræ præcelsæ Regalis exaltationis victoria, ea, quæ audivimus, & agnoscere potuimus, vestris regalibus auribus insinuare nullo modo negleximus. Vestra quoque Regalis excellentia, qualiter ei placuerit, & aptum prospexerit, in omnibus his disponere provideat* (2).

At Carolus, cujus æquitati prudentiæque meliora fortasse perspicienti rem deliberandam Pontifex permissit, Beneventanorum Optimatum votis obsecundandum censuit; ratus, denega-

(1) Hæc pariter Carolo Hadrianus nunciavit Epist. LXXXVIII. *Beneventani ipsos Græcos minime recipere voluerunt, sed post reversionem ipsius Attonis Diaconi, tunc eos terreno itinere à finibus Græcorum deferentes, Salerno receperunt, & cum Athalberga relicta Arichis, seù Optimatibus Beneventanis, tribus diebus persistentes consiliati sunt, suadentes ipsi Beneventani præsentibus missis Græcorum dicentes*: Quia nos ad Regem Carolum emisimus Missos nostros petentes ab eo Grimoaldum Ducem nostrum recipere. *Insuper, & per Attonem Diaconum ipso nobis pollicente, rogare emisimus, ut penitus eum Ducem consequenter susciperemus. Sed propter hoc morari vos Neapoli convenit, dum usque ipsum Grimoaldum recipere possimus Ducem, & quod Genitor ejus Arigisus minime valuit adimplere, Grimoaldus filius ejus, dum culmen genitoris sui adeptus fuerit, prorsus Imperialem voluntatem cum omni ditione, sicut cum suo constitit Genitore, in omnibus adimpleat pariter nobis promissa explentibus. Quapropter terreno itinere usque Neapolim eos cum magno deduxerunt honore.*

(2) Ex laudata Epistola XC. pag. 262. Eadem rursus Sanctissimus Pontifex apud Carolum protestari voluit, postquam ab eo Grimoaldus ad Beneventanum capessendum Principatum dimissus fuit. *Prorsus nobis* (inquit) *regalis vestra excellentia credere velit, quia nunquam voluimus, ut Grimoaldus filius Arichis in Beneventum remeasset, nisi propter inimicorum vestrorum, atque nostrorum machinationes, atque insidias, sed verum etiam, sicut vestra promisit nobis Regalis excellentia pro exaltatione, atque defensione Sanctæ Dei Ecclesiæ, & pro vestro, nostroque profectu*. Tum Carolum promissionis, seu donationis suæ commonefacere pergit, illud efflagitans, ut quas ipse Civitates in partibus Beneventanis Beato Petro obtulerat, omnino Rom. Ecclesiæ dominio tradendas mandaret. *Nam nulla alia* (inquit) *tradere voluerunt, nisi Episcopia, Monasteria, & Curtes publicas, simul claves de Civitatibus sine hominibus, & ipsi homines in eorum potestate introeuntes, & exeuntes manent. Et quomodo nos sine hominibus Civitates illas habere potuerimus, si habitantes earum adversus ea machinarentur? Nos quippe in eorum libertate permanentes, sicut cæteras Civitates in partibus Tusciæ, donis vestris regere, & gubernare eos cupimus, omnem eorum habentes legem: Unde petimus vestram excellentiam, ut nullus hominum sit, qui vestra sacra vota impedire valeat, & non meliorem faciatis* Grimoaldum *filium Arigisi, quam fautorem vestrum* B. Petrum *Clavigerum Regni Coelorum*. Atque hæc quidem Hadrianus in Epistola, quæ in eodem Codice Carolino ordine LXXXVI. est; ex qua duo animadvertere licebit; primum illud est, Pontificias Epistolas nullà quidem servata Chronologià in eo Codice fuisse descriptas: nam hæc Epistola res commemorat, Grimoaldi reditum consequutas; qui Grimoaldus ex Epistola XC. adhuc in Galliis detinebatur, ac ne redire permitteretur Pontifex Carolum hortabatur, ut superius observavimus. Alterum est, quod ex hac, aliisque Hadriani ad Carolum Epistolis, ubi is assidue illud monet *promissionis suæ*, verissimum comprobetur Anastasii Bibliothecari testimonium de iterata Caroli Donatione, *qui aliam Donationis promissionem adinstar anterioris scribi jussit, per designationem confinium a Lunis cum Insula Corsica, deinde in Sariano, deinde in monte Bardono, inde in Verceto, deinde in Parma, deinde in Reghio, & exinde in Mantua, atque monte Felicis, simulque, & universum Exarchatum Ravennatensium, sicut antiquitus erat, atque Provincias Venetiarum, & Histriam, necnon, & cunctum Ducatum Spoletinum, & Beneventanum*. Nihil hac Donatione celebrius, de qua plurima nostra ætate, Viri eruditi scripsere; Ejus Archetypum in Archivo S. Ecclesiæ adhuc suo ævo servatum testatur Anastasius; specimen verò ex Codice Farnesiano protulit Cl. Blanchinus in Prolegominis ad eund. Anastasium pag. 55. De hoc argumento opportuniore loco agendum nobis erit, quum ad Longobardici Principatus occasum, translatamque ad Sedem Apostolicam Beneventanam Ditionem perveniemus.

denegato Grimoaldo, deteriora Italiæ contingere posse, dum Beneventani eam repulsam passi, Adelgiso, Græcisque sese addicentes, perpetui Rom. Ecclesiæ, Francicique Italici Regni hostes evaderent; Grimoaldo vero concesso, etsi Italicis rebus superesset discrimen, levius illud tamen, cui etiam submovendo eæ Leges accipiendi Principatus redeunti Grimoaldo dari possent, quibus servatis omnia in tuto posita essent: Hoc denique pacto Beneventanus Principatus legitimo Hæredi, Dominoque suo reddebatur, qui velut beneficii loco accepturus, non tanto sancitarum Legum sacramento, quam grati animi nexu, ne novas res moliretur, vel molituris faveret, obstringebatur. Permissum itaque à Carolo est, ut Grimoaldus ad regendum paternum Principatum abiret; atque Caroli consilium saluberrimum Italiæ fuisse priora Grimoaldi gesta comprobarunt; nam is non solum in Adelgisi, Græcorumque partes transire renuit, verum etiam illos, velut suos æque, atque Italiæ hostes reputans, armis aggressus, de illorum Copiis victoriam reportavit. Insigne profecto Grimoaldi id facinus fuit, perpetua laude dignum, hisque versibus in ejus Epitaphio celebratum.

*A' Patre pro Patria directus Regius obses*
*Pacavit Patriam funus ad usque Patris.*
*Cum Danais Bellum felici sorte peregit;*
*Finibus expellit belliger ipse suis* (1).

Rem quoque ipsam his versibus Poeta Saxonicus commendavit apud Du-Chesniam ad An. 788., dum Græcis in Calabria adversus Beneventanos procedentibus,

*Occurrere Duces Caroli, quibus illa tueri*
*Cura fuit loca; præcipue Grimoaldus in ipso*
*Dux anno factus patre pro defuncto Aragiso &c.*
*Cedit Achiva cohors, Danaum dant terga phalanges.*

Nihil certe felicius Italiæ contingere poterat, nihil Regi Carolo utilius, ipsique Grimoaldo gloriosius, firmandoque Principatui congruentius: nam eâ partâ victoria, Adelgisi res omnino corruerunt; mox Caroli cum Græcis inita pacis consilia; utrisque probata Grimoaldi potentia, ac bellica virtus; Italiæ demum tranquillitas fuit restituta.

In hujus victoriæ partem, tum Ducem Spoletinum, tum etiam Francos vocare videntur Annales Bertiniani; at exiguus horum numerus, nec satis validæ illius vires *præcipuam* (uti etiam Poeta Saxonicus superius fatebatur) rei gestæ laudem Griomoaldo relinquendam ostendunt. *Eodem quoque anno* (sic ad an. 788. dicti Annales) *commissum est bellum inter Græcos, & Longobardos, idest Duce Spoletino nomine Nildebrando, seù Duce Grimoaldo, quem Domnus Rex Carolus posuerat Ducem super Beneventanos: Misitque Rex Winegisum una* cum paucis Francis, *ut provideret omnia, quæ illi in pugna gessissent. Et auxiliante Domino victoria est facta à Francis, seù à Longobardis* (2). Ex quo Annalium loco Grimoaldum *Ducem super Beneventanos* a Carolo positum discimus; sed nulla ibidem earum conditionum, quibus Carolus Grimoaldum sibi obstrinxit, mentio facta est, ut ex hoc etiam loco minor eidem ipsi Annalistæ fides adhibenda sit, qui ad ann. 814. Pactum de præstando a Grimoaldo in singulos Annos septem solidorum millium tributo, *eo modo quo & Pater*, ideſt Carolus sibi cavit, à Ludovico renovatum asserit.

Sed quæ demum eæ conditiones fuerint, ex nostratibus didicerimus Scriptoribus, qui Francicis diligentiores majorem quoque fidem in ea re narranda merentur, quæ in Gentis suæ detrimenta vertebatur. Multus, more suo, Anonymus Salernitanus esse voluit, multasque in ejus rei narratione nugas invexit, cujus tamen vera illa, etiam Paulli Diaconi testimonio olim comprobata, Beneventanis tradita laus fuit, ut scilicet *Beneventanorum Populus, qui suis Ductoribus semper fidelis extitit, nunciandum protinus Carolo Regi miserit, ut citius Grimoald Beneventum mitteret, & Principatum, quem suus Pater* (morte) *amiserat, ipse nempe occuparet*. Verum illud quoque, Grimoaldum à Carolo jurejurando adactum, ut statim *Salernum ingressus muros ejus à fundamento dirueret, sicque faceret Congiæ, simulque Acherentiæ* (3). Sed plura adhuc fuere à Grimoaldo promissa, quæ Anonymo ignorata, vel potius dissimulata, diligen-

(1) Ex Epitaphio Principis Grimoaldi inter Opp. Peregrin. tom. III. pag. 307.

(2) Tom. II. part. I. Script. Ital. Murator. pag. 502.

(3) In Chron. cap. XXII.

diligentior ac fincerior Erchempertus recenfens, fuis ipfe verbis nobis libentius audienda præftabit. *Defuncto* (inquit n. IV.) *Arichi confilio habito, Beneventanorum Magnates, Legatos ad Carolum deftinarunt, multis eum flagitantes precibus, ut jam fatum Grimoald, quem à Genitore obfidem jam priore fufceperant, fibi praeffe concedere dignaretur. Quorum petitionibus Rex annuens, illic continuo prædictum contulit Virum, fimulquejus regendi Principatum largitus eft; fed prius pactis hujufmodi vinxit: ut Longobardorum mentum tonderi faceret; Chartafque vero, Nummofque fui nominis characteribus fuperfcribi femper juberet; Ac muros Salerni, Acherentiæ, & Congiæ funditus everteret. Accepta denique repedandi licentia a Beneventi Civibus magno cum gaudio acceptus eft.*

Quatuor itaque profpexit fibi Carolus a Grimoaldo præftanda; I. tondendum Longobardorum, *mentum*, feu barbam. II. fignandas Caroli nomine *Chartas*: III. fignandos quoque *Nummos*: IV. diruendos denique munitiorum Urbium *Muros*. Quibus omnibus Beneventanum Principatum obnoxium fibi efficere fatius duxit. Supremi Dominii precipua argumenta funt, nomen Chartis infcribi, idemque nomen, vel imaginem in Nummis fignari. Exemplum Erchempertus idem fuppeditat, qui num. XLVII. ac poft annum DCCCLXXXI. ideo Pontificem Johannem VIII., fpreto Bertharii Abbatis Caffinenfis faniori confilio, Landonulfum, qui vivente Landulfo, in Capuanum Epifcopatum fe intruferat, divifo inter utrumque Epifcopatu, approbaffe, quod Pandonulfus illius frater, ac Capuæ Comes *priùs fe fubdiderat dicto Papæ, in cujus vocamine* (ideft vocabulo, feu nomine) *& Chartæ exaratæ & Nummi figurati funt*. Sanciendæ de tondenda Barba legis confilium, occafionemque Carolo dediffe videtur memorata nobis fuperius Pontificis Hadriani Epiftola, ubi illud ipfum velut fubjectionis argumentum Arichis Græco Imperatori fpopondiffe nunciabatur; quamobrem, ut ipfo quoque oris habitu cum reliquis Italiæ populis fubditos fe Longobardi profiterentur, implendum a Grimoaldo Carolus voluit: Hanc vero Ciftiberinorum Longobardorum fubjectionem ut fibi Carolus confirmaret, auferenda ipfis infigniorum Urbium propugnacula conftituit. Duriffimam certe utramque Legem, primam fcilicet, ac proftremam Longobardis impofuit Carolus; æquum enim illorum ftudium nutriendæ ex avito more barbæ,libertatifque munitarum Urbium fubfidio in adverfis rebus tuendæ: ne vero Carolo inofficiofior Grimoaldus videretur, fecundam, tertiamque earum Legum obfervandas initio voluit. *In fuis Nummis* (ita rem profequitur Erchempertus) *ejus nomen aliquandiù figurari placuit; Schedas fimiliter aliquanto juffit tempore exarari: reliqua autem pro nihilo duxit obfervanda*. Harum autem Legum, quæ folæ obfervatæ funt, certiffima, quæ heic proferamus, monumenta fuperfunt.


Ac quod ad *Chartas*, feu *Schedas* attinet, inter plurima Grimoaldi Diplomata, quæ in Chronico S. Sophiæ defcripta habentur, unum adhuc legitur ab eodem Principe *per rogum Davidis Reverendiffimi Epifcopi Sanctæ noftræ Beneventanæ Ecclefiæ cuidam Trafulpo conceffum*, ac Caroli nomine præcipuè infcriptum hifce verbis. *In nomine Domini Dei Salvatoris noftri Jefu Chrifti. Regnante Domino piiffimo Carolo Magno Rege Francorum, & Longobardorum, anno Regni illius* 20. *Firmamus nos Vir gloriff. Grimoaldus Summus,& eximius Princeps Gentis Longobardorum, &c.* Sed & hujus Diplomatis claufulam audire libet. *Quod vero Præceptum firmatis ex juffione nominati Domini noftri Viri Gloriofiffimi Grimoaldi fecundo an., Deo difpenfante Principatus fcripfi ego Godepertus Notarius. Actum Beneventi in Sacro noftro Palatio Menfe Junio per Indict.* XII. *feliciter admodum* (1). Indictio XII. in annum incidit DCCXC. in cujus anni menfe Junio nondum fecundus expletus erat annus ex quo Grimoaldus Principatum aufpicatus fuerat. Quamvis autem triennium prope excurrerat ab Arichis morte, quæ die 25. Augufti Anni DCCLXXVII. acciderat, Grimoaldi tamen è Gallis reditus non ante eundem menfem Junium fequentis anni eveniffe potuit. Sed illud maxime ex hoc Diplomate animadvertendum erit, infcriptum quidem Caroli *Regis Francorum, & Longobardorum* nomen, annofque (2), at fervatum fimul Grimoaldo *fummi, & eximii Principis Gentis Longobardorum* titulum; fignatos quoque ejus Principatus annos; Principatum non Caroli indulgentia, fed *Deo difpenfante* collatum; Princi-


(1) Apud Ughellum Ital. Sacr. tom. VIII. primævæ edit. Rom. p. edit. vero Venet. tom. x. p. 466.

(2) Annus DCCXC. (quo Indictio XII. in Diplomate fignata decurrebat) Caroli *Regis Francorum, & Longobardorum* vigefimus in eodem Diplomate numeratur; qui tamen non ad Regnum Longobardorum, feù Italiæ referri debet, non ante Annum DCCLXXIV. Carolo comparatum, fed potius ad Franciæ Regnum quod is, VIII. Id. Octobris anni DCCLXVIII. (uti Annales Bertiniani habent) affequutus fuit. Quamvis autem eo anno DCCLXC. Rex Italiæ non Carolus, fed ejus Filius Pippinus haberetur (quem Anno DCCLXXXI. *unctum a Pontifice Italiæ Regem* iidem Annales tradunt) voluit tamen Carolus fupremus adhuc Italiæ Dominus a Grimoaldo agnofci; qui certe Grimoaldus Caroli magis, quam Pippini potentiam, ac nomen fuiffet reveriturus.

Principis Palatium *facrum*; ipfum denique Grimoaldum *Dominum noftrum* appellatum; ut videas, quàm tenuiter, atque ægrè in ea fervanda Lege Grimoaldus fe habuerit, non tam Carolum dominum, quàm veterem fuam libertatem conteftatus.

De Nummis hic demum dicendum erit, quos fub Grimoaldo nunc primum fpectare erit; fed ante Grimoaldum, ab ejus Patre, ac Principatus fundatore Arichi nummos percuffos par eft, ut credamus. Qui enim Regia quæque infignia, ac jura fibi vindicavit, an is monetam, qua per ampliffimos Principatus fines fubditi populi uterentur, fignare neglexerit? Cur etiam Carolus fui nominis epigraphe fignandos nummos Grimoaldo futuro Principi imperaffet, nifi jus, moremque cudendæ monetæ apud Beneventanos invaluiffe comperiffet? At quos olim extitiffe affirmamus, nullos adhuc Arichis nummos fpectare licuit: Grimoaldi vero nummos jam manibus contrectamus; eofque primo loco exhibemus, quos ille Principatum aufpicatus, Carolo obfequutus percuffit. Binos ejufmodi Nummos, five bina, uti credidit, unius ipfius Nummi Ectypa protulit Cl. Muratorius, quorum alterum à Le-Blanco mutuatus fuit, alterum à Breventano, Garellio, ac Mufeo Sabbatinio acceptum fatetur: utrumque autem edidiffe fimul voluit, ut quantum Le-Blancus in fuo exprimendo incuriofus fuerit, utriufque Ectypi comparatione manifeftum efficeret (1). De uno eodemque nummo rem effe, ut ipfe olim credidi, ac, quum ipfe Nummus apud me extaret, non folum cum Muratorianis Ectypis contuli, fed rurfus, exactiffimèque expreffum Præfationi Tomi I. cum aliis Longobardicis Nummis præproperè tunc quidem, fed non omnino importunè adjectum volui, ut Le-Blancum non adeò ofcitantem, Muratorium vero non fatis diligentem oftenderem. Sors deinde fuit, ut alterum ejufmodi æque aureum nummum mihi compararem, qui cum priore collatus, de eadem quidem re, fed diverfo tempore cufum fe prodit, uti ex utriufque adjecto Ectypo manifeftum cuique erit:





Levis quidem utriufque apparet diverfitas; fatis ea tamen, ut alterum ab altero diverfum judicemus: Ac primum iifdem infignibus, eodemque oris habitu infculpta utrique eft Grimoaldi effigies, qui in capite Coronam pilei inftar, cujus vertici Crux impofita eft, gemmis, five unionibus contextam geftat, atque ad utramque aurem, non capillos (uti perperam Muratorius expreffit), fed ejufdem Coronæ victam offert in nexus modum utrinque productam: Globum pariter, cui altera Crux fupereminet, dextrâ tenet, parique modo GRIM VALD folitario nomine fefe prodit; fed in pofteriore nummo paullò craffiorem faciem repræfentat: In altera vero parte paria funt circumfcripta verba DONS CAR. ℞. id eft Dominus CAROLVS REX: paria Sigla illa S. R. ad Crucis hinc inde latus adfcripta, ut in ipfa Cruce SALUS REGNI, vel REIP., vel demum SACRA RELIGIO, contineri fignificaretur, in ima vero parte prior nummus habet omnino VII., pofterior vero VIC. uti in priore fcribendum fuit, non enim numeralis nota agnofcenda ibi erit, fed potius *Victoriæ* nomen, quod rectius, five manifeftius in pofteriore expreffum extat: amplius vero utriufque Nummi diverfitatem materiæ pretium corfirmat; etfi enim aureus uterque fit, eodemque pondere conftet, puriore tamen auro prior corufcat, fecus ac pofterior, qui ad argenti pene colorem deflectit.

Semel itaque, atque iterum Grimoaldus in Principatus fui primordio eos cudiffe nummos, in iifque fignandis legem fibi a Carolo impofitam fervaffe probatur. Quod in aureis tantum, haud vero in argenteis, æreifque nummis factum arbitror, ut paullo inferius oftendetur. In ipfis autem aureis aliqua adhuc obfervare licebit; ac primum Grimoaldi nomen non per O, fed per V fcribendum, pronunciandumque ipfi docent tum hactenus nobis confpecti, tum alii mox confpiciendi ejus Principis nummi, quorum auctoritas, quibufque aliis monumentis anteferri debet: at nos Grimoaldum, aliorum licentia & exemplo meliorique vocabuli fono ufi fcribimus. Sed quod magis intereft, dum iidem Nummi Grimoaldum nobis adhuc *barbatum* repæfentant, næ is Carolo illudere voluiffe videtur; cujus legem

(1) Antiq. Med. Ævi Differt. XXVII. pag. 618. feq.

legem in ſignandis Nummi ita ſervavit, ut alteram tondendi menti, ſivè radendæ barbæ ſimul acceptam omnino contempſiſſe publico Nummorum ſuorum teſtimonio comprobaret. Nec vero in ipſa nummorum lege ſervanda exactè ſe geſſit Grimoaldus, qui illos Caroli nomine ſignare juſſus, adhuc tamen ex altera parte, & nomen, & effigiem ſuam inſculpere geſtiit. Effigiem in Nummis ſignare, ſupremæ poteſtatis indicium eſt, ad eumque pertinet, qui ſummi dominii juribus pollet. Sic Italici Gothorum Regni initio, quum adhuc ipſi ſupremum Romani Imperatoris dominium agnoſcere viderentur, ſuum quidem in Nummis inſcribere nomen, ſed illius effigiem adhibere cœperunt. Id quod præter alios Gothicos conſimiles plures à doctiſſimo Cangio memoratos (1), Regis Athalarici argenteus Nummus etiam num oſtendit, in cujus antica parte Imperatoris Juſtiniani imago capite coronata cum hac Epigraghe DN. JUSTINIANUS PF. AUG. viſitur; in poſtica vero ejuſdem Athalarici nomen in medio laureæ coronæ inſcriptum legitur (2). Meminit ejus moris Procopius, Germanorum ambitionem cauſſatus, qui, ut Gallias ſibi haberent ab eodem Imp. Juſtiniano permiſſi, contra aliorum Principum Rom. Imperio ſubjectorum exemplum ſuos ex Gallico auro nummos non Imperiali, ſed propria effigie inſignire auderent: *Aureum nummum nativo è Galliarum metallo hi cudunt, non Romani Imperatoris, ut cæteri ſolent, imagine, ſed ſua impreſſa: Perſarum ſiquidem Rex, etſi ad arbitrium argenteum numiſma facit, aureo tamen non illi fas eſt, ſuam, ut imponat effigiem; nec barbarorum Princeps alius quiſpiam id facere auſit* (3). Sed & ipſius Francorum Regis Caroli ævo præclarum ſervati ejus moris monumentum nobis offert argenteus Nummus Romæ percuſſus, & inter Pontificios Nummos à Johanne Vignolio relatus (4), in quo Caroli coronam capite, ſiniſtra gladium, dextra ſceptrum geſtantis imago ſpectatur, attritis, quæ circum aderant, literis; in altera vero facie: SCS. PETRUS: circum ſcriptum legitur; in medio: ROMA.

Sed Caroli effigiem nunquam, ejus vero nomen in ſolis *aureis ſuis nummis aliquandiu* (ut Herchempertus ajebat) *figurari*, Grimoaldo placuit: Mox verò contemnendam hanc legem ſibi duxit, quæ una ſupererat in ejus ſubjectionis argumentum, quam Beneventanus Princeps Regi Carolo profiteri videbatur. Superſtites adhuc habemus, damuſque heic ſpectandos alios itidem aureos Grimoaldi nummos, quos ipſe paullo poſt priores, ſine ulla prorſus Caroli mentione cudendos curavit:



Majorem ex Angelo Breventano edidit Muratorius: Minor nunc primum in lucem prodit; Ac in antica majoris facie eadem, quæ in prioribus nummis, Grimoaldi imago expreſſa eſt, iiſdemque literis ſolitarium ejus nomen inſcriptum: In poſtica vero idem quoque exurgit Stemma Crucigerum, eademque adjacentia ſigla S. R. hinc inde ſignantur: At hac Epigraphe Nummus

(1) In Diſſert. De inferioris ævi, ſeù imperii numiſmatibus num. LXXIII. *Cur* (inquit) *Gothicorum Regum Italiæ, qui ſub Anaſtaſio, utroque Juſtino, & Juſtiniano floruere, Nummos, qui ſuperſunt, aut quos videre contigit, eorundem Auguſtorum Nummis ſubjecerimus, juvat Lectorem admonere: Ea vero potiſſimum cauſſa fuit, quod horum plerique Auguſtorum effigies, & nomina, præferant, in averſa vero parte Regum iſtorum exarata nomina, & titulos, quod Byzantinis Principibus quodammodo obnoxii, hac Italiam conditione poſſiderent, ut ipſos tanquam ſupremos Dominos agnoſcerent, monetamque eorum imagine cuderent, nominibus ſuis iiſdem tantummodo inſcriptis*. Ejuſmodi Gothicorum nummorum Ectypa ad Theodoricum, Athalaricum, Theododatum, Witigem, ac Baduelam ſpectantia exhibet idem Cangius in *Familiis Auguſtis Byzantinis* pag. 43. edit. Pariſ. & inter Script. Hiſt. Byzant. tom. XXI. pag. 76. edit. Venet. 1729.

(2) Inter Nummos Ravennates a Cl. Murat. editos d. Diſſert. XXVII. num. I. pag. 581. Sub Juſtiniano tantum a Gothis Regibus eos percuſſos nummos putavit Muratorius, qui, an Theodoricus ei legi ſe ſubmiſerit, ignotum ſibi eſſe ait l. l. pag. 578. ſed & ſub Anaſtaſio, ac utroque Juſtino percuſſos accuratior obſervavit Cangius, cujus verba in ſuperiore nota recitavi, & Theodorici nummum profert in d. opere *Familiarum Byzantinarum* dd. pp. 93. & 76.

(3) De bell. Goth. lib. III. pag. 389. edit. Baſilææ an. 1576. vide etiam Barnab. Briſſonium *de Regno Perſarum* lib. II. num. 245. Rem ipſam ſpectandam offerunt extantes adhuc eorundem Regum Francorum aurei Nummi, ideſt Theodoberti, Gholderici, & Chlotarii, quos exhibet Cangius in Familiis Byzantinis pag. 74. edit. Pariſ. & pag. 77. tom. XXI. Hiſtoric. Byzant.

(4) Iterum cum aliis Pontificis nummis editus eſt a Muratorio l. l. num IV. pag. 555. attritas literas Vignolius ſupplevit. CAROLO R. LEO PP. Sed Caroli duntaxat nomen ibi inſcriptum Muratorius contendit.

Nummus circumſcribitur . VICTOR . PRINCI. ideſt *Victoria Principum*; vel potius *Principis*; ut ſe ipſum Grimoaldus indicaret, qui excuſſo Francorum jugo ſupremi ſui juris compos, victorque evaſiſſet: ſubtus vero CONOB. habet, formulam nempe illam nummariam, quam *Criticorum Crucem* Heumannus appellat (1).

At violatam à Grimoaldo promiſſorum omnium fidem, jam demum ulciſcendam ſibi Carolus duxit: ſed ad annum uſque DCCCI. eam rem moratus, non modo difficiliorem ſibi effecit, ſed planè irrito conatu ſuſceptam expertus eſt: Annus enim tum duodecimus vertebatur, ex quo Grimoaldus Principatu potitus, pares animos, quos ab Arichi genitore acceperat, amplius erexit, confirmatiſque interim viribus adverſus Francorum motus, oppugnationeſque ſe validiùs communiverat. Ac prædictum quidem annum ex ſolis Bertinianis Annalibus ſcimus, qui poſt alia, quæ Carolus Romæ præſens eodem anno DCCCI. geſſerat, *miſſa iterum in Beneventanos expeditione cum Pippino Filio ſuo, ipſum poſt Paſcha à Roma digreſſum Spoletium, hinc Papiam veniſſe* narrant. Iterata autem ea expeditio dicitur, non quod altera adverſus eundem Grimoaldum præceſſiſſe memoretur, ſed quia primam illam ſubſequuta eſt, quam olim ipſemet Carolus contra Arichim initio ſuſceperat. Quis autem fuerit ejus Pippinianæ expeditionis exitus, ſequenti anno DCCCII iidem Annales produnt: *Ortonam Civitatem in Italia in ditionem acceptam: Luceriam quoque frequenti obſidione fatigatam Regis in deditionem veniſſe, præſidiumque noſtrorum* (ideſt Francorum) *in ea poſitum*: At paullo poſt, *Grimoaldum in Luceria Winigiſum Comitem Spoletii, qui præſidio praerat, adverſa valetudine fatigatum obſediſſe, & in deditionem accepiſſe, captumque honorificè habuiſſe* ſubdunt. Hæc pauca ex laudatis habemus Annalibus, qui ſubinde de Beneventanis rebus omnino ſilent, diù etiam poſt Grimoaldi obitum, ſcilicet uſque ad Annum DCCCXIV., qui ſimul Caroli emortualis, Piique Ludovici ejus filii ſucceſſoriſque primus numerari cœpit.

Non ita quidem Erchempertus, cujus fidem diligentiamque tum in aliis rebus ſuperius obſervatis, tum in iis, quæ ſub Grimoaldo cum Francis evenere, uberiùs prodidiſſe nunc licebit. Atque is quidem in ea expeditione, quam Carolus, Pippino Duce in Beneventanos molitus fuit, nihil earum rerum diſſimulavit, quas feliciter a Francis geſtas laudati Annales indicarunt; quædam etiam addidit, quæ commemoraſſe operæ pretium erit: Nam non Ortonam tantum, ſed *Theatenſium* quoque Urbes a Francis expugnatas narrat, necnon *Luceriam, quæ celeriter à præfato Grimoalt acquiſita eſt, apprehenſo in ea Guinichiſo Duce Spoletenſium cum omnibus bellatoribus inibi repertis*. Quid deinceps ab dicto Anno DCCCII. novarum rerum inter Francos Beneventanoſque acciderit, narrare ſic pergit. „ Frequenter „ autem Karlus cum cunctis liberis, quos jam Reges conſtituerat, & cum immenſo bellatorum agmine Beneventum præliaturus aggreditur: Sed Deo decertante pro nobis, ſub „ cujus adhuc regimine fovebamur, innumerabilibus de ſuis peſte perditis, cum paucis „ nonnunquam inglorius revertebatur: Unde factum eſt, ut Pippino regnante in Ticino, „ & Grimoalt in Benevento præſidente, frequentiſſimum bellum vexarit Beneventanos, itaut „ nec ad momentum pax interfuerit illis viventibus: Erant enim utrique juvenili ætate, & ad concertationes, & bella declivi: Pippinus autem multorum præſidio bellatorum „ jugi continuoque prælio exagitabat eum: Grimoalt verò, & Civitatibus munitis, & Primoribus quamplurimis conſtipatus, parvipendens, ac deſpectiùs ducens illius perſequutionem in nullo cedebat ei: Agebat itaque per legatos ſuos Pippinus: *Volo quidem*, „ *& ita potenter diſponere conor, ut ſicuti Arichis genitor illius ſubjectus fuit quondam Deſiderio Regi Italiæ, ita ſit mihi & Grimoalt*. Quibus è contrario Grimoalt aſſerebat. „

*Liber, & ingenuus ſum natus utroque Parente:*
*Semper ero liber, credo, tuente Deo* (2).

Atque ex his certò noſcimus, quibus juribus Carolus, ejuſque Filius Pippinus Beneventanum Ducatum ſibi ſubjiciendum contendebant: Ad Italicum Regnum, quod Rege Deſiderio debellato, in ſuam ditionem Carolus redegerat, ſuoque filio Pippino adminiſtrandum conceſſerat, Beneventanos pertinere perſuaſum ſibi fecerat; eos ſuo quidem Duce regendos, qui tamen Regiæ Poteſtati obnoxius cum univerſo populo omnia, quæ Supremo



(1) In Sylloge Diſſertationum tom. I. part. III. cui Titulus: *De Cruce Criticorum nummaria CONOB.* Gottingæ 1743.

(2) Hiſtor. num. V. & VI. Inter Opp. Peregrin. to. I. pag. 83. ſeq.

Domino debebantur, obſequia præberet. Non id Beneventanis, ſeù Ciſtiberinis Longobardis novum videri deberet, neque ægrè accipiendum eſſet, ſi Carolo, qui Rex Longobardorum a reliqua Italia ſalutatus, agnituſque fuerat, ea præſtarent, quæ deceſſoribus Regibus ſuis exhibere conſueſſent; at contra Grimoaldus, extincto in Tranſtiberina Italia Longobardico Regno, Beneventanos, eorumque Ducem veteri obſequio ſolutos, quo erga naturales Dominos obſtringebantur, eodem certè naturæ jure atque ordine, ſeſe in libertatem vindicaſſe exiſtimabat: Hinc ritè, rectèque Arichim genitorem ſe in Principis nomen, ac majeſtatem erexiſſe, quæ Filio legitimè poſſidenda, juſtèque defendenda reliquiſſet: non eadem præſentis Regni eſſe jura: alios Longobardos, qui Italiam a bis centum, & amplius annis Romano Imperio ablatam, Imperatorum ſive permiſſu, ſive patientia, Populorum certè diuturno conſenſu ſubditam ſibi habuiſſent: alios reputandos Francos, qui Regiones ſuas ejuſdem Rom. Imperii olim prædam ſibi adepti, finibus ſuis contenti eſſe deberent: Cedendum Deſiderio fuiſſet, cujus tuendo Regno non juſtæ rationes, ſed pares vires defuiſſent: Deſiderio captivo, Adelgiſo extorre, adhuc Adelpergam Regiam ſobolem, Beneventi vigere, quæ in Principem Familiam, ſuſceptoſque liberos Regia ſimul jura poſt Patris, Fratriſque occaſus ſervanda contuliſſet: Quas Carolus Grimoaldo ſubjectionis leges ſanxiſſet, tam impunè contemnendas, quàm coactè obſidi imperatas: Quod ſi viribus reputanda cauſſa eſſet, Beneventanas Provincias, incolumes adhuc Longobardici Regni velut reliquias, non Hoſtibus ceſſuras, niſi eadem vi ſubegiſſent: Experiundum itaque Beneventanis, ſi modo injuſtis Francorum armis petiti, Principatum, ac Libertatem propugnare valuiſſent. Uter melioribus uteretur juribus, Carolus ne, qui regiam imponere dominationem, an Grimoaldus, qui detractare nitebatur, aliis judicandum relinquimus: Dum vero rei eventum ſpectemus, melior certe Grimoaldi, Beneventanorumque cauſſa effecta eſt, poſtquam propulſatis Francis, quæſitam olim Libertatem, ac Principatum ſibi confirmarunt.

Præclariſſimè igitur de Beneventano Principatu Grimoaldus promeruit, itaut rei monumentum ejus Epitaphio commendatum hiſce verſibus ad poſteritatem tranſmiſſum fuerit.

*Pertulit adverſus Francorum ſæpè phalangas;*
*Salvavit Patriam ſed, Benevente, tuam.*
*Sed quid plura feram? Gallorum fortia Regna*
*Non valuere hujus ſubdere Colla ſibi* (1).

Sed haud diù Beneventanis datum tanto Principe frui, qui *miræ fortitudinis Vir, conſilio cautus, corde denique capax, & promptus ad omne bonum* ab Anonymo Salernitano deprædicatur (2). Poſt exactos Principatus annos XIX. menſ. VI. vitæ vero annos XLVII. poſt Junium menſem Anni DCCCVIII. defunctus eſt (3). Triſtius illud Beneventanis acceſſit, nullam defuncto Principi ſuperſtitem extitiſſe ſobolem: expoſitus itaque alienæ ambitioni Principatus, robore ſuo deficere, hoſtibus vero Francis vires additurus videbatur. Godefridum Bene-

(1) Inter Opp. Pereg. tom. III. pag. 308.

(2) Chronic. cap. XXVI.

(3) Annum vitæ ſeptimum. & quadrageſimum Grimoaldus vix exceſſit, ut ex ejus Epitaphii verſu 39. colligi poteſt, cujus lacuna apud Muratorium adhuc extans *tom. II. part. I. Script. Ital. pag. 311.* ex MSS. exemplaribus, ita ſuppleta eſt. VIXISTI SEPTEM *bis ultra viceſimus anno*: Vid. Anonym. Salern. inter Opp. Peregr. tom. II. pag. 84. In numerandis autem Principatus annis, Chronologi S. Sophiæ, Anonymique Salernitani teſtimonium ſequi malui, quorum fidem, ac conſenſum in aliis quoque probatam habui. Chronologus Cavenſis menſes duos addit. Tom. V. opp. Peregr. p. 7. Chronologus Salernitanus integros XX. annos attribuit ibid. pag. 33. amboque à prioribus non magnopere diſcedunt; alter enim Menſes VIII. Librarii, vel Typographi oſcitantiâ, pro menſibus VI. habere videtur: Alter vero rotundo uſus eſt numero. Diſcrepat vero Chronicon Ducum, & Principum Beneventi, & Salerni ibid. pag. 16. ubi neſcias, an. XVII. anni, vel XVIII. Grimoaldo tribuendi ſint; priorem enim numerum exhibet Chronicon, poſteriorem in nota (4) habet editor Pratillus, qui ad XIX. producendos cenſet, ſed menſes X. ſuperaddit, quos in *Stemmate* tantum V. inſcripſit, ut jam videas Pratilli arbitrio, ſeu inconſtantiæ menſes relictos: Sed ut jam dixi a Chronologi Sophiani, Anonymique Salernitani fide diſceſſiſſe nefas erit, quorum in enumerandis Principatus Grimoaldi annis XIX. menſibuſque VI. conſenſum habemus. Ad emortualem vero annum quod attinet neminem decipere debebit inſcriptus Grimoaldi Epitaphio titulus in hæc verba. *Tumulus Grimoaldi Principis Beneventi, filii Principis Arichi, qui obiit Anno* DCCCVI. Ipſe enim (uti rectè animadvertit Pagius ad an. 806. num. 10.) è Peregrinii manu eſt, qui nullum ab Arichis morte ad ſuſceptum Grimoaldi Principatum intervallum agnoſcens, in eum errorem incidit: Sed ut alia omittam ab aliis obſervata, ex Grimoaldi Charta ſuperius relata, quæ *anno ſecundo Principatus, ac Indictione* XII. *Junioque menſe* ſignata eſt, ideſt anno DCCCX., computatis Principatus an. XIX. menſ. VI. nonniſi poſt menſem Junium Anni DCCCVII. eum obiiſſe certò conſtat.

Beneventani Principis Grimoaldi filium aliquando extitisse scimus ex illius Tumulo, qui olim in Ecclesia S. Sophiæ legebatur (1); at, eodem docente nos Tumulo,

*Felices illo Genitor, Genetrixque fuissent,*
*Si concessa illi vita, salusque foret.*

Sed neque hujus, de quo nunc agimus, Grimoaldi filium eum fuisse crediderim, sed potius ex altero Grimoaldo natum, qui illius successor ex Thesaurarii munere ad Principatum conscendit; uti sequenti Capite dicemus. Certe decessorem Principem Grimoaldum Arichis filium post ejus è Galliis reditum cum Constantinopolitani Augusti nepte *Wantia* matrimonio junctum fuisse Erchempertus testatur, sed non modo nullam ex illa excepisse sobolem, quin maxime invisam ad suos abjecisse addit. *Hac etiam tempestate idem Grimoalt neptem Augusti Argivorum in conjugem sumpsit nomine* Wantiam, *sed nescitur, quam ob rem ad fructum minime pervenit. In tantum enim odium primus eorum avidus erupit amor, ut sumpta occasione Francorum circumquaque se impugnantium, more Hebraico sponte eam a se sequestrarit, & dato ei libello repudii, ad proprios lares eam vi transjecerit. Hoc quidem licet callidè egerit, feritatem tamen supradictarum Barbararum Gentium minimè quietavit* (2). Ex uno igitur Erchemperto scimus, ex Byzantina Augustorum familia mulierem (in cujus tamen *Wantiæ* nomine mendum cubare videtur) conjugem Grimoaldo acceptam, eamque Regis Adelgisi avunculi, Adelbergæque Matris operâ, quò arctiore fœdere cum Græcis conjungerentur, redeunti è Galliis Grimoaldo oblatam, verisimile est. Sed in Græcorum partes transire tam abstinuit Grimoaldus, ut illorum potius se hostem declaravit, uti superius dictum est; itaut, vix eam caussam ab Erchemperto allatam probari posse videam, ad Francorum scilicet demerendam gratiam, id necesse fuisse Grimoaldo, ut quam ex ea gente conjugem accepisset, ab se repelleret; non enim, uti Græcorum fœderatum Grimoaldum, sed tunc temporis promissorum violatorem Franci debellare conabantur: ut nil mirum si ea re *feritatem supradictarum Barbararum Gentium minime quietasse* Grimoaldus dicatur. Alia igitur debuit esse caussa, cur is tantopere Græcam Conjugem abominatus sit: hanc excogitare caussam parum refert. Illud nosse satis fuerit, id conjugium *ad fructum minimè pervenisse*, neque alteram posthac à Grimoaldo susceptam conjugem memorari; cui suscipiendæ assidui bellorum motus, vitæque brevitas impedimento fuisse videntur.

Sed ex recitatis Erchemperti verbis observare subit, qua is de caussa *Barbararum Gentium* nomine Francos appellaverit. Erunt fortasse, qui absurdi loco id habendum velint, immo ex veteri inter Francos, Longobardosque simultate, satis iniquè, invidiosèque ab Longobardico Scriptore dictum judicabunt: at non ita quidem: Digna autem animadversione res est, de qua sic statuendum arbitror. Si Religionis veritatem, Legumque sanctitatem spectemus, soli quidem Hebræi id sibi jure olim tribuebant, ut cæteras præter se, Gentes *Barbaras* reputarent, nuncuparentque. Hinc *Barbarus* in Psalmis Ægypti populus vocatur (3), quamvis ea Gens sapientiam excoleret, rebusque sacris, politicisque, suorumque Regum magnificentiâ, potentiàque, quàm maxime floreret: quamobrem satis aptè eloquentissimus Salvianus Uriam Ethæum, quia Judæus non erat, in Judæorum licet castris militantem, respectu Davidis Regis, *hominem barbarum* appellavit (4). Sed cum ab Hebræis discedamus, Græcos reperiemus, qui uti Gentes alias omnes moribus, institutis, legibus, scientiis, militia antecellere sibi videbantur, ita illas indiscriminatim *Barbaras* existimabant (5); Hancque Græcis laudem, Romanorum quamvis rebus suo ævo florentibus, atque ad ipsos scribens Romanos servare visus est Apostolus Paullus, dum ait: *Græcis, & Barbaris, sapientibus, & insipientibus debitor sum* (6): quibus verbis omnes Orbis Terrarum homines sub appellatione *Græcorum, & Barbarorum* censuisse probatur. Sed jam diù Romani id sibi cum Græcis commune effecerant; donec & ipsi Græcos veluti dedignati, universos homines inter Romanos duntaxat, cæterosque Barbaros distinguendos voluerunt: certè a M. Antonini ævo id à Romanis affectatum constat, quibus ita blandiebatur Aristides in sua *De Urbe Roma* Oratione: *Non in Græcos amplius, & barbaros, ridicula distinctione, debet genus humanum distingui, sed in*



(1) Inter Opp. Peregrinii tom. III. pag. 308.
(2) Hist. cap. v.
(3) Psal. 113. v. 1.
(4) De Gubern. Dei lib. II. cap. IV.
(5) Sic Festus: *Barbari antiquitus omnes Gentes, exceptis Græcis; unde Plautus Nævium Poetam Latinum* Barbarum *dixit.*
(6) Ad Rom. I. v. 14.

*in eos qui Romani, & non Romani essent, distribuisti, longissimè producto Urbis nomine* (1). Amplius vero id obtinuit post Antonini Caracallæ Constitutionem, ab Ulpiano memoratam, qua *in Orbe Romano qui sunt, omnes Cives Romani effecti sunt* (2). At à vocabuli magnificentiâ ipsa longè res fuit, dum non ita late Orbis patebat Romanus, ut plurimis adhuc, ac penè innumeris gentibus, vel indomitis, vel etiam ignotis circumdaretur. Hinc & apud Ulpianum ipsum, & sequutos Constantiniani inferioris ævi Scriptores, atque Imperatores perseveravit Barbarorum mentio, ac distinctio (3): nam & Barbaros adesse liquebat: Hos laudatus Salvianus, qui medio Sæculo v. florebat, alios Paganos, alios vero Hæreticos distinguens, inter priores, Saxones, Francos, Gepidas, Chunos, Alanos, cæterosque generatim recenset, posteriores Wandalos, Gothosque tantùm affirmat (4). Quàm divexatus hisce Barbaris, dilaceratusque Orbis Romanus fuerit, notius est, quam ut heic dicatur. De Gothis autem dicere attinet. Ac qui primus ex ea gente post ejusdem Sæculi v. initia in Hispaniis regnavit Athaulphus, *quum esset* (inquit Paullus Orosius (5)) *animo, viribus, ingenioque nimius, ardenter inhiabat, ut obliterato Romano nomine, Romanum omne solum, Gothorum Imperium, & faceret, & vocaret, essetque Gothia, quod Romania fuisset, fieret nunc Athaulphus, quod quondam Cæsar Augustus*: sed quod ambitiosiùs Athaulphus inhiabat, paullopost Theodoricus Italiâ potitus, aliqua ex parte sibi vindicavit; nam Italico Regno sibi confirmato, ita Remp. gessit, ut Romanos, Gothosque communicatis Legibus, Moribus, Magistratibus in unam veluti gentem coalescere fecerit. Sed feliciores, qui post Gothos in Italiam regnarunt, fuerunt Longobardi. Unis enim ipsis illustre, ac singulare contigit, quod ad nostra etiam tempora (quamvis non ita late) servatum est, ut Italia, cujus Domini essent, ex eorum quoque nomine in Longobardiæ appellationem concederet: Magnus ipse Carolus id Regnum adeptus, non Italiæ, sed Longobardorum Rex dici voluit, & tum in suis Capitularibus, se *Missos in Aquitaniam, & Longobardiam* direxisse inquit, tum in suo Testamento Italiam nominans, mox addit: *quæ & Longobardia dicitur* (6).

Hæc itaque omnia si simul spectentur jam illud evincent, vetustam Romani nominis dignitatem apud duos pene populos duntaxat servatam; præcipuè quidem apud Græcos, qui cum Romani Imperii sede, jurium quoque omnium continuatam successionem retinuere: tum vero apud Longobardos, qui post postremum occidentalem Imperatorem Augustulum, postque breve Gothorum regnum, cum ipso Italiæ regno, primæva Romani olim Imperii sede, in ejusdem quoque jura ita sese invexerunt; ut & Dominii diuturnitate, & aliarum rerum felicitate communem cum Græcis prærogativam sortirentur, cæteros nempe extra se populos *Barbaros* nuncupandi. Non injuriosus igitur Francis Herchempertus fuit, quorum etiam mores, resque omnes sub postremis primæ Prosapiæ Regibus in deteriorem statum collapsas, vix tum Carolus reparare satagebat; ut jam nec absurdum, neque mirum videri queat, si barbararum Gentium nomine Francos notaverit; hæc suæ quidem gentis sententia tum erat, quæ a duobus jam lapsis sæculis barbariem suam exuerat, at jam diù in Italia Patriam sibi, atque Imperium ita constituerat, ut prisca quæcumque veterum Romanorum decora atque jura ritè sibi vindicasse videretur. Hinc dum, everso Longobardico Regno, ad Beneventanum denique Longobardicum Principatum conterendum Franci incumberent, injusta simulque ingloria illorum arma caussari pergit Herchempertus, *Deo*, inquit, *decertante pro nobis* (Longobardis), *sub cujus adhuc regimine fovebamur*.

Neque

(1) Orat. in Romam tom. I. pag. 374. vid. Ezech. Spanhem. *Orbis Rom* Exercit. II. cap. 6.

(2) Ulpianus in Leg. XVII. Dig. *De statu Hominum*. Vetustum hoc, atque ab ipsa Romanorum Origine institutum, Romanorum suorum incrementis utilissimum, summis laudibus efferunt Scriptores; sic Imperator Claudius apud Tacit. Annal. XI. 24. 6. *Conditor noster Romulus tantum sapientia valuit, ut plerosque populos eadem die hostes, dein Cives haberet*. Hinc ante Antonini Constitutionem Roma *Patria communis* appellatur a Seneca ad Helv. cap. VI. & *cunctarum in toto orbe gentium Patria* dicitur à Plinio lib. III. cap. 5. & ad ipsam Romam Rutil. Numatianus Itiner. lib. I. v. 63. hæc satis eleganter habet.

*Fecisti Patriam diversis gentibus unam:*
*Profuit injustis, te dominante, capi.*
*Dumque offers victis proprii consortia juris,*
*Urbem fecisti, quod prius Orbis erat.*

(3) Ulpianus in Leg. 6. Dig. *de Bonis Damnat.* Leg. I. Cod. *Quæ res vendi non possunt*. Leg. 2. Cod. *quæ res expect. &c.*

(4) De Gubernat. Dei lib. IV. cap. 14. *Barbari*, inquit, *aut Pagani sunt, aut Hæretici: ut de paganis, quia prior illorum error est, dicam, Gens Saxonum fera est*, Francorum *infidelis*, Gepidarum *inhumana*, Chunorum *impudica*, omnium denique Gentium barbararum vita vitiositas. Tum lib. V. cap. II. de Barbaris Hæreticis agens, *omnes* (inquit) *isti aut Wandali sunt, aut Gothi*.

(5) Histor. Lib. VII. pag. 512. edit. Coloniæ an. 1542.

(6) Apud Murator. Scriptor. Ital. tom. I. pag 115. cap. II.

Neque profecto Beneventanus Principatus, dum adhuc ftaret, eâ prærogativâ excidiffe debuit, quam olim cum Longobardico Regno communem habuit. Non enim Tranftiberinæ duntaxat Italiæ contigit, ut Longobardia vocaretur; fed cum ipfa Longobardorum dominatione in Ciftiberinam quoque id nomen fefe effudit, quafi interjectâ, communi Religionis Capite, ac Sede, Urbe Roma, una ipfa hinc inde Italia eâdem gente, iifdemque Dominis pari jure, ac majeftate regenda demonftraretur. Factum inde fuit, ut utraque Italia in majorem, minoremque Longobardiam diftingueretur: ac illa quidem *Major* dicebatur, quæ Regio titulo ac jure, amplioribufque finibus infignis, ab Alpibus in fubjacentem Italiam progrediens, in Cifpadanam, & Trafpadanam dividebatur; fic Joannem Saccellarium ab Augufta Irene in Longobardiam miffum *una cum Adalgifo dudum majoris Longobardiæ Rege* tradunt Auctor Hiftoriæ Mifcellæ lib. 23., & Theophanes in Chronographia; Minor autem Longobardia ea habebatur, quæ Ducatum Beneventanum, ejufque appendices continebat (1). Ac minor quidem alteri comparata, etfi ipfa non una re quoque maxima: quemadmodum enim Longobardiæ majoris Reges fuis in Diplomatibus, *feipfos Dominos excellentiffimos Reges Gentis Longobardorum* appellabant; haud fecus Longobardiæ minoris Dynaftæ, *fummos, eximios, gloriofiffimos Duces, feu Principes Gentis Longobardorum* fe ipfos in fuis Chartis infcribebant; palam eo titulo demonftrantes, quemadmodum Reges Ticini, ita ipfos Beneventi fedentes quædam unius juris poteftatifque in univerfam Longobardicam Gentem confortia retinere. Hinc fatis aptè Anonymus Salernitanus in eo Carmine, quo Pandulfi Caputferrei laudes exequitur, Beneventanam Urbem Ticinum *geminum* appellat: *Mihi enim* (Peregrinii verba ufurpo) *carmine illo*:

*Ticinum geminum, eheu viduata manes.*

*non aliud fonat, nifi* Beneventum, *quod plane fuit alterum Ticinum, ficuti ejus ditio pariter dicta eft Longobardia, tum aliis* (uti Chonographo Vulturnenfi ad An. CMXXVII. Lupo Protofpatæ ad An. MXXXIII.) *tum Græcis præfertim Scriptoribus, Conftantino Porphyrogenito de Admin. Imperii Cap.* XXIX. *& Cedreno pluribus in locis* (2). Si denique Beneventani Principatus fines fpectemus, nihil auguftius defiderari poterat. Cenfuram fe tuliffe queritur idem Peregrinius, quod priori Operis fui parti Titulum, etiamnum extantem, infcripferit, quo antiqua aliquot exhibere opufcula indicat *De Rebus Longobardorum Beneventanæ olim Provinciæ, quæ modo Regnum fere eft Neapolitanum.* Occafionem doctiffimo Viro cenfuræ iniquitas fecit, ut rem ipfam, quam meditatè pronunciaverat, editis de eo argumento quatuor Differtationibus comprobaret; fic ad lectorem præfatus. *At in ipfius Operis limine perquàm deformiter me offendiffe, vanaqua jactantia, atque ut autumant, affentandi ftudio, anguftos terminos antiquæ Provinciæ, feù Ducatus Beneventani, quem cum Carolo Sigonio de Regno Ital. lib. 7. perfuafum habent, antiquo ferme Samnio inclufum, finibus præftantiffimi hujus Regni Neapolitani æquiparaffe: hoc fane exploratiffima fcientia, maturaque obfervatione quum pronuntiaverim, nullo æquanimiter animo ferre poffum: & qui meus in Beneventanos Cives amor, apud quos antehac ne notus quidem fuerim, valuiffet immeritam Genti laudem impellere, ut adfcriberem? &c.* (3). Debent id itaque Peregrinio Beneventani, ut facili alioqui negotio pertractandam, peractam accuratiffime cauffam habeant: Uno verbo, fi Hydruntum, atque aliquot inferioris Calabriæ littorales Urbes adhuc Græcis Imperatoribus fubditas excipias, ac præterea cum Amalphi, Cajetaque Neapolim,

(1) Poft Camillum Peregrinium, idem certum ftatuunt VV. CC. Muratorius in Antiqu. Med. ævi Differt. II. tom. I. pag. 72. atque Affemanus Script. Hift. Ital. tom. I. pag. 25.

(2) In Præfat. ad Hiftor. Anonym. Salernit. tom. II. Opp. pag. 22. & inter Scriptor. Ital. Murator. tom. II. part. I. pag. 285. Anonymi Carmen habes d. tom. II. pag. 317. & apud Muratorium pag. 306. Peregrinii interpretationem (res enim ipfa clariffima per feipfam vociferatur) comprobat Muratorius l. l. nec non Cl. Affemanus Ital. Hift. Script. tom. I. pag. 28. Solus diffentit Peregrinii editor Pratillus, qui in *Prolufione* ad Paulli Diaconi fcripta tom. I. p. LXXI. *Ticinum geminum* tum de *Benevento*, tum de *Spoleto* intelligendum contendit, propterea quod Spoletini Duces ex eadem Longobardica Gente vix Beneventanis Principibus inferiores reputandi effent. *Beneventum quidem* (inquit) *illius Dynaftiæ Principes Ticinum appellari expetebant, ut Longobardorum Regum majeftatem adfectarent; quod utique non minus Spoletenfium Duces eodem pacto exoptare poterant*: Si res ex defiderio metiendæ forent, ipfi Longobardorum Gaftaldi eadem exoptare poterant. At Beneventani Principes votis, factifque ad id faftigium revera pervenerunt. Quid vero Spoletium cum Pandulfo (quem nunc Pandulfum, nunc Landulfum ibidem Pratillus fcribit)? fuit enim is Longobardus Princeps, qui ut Peregrinius ait l. l. divifum olim in partes Principatum Beneventanum folus poffedit; ad quem Principatum nunquam Spoletini pertinuere, quos, invito prorfus Anonymo, Pratillus fatis importunè in hanc Scænam produxit.

(3) Tom. V. Opp. pag. 195.

polim, Longobardis tamen aliquando vectigalem, five *Tributariam*, Italia omnis Ciftiberina, qua fe late longeque inter utrumque mare à Romanorum finibus ad Fretum ufque Siculum protendebatur, in plures diftributa Provincias ad unum (uti in Differt. II. à nobis uberrimè demonftratum eft) pertinebat Longobardicum Principatum, cujus Sedes augufta fuit, atque *ipfa* (ut cum Paullo Diaconò loquar) *harum Provinciarum Caput ditiffimum Beneventum* (1).

Atque hic quidem Beneventani Principatus fuit ftatus, quem unius Arichis magnanimitate, prudentia, religione, ad fummum rerum omnium faftigium, ac felicitatem provectum, atque conftitutum Grimoaldi Filii fortitudo incolumem fervavit confirmavitque. Quæ pofthac ejufdem Principatus fata effe cœperint, fequenti Capite obfervabimus.

## CAPUT III.

*Principis Grimoaldi I. Grimoaldus II. Thefaurarius, & Succeffor. Ipfius Gefta, ac varia apud Scriptores Nominis fama. Nummus argenteus ejufdem Principis* Monogrammate *infignis: Cujus occafione de Longobardorum Principum Monogrammatis, quæ in fubfcribendis Diplomatibus adhibebant; accuratiùs agitur: ac quæ authographa quæque fpectabiliora fuperfunt adhuc Diplomata, carptim illuftrantur: ipfius denique Grimoaldi II. Nummus copiosè explicatur.*

GRimoaldus Princeps cognominem habuit fucceflorem, qui Quartus Grimoaldus, fi cum Ducibus conferatur, inter fequutos vero Principes Secundus eo nomine cenferi debet. Is fufcepta Principatus adminiftratione jus quoque cudendæ Monetæ, quo Deceffor pofteriori tempore in fupremi Dominii argumentum ufus fuit, nullo videlicet, nifi fuo infcripto nomine, profequutus eft. En hujus Principis Nummum argenteum, apud me fervatum, ubi ejus nomen Monogrammate expreffum eft: quæ mihi cauffa fuit, ut huic potius, quàm priori Grimoaldo Nummum adfcriberem, qui in *aureìs* fuis, quos fuperiori Capite fpectavimus, nullo unquam Monogrammate ufus, nomen ipfe fuum extenfis literis infcribere confueverat.




Antea verò quàm ejufdem Nummi explicatio inftituatur, præftat de ipfius Principis Succeffione, rebufque geftis præclariora obfervaffe.

An is ad Arichis, Grimoaldique Familiam pertinuerit, non omnino certa res eft. Unum enim reperio Chronographum Vulturnenfem, qui Beneventanorum Principum feriem fic texere exorditur. *Defuncto Arichi, Beneventanorum precibus Grimoaldus à Carolo receptus revocatur; Grimoaldo vero mortuo, alter Grimoaldus Exadelfus ei fuccedit* (2). Grimoaldus igitur prioris Succeffor fimul, atque *Exadelfus* appellatur, quo quidem græco vocabulo tum Fratris, tum etiam Sororis Filium fequior ætas æquè vocitare confuebat (3). Non is vero ex Romualdo, priore Arichis filio, genitus effe potuit, dum nullum illius conjugium, mortuum verò, vivente adhuc Patre fuiffe fcimus. An vero Theoradam, aut Adelgifam Matrem habuit, quas Arichis Filias, Grimoaldique Sorores accepimus? Veri quidem id fimile non abnuerim, fi Chronographi teftimonium præclariùs fe haberet, nec is aliorum filentio, aut etiam contrariâ fententiâ, teftimonio fuo decidere videretur.

Tutius itaque illud affirmaverim, ad Arichis, Grimoaldique Aulam potius, quàm ad Familiam hunc Grimoaldum pertinuiffe. Ex Longobardica Beneventanorum Gente, atque illuftri Genere *Ildricum* parentem habuit, atque ex gefto in Principis Aula munere *Storefayz* cogno-

(1) De Geft. Long. lib. II. cap. XX.

(2) Chron. lib. III. apud Murat. Scriptor. Ital. t. I. part. II. pag. 402.

(3) Sic apud Julium Africanum lib. VI. Hift. Apoft. *Et accepit Hyrtacus Exadelfus imperium ejus*. Sanctus autem Petrus Damiani lib. VI. epift. 29. *Idem qui fupra meus Exadelfus &c.* quem paullo ante Sororis fuæ filium difertè dixerat. In eandem rem hunc, quem perpendimus, Chronographi Vulturnenfis locum citat Cangius, quem vide.

cognomen apud posteros nactus est; quod quidem vocabulum, si Anonymo Salernitano fides, *lingua Theodisca, qua olim Longobardi utebantur, illius* munus designat, qui *ante obtutum Principum seù Regum milites hinc inde sedendo praordinat* (1). Erchempertus vero disertè *Thesaurarium* appellat (2), nec aliter Leo Ostiensis, qui veteri *Thesaurarii* cognomine à decessore Grimoaldo illum distinguit in Chron. Cassin. lib. I. cap. 17. *Erant* (inquit Cl. Muratorius (3)) *Principibus Beneventanis Dignitates quædam Palatinæ, quarum nomina, aut à Latinorum, aut à Græcorum Imperatorum Aula mutuati fuerunt, uti Comitis Palatii, Protospatarii, Gastaldii, Topotariti, Portarii, Thesaurarii, Referendarii, Actionarii, Vestiarii, vel Vestararii, Vicedomini, Pincernæ, Basilici, Candidati, Stratigi, aliaque ejusmodi munera: ita ipsi quoque Italiæ Principes jam tum cum Regibus magnificentia certabant.* Adde his *Comites Stabuli* Anonymo Salernitano cap. XXXIII. memoratos, aliosque jam plures mox recensendos. Sed non id de Beneventanis Principibus mirum, aut insolens Muratorio videri debuit, qui Regia jura omnia, insignia, majestatem ab illis sub eo nomine usurpata jam noverat. Id potius observatione dignum, etiam ante Principatus institutionem sub prioribus Beneventanis Ducibus, eas Dignitates, atque officia extitisse, ut exinde, quæ olim ejusdem Ducatus præstantia fuerit, præclarum quoque habeamus argumentum. Paullo post Ducatus institutionem Beneventani Ducis Arichis *Actionarios* in Brutiorum partibus constitutos meminit S. Gregorius in Epistola ad eundem Ducem scripta (4). In aliorum Ducum Diplomatibus, quæ Chronographus S. Sophiæ nobis servavit, occurrunt itidem non solum *Actionarii, Referendarii, Vicedomini, Comites nostri, Vestararii, Gastaldi*, verum etiam *Stolesi*, seù *Stolesii*, aut *Stolesarii, Sartarii, Marepales* (5), aliique aliis nominibus distincti, in quibus appellandis non Latinâ tantum, Græcâque, sed etiam *Teodisca*, seù *Teutonica*, idest gentilitiâ linguâ utebantur, ut in ipso *Thesaurarii* vocabulo mos fuit, quem *Storesayz* nuncupabant (6). Ac nisi illud idem sit, ac *Stolezaz* in Diplomate Arichis (de quo in superiori nota egimus) memoratus, in aliis certè sive Ducum, sive Principum Beneventanorum Chartis frequens *Thesaurarii*, dignitatis nempe Palatinæ mentio est, latino sermone usurpata (7): quam quidem Dignitatem Beneventani Principes Constantinopolitanos Imperatores æmulati in sua quoque Aula institutam voluerunt. Apud Græcos enim Augustos *Thesaurarii* erant, custodiendis, administrandis, erogandisque Regiis Thesauris peculiari munere delecti (8), qui & *Thesaurorum Comites* dicebantur (9), aliosque inferiores Officiales habebant *Thesaurenses* appellatos (10). Quanti in Beneventana Aula ea Dignitas haberetur, ex eo conjectare licet, quod qui illa fungeretur Grimoaldus, proximo veluti gradu ad Principatum conscendit; spectabiliorem certe is effecit; nam ejus exemplo post Principis Sicardi obitum Radelchis ejus Thesaurarius etiam in Principatu successor evasit, ut inferius dicemus.

Non solum autem Thesaurarii munus ad obtinendum Principatum, Grimoaldo gradus fuit, verum etiam, ut ad id perveniret fastigium, bellica virtute jamdiù etiam is viam sibi straverat. Sub decessore enim Grimoaldo egregiam navavit operam, cujus illud nobis exemplum memoratum voluit Anonymus Salernitanus, castra videlicet Regis Pippini Beneventum

(1) In Chron. cap. XXXIII.

(2) Cap. VII.

(3) Antiq. Med. Ævi tom. I. Dissert. IV. pag. 123.

(4) Lib. XII. epist. XXI. al. XIV.

(5) In charta Ducis Liutprandi pag. 460. ejusdem, & Scaunipergæ p. 465. Gisulfi ibid. Godescalchi p. 467. Romualdi pag. 468. &c. Apud Ughellum Ital. Sacr. in Append. tom. X. edit. Venet.

(6) Inter Regis Rotharis Leges cap. CL. (edit. Muratorii tom. II. Script. Ital. pag. 26.) sic legitur. *Si quis molinum alterius scapellaverit ..... componat solidos* XX. *in Palatio Regis districtus autorizat.* Muratorius notat in Cod. Estense legi: *districtum ab astolisazo*: in Cod. Cathedr. Mutinensis: *abstolscaz*. ac subdit. *Germanicæ linguæ peritis divinare heic, & verba restituere liceat.* Sed jam diù de hoc vocabulo egerat Cangius in Glossario, citatque eandem Rotharis legem cum hac lectione: *districtus ab stolizaz.* quam retinendam præ aliis variantibus a Spelmanno indicatis monet; ac comprobat ex charta Arichis in eodem Chronico S. Sophiæ (pag. 66.) *Concessimus nos Dominus Vir gloriosissimus Arichis summus Dux Gentis Longobardorum per regum Griferisci Stolezari nostri &c.* vocabulum autem sic interpretatur. *Stolizaz Magistratus apud Longob. Glos.* Stolizaz *idest Missus Regis. Glossæ aliæ*: ab Stolizaz, *ab eo, qui panem ministrat; sed videtur legendum pacem.* An vero idem fuerit *Stolizaz*, ac *Storesaiz*, non certò liquet: affinia certè vocabula sunt, in quibus tot vidimus variantes lectiones, ac significationes; nam & ipsum *Storesaiz* aliud Anonymo Salernitano est, aliud Erchemperto, cujus tamen interpretationem sequi maluimus.

(7) In Charta Godefelchi, pag. 460. Radelchis p. 462. ejusdem pag. 469. Apud eund. Ughellum l. l.

(8) In Cod. Just. lib. X. leg. I. *De Canone Largitionalium Titulorum.*

(9) Ibid. lib. XII. leg. e. *De Palatin. Sac. largit.* & in Cod. Theod. leg. 14. *De diversis officiis.*

(10) In eadem lege & d. leg. 2. Cod. Just. lib. XII. Ammianus lib. XXII. meminit Ursuli, qui *datis literis ad eum, qui Gallicanos tuebatur Thesauros, quicquid posceret Cæsar, jussit dari.*

tum oppugnantis illum cum ſuis ſodalibus, neceſſariiſque noctu pervaſiſſe, illatâque Francorum copiis ingenti clade, ſpem omnem debellandorum Beneventanorum Pippino ſuſtuliſſe; unde maximis tunc muneribus à Grimoaldo donatus, eodem poſtea ſine filiis defuncto, *hac de re pervenit ad Principalem Dignitatem* (1). Et ſane ejuſmodi Viro, qui Principatum ſimul adminiſtraret, ac tueretur, opus erat, dum Grimoaldo defuncto, iterum à Francis in Beneventanos expeditiones pararentur. Revera Francos, arma adverſus Beneventanos rurſus moviſſe ex uno eodem Anonymo ſcimus, qui ob Tributi onus, quod Franci poſtularent, à Grimoaldo detrectatum, commiſſo prælio victoriam Beneventanis ceſſiſſe narrat, qui *effugatis Francis magno tripudio revertentes cuncti læti manebant ..... & exultabant, & non erant, qui exterrerent eos* (2).

Unum dixi ejus rei teſtem Anonymum adeſſe; nam nulla expeditionis, præliique mentio apud Annales Bertinianos, nulla adhuc apud Erchempertum occurrit: Ac Bertiniani quidem Annales ad Annum DCCCXII. quinquennio videlicet poſt ſuſceptum à Grimoaldo Principatum, miſſum a Carolo in Italiam Bernardum, filium Pippini, Nepotem ſuum narrant *propter famam Claſſis, quæ de Africa, & de Hiſpania ad vaſtandam Italiam ventura dicebatur*: quo negotio feliciter expedito, ſtatim hæc ſubdunt: *Item pax cum Abulaz Rege Saracenorum facta; item cum Duce Beneventanorum Grimoaldo, & tributi nomine* XXV. *millia ſolidorum auri à Beneventanis ſoluta*. Tum ad Annum DCCCXIV. qui emortualis Caroli fuit, Ludovicum in Franciæ Regno ſucceſſiſſe tradunt, qui *Bernardum Italiæ Regem Nepotem ſuum ad ſe evocatum muneribus donatum ad Regnum remiſit. Cum Grimoaldo Beneventanorum Duce pactum fecit, atque firmavit, eo modo quo & Pater: ſcilicet ut Beneventani tributum ſingulis annis ſeptem millia ſolidorum darent* (3). At non ſolum Anonymo, qui Tributum à Beneventanis victoribus, aut penſitatum, aut promiſſum omnino inficiatur, ſed ſibi quoque ipſis adverſari Annales videntur, qui priùs XXV. paullopoſt VII. millia ſolidorum ſoluta, aut ſtatuta Tributi nomine aſſerunt; nec tamen poſteriora illa VII. millia antiquiora fuiſſe conſtat, neque Ludovici conſtituiſſe intererat, ſed potius Bernardi Italiæ Regis, qui, uti nuper Pippinus ejus Genitor, cum priore Grimoaldo contendebat, ita ipſe eodem nomine, ac jure poſteriorem Grimoaldum habere ſubditum debuiſſet.

Quid vero Erchempertus? Anonymo & ipſe in pluribus contrarius, Annalibus quoque minuere fidem videtur. Nullius enim Belli, neque Tributi meminit, Grimoaldumque nequaquam bellicoſum hominem, ſed pacis apprime ſtudioſum affirmat, itaut unum hoc ipſi conſilium fuerit, perpetua cum finitimis, externiſque fœdera conjungere, quibus Reip. ſuorumque tranquillitas reſtitueretur, tutiorque ſibi, ac felicior ſtatueretur quæſiti Principatus poſſeſſio. *Grimoaldo* (ſic Erchempertus) *de hac luce ſubtracto Grimoaldus alter ſuſcepit Beneventi jura tuenda*, Theſaurarius *vedelicet dictæ memoriæ Grimoalt prioris: Vir ſatis mitis, & adeò ſuavis, ut non ſolum cum Gallis, verum etiam cum univerſis circumquaque gentibus conſtitutis inierit foedus: & Neapolitibus ſupramemoratis gratiam, pacemque donarit* (4). Non itaque Tributum memorat Erchempertus, neque ex ejus verbis conjicere licebit, ut ſcilicet ſub eo fœdere cum Gallis ſancito intelligendum videatur: namque ſi Grimoaldus non ſolum cum Gallis, verum etiam cum univerſis circumquaque gentibus iniit fœdus, ſequeretur non ſolum Gallis, verum, etiam finitimis ſe Tributi obnoxium effeciſſe: at cum Neapolitanis, *quibus gratiam, pacemque donavit*, ita ſe geſſit, ut potius beneficium feciſſe, quam accepiſſe videretur, eo certe contentus fœdere, quod cum iis olim Arichis conſtituerat, qui

(1) In Chron. cap. XLIV. in fine, & XLV.

(2) Ibidem cap. XXIV. XXV. & XXVI. quibus in locis inepta plura Anonymus innexuit, quæ nos negligenda putavimus.

(3) Tom. II. Scriptor. Ital. Muratorii pag. 509., & 510.

(4) Cap. VII. Hinc falſum omnino Petrum Jannonium arguere licet, qui ex hoc uno Erchemperti loco, Grimoaldum ſuſcepto tunc primum Tributi onere pacem a Gallis impetraſſe ſtatuit. *Fù queſti* (Grimoaldo Teſoriere) *un Principe di genio tutto diverſo dal ſuo Predeceſſore, di ſoavi coſtumi, e molto inclinato alla pace, il quale per liberare il ſuo Stato dalle continue ſcorrerie de' Franzeſi, ſi riſolſe di pattuire con quelli una ben ferma pace .......... Carlo contentandoſi del Tributo offerito da Grimoaldo fermò con lui la pace. Da queſto tempo in anzi il Principato di Benevento rimaſe tributario agl' Imperatori di Occidente come Re di Italia, ed i Beneventani per lungo tempo furono in pace con i Franzeſi*. Iſtor. Civil. di Napoli lib. VI. cap. V. tom. I. pag. 405. Horum omnium, quæ heic ſummatim narrat, unum (ut dixi) ſibi teſtem adhibet Jannonius Erchempertum, in cujus loco ſuperius recitato vel nulla, vel contraria reperies, neque ex aliis Scriptoribus probare poſſis. Stultus certè quis fuerit, qui in Hiſtoricis factis Jannonio acquieſcat, qui neque vetuſtos Scriptores adire, atque excutere conſuevit, neque, niſi ex uno vel altero neoterico haurire ſua contentus, non magis Hiſtoriam, quam maledicta, & calumnias conſarcinare laboravit.

qui, eodem Erchemperto teste, post diutinam oppugnationem *pacem cessit, eisque diaria in Liburia, & Cemeterio per Incolas sancita dispensatione misericordiæ vice distribuit* (1). Sed ea pace, ac gratia sibi a Grimoaldo donata, indignos se posthac Neapolitani probarunt; nam perduellem Dauferium, qui necem Grimoaldo inferre machinatus fuerat, in suam Urbem, tutelamque suscipientes justam Principis iram experti sunt: qui in illos mox exercitum ducens, paratosque ad bellum adorsus ad quinque millia cæsit, reliquos ad Urbis portam insequutus: ab expugnandæ autem Urbis consilio non aliter Neapolitani Grimoaldum deflexerunt, quàm Dauferio tradito, atque *octomillibus* præterea *aureis in exenium*, idest *mulctæ* nomine persolutis: ut videas ex eodem, qui hæc memoriæ prodit (2), Erchemperto, eundem Grimoaldum, *mitem* suavemque antea deprædicatum, animi quoque fortitudine, bellicaque virtute (quæ præcipuè Anonymus commendabat) simul præditum, Pacisque, ac Belli, prout rerum, temporumque ratio postulasset, æqua laude studiosum.

Atque ex his quidem, quæ hactenus inter Erchempertum, Anonymumque discordia fuit, conciliari facile poterit. Non ita tamen in reliquis, quæ de Grimoaldo contraria uterque prodit, fieri posse video. Atque Anonymus quidem Grimoaldi nomini nullo modo parcendum sibi statuit: nam excitatis sustentatisque inter Optimates simultatibus, ac diffidiis sibi Principatum confirmasse ait; administratum autem subdit Tyranni vice, qui omnia per crudelitatem, avaritiam, perfidiamque exerceret; itaut res omnes humanæ, divinæque, eunctique Civium ordines assiduis injuriis afficerentur: quæ omnia illata tandem a subditis nece proprio Grimoaldi sanguine expiata concludit. Sed contraria prorsus habet Erchempertus, qui etiam eximium mitissimi animi exemplum de Grimoaldo nobis reliquit, qui *memoratum Dauferium ad pristinam reduxit gratiam, eique ad solitam misericordiam* (quæ scilicet familiaris Grimoaldi virtus erat) *donationem de rebus suis* (ob perduellionis nempe crimen Principis Fisco vindicatis) *præcepto firmavit*. Alterum quoque paris clementiæ exemplum (ut eorum fides, quæ Erchempertus narrat, magis constet) ex ejusdem Principis Grimoaldi Diplomate, locupletissimo nempe, ac fidissimo testimonio addidisse proderit: Grasulpho enim, ejusdem fortasse perduellionis reo, qui extra Provinciam in finibus Græciæ fugam petierat, exoratus Grimoaldus facultates omnes Fisco ob ejusmodi crimen ad judicatas restituit: dignum autem id monumentum est, ut, si cui libeat, legendum præstemus (3).

Sed neque eorum, quæ ad Grimoaldi Religionem, pietatemque attinent, monumenta desiderantur. Utramque ab Ostiense testatam habemus, qui post prioris Grimoaldi donationes Monasterio Casinensi factas, ac in sui Chronici lib. I. cap. XIV. distinctè narratas, tum cap. XVII. posterioris, seù *alterius Grimoaldi cognomine Thesaurarii* sequutas alias recenset, præcipuè vero *Præcepto suo confirmavit omnes foeminas liberas, quæ Servis Monasterii fuerant copulatæ in tempore prioris Gisulfi usque ad eam diem, cum filiis, & filiabus, & universis eorum* (4).



(1) Cap. II.

(2) Cap. VIII.

(3) Ex Chronico S. Sophiæ apud Uzhellum tom. X. edit. nov. fol. 489. *In nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi. Dominus Vir Gloriosissimus Grimoaldus eximius, & summus Princeps Domino dilectæ, atque Catholicæ Gentis Longobardorum, Tibi Grasolpho filio quondam Roderisci. Quoniam obsecrasti clementiam nostram per Mallonem Gastaldum nostrum, quatenus tibi dare deberemus res facultatum tuarum, quæ pro merito culpæ tuæ ad nostram sunt devolutæ eximietatem, pro quo extra Provinciam in finibus Græciæ fugam petere visus es, nostra vero celsitudo inclinavit aures nostras, & vestram obaudivimus petitionem. Quamobrem concessimus tibi superius memorato Grasolpho facultates tuas, quicquid nunc penes te habere visus fueris, tam casas, tam intrinsecas casæ condomas, res, & Ancillas, peculia, mobilia, & immobilia, omnia, & in omnibus præterquod per singulos fideles nostros, exinde à nostra gloria concessum est, placuit excellentiæ nostræ, ut absque requisitione tu qui supra Grasolphe, vel de tuis hæredibus ipsi secuto nomine habere valeant; in ea videlicet ratione ut amodo, & deinceps habens, & possidens sæpenumero dictas res, ut superius legitur tam tu, qui supra Grasolphe, quam & tui hæredes, & a nullo ex nostris Judicibus, idest Comitibus, Gastaldis, aut cujusvis loci Agentibus nostris contra ea, quæ nostra concessit sublimitas, quandoque ire præsumat. Quod vero Præceptum concessionis ex jussione superius dicti Domini nostri in anno sexto, Domino propitio, Principatus ejus, scripsi Ego Theodualdus Notarius. Actum in Curte, quæ dicitur Saba, mense Augusto per Indictionem I. feliciter.* Anno 808. quo Grimoaldus Thesaurarius Principatum auspicatus fuit, Indictio I. decurrebat; quum igitur in eodem Diplomate Annus sextus Principatus numeretur, sequitur in Indictionis numero mendum adesse, ac quinarium numerum ante I. excidisse, dum Indictiones cum Principatus annis pari numero decurrere incœpissent.

(4) Regis Rotharis Lex est cap. CCXXVIII. pag. 33. tom. I. part. II. Scriptor. Ital. Muratorii, *quod si Aldio aut libera in casa aliena ad Maritum intravit, & Servum ad Maritum tulerit, libertatem suam amittat.* Rex deinde Liutprandus in suarum legum lib. IV. cap. VI. ibid. pag. 56. id amplius sancivit, *ut si mulier libera Servum tulerit, & parentes ejus intra anni spatium in eam vindictam dare neglexerit ..... sit Ancilla Palatii, & ipse Servus similiter ad Palatium replicetur,*

Ad eundem pariter Grimoaldum pertinet Diploma illud, a Cl. Gattula editum, in quo ampliſſima Privilegia Monaſterio S. Mariæ in Cingla conceſſa leguntur (1).

Quod denique ad hujus Principis attinet necem, non Optimatum Populique conſpiratione, ut Anonymus innuebat, ſed Siconis Gaſtaldi Agerentini Principatum inhiantis perfidiâ, Radelchique Comitis Conſini faventis ope patratam Erchempertus teſtatur. Ac Sico quidem, per ſummam impietatem, perfidiamque, maturandam ferro, quæ morbi vi proxima erat, Principis ſui mortem voluit, a quo externus ipſe homo non ſolum Civitate donatus, ſed plurimis quoque honoribus, maximiſque beneficiis, non ſine Longobardorum Procerum invidia, atque etiam injuria cumulatus fuerat. *Interea* (ita Erchempertus) *Radelchis Comes Conſinus, & Sico Agerentinus Gaſtaldus, quem Grimoalt dudum* proſelytum *receperat, honoribus plurimis deferens, ſub dolo inſurgentes in eum, cùm jam extremum ſpiritum traheret, gladio eum peremerunt: Interfecto eo innocenter prædictus Radelchis Siconem loco illius in Principem ſubrogavit*. Vera nobis Erchempertum tradidiſſe probat Joannes Diaconus illuſtris Neapolitanæ Eccleſiæ Chronographus, qui Grimoaldi Beneventani Principis necem his verbis commeminit, quibus injuſtè patratam oſtendat. *Interea* (inquit) *Beneventani aliqui antiqui hoſtis inſtinctu, Grimoaldum Principem ſuum, penè exanimem in lecto languentem peremerunt; & Siconem Forojulienſem, qui puerulus illuc cum ſua Matre venerat Avola, Ducem fecerunt* (2).

Quid igitur cauſſæ fuerit, ut Anonymus Salernitanus adeò inique cum Grimoaldo ſe geſſerit? Dicam, quod ſentio. Decipi potius voluit, quàm decipere ipſe alios voluerit: Nihil enim facilius, quàm, ut fœda illa, ac ſceleſta de Grimoaldo Sico ipſe illius ſucceſſor, in præſentes, poſteroſque promulganda curaverit. Tyrannorum mos eſt, Deceſſorum nomini invidiam conflare, ut non modo, quas ipſi adminiſtrandæ Reip. admoverunt cruentas manus excuſent, verum etiam ſcelerum plenas, priſtinis objectis exemplis, acceptiores, aut tolerabiliores efficiant: Potuit itaque Sico, velut Baſſianus alter Auguſtus, qui Getæ fratris parricidium non tantum excuſandum, quàm etiam collaudandum ſatagebat, potuit, inquam, Sico, ejuſmodi probra adverſus deceſſorem Grimoaldum pervulgaſſe, quæ vel literis, vel famâ accepta Anonymus, levis ingenii, credulique animi Scriptor ſuo operi conſarcinavit. At ſtabit Erchemperti, aliis quoque monumentis comprobata fides, qui meliora de Grimoaldo nobis tradidit: atque ipſius Grimoaldi infelix potius fatum, quàm nomen reputabimus: dum poſt Annos x. vix exactos nulla ſuperſtite ſobole (3) jam tum moriturus impiiſſimo interfectori, breviſſimæ adhuc moræ impatienti, Principatum reliquit (4).

Venio

*tur, & filii, qui ex eis nati fuerint, Curti Regiæ omnimodo ſerviant*. Utroque igitur jure dictas fœminas cum filiis, rebuſque omnibus Caſinatis Monaſterii dominio a Grimoaldo addictas rectè obſervavit Cl. Nuceus ad d. Oſtienſis locum. Nuceum ſequutus eſt Gattula tom. III. pag. 18., ſed illud in utroque diſplicet, ideò Giſulphum ab Oſtienſe dictum *primum*, quod *primus* Beneventanorum Ducum Caſinatis Monaſterii *donator* extiterit. *Dicitur* (inquit Gattula) *a Leone* primus, *quia* primus *omnium Beneventi Principum largiflua illa ſua donatione Caſinenſe Monaſterium ditavit: ergo* à tempore Giſulfi primi, *ideſt* primi donatoris, *ut optime explicat Angelus de Nuce in notis ad illud caput &c.* Quanquam enim verum illud ſit, ab eo Giſulfo Monaſterium Caſinenſe múnificentiſſimè locupletari cœptum: inepta tamen explicatio illa eſt: dum non ea de cauſſa, ſed ideò *primum* hunc Giſulfum Oſtienſis appellat, ut ab altero diſtinguat Giſulfo *ſecundo*, qui ſub ejuſdem Sæculi VIII. medium, eundem Ducatum adminiſtravit, ut priori hujus Diſſertationis capite diximus.

(1) In Anno V. Principatus, ac Indictione III. in hoc Diplomate notatis mendum ſubeſſe obſervat laudatus Gattula d. tom. III. pag. 98., ratus ad priorem Grimoaldum, filium Arichis, Diploma ipſum pertinere. At non illi, ſed ſucceſſori Grimoaldo *Storeſayz*, ſeù *Theſaurario* tribuendum Diploma eſt, annoque 810. reſpondet, ut animadvertit Pratillus in Chron. Principum Salerni tom. V. Opp. Peregr. pag. 16. Ex eadem certe utriuſque Grimoaldi appellatione, proximaque Principatus ſucceſſione quàm facile illud eſt, ut alterius res, chartæque cum altero confundantur, tam difficile, ut ſuæ cuique tribuantur. Audi Muratorium in notis ad Chronicon Vulturnenſe tom. I. part. II. pag. 376. *Crucem mihi fixit Chronographus noſter tum heic, tum in Chartis ſubſequentibus, quas ejus incuria in Notis Chronologicis vitiatas ſuſpicabar, immo pro certo habebam. Sed diſtinguendi ſunt (quod ille non fecit) Grimoaldi duo Beneventanorum Principes, quorum primus ab anno 788., alter Theſaurarius prioris, Er*chemperto teſte, *Principatum tenuit ab Anno 807.* (imo ab anno 808.) *Hoc prænotato ſuos annos hiſce chartis facile reſtituemus. Hiſtoricus hic nulla diſtinctione utitur, ut unum nobis obtruſiſſe videatur Grimoaldum Principem.*

(2) In Epiſcopo Paulo Tom. I. part. II. Scriptor. Ital. Murator. pag. 312.

(3) Inter tumulos Principum Longobardorum a Peregrinio editos tom. III. habetur pag. 308. Tumulus Godofrid filii Principis Grimoald, olim in Eccleſia S. Sophiæ extantis, ex quo patet, Godefrid (cujus nomen ex initialibus Hexametrorum literis componitur) Patre vivente, obiiſſe: atque eum quidem non deceſſoris Grimoaldi, ſed alterius (de quo nunc agimus) Grimoaldi filium fuiſſe jam ſuperius obſervavi. Illud autem obiter animadvertendum prioris quidem adeſſe, ſed poſterioris Grimoaldi Tumulum deſiderari: cujus rei cauſſa Siconi tribuenda videtur, cujus gratia, vel opera Grimoaldo nullum fuit erectum monumentum, quod Succeſſoris perfidiam, impietatemque exprobrare videretur.

(4) Grimoaldo huic annos Principatus XI. & menſes VII. diſerte tribuit laudatus Anonymus Salernitanus cap. XLIII.

Venio nunc ad Grimoaldi Nummum, cujus antica pars ejus Principis nomen Monogrammate expressum profert. Siglis, sive *Singulis*, aut *Singulariis* literis ad quædam certa verba, seu vocabula significanda usos passim Veteres etiamnum demonstrant vetustæ Inscriptiones; quod & in Senatus-Consultis, in Epistolis Familiaribus, præsertim vero in Prænominibus constanter obtinuit, unde Ausonius Epigr. XXXIV.

*Lucius una quidem, geminis sed dissita punctis*
*Litera Prænomen sic Nota sola facit.*

sed licet Ausonius *singulariam* literam L eandem ac *Notam* dixerit (1); alteram tamen ab altera discrepare certum est; sic Paullus (apud quem, uti apud ceteros veteres Jurisconsultos verborum proprietatem servatam novimus) Notis scriptas Tabulas non contineri Edicto ait, *quia Notas, literas non esse Pedius lib. XXV. ad Edictum scribit* (2). Notas, sunt, qui a Tyrone Ciceronis liberto, quique à Mæcenate inventas, a Seneca vero patre auctas existimant; eas nobis spectandas Gruterus exhibuit, ut in eandem literarum significationem, diversâ tamen formâ, usurpatas pro certo teneamus, Notariumque eum fuisse intelligamus, qui, (uti Manilius Astron. lib. IV. ait)

*... Notis linguam superet, cursumque loquentis,*
*Excipiens longas nova per Compendia voces.*

Ex Notis Monogrammata prodiisse videntur, quorum usus satis vetustus, in propriis tamen nominibus exprimendis præcipuè obtinebat: quum scilicet quisque Nomen suum non consequentibus literis, sed certis illarum implexionibus compendio describeret, atque in unum Characterem redigeret. *Litteræ monogrammæ* (inquit Rabanus Maurus) *scriptæ nonnullis in locis inveniuntur, ubi pictura cum museo in pariete imaginis, aut in velis, vel alicubi aliter facta fuerit; ibi eorum nomina cum congerie litterarum unum characterem pictores facere soliti sunt, quod Monogramma dicitur* (3). Sed longe ante Rabanum Symmachus illud idem significasse videtur, ità ad Flavianum fratrem scribens: *Non minore sane cura cupio cognoscere, an omnes obsignatas Epistolas meas sumpseris eo annulo, quo nomen meum magis intelligi, quàm legi promptum est.*



cap XLIII. in fin: Catalogus ejusdem Anonymi Chronico præfixus habet Annos XI. m. I. & dies X. tom. II. opp. Peregr. pag. 36. & 109. sed Chronicum alterum Salernitanum apud eundem Peregrinium l. l. pag. 16. ad Annos XII. producit. Chronographus S. Sophiæ utriusque editionis Ughellianæ inter Grimoaldum Arichis filium, ac Siconem, pro *Grimoaldo altero*, idest *Thesaurario*, *Alexandrum* exhibet: mendosè omnino, atque ex descriptoris quidem oscitantia, qui pro *Alter Grimoaldus Alexandrum* conflavit; uti ex ejusdem Chronographi catalogo, quem jamprimum Peregrinius edidit, habesque tom. V. pag. 22. satis patet; quamquam in Peregrinii exemplar deterior irrepsit error, ut Grimoaldus hic decessoris Grimoaldi filius dicatur: nam sic habet post Arichim. *Grimoaldus filius ejus sedit An.* XIX. *mens.* VI. *Alter Grimoaldus filius ejus sedit An.* XII. *mens.* I. *D.* X., ut jam videas Tò *filius ejus* ex priore Grimoaldo in posteriore perperam repetitum. Chronographus denique Cavensis d. t. V. Peregr. p. 7. sic habet: *Grimoalt alter Storesayz per annos* X. *mens.* IV. Quid in tanto Chronographorum dissidio statuemus? Ostiensis in Chronico Casinensi *edit. Laureti lib.* I. *cap.* XVIII. ait, Apollinarem Abbatem electum eodem anno 813. quo *Sico Beneventi Princeps effectus est*. Si ita res fuerit, longe breviorem habemus Grimoaldi Principatum, qui, ut superius diximus, Anno 807. præesse cœpit, sed *in sincera scripti exemplaris lectione* non annum 813. sed 817. haberi testatur Peregrinius *in Serie Abbatum Casinen.* comprobatque veteri charta in Regesto Petri Diaconi descripta, quæ data habetur *Principatus Siconis anno primo mense Novembris, indictione undecima*, quæ anno 817. (sivè potius 818.) decurrebat. Si igitur is annus Siconis primus fuit, id jam consequitur, ut decessor Grimoaldus decimum quidem excesserit annum, at undecimum nullomodo expleverit.

(1) Quod etiam Festus docuit: *Nota nunc significat Signum, ut in pecoribus, nunc literas singulas, aut binas*: Binæ autem literæ aliquando etiam in Prænominibus usurpabantur, ut, quæ eâdem literâ inciperent, inter se distinguerentur, sit T. Titus, & Ti. Tiberius. A. Aulus, & Ap. Appius &c. Ad hæc, quum pro *Consules*, vel *Consulibus* COS conscriberetur, non ea nota erat, sed ternæ literæ ex ipso vocabulo acceptæ, nempe duæ priores, ac postrema; quibus sequior ætas quartam addens CONS. scribere postea suevit.

(2) In Lege VI. §. 2. *Dig. De bonorum Possess.* Sic in Lege XL. Dig. *De Milit. Testam.* Miles *Notario suo Testamentum scribendum nobis dictavit, & antequam literis præscriberetur, vita defunctus est, quæro, an hæc dictatio valere possit &c.* Notæ itaque (quæ, ut amanuensis manus dictantis celeritati responderet, adhibebantur) in consuetam postea scriptionem redigebantur. Ipseque mos non apud privatos modo obtinebat, sed & publici Notarii erant, qui Acta Præsidum notis excipiebant, quorum meminit Marcellinus lib. XIV. ac J. C. Marcellinus in Lege 33. §. 1. Dig. *Ex quibus causs. major.* Vide Gothofredum ad d. legem; Cujacium *Observat. lib.* III. *cap.* 3. Brissonium *De V. S. in v. Nota, & Notarii*; Baronium de Martyrum Actis differentem Annal. tom. II. An. 238. num. 2. Aringhum Rom. Subter. Lib. I. cap. 30.

(3) De Inventione Linguarum ab Hebræa usque ad Theotiscam tom. II. edit. Goldasti. Francofurti 1606.

*eſt* (1). Sed & ante Symmachum ( ut Plutarchi locum in Catone nunc omittam (2) ), celeberrimum omnium, Conſtantiniano ævo, eſſe cœpit Chriſti Monogramma, quod ex duabus prioribus ejus venerandi Nominis Græcis literis XP ita componebatur, ut P per mediam X perducta efferretur (3).

Monogrammata igitur, quibus ſuum quiſque Nomen literarum compendio efformabat, Principum uſui eſſe cœperunt, qui tum in Operibus publicis ſuo ære, juſſioneve ædificatis (4), tum præſertim in Subſcriptionibus, ac Nummis adhibere conſueverunt. Ad Subſcriptiones quod attinet, Caroli Magni in ſcribendo difficultas ejuſmodi morem invexiſſe videtur. Carolum Magnum ſcribendi imperitum fuiſſe, eamque imperitiam monogrammate, loco propriæ ſubſcriptionis uſurpato, ſuppleſſe teſtatur in ejus vita Eginhardus: *nec id* ( inquit Mabillonius ) *maximo Principi vitio verti debet; quandoquidem tentabat & ſcribere, tabulaſque, & codicillos ad hoc in lectulo ſub cervicalibus circumferre ſolebat, & cùm vacuum tempus eſſet, manum effigiandis literis aſſuefaceret: Sed parum proſperè ſucceſſit labor præpoſterus, & ſerò inchoatus. Hæc ergo mihi videtur Monogrammatum occaſio* (5): Indeque etiam certius argumentum licebit deſumere, ut quæ anteriorum & Regum Franciæ, & aliorum Principum quorumcumque Monogrammata Chartis ſubſcripta proferuntur, commentitia cenſeamus (6). Potius igitur eſt, ut

(1) Lib. II. epiſt. XII. edit. Pariſ. an. 1580. cum Notis Jureti: Vid. ibid. eund. Juretum: ac vid. Joan. Kirchmannum de Annulis Francofurti. An. 1672. Uterque in Annulis Signatoriis monogrammatum uſum agnoſcit, quæ nomen exprimebant, diverſaque ſane erant ab aliis notis, ſymboliſque; quorum exempla apud laudatos Scriptores copioſè ſatis, atque eruditè ex omni antiquitate ſelecta reperies.

(2) Ad comprobandam Monogrammatum vetuſtatem Plutarchi locus a Cangio, aliiſque affertur. Plutarchi autem hæc ſunt in Catone, dum ejus in Catilinam Orationem commemorat. *Hanc ſolam* ( inquit ) *Orationem Catonis ſervatam ferunt, Cicerone Conſule velociſſimos Scriptores deponente, atque docente, ut per ſigna quædam, & parvas, breveſque notas multarum literarum vim habentes, dicta colligerent: non dum enim reperti erant ii, qui notarii appellantur, ſed tum primum hujus rei veſtigium extitiſſe ferunt*: pag. 253. edit. Venet. 1516. At nihil in his Plutarchi verbis, quod *monogrammatis* aptari queat: De *notis* dumtaxat ſermo eſt, de quibus ſuperius egimus; quas inde dictas rectè S. Iſidorus tradit, Orig. I. 21.; *quod verba, vel ſyllabas, præfixis characteribus notent, & ad notitiam legentium revocent*. Quod autem de Catonis Oratione Cicero factum voluit, de ipſius Oratione pro *Milone* poſtea alios feciſſe Aſconius memorat, ut ſcilicet, dum Cicero recitaret, Notarii ſcripto exceperint. Sed ex Plutarchi loco illud veriùs animadvertemus Ciceronem potius, quàm ejus libertum Tyronem *Notarum* inventorem habendum: Sane ipſe Cicero *notis* ſcribere aliquando delectabatur: Sic ad Atticum lib. XIII. Ep. 32. *Quod ad te de decem legatis ſcripſi, parum intellexiſti*: credo; quia *διὰ σημείων ſcripſeram*, ideſt *notis*. Diſciplinam igitur invexit Cicero, in eaque Tyro ejus libertus profecit; alii deinceps, ut Mæcenas, ac Seneca perfecerunt.

(3) An ante Conſtantini tempora Sacrum id Monogramma obtinuerit, dubitare non ſinit Aringhus Rom. Subter. lib. VI. c. 23. Vid. Jo. Burchardum Menchenium in Diatribe *De Monogrammate Chriſti*: ac Dom. Georgium in Diſſertatione ejuſd. argumenti: Nullum Conſtantini Nummum eo Monogrammate ſignatum invenire eſt apud Cangium in Familiis Byzantinis: Sed tantum in Conſtantii filii nummis ſpectatur pag. 21. & 23. *Inter Scriptor. Hiſt. Byzant. tom.* XXI. *edit. Venet.* 1729. An ſub Conſtantio primùm id factum, ut quod jamdiù alibi inſcribi conſueverat, id etiam Monogramma adhiberi in nummis cœpiſſet, non ſatis conſtat; Neque enim omnes Conſtantini nummi ad nos pervenerunt. Ex eodem Monogrammate ejuſdem Chriſti Vicarii Pontifices Romani Monogrammata quoque ſua jure mutuari olim conſueverunt: Leonis III. nomen ita Monogrammati innectitur, ut L & O proxime adjacentibus media E in media X orbiculo impreſſa locetur. Sed Xiſti III. monogramma, quod in Baſilicæ Liberianæ arcu majori inſculptum eſt, idem Chriſti Monogramma præfert, quod tamen ejuſdem Pontificis proprium eſt, latinis literis expreſſum, ut X ſit prima ſui nominis litera; P vero *Papam* indicet, cujus ſequens litera A in ſiniſtra ejuſdem Monogrammatis inferiore parte tranſverſa lineola efformatur. Ita Cangius in Gloſſario, ubi ipſum Xiſti Monogramma exhibet. At falſus is de loco convincitur: nam in dicto Arcu majori, quod muſivo expreſſum eſt Monogramma, adjectæ literæ A & ω ad Chriſtum pertinere oſtendunt: ſunt vero in aliis ejuſdem Baſilicæ locis ſimilia Monogrammata, quæ Pontificis nomen repræſentant. Vid. Joan. Ciampinum Vet. Monument. cap. XXII. p. 301.

(4) Imperatoris Juſtiniani, Auguſtæque Conjugis Theodoræ nomina certis in locis Eccleſiæ S. Sophiæ monogrammate inſculpta refert Paullus Silentiarius, in ejus Eccleſiæ deſcriptione verſibus lucubrata part. II. verſ. 295. *In mediis autem Tabulis, quæ Sacerdotes circumſtant, eoſque ſeparant, literam deſcribit ſcripturam unicam, ſed quæ plura verba complectitur; colligit enim Imperatoris, & Imperatricis nomina.* Ex verſione Cangii in *Conſtantinop. Chriſt.* lib. III. cap. LXX.

(5) De Re Diplom. pag. 164. Hinc facile ſtatuendum erit, illas *ſatis affabiles, & jucundas literas metricè compoſitas; quas à* Carolo Magno ad Paullum Diaconum, jam Monachum Caſini agentem miſſas memorat, ac partim recitat Leo Oſtienſis *Chron. Caſin. lib.* I. *cap.* XV. a Carolo quidem, ejuſque nomine miſſas, verum non ejuſdem, ſed alterius, qui à Secretis eſſet, ac fortaſſe Flacci Albini Alcuini fœtum eſſe, cui is lucubrandas mandavit. Doctiſſimus P. Janningus tom. VII. Junii Operis Bollandiani de Baſilica S. Petri agens, ubi ad Epitaphium Adriani PP. I. devenit, Diſſertationem peculiarem, ſeù ( ut vocat ) *intercalarem* inſtituit, an ipſum Epitaphium, quod Caroli M. nomine circumfertur, *ab ipſo Carolo verè compoſitum fuerit*, & multis quidem argumentis contra Panvinium, Pagium, Ciampinium, Lambecium &c. illud Caroli juſſu, auctoritateque, non ingenio, ſtiloque compoſitum probat: ſed quod omnium maximum manifeſtumque erat argumentum præteriit, Caroli nempe non modo Carminum contexendorum, ſed ſui proprii nominis literis conſignandi ignorantiam.

(6) Monogrammata Regum Franciæ, Chlodovæci I. Chlotarii I. ex Perardo in *Burgundicis*, Dagoberti, & Pi-

ut exemplo ſuo Carolus ſucceſſoribus ſuis tam in Imperio, quàm in Regno præiſſe dicatur; immo eandem Monogrammatis formam illis imitandam tribuiſſe; ſcilicet, ut quemadmodum ipſe ſignum Crucis, quo priores Francorum Reges in Literis ſuis uſi fuerant, diſtributis in eam formam nominis ſui literis, repræſentandum curavit, ita etiam plerique ejus ſucceſſores in eam Crucis formam Monogrammata ſua exprimere ſtuduerint (1).

Eundem itaque morem, qui ex Caroli Magni recepto uſu novam veluti majeſtatis notam accepiſſe videbatur, Beneventani Principes, oſtentandæ dignitatis ſuæ haud incurioſi, ſibi quoque in Chartis ſubſcribendis vindicare cœperunt. Atque ea quidem noſtrorum Principum Monogrammata, vel in Chartis ipſis exarari, vel cereis, plumbeiſve pendentibus ſigillis imprimi ſolebant. In votis ſibi fuiſſe, inquit Cl. Muratorius, celebre Tabularium Monaſterii Caſinenſis adire, ut eas Chartas inviſeret; & ignorato, vel diſſimulato Cl. Gattulæ opere, nonnulla Sigilla, uti & Monogrammata, *quæ ad imitationem Regum, Principes ii (Beneventani) adhibere conſueverunt*, à Cl. Bacchinio accepta exhibere contentus fuit (2). Nullum horum Monogrammatum exemplum occurit ante Atenulfum, qui Anno CM. ex Capuano Comitatu Principatum Beneventanum aſſequutus fuit. At non inſuetum ante id tempus Beneventanis Principibus Monogrammatum uſum fuiſſe, ſatis conſtat ex ipſo Grimoaldi Nummo, quem modo illuſtramus, atque altero Siconis Principis, de quo ſequenti Capite agendum erit; ſed morem eundem in Chartis vetuſtioribus ſervatum nuſquam apparet, ſivè quod illarum Autographa maxima ex parte diſperiere; ſive potius, quia prioribus Principibus (uti ex eorum Chartis in Chronico Sophiano, atque alibi relatis patet) non is ritus, ſeù mos fuerit, Diplomata ſua Nominis ſui ſubſcriptione muniendi, quæ duntaxat per Referendarios, Notarioſque ſuos ſubſcribi ſinebant. Primus itaque Atenulfus in ſuis Chartis, & ſubſcriptionem, & ſigillum invexiſſe videtur. Extat in Tabulario Caſinenſe ejuſdem Principis Autographum Privilegium Cœnobio S. Mariæ in Cingla conceſſum, atque a dicto Gattula editum Tom. III. pag. 44. *quod* (inquit Atenulfus in fine) *tibi Petre Clerice Scriba noſtri Palatii ſcribere præcepimus, adque inferius anulo noſtro ſigillari præcepimus. Anno tertio Principatus ſupradictæ Poteſtatis Menſe Junio Indictione quinta* (3). Sigillum cereum adhuc in eadem Charta ſuperſtes laudatus Gattula ſpectandum dedit in Appendice ad T. IV., Noſque iterum in noſtra Tabula cum aliis noſtrorum Principum Monogrammatibus repræſentandum curavimus n. I.

Porro alterum Atenulfi II Monogramma, quo is in ſubſcribendis chartis utebatur, deſcribere mihi curæ fuit ex Originali Diplomate anni 927. quo Landulfus I., & Atenulfus II. ejus Frater filii majoris Atenulfi (qui ut ſuperius dictum eſt, ex Capuano Comite Beneventanus Princeps evaſit) donant Monaſterio S. Salvatoris prope Portam Rufinam duas fœminas liberas, nomine Ermengandas, in Matrimonium conjunctas cum duobus ſervis dicti Monaſterii, *una cum earum filiis, & filiabus, qui omnes ad Sacrum noſtrum Palatium legaliter* (ideſt ex lege Longobardorum à Rege Liutprando ſancita, cujus ſuperius meminimus) *devenerunt*. In fine autem ſic habent. *Porro ut hoc, quod jubetur, ab omnibus immobiliter obſervetur, manu propria ſcripſimus, & anulis noſtris juſſimus ſigillari. Signum* (heic inſcriptum eſt Monogramma) *Domini Atenulfi Excellentiſſimi Principis. Urſus Clericus & Scriba ex juſſione ſupradictæ Poteſtatis ſcripſi. Datum* VIII. *Kl. Majas in anno viceſimo ſexto Principatus Domini noſtri Landulfi glorioſi Principis, & ſextodecimo Anno Principatus Domini noſtri Atenulfi eximii Principis Indictione quintadecima. Actum Beneventi*. Sed & characterum, quibus prædictum Diploma in Pergamena conſcriptum eſt, ſpecimen exhibere libuit in eadem noſtra Tabula n. IX. (4).

Idem Atenulfi Monogramma ſpectare eſt in altero Originali Diplomate anni 936. quo Landul-

& Pipini ſenioris ex Walde *Hiſt. Lobienſi* exhibet Cangius in Gloſſar. tom. III. edit. primæ pag. 666. qui mox pag. 668. hæc addit: *Hæc porro quatuor Monogrammata, abſit, ut tanquam genuina hic proferamus; quinimo ea omnino adulterina, & fictitia cenſemus, cum viro eruditiſſimo Daniele Papebrochio in part. 2. ad tom. II Aprilis, qui bina iſta Waldenſia jure proſcripſit.*

(1) Vide Mabillonium l. l. pag. 110., & Cangium l. l.

(2) Antiq. Med. Ævi Diſſert. XXXV. tom. III. p. 92. quod opus prodiit an. 1740. ſeptennio ſcilicet poſt Gattulæ libros, qui anno 1734. lucem aſpexerant.

(3) Temporis nota huic Privilegio inſcripta optime conſtat; nam cum indictio *quinta* in annum 902. incidat, recte is annus Principatus Atenulfi *tertius* dicitur, qui uti ſuperius dictum eſt, anno 900. Princeps Beneventanus inauguratus fuit; ac ſequenti anno conſortem ſibi adſcivit ejus filium Landulfum I. qui ſedit cum Patre ab anno 901., eoque defunctio cum Fratre Atenulfo II. ab an. 911. ad 940. cum eodem & filio Atenulfo III. ab an. 933. adjunctoque altero filio Landulfo II. ab an. 940. ad 943. quo obiit. Vid. Cam. Peregrinium in *Stemmate* accurate expoſito Principum Longobardorum, qui ex genere Atenulfi prodierunt uſque ad poſtremum Principem Pandulfum IV. Opp. t. V. p. 88.

(4) Autographum Atenulfi Diploma ſervatur in noſtra Bibliotheca incluſum Stamneo Tubo I. Exemplum legitur in Auctario Bullarii ſelecti ſig. vol. 29. part. I.

Landulfus I. Atenulfus II. ejus frater, & Atenulfus III. ejus filius concedunt Odelprando Presbytero *custodi Ecclesiæ Sacri Palatii, vocabulo S. Joannis non longe à Porta Aurea*, ut bona ejusdem Ecclesiæ ab injustis possessoribus vindicet, & vindicata pro suo arbitrio disponat in perpetuum. *Et quidem ut hac nostra concessio plenius in Dei nomine habeat vigorem, manu propria scripsimus, & anulis nostri jussimus sigillari*. Signum (heic extat Monogramma) *Domini Atenulfi eximii Principis. Petrus Clericus, & Scriba ex jussione supradictæ Potestatis scripsi. Datum pridie Idus Mensis Januarii in tricesimo sexto anno Principatus Domini Landulfi gloriosi Principis, & vicesimo sexto anno principatus Domini Atenulfi eximii Principis, atque quarto anno Principante Domino Atenulfo filio Domini Landulfi gloriosi Principis, Indictione nona. Actum Sacro Beneventano Palatio* (1).

Pandulfi Principis Monogrammata, è binis originalibus Diplomatis à me descripta sunt, in quorum altero anni 981. Pandulfus I. concedit Johanni Abbati SS. Lupuli, & Zosimi Monasterium S. Anastasiæ de Ponte, & facultatem *construendi Castella, & extraneos ad habitandum conducendi, qui in dominatione ipsius Abbatis permaneant*; in cujus fine eadem verborum formula, quæ in Atenulfi Diplomatibus conscripta est, adhibetur, signaturque *anno tricesimo septimo Domini Pandulfi gloriosi Principis, & duodecimo anno Principatus Domini Landulfi excellentissimi filii ejus, nona indictione; scriptus in Sacratissimo Beneventano Palatio* (2). In altero vero anni 978. corfirmat Landulfo Beneventano Archiepiscopo Ecclesiam, & Castrum S. Michaelis Archangeli in Monte Gargano, & integrum Episcopatum Sipontinum, sancitâ in ejus confirmationis violatores, aut contradictores multâ, *in eodem Sacro Archiepiscopio auri purissimi librarum centum*; ac post eandem clausulam *subscriptionis manu propria*, atque *anuli* obsignationis, notamque temporis, idest anni XXXV. Principatus, sic explicit. *Actum in Sacratissimo Beneventano Palatio* (3). Hæc Pandulfi monogrammata habes in eadem nostra Tabula n. V. & VI.

Landulfi denique Monogramma spectatur in binis Originalibus Diplomatibus. In altero anni 1010. Princeps Landulfus V. ad preces *Roffridi Comitis dilecti nostri parentis* (idest consanguinei) confirmat Azzoni Abbati Monasterii Sanctorum Confessorum Lupuli, & Zosimi, *qui constructus esse videtur intus nobam* (idest novam) *Beneventanam Civitatem*, donationes suorum Decessorum, aliorumque Principum, aliasque Ecclesias, cum earum bonis subdit (4). In altero vero (cujus insigniora verba describere, subjectisque notis illustrare licebit (5)) anni 1013. idem Landulfus concedit Amato Abbati Ecclesiæ S. Benedicti, *quæ constructa est extra hanc civitatem Beneventanam fluvio Caloris, ut in Ecclesia Beati Pauli Apostoli subdita ejusdem suæ Ecclesia atque Monasterii, quæ constructa esse videtur intus hanc Beneventanam Veterem Civitatem secus murum* (6), *universas donationes, ac privilegia, quæ hactenus* ab decessoribus Principibus, Regibusque obtinuerat: similiterque *concedimus, & confirmamus in præfata Ecclesia vocabulo S. Pauli quatenus pars ejusdem Ecclesiæ, ejusque Rectores potestatem habeant de quantum con-* [illegible] *tinere*

(1) Exemplum est in Bullario selecto pag. 15.

(2) Originale servatur inclusum Tubo IV. Exemplum habetur in dicto Auctario pag. 7.

(3) Exemplum legitur in d. Bullario selecto p. 57.

(4) Originale servatur inclusum Tubo VII. descriptumque est in dicto Auctario pag. 26.


(5) Autographum extat inclusum Tubo VI. Exemplar vero in Auctario pag. 17.

(6) In priore Diplomate Princeps Landulfus Civitatem *nobam* novam memorat, atque in hoc posteriore *veterem* Civitatem. Sic in charta Chronici Vulturnensis *ap. Murator. Script. Ital. tom. I. part. II. pag. 376. Temporibus viri præcellentissimi Grimoaldi Dei providentia Beneventanæ Provinciæ Principis IX. Ind. quidam Alahis offert Coenobio Vulturnensi omnes servos, & ancillas suas in Civitatibus, tam in* Veteri *Benevento, quam & in Salerno &c.* In altera ejusdem Chronici charta anni 1022. pag. 500. mentio est Adalberti Abbatis Monasterii Sanctorum Lupuli, & Zosimi, *qui constructum esse dinoscitur intus hanc* novam *Beneventi Civitatem*. Detectis an. 1119. in Episcopio Sanctorum aliquot Reliquiis, ad celebrandam eam inventionem convenisse ait Falco primùm *Presbyteros Portæ Summæ, secundò Presbyteros Portæ Aureæ, tertiò autem Portæ Rufinæ, Quartò Forenses, Quinto Civitatis* novæ, *postremò vero Civitatis totius Presbyteros*: ac mox: *Civitatis autem* novæ *Presbyteri, ut studiosiores præ omnibus viderentur, lignorum machinam quandam circumquaque cereis lampadibusque immensis obductam ad Sanctorum Corpora perduxere*. Ad hæc in vetustis Beneventi Statutis anno 1230. promulgatis (quæ autographa adhuc servantur, atque in hujus Tomi Appendice a me edentur) inter alios subscribit: *Ego qui supra Judex Contruberius* novæ *Civitatis*. Patet itaque Beneventanam Urbem à nono saltem Sæculo usque ad XIII. in *veterem*, ac *novam* dispertitam. Rei caussam, originemque prorsus ignoraremus, nisi (quod Erchempertus, Anonymus Salernitanus, aliique siluerunt) Chronographus Vulturnensis nobis servasset. Auctorem, seu conditorem is memorat Principem Arichim, qui post sancitum cum Francis fœdus, *illorum metus occasione juxta Beneventi moenia Civitatem novam construxit*. l. I. pag. 402. Non autem ea *nova* Civitas a *veteri*, nisi hujus muro sejuncta fuit, muro & ipsa cincta ac propugnaculis, quorum unum adhuc superest ad fluvium Sabati, quò ipsa protenditur, & quà itur ad S. Cosmi, atque ubi adhuc secus ejus murum rudera extant Monasterii S. Nicolai *de Turri pagana de nova Civitate Beneventana*, uti vocatur in insigni veteri Charta anni 1097. quæ autographa servatur in Tubo IX. & descripta habetur in Auctario pag. 36.

Atenolfi Sigillum.

N. I.







Landolfus. Paldolfus.


Ejusdem Monogramma.

N. II.




Landolfus.

N. III.




N. IV.




Paldolfus.

N. V.



Pandolfus.

N. VI.




Gisulfus.

N. VII.

Robertus.


N VIII



N. IX.



In nomine Domini Salvatoris nostri Iesu Christi Dei æterni. Landolfus et Atenolfus Divina ordinante providentia




Langobardorum gentis Principes



Quapropter noverit omnium fidelium nostrorum

Presentium ac Futurorum Sagacitas quoniam pro mercede et redemptione anime nostre &c



Signum

domini Atenolfi excellentissimi Principis

*tinere videtur Casis ejusdem Ecclesiæ intus murum hujus nostræ Civitatis rumpere, & clausisse de arco, & aliud ædificium in eodem murum facere, & desuper platea illa, quæ vadit erga eumdem murum ........ itaut in prædictum murum pars ejusdem Ecclesiæ, ejusque Rectores potestatem habeant foramina facere, unde semper discurrat ipsa aqua foras eumdem murum, quod discurrat ad Balneum ipsius Monasterii &c.* (1); & post alia: *ut autem hæc nostra concessio ab omnibus immobiliter observetur, manu propria subscripsimus, & anulis nostris supter jussimus sigillari. Signum* (heic adest Monogramma) *gloriosi Principis. Joannes Clericus & scriba ex jussione prædictæ Potestatis scripsi. Datum* (sic) *enim vobis quinto decimo Kalendas Januarii in anno tricesimo secundo principatus Pandulfi gloriosi Principis, & vicesimosexto anno principatus Domini Landulfi magni Principis, & ...... anno principatus Domini Paldolfi filius supraścipti Domini Landulfi undecima Indictione. Actum in sacro Beneventano Palatio.* Landulfi Monogrammata habes n. III. & IV.

Sequitur Gisulfi Salernitani Principis Monogramma in nostra Tabula n. VII., quod Ughellus in Autographo illius Diplomate in nostra Bibliotheca extante inspexisse, atque descripsisse, affirmat (2). At recognitum mihi Diploma nullum omnino Monogramma spectandum obtulit, nullam etiam Gisulfi subscriptionem, sed affixum duntaxat sigillum, cujus vix ulla vestigia supersunt. An Monogramma ipsum sigillo, nondum Ughelli ætate abolito, insculptum fuerit, chartæque impressum? Non equidem puto: nam Ughellus inter consueta verba Monogramma ipsum exhibet, idest: *Signum Domini * Gisulfi Principis*, quæ cum ipso Monogrammate desiderantur; sed nec desideranda voluit Gisulfus ipse, qui subscriptionis suæ nullimode meminit; meminere autem de more Beneventani Principes, quibus solemnis illa formula, seu Diplomatum clausula fuit: *Manu nostra subscripsimus, anulisque nostris jussimus sigillari* (3).

Sed loco commentitii, aut fortasse aliunde, quàm ex recitato Diplomate, descripti Gisulfiani Monogrammatis, genuinum aliud in nostra Tabula n. VIII. exhibere libuit, non ad eundem Gisulfum, neque ad nostros Principes, eorumque ætatem pertinens, sed ad Ecclesiam Beneventanam, quæ in sua Bibliotheca autographam Chartam adhuc servat. Roberti id Monogramma est, Comitis S. Agathæ, qui anno 1109. Beneventi degens, Landulfo II. Archiepiscopo plura concedit, facto Diplomate, quod ab Ughello mendosè (uti in aliis omnibus nostrorum Principum se habet) editum tom. VIII. col. 146. rursus heic subjicere consilium fuit, quòd insignia multa ad ejus ævi ritus, mores, formulas spectantia ob oculos ponat (4).

Dum

(1) Tantumne curæ, inquies, huic Abbati, ut adeo ingenti impendio fluvialem aquam in Urbanum sibi subditum Monasterium ad Monachorum *Balneum* derivaret? Sed non ea mira res, quæ inter Monasticæ Disciplinæ ritus, atque instituta præcipue recensetur. M. Cassiodorius Monasterii Vivariensis Conditor, se illic *Balneas quoque congruenter præparatas corporibus* jussisse ædificari, *ubi fontium perspicuitas decenter illabitur, quæ potui gratissima, & lavacris, ait* Divin. Lectionum cap. 29. Sed ut ad Benedictinos Monachos, de quibus agimus, statim accedamus, Sanctissimus ipsorum Pater, & legislator in Regulæ cap. XXXVI. *infirmis*, quoties opus esset, *sanis, & juvenibus tardius* Balneorum usum indulgendum statuit. Hinc Leo Ostiensis in Chronico Casinense lib. III. cap. 57. edit. *Laureti* refert *Ducissam* Sicelgaitam Ducis Roberti Viduam *posuisse in Capitulo quinque libras auri, & duas dedisse in infirmario, unam pro expensis, alteram pro balneo construendo*. Illud potius mirum, quomodo fieri potuerit, ut noster Abbas Amatus aquam fluvii *Caloris* per murum Urbis, atque arcuatim in Monasterii ædes duceret. Extat etiam nunc S. Paulli ædes in ea Urbis Regione, quæ ad murum Civitatis, dictumque fluvium respicit, eamdemque ipsam affirmare pronum est, sive eundem locum, ubi vetus Ecclesia, Monasteriumque extructa erant. At ei Urbis regioni adeo profundè Calor subterfluit, ut nullo prorsus modo aquæductus in superiores ædes haberi potuisse videatur. Quid quod in alia Urbis regione Balnea publica olim existebant, quò ejusdem fluminis aqua derivatam scimus; unde hodiedum loco nomen: *Cortile de' Bagni*; quorum etiam vestigia supersunt?

(2) Ital. Sacr. tom. VIII. col. 83. edit. Rom.

(3) Autographum Gisulfi Diploma inclusum extat Tubo II. descriptumque habetur in Bullario Selecto pag. 27. emendatius quidem, quàm in Ughelli exemplari.

(4) *Divina ordinante Clementia Ego Robertus Comes, & Filius piæ memoriæ Raunulfi Comitis Domno Landulfo secundo Dei Gratia Beneventanæ Sedis Archiepiscopo in* PP. idest *in Perpetuum* (Ughellus habet in P. P. M. *Quia fraternam Charitatem, & pii amoris respectum circa religiosa loca te habere decenter cognovimus, & religiosorum Principum precibus paterna benignitate favere: ideo factum est, ut ego prephatus Robertus Comes precum instantia, & supplicatione sedula requisitus tibi confirmavi Ecclesiam S. Vincentii in Oppido ...... cum nonnullis aliis Ecclesiis, & hæreditatibus suisque pertinentiis sicut in nostro Privilegio obtento ab antecessore vestro venerandæ memoriæ Roffrido concessimus pertinentiam Ecclesiæ B. Petri infra munitionem Civitatis S. Agathæ, & ei dedimus pertinentiam quoque ejusdem Oppidi de Dominio Comitis Roberti, & militum, qui dant Decimam Ecclesiæ S. Vincentii, ea videlicet ratione, ut Abbas supradictæ Ecclesiæ obedientiam inde exhibeat exclusa quarta parte Decimarum, & oblationum, quas Sacerdotes ipsius Oppidi, & Casalium colligunt, & Sinodalibus Causis. Concessit etiam, & confirmavit prephatus*

Dum vero de hisce Chartarum Monogrammatibus pro re nata dicere semel cœpimus, alia quoque observare pergamus, quibus explicatior res ipsa, aut certe ornatior incedat. Ac primum illud videri debet animadversione dignissimum, ea Beneventanorum Principum Monogrammata Crucis formam, seu signum ita manifestum præseferre, ut cujusque Nominis literæ eidem Cruci adjectæ, varieque distributæ concinniorem ipsam efficiant. Mos adhibendi Crucem in subscriptionibus ad nostros Principes non tam ex Caroli Magni exemplo manavit, qui ut superius dictum est, nominis sui Monogramma in Crucis formam effingebat, quàm ex communi omnium ritu, qui Christiano nomine censerentur. Certè Carolus ipse, ut superius ex Mabillonio observavimus, decessorum Franciæ Regum, qui Crucis signo literas suas subscribere consuebant, morem sequutus est, ut tamen unicum illud signum & Crucem, & illius nomen simul exhiberet. Apud alios Principes eundem viguisse morem plurima passim monumenta probant, ex quibus illustre exemplum Constantinopolitana Synodus VIII. nobis suppeditat, in qua Imp. Basilius post Legatos Sedium Patriarchalium *subscriptionem suam apposuit ante reliquos Episcopos cum additamento Signi Sanctissimæ Crucis, quod etiam & Episcopi omnes ex more fecerunt* (1). Atque huc etiam spectat ritus ille in Imperialibus Chartis aliquando servatus, ut tres quoque Cruces in earum fronte purpureo colore, ipsaque Augustorum manu inscriberentur, per quas tacitè scilicet jurabant, rata se ea velle, quæ scriberent. Hujus ritus locuples testis est Phranzes, qui lib. III. cap. IV. *Imperator*, inquit, *manu sua Cruces cinnabare in fronte Bullæ ad confirmationem pro consuetudine exprimit, bullamque auream legato tradit*: sed & aliam Crucem subscriptioni addebat. Liceat & addere primi Beneventani Archiepiscopi, primi simul ejus nominis Landulfi Diploma anni 971., quod autographum in nostra Bibliotheca servatur Tubo III. nunc inclusum. Ibi enim Beneventanæ Ecclesiæ Archiepiscopus, Archidiaconus, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconique sigillatim subscribunt, nominibus, manibusque suis, subscriptionesque suas singuli a Crucis signo ordiuntur. Sed de Ecclesia Beneventana, ejusque Antistitum Diplomatibus, sigillisque aliàs.

Idem quoque apud privatos mos obtinuit, ut ex vetustis donationum, venditionumque Chartis Papyraceis Sæculi VI. à V. C. Marchione Maffejo editis constat, in quibus post Crucis signum propria contrahentium manu adscriptum, testes rogati adhibebantur, qui se præsenti-

*phatus Archipresul quæcunque eidem Ecclesiæ Beati Petri, ab Ecclesiastica, vel Sæculari persona juste sunt oblata vel fuerint: & ut ista concessio præfati Archipresulis firma, & illibata in pp. maneat, Ipse ego Comes mea bona voluntate, & remedio anime mee remitto Subdiaconos, Diaconos, Presbyteros, qui uxores, vel concubinas publice non habent, quietos ab omni datione, vel publica exactione; & centum Canistra ordei, que de Silva mea dabantur ab hominibus de Monte Sarcho. Et ipse prephatus Archipresul auxilium sue protectionis circa Canonicos prephate Ecclesie, tanquam circa dilectos filios paterne charitatis affectum exhibere promisit.*
*Datum Beneventi anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi* MCVIIII. *Pontificatus autem Domini P.II.PP.* (Paschalis) *X. & Domini Landulfi secundi Archiepiscopi primo &* XXI. *anno Comitatus prephati Roberti Comitis, &* II. *anno Comitis Rannulfi filii ejus bone indolis pueri Indictione* II. *tertio Kalendas Sept. Per manus Alexandri Clerici, & Scribe. Signum* (heic Monogramma) *Comitis*: Subtus aderat Sigillum. Ex hoc itaque Diplomate hæc præcipua observanda erunt; I. ea ratione, seù lege Ecclesias S. Vincentii, & S. Petri Archiepiscopi Beneventani jurisdictioni subjectas, ut tamen nullam ex earum Decimis Quartam solvere, nec ad Synodales Conventus causas suas Presbyteri deferre tenerentur. II. Subdiaconos, Diaconos, Presbyteros *omni datione, vel publica exactione* immunes tunc fore, *si Uxores, vel concubinas publice non habuissent*; ut videas fœdissimam illorum temporum faciem, quando sacrilegas Ecclesiasticorum turpitudines occultas, si tamen occultas, tolerasse opus videbatur. Sed ne putes per eam ætatem in hisce Clericorum flagitiis corrigendis desideratam Sacrorum Præsulum vigilantiam. In vetusto codice Sacramentarii Ecclesiæ Mutinensis quædam in margine alia manu adnotata observavit Muratorius de Reb. Liturgic. Cap. VI. inter quæ hæc ad rem præsentem. *Ab hac hora in antea promitto ego Joannes Archipresbyter tibi Warino Episcopo* (qui florebat anno 1018.) *quod diebus vitæ meæ cum muliere alterius adulterium non faciam, neque cum inlicita meretrice fornicationem, & si fecero, me ipsum confirmo in periculum.* Altera sic habet: *Ego Naira Presbyter promitto coram Deo & omnibus Sanctis, & tibi Guarino Episcopo, quod carnis commistionem non faciam, & si fecero, & honoris mei, & beneficio Ecclesiæ perdam.* At quid hæc cum Sacramentario? Ideo in eo Codice scripta reor, ut quæ promissa essent, facilius præsto fierent, ac religiosius servarentur. III. Eo solo titulo Rannulfum filium a Roberto exornatum, quo non splendidior alius, dum *bonæ indolis puer* denunciatus egregiam futuræ probitatis spem tribuebat. Quamquam eo titulo, vel elogio, solemni veluti honoris formula, illustres Pueros decorari per eam ætatem consuetum facile conjecerim ex loco Alexandri Abb. Telesini, qui in *De Reb. gest. Rogerii Regis lib. 3. cap. 27. tom. V. Scriptor. Ital. pag. 639.* narrat a Rege Rogerio *Filium suum nomine Anfusum, bonæ indolis puerum, cum favore optimatum, militumque Principatus Capuani per Vexillum honore sublimatum.* Quod anno 1135. accidisse constat. Porro recitatum Roberti Comitis Diploma autographum Tubo sign. num. X. involutum servatur in nostra Bibliotheca, de qua Bibliotheca id impræsentiarum moneam, me opportunius, ac pro ejus dignitate acturum, quum *de Ecclesia Beneventana* Dissertatio instituenda erit.

(1) Card. Baronius ad Ann. 869. num. 57.

(2) Vid. Cl. March. Scipionem Maffejum Istor. Diplomat. pag. 144. & 153.

sentibus (2), eos signum Sanctæ Crucis fecisse subscriptione sua testabantur. Idque a contrahentibus literarum gnaris, ignarisve pari modo servatum videtur, hoc tamen discrimine, ut qui scribendi peritus esset, præter ipsam Crucem, sua manu sic scriberet. *Signum* † N.N. *donatoris*, vel *venditoris*: sin verò Tabellio, seu Notarius ea verba ad factam Crucem conscribebat. Sic in Charta venditionis anni 540. in Bibliotheca Vaticana modò servata legitur. *Signum Domnici V. H. ss.* (idest Viri Honesti suprascripti) *venditoris literas nescientis*. subsequuntur testium subscriptiones, quorum quisque inter alia id quoque testatur, venditorem in sua *præsentia signum fecisse* (1). Eundem ritum in ejusdem Sæculi VI. (anno nempe Justiniani 38., Christi 563.) Charta Ravennensi (quam Brissonius in *Cortice*, idest Papyro scriptam ajens ex Bibliotheca Regia edidit in de *Formulis lib.* VI. *cap.* 195.) servatum invenio; sub cujus finem ita legitur. *Signum isti Gratiani V. S. Subdiaconi litteras nescientem*; & paullo post; *Motanus Vir .... rogatus a isto Gratiano V. S. Subdiacono, qui me præsente signum fecit, & ei relictum est* (idest *relectum*, nam iterum, quæ chartis scripta erant, relegi contrahentibus, literarum ignaris solebant) *Testis subscripsi*. Duplicem hunc ritum agnoscere licebit in Regis Rachisii Lege IV., ubi Chartæ venditionis mentio est, *à Scriba publico scripta, in qua tam ipse venditor, quam testes se subscripserint, aut manum posuerint*: Subscribere enim ad eos pertinet, qui literarum gnari nomen suum in calce inscribebant: Ponere vero manum, de iis intelligendum est, qui scribere nescientes, Crucem *manu*, idest Calamo facto, in charta delineabant (2). Sed & præclarissimum hujusce ritus exemplum facilius addiscemus ex insigni vetusti Monasterii Vulturnensis Charta, *anno quartodecimo, & septimo Caroli, & Pippini Regum Francorum, & Longobardorum, idest anno* 788. celebrata, cui Episcopus Senvaldus, præmisso Crucis signo, primus subscribit, mox post idem Crucis signum à singulis præmissum decem testes; inter quos Felix, Barosus, ac Tronto sic habent. † *Ego Felix pro ignorantia literarum in hunc brevem interfui & signum Crucis feci*; sicque Barosus, & Tronto (3); ut videas, quàm vetustus mos ipse sit hodieque servatus, quo ignari literarum subscriptionem suam Crucis signo supplere solent, reliquis tamen nullâ, ut olim, apposita Cruce, sui nominis subscriptione contentis: sed uti jam probatum est, omnes priscâ ætate sive Principes, sive Privati, sive Ecclesiastici, sive Sæculares, sive literati, sive illiterati, indiscriminatim Crucis signum subscriptioni suæ præmittebant; cujus moris illam arbitror fuisse caussam, rationemque, quod eo signo Majores nostri satis consultum censerent, uti eorum omnium, quæ in Chartis gesta, promissa, assertave essent, nedum fides constaret, sed, additâ Crucis Religione, inviolabilis sibi observantia indiceretur. Nondum enim Juramentum in Contractibus, aliisque rebus, quæ scripto tradebantur, adhibere veteres consuebant. Ex sexdecim Papyraceis vetustissimis Chartis venditionum, donationum &c., quas V. C. Marchio Maffejus edidit l. l. vix unam, alteramque, idest XIII. & XIV. invenias, ubi Testes asserunt, contrahentes *ad Sancta Evangelia me præsente prabent Sacramenta*: in reliquis omnibus id solum legitur: *me præsente signum fecit*: Summa, ut par est, Juramento tunc stabat reverentia, quod nec ubilibet, neque ab omnibus præbebatur: illud dixisse sufficiat, quod inter *Purgationes Canonicas* præcipuè statutum, probatumque, nonnisi extremi remedii loco adhiberetur. Vitiosiorem progeniem, quam sequuta tempora tulerunt, Juramenti religione passim obligandam invexere; sed verendum maximè, ne jurandi assiduitas in Religionis contemptum, pejerandique facilitatem, impunitatemque devenerit.

Nostrorum autem (quæ posterior observatio est), uti & aliorum Principum subscriptiones Crucem simul, ac proprium nomen complexæ, hisce verbis solemnem veluti formulam continentibus, hinc inde intercludebantur: idest: *Signum * Domini Pandulfi Excellentissimi*, vel *Gloriosissimi Principis*; quæ quidem verba non ex ipsius Principis manu erant, sed ab ejus Referendario, vel Notario, vel Sacri Palatii Scriba addebantur, eodem semper characterum, seù literarum ductu, atque forma, qua in superiore Diplomatis parte, idest primâ lineâ Titulus inscribebatur. Atque hi quidem Notarii, Scribæque nonnisi impropriè, quæ revera *subscriptio* erat, *Signum* vocabant. Ulpianum audire proderit. *Si quis ex testibus nomen suum non adscripserit, verumtamen signaverit, pro eo est, atque si adhibitus non esset: & si adscripserit se, non tamen signaverit, adhuc idem dicemus: Signum autem, utrum anulo tantum impressum adhi-*



(1) Ibid. pag. 156.

(2) In Codice Legum Longobardor. apud Murator. Scriptor. Ital. tom. I. part. II. pag. 87.

(3) In Chronico Vulturnensi apud Muratorium Scriptor. Ital. tom. I. part. II. pag. 366.

*adhibemus, an vero etsi non anulo, verum alio quodam impresso, variè enim homines signant; & magis est, ut tantum anulo quis possit signare, dum tamen habeat* Χαρακτῆρα, *idest formam, insculptamque signis imaginem* (1).

Ad hæc id quoque observasse par est, diversum a Sigillo Monogramma fuisse. Id audisse erit ex ipsis Diplomatibus, in queis, receptâ quadam formulâ, ut superiùs dixi, Principes tum *subscribere*, tum *anulis sigillare* testantur; Id etiamnum autographa ipsa Diplomata ostendunt, ubi præter Monogrammata, seu subscriptiones, seorsim habentur impressa Sigilla. Optassem,& ejusmodi sigillorum ectypa heic proferre,sed nullum in nostris Chartis ætatem tulit, in quibus Rubræ ceræ vestigia tantum restant, & Chartarum ipsarum ad Crucis, vel Stellæ modum incisio, per quam cera ex utraque ejusdem chartæ parte, intimâ videlicet, extimâque conglutinabatur, atque sibi cohærebat, ut nempe Sigillum ipsum non uno, sed duplici charactere utrinque impressum haberetur. Exemplum habes in Atenulfi Sigillo, quod in nostra Tabula n. I. ex Gattula mutuati sumus, in cujus antica parte ejus Principis imago, in postica alterum ejusdem Monogramma ab ejus subscriptione diversum conspicitur; atque altera quidem facies anteriori chartæ, altera vero posticæ impressa esse debuit, priori respondens, ac repercussa. Cl. Muratorius commentitium censet Caroli Magni Diploma, Ecclesiæ Regiensi concessum, Ughello licet, ac Mabillonio probatum, tum ex aliis, tum ex eo præsertim, quod in postica parte minime repercussa, ac dilatata erat cera, sed ea ratione in scissuram pergamenæ immissa, ut inde nullo negotio educi posset; *Hinc discas* (inquit) *quanta circumspectione, & quàm intentis oculis exploranda sit fides veterum Diplomatum: quare si qui sunt, qui quoties sibi offertur aliquod antiquorum Regum Præceptum, sigillo suo adhuc munitum, nihil ultra quærendum putant, ut Archetypum judicent, egregiè falluntur: Nam ne hoc quidem satis est ad certum eorum Criterium, quum cerea Sigilla pergamenis infixa ex postica parte, attenuata per calorem cera, detrahi potuerint, & in aliam commenticii foetus charta transferri* (2). Sed illud Muratorianæ animadversioni necessariò adjiciendum, pseudigrapha adhuc ea Diplomata existimanda, vel saltem in justam suppositionis, imposturæque suspicionem adducenda, quæ ante Sæculum XI. vel Chartæ appensa Sigilla habeant, vel aliter, quàm superiùs demonstrata sunt, infixa exhibeant. Audi Petrum Boerium Episcopum Urbevetanum: *In quibusdam Monasteriis antiquis Privilegia quamplura Caroli Magni Regis Franciæ, & Augusti vidi integra: In quibusdam non appenduntur sigilla per corrigiam, vel fila, sicut hodie, sed sunt affixa Literis, tenentia chartam amplexam ab utraque parte cum bona quantitate ceræ* (3). Sed Boerio præisse omnino videtur Petrus alter Caroli VI. Francorum Regis Capellanus, qui in Chronicon Damasi Papæ, vel potius, in Catalogum, & Vitas Romanorum Pontificum commentatus, *olim*, inquit, *non appendabantur sigilla per corrigiam, vel fila sicut hodie, sed affigebantur literis, tenebantque Chartam amplexam ab utraque parte cum bona quantitate Ceræ. Idque observatum est usque ad Ludovicum Crassum, qui regnare cœpit A. D.* MCX. *Hic enim primus coepit appendere sigilla, quum ejus patris Philippi primi, & anteriorum Regum Privilegia, quæ in nostro Chartophylacio extant, habeant illa affixa, atque ab utraque parte pergameni apparentia* (4). Eodem itaque ritu, quo alii Reges tunc temporis, Beneventani quoque Principes in apponendis sigillis suis utebantur: nondum enim eorum ævo sigilla Chartis appendebantur, auro, argento, plumbo, ceræque impressa, quas Bullas serior ætas vocare cœpit, eodem postea nomine ad ipsas Chartas significandas translato. Sed de hoc argumento opportunius agemus, quum de Ecclesia Beneventana, ejusque Antistitum Chartis plumbeum Sigillum (quod etiamnunc obtinet) appendere consuetis, sermo erit.

Sed præter sigillandi communem cum aliis supremis Dominis morem, augustiorem adhuc ritum in sua, quæ Monogrammate continebatur, subscriptione Principes nostri æmulati fuere, ut scilicet non atramento, sed rubro liquore propriam subscriptionem exararent. Inter alios honoris titulos, atque insignia, quibus post Constantinianum ævum Constantinopolitana Aula plus nimio splendescere studuit, ambitiosior ille mos videri debet, quem Imperatores in suis subscriptionibus observare cœperunt. Peculiarem primùm literarum formam Augusta manus adhibebat, quam æmulari cæteris nefas esset, quavis etiam Dignitate pollentibus. Hinc Festo Vicario Africæ, ne, quod cœperat, affectare pergeret, aliisque imitandi occasionem præberet, Imperat. Valentinianus, & Valens sanctione lata vetuerunt anno

(1) Leg. XXII. Digest. *Qui Testam. facere poss.*
(2) Antiq. Med. Ævi Dissert. XXXV. tom. III. p. 87.
(3) Apud eund. Murator. l. l. pag. 90.
(4) Apud Joan. Kirchmannum de Anulis cap. VIII. pag. 33. Francofurti 1672. qui Petri locum excepit ex Jacobi de Breul notis ad cap. X. lib. II. Aimoini.

anno CCCLXVII. *Serenitas nostra* (inquiunt) *prospexit inde Coelestium literarum coepisse imitationem, quod his apicibus tuæ gravitatis officium consultationes, relationesque complectitur, quibus Scrinia nostra perennitatis utuntur: quamobrem ipsius Sanctionis auctoritate præcipimus, ut posthac communibus literis universa mandentur, quæ vel de Provincia, vel à Judice fuerint scribenda; ut nemo Styli Imperialis exemplum, aut privatè, aut publicè sumat* (1). In quibus *Imperialis Styli, seù Coelestium literarum* apicibus, quibus Augustorum Scrinia diversis a communi scribendi ratione characteribus utebantur, facile Monogrammatum, quorum postea usus apud Principes obtinuit, originem agnoscendam crediderim. Habes interim Imperialis subscriptionis Literas *coelestes* appellatas; quid demum de Imperatoris manu, quæ illas scriberet, expectabis? En tibi *Divinam* eam manum appellatam: Id sibi eadem manus tribuebat; nam subscriptionem ipsam singulares illæ litteræ ET. M. D. ideſt ET MANU DIVINA: recepto more, ac solemnis formulæ instar antecedere solebant (2). Sed *ad Coelestes* Literas, *divina*, si Diis placet, manu perscribendas, indecorum fuisset communem liquorem adhibuisse: omnium igitur, qui Imperiali Purpuræ responderet, præstantissimum statuere libuit, quem Leo Augustus describens, adeò Scriniorum Imperialium proprium voluit, ut adversus eos, qui usurpassent, Majestatis poenam, capitis, fortunarumque amissione, sanciret. *Sacri* (inquit) *affatus, quoscumque nostræ mansuetudinis in quacumque parte paginarum scripserit, auctoritas, non alio vultu penitus, aut colore nisi purpurea tantummodo inscriptione lustrentur; scilicet, ut cocti muricis, & triti conchilii ardore signentur. Hanc autem Sacri Encausti confectionem nulli sit licitum, aut concessum habere, aut quærere, aut à quocumque sperare: Eo videlicet, qui hoc aggressus fuerit tyrannico spiritu, post proscriptionem bonorum omnium, capitali non immerito poena plectenda* (3).

Sed non id Encausti genus a Leone expressum, perpetuo usui Augustis fuit, qui quòd illum liquorem non semper obvium habere possent, purpureis quidem literis subscribendi morem retinuere, sed Cinnaberim ad eam rem adhibebant. Præclarum id ex Pontificis Gregorii II. ad Imper. Leonem Epistola I.: *Illud* (inquit) *præcipuum est, quod Literæ tuæ, & non alienæ sigillis Imperatoris obsignatæ diligenter sunt, & accuratè intus subscriptiones, per Cinnaberim propria manu tua, ut mos est Imperatoribus subscribere* (4). Scio, Virum doctissimum Nicolaum Alemannum in ea fuisse sententia, ut Pontifex Gregorius in ea Epistola nonnisi *ob coloris similitudinem* Cinnaberim vocasse, quod nonnisi Imperatorium *Encaustum* esse debuit ex murice confectum; quod dicta Leonis lege probari ait (5). Exempla verò Imperalium



(1) Leg. III. Cod. Theodos. *Ad leg. Cornel. de Falsis* Dat. Lupicino, & Jovino Coss.

(2) Vid. Brissonium de Formulis lib. III. cap. 79.

(3) Leg. VI. Cod. *de Diversis Rescriptis*. Dat. VI. Kal. April. Jordane, & Severo Consul. an. 470. Encausti vocabulum in hujus Legis lectione Haloandro probatum, in *Encautum* corrigit Cujacius, observatque ad eandem legem Gothofredus. Sane Encauti meminit Imp. Constantinus in Lege IV. Cod. Theod. *De Extraord. muner.* ibi. *Manu propria perscribant, atque encauto nomina advertant*: Sic quoque Imop. Arcadius, & Honorius in Lege I. ejusdem Codicis *De Veteranis*, se Veteranis post missionem *certa per edictum indulsisse* ajunt, *quo scribendi tabulis, vel Encauto, & cerussa conscribere detur eis licentia*. Sed quicquid de *Encauto* sit, fuisse etiam *Encaustum* satis constat, ex quo Encaustica pictura Plinio memorata lib. XXV. cap. XI. & lib. XXXVI. cap. XXV. Quomodo vero sacrum id Encaustum, quo Augusti in subscribendo uterentur, conficeretur, apertè Leo tradit, ut scilicet *ex cocto murice, tritoque conchilio* simul commixtis liquesceret. Illud vero vocabulum ad liquorem tam ingentis pretii, nobilitatisque olim significandum, serior ætas ad atramentum, quo passim chartæ scriberentur, transtulisse pluribus exemplis probat Cangius in Glossario, itaut *Encaustum*, aut uti loquebantur, *Incaustum*, idem postea fuerit, quod nobis Italis *Inchiostro*, quam vocem ab ipsius *Encausti* corrupto vocabulo derivatam arbitror.

(4) Apud Baronium in Annal. ad An. 726. & P. Labbeum Concil. tom. VIII. pag. 651. edit. Venet. 1729. Epist. I. Concilio Niceno II. præmissa.

(5) In Commentario ad Anecdota Procopii pag. 29. ubi in illa Procopii incidit: *Colore imbutus, quo scribere mos est Imperatoribus*. Pergit porro Alemannus plura ad rem nostram dicere, quæ libenter describemus. Encaustum *hodie in Italia dicimus* Enchiostro: *liquor ille purpureus, quem hic non atramentum, sed purpuramentum vocare liceat, servabatur in atramentario, nisi dicere malis etiam purpuramentario, quod cum Caniculi formam effigiemque præseferret (quales atramentariorum formas hodieque usurpamus) ob id Caniculus est appellatum. Et a Caniculo erat, qui Cæsari ejusmodi purpuramentarium ministrabat. Anastasius Bibliothecarius ad Octavam Synodum Act.* 10. *Præpositus Caniculi est, qui curam, & custodiam gerit Caniculi, ideſt Atramentarii, ex quo Imperator Phoeniceas literas scribit in Chartis. Ad nomen si quid præterea Cæsari subscribendum erat, id Præpositus Caniculi manu sua exarabat, quod in calce ejusdem Synodi Christophorus Basilii Imperatoris a Caniculo fecisse liquet*. Hactenus Alemannus, cujus dictis verba dictæ Octavæ Synodi ab ipso indicatæ adscribere præstat. Porro in dicta Actione 10. cui Anastasius suam notam adjecit hæc leguntur. *Post hos piissimi, & amatores Christi Imperatores, Basilius, & Constantinus figentes quidem propria manu in quinque voluminibus pretiosæ Crucis figuram, Basilio Magno Imperatore, similiter etiam Constantino figente Crucem pro se, & Fratre suo Leone subscribente quoque nomina trium Imperatorum præ-*

lium ejuſmodi ſubſcriptionum ſive *Encauſto*, ſive *Cinnabari* factarum heic congerere otioſum eſſet, nam paſſim apud Veteres Scriptores illarum mentio eſt, pluraque, atque inſigniora a Viris doctiſſimis indicata habemus (1). Neque Encauſti, ſive Cinnabaris in ſubſcribendo uſum nullis, ut Leo ſanxit, *licitum aut permiſſum habere, aut quærere, aut à quocumque ſperare deinceps fuit*: Nam ſequuti Imperatores id privilegium, ſive Majeſtatis inſigne tum Filiis Imperii conſortibus, tum etiam Generis ſuis conceſſerunt: Imo Iſaacum Angelum Auguſtum Theodoro Avunculo ſuo, cui ſummam rerum commiſerat, non ſolum purpureas phaleras, ſimileque Pallium equitando, ſed etiam eundem colorem in ſubſcribendis publicis libellis, literiſque permiſiſſe, Nicetas teſtatur (2).

Sed & alii mox non impunè modo, ſed propriæ auctoritatis jure, Græcorum exemplo Auguſtorum, eum ſubſcribendi ritum ſibi arripuerunt; nam qui in ipſo Imperio ad occaſum ſuum inclinante Principatus alios conſtituerunt, non ſolum ab Imperiali obſequio ſe ſubducere, verum etiam eadem majeſtatis inſignia æmulari cœperunt. Hinc Beneventani Principes, qui poſt exciſum in Ciſtiberina Italia Longobardicum Regnum ſupremi Dominii prærogativam ſibi fecerunt, id inter alia ſibi mox uſurparunt, ut *purpureis* literis ſubſcriptiones ſuas decorarent. Cœptum ab ipſo Principatus conditore Arichi morem crediderim; nam qui ut ſæpè audivimus ex Erchemperto, in ſuis Chartis: *ſcriptum in Sacratiſſimo noſtro Palatio*: ſcribi præcepit, purpuream quoque ſubſcriptionem adhibuiſſe, par eſt, ut credamus, eumque ritum Succeſſoribus ſuis ſervandum reliquiſſe, quorum tamen nulla ut dixi ante annum CM. autographa ſuperſunt Diplomata: Quæ autem Principis Atenulfi, Pandulfi, ac Landulfi incolumes Chartæ ad nos pervaſerunt, illorum ſubſcriptiones, ſeu illa, quæ edidimus, Monogrammata purpureis literis cum ipſo Crucis ſigno cinnabari, ſeù minio conſcripta exhibent. Quid quod & ſeriore ævo Robertus Comes non ſolum Monogramma ſuum, quod aliis addidimus, rubricatis literis exararit, verum etiam colore eodem adjacentia verba (ideſt *Signum Roberti Comitis*) manu ſua conſcripſerit, ut in ejus autographa charta ſpectare eſt? Sed jamdiù ab inferioris dignitatis perſonis id uſurpatum oſtendit Privilegium Caroli Calvi, in quo *illud præcipuum* Mabillonius obſervat, *quod Caroli Monogramma Cinnabari, ſeù minio pictum eſt more Græcorum Imperatorum, quin etiam Gozlini Cancellarii nomen ...... adſcriptum eſt literis itidem Rubricatis* (3). Adde demum, quæ in Vetere Notitia, ſeu Judicato ad res Siculas ſpectante habentur, ac pluribus ſuperius obſervatis opportunam lucem præſtabunt; Nam ſic in ejus Chartæ fine ſcriptum eſt: *Unde ad certitudinem dictæ Sententiæ poſuimus noſtra ſigilla, & Dominus Rex poſuit ſuum ſignum per literas rubeas, & ſignum Crucis fecit ad ſuam confirmationem, & fecimus inſtrumentum Epiſcopo, & Domino Gilberto cum Alphabeto cum incauſto* (perperam in caſtro) *rubeo de donatione, & contractibus* (4). At de Monogrammatibus, ſubſcriptionum loco adhibitis, eorumque varia forma, ac coloribus jam ſatis.

Redeo nunc ad ea Monogrammata, quæ Nummis inſculpi ſolebant: atque in eorum cenſum non ſolum referri, immo aliis anteferri Monogramma meretur, quod in noſtri Principis Grimoaldi Nummo ſpectamus. Non illud quidem in Crucis formam ſe offert, quam in Chartis *ſubſcriptionem* continentibus ſervatam vidimus. Quare opinari illud ſubit, non unum ab eodem Principe uſurpatum Monogramma, qui alterum in Nummis, Sigilliſve ſuis, alterum in ſuis ſubſcriptionibus adhibendum ſibi duceret: De Atenulfo certa res eſt, cujus ſubſcribentis Monogramma diverſum omnino ab eo, quod Sigillo exprimebatur, ſuperius conſpeximus. Nummarium autem Grimoaldi Monogramma haſce tantum ejus nominis literas exhibet, GRIMOAL, eo quidem compendio, atque formâ, ut nihil præclarius, nihil etiam concin-

*propria manu, & ſubſcriptionis reſiduum ſubſcribente Chriſtophoro Protaſceretis & Præpoſito Caniculi*; Videſis Jac. Gretſerum in obſervation. ad Georg. Codinum de Offic. Conſtantinopol. pag. 242. tom. XVIII. Scriptor. Hiſt. Byzant.

(1) Vid. Briſſonium l.l. & Gothofredum ad d. leg. VI. Cod. Theod.

(2) Nicetas Choniates in Iſaaco Angelo lib. III. c. V. inter Scriptores *Hiſtor. Byzantin. tom.* XII. *pag.* 230. *edit. Venet.* ex quo Niceta illud etiam diſcimus, Tutori Imperatoris impuberis *viridi* colore ſubſcribendi privilegium ritumque fuiſſe: Sic in Alexio Manuele Comneni Filio lib. VII. cap. 4. pag. 123. tradit Alexium Protoſebaſtum edictum impetraſſe, quo continebatur ea, quibus manus Imperatoris adhuc impuberis ſubſcripſiſſet, *non aliter rata fore, niſi prius Alexius ea vidiſſet, & colore* viridi *ſubſcripſiſſet*: RATA SUNT. Sed neque illud prætercam, Patriarchis Conſtantinopolitanis *Cæruleum* colorem in ſubſcriptionibus proprium fuiſſe, eumque morem ſub primis Palæologis incæptum, uti Cantacuzenus teſtatur lib. III. cap. 36. *Patriarcha qui gradum permutare non poterat, habitu ſe auguſtiorem fecerat, & in ſubſcriptionibus colore* Cæruleo *uſus eſt*.

(3) De Re Diplom. lib. V. pag. 404. edit. Pariſ. 1681

(4) Apud Rochum Pirrum Notit. Sicil. to. I. p. 311.

concinnius, atque elegantius excogitari poſſit; dum ab apice partis dexteræ litera G. exordium faciens in R. deſcendit, atque ad reliquas ſibi ſuccedentes literas perducit.

Antea verò, quàm de hoc nummario Grimoaldi Monogrammate dicam, reliqua heic omnia, quæ in utraque Nummi facie expreſſa habentur, ſimul exponere, pauciſque illuſtrare pergam. Ac primùm, utrobique *Crucis* ſignum inſculptum voluit Grimoaldus, alterum quidem exiguum ad dextrum Monogrammatis latus, quaſi adhærentem ſibi, individuamque è ſalutari Signo tutelam auſpicatus, alterum verò in poſtica Nummi facie ſublimiter erectum, cui hinc A, inde Ω, atque in circulo BENE-BENTV. inſculptum eſt, quaſi iteratâ ea inſigniori Cruce Urbi Gentique ſuæ eandem tutelam, præſidiumque adprecaretur. Sed nec diſſimulanda eſt, quæ in Monogrammatis facie occurrit nota illa, trianguli inſtar inverſi, eidem Monogrammati impoſita, ſed nullo ei nexu cohærens, non otioſè quidem inſculpta, ſed explicatu difficilis. Fortaſſe Denarii nota illa fuerit, qua Nummi valor, qui revera Denarium pendit, demonſtraretur: Certè apud Græcos Sigla, ſeu Nota Δ ideſt Δέκα *Decem* ſignificat. In marmore Oxonienſi, aliiſque pluribus Græcanicis monumentis eadem Sigla decem annos, vel drachmas denotat; uti apud Sponium *Miſcell. Sect.* x. *p.* 356. & Gruterum *p.* 495. 1. Nihil ſimilius veri, quàm ut à Græcis eandem Notam ad ſuos Denarios indigitandos Beneventani Principes mutuati ſint, qui in ſuis nummis & illud adhuc inextricabile CONOB, & reliqua ferè omnia Majeſtatis inſignia, quæ in præcedentibus nummis jam ſpectavimus, paſſim uſurparunt. Sed de Monogrammate jamnunc agamus.

Longè ante hoc ævum inſculpi Nummis Monogrammata conſuetum fuit: ac, ut nunc prætercam venerandum Chriſti Monogramma à Conſtantini, ſeu potiùs (ut ſuperius notavi) à Conſtantii ævo, ac ſæpius deinceps in Byzantinorum Auguſtorum nummis obvium (1); extat quidem Marciani Imperatoris Numiſma, ubi ejus Monogramma conſpicitur (2). Extat & Nummus Ravennenſis ab Exarchis ſub Auguſto Mauritio percuſſus, in cujus poſtica parte in medio laureæ Coronæ ejus Urbis Monogramma inſculptum eſt, R. videlicet, cui A. implexum eſt (3): Utque aliquid ex primæva, cultiſſimaque Antiquitate in hanc rem conferam, pulcherrimus ſe offert Nummus præclariſſimæ olim Urbis Tyri, Phœniciæ Metropolis, in quo Monogramma eſt ingenioſiſſimè inſculptum ab ingenioſiore Viro, Cardin. Norifio in Epochis Syro-Macedonum Diſs. XV. cap. III. ita explicatum: *In antica parte viſitur Caput Herculis laureatum: in altera verò parte ſcalptum eſt Monogramma Tyri, itaut Clava, Herculis inſigne, rectam lineam literæ T ſuppleat, in illius ſummitate ſuperiori literæ Y parte apparente, litera verò P loco tranſverſariæ literæ T ponitur, ut epigraphe ſit* ΤΥΡΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ, *quæ poſterior dictio in Nummi area Monogrammati hinc inde adjungitur*. Extant denique apud Muratorium Pontificii Nummi noni, decimique Sæculi variis Monogrammatibus paſſim ſignati; ſed ut ad alios Principes, propinquaque Grimoaldo tempora progrediamur, mirum in modum rem noſtram illuſtrat Edictum Piſtenſe Caroli Calvi, qui anno Chriſti 875. & Francici Regni 36. Ludovico II. Impertatori ſucceſſit. Edixit itaque Calvus cap. 11. ut *in denariis novæ noſtræ monetæ ex una parte nomen noſtrum habeatur in gyro, & in medio noſtri nominis Monogramma: ex altera vero parte nomen Civitatis, & in medio Crux habeatur* (4). Habes itaque ex hoc monumento receptum per eam ætatem ſignandorum in Nummis Monogrammatum morem, ac eadem penè ipſa a Carolo *de denariis novæ ſuæ monetæ* conſtituta, quæ paucis ante annis Grimoaldus in nummis ſuis, ſuoque jure perfeciſſe probatur.

Hoc amplius verò ſuis nummis addidit Grimoaldus, ut ſcilicet ſigla illa A & Ω, ſeù ω ad Crucis latera adſcriberentur: qua re & illuſtrius Religionis ſuæ argumentum prodidit, & nobiliora ſibi propoſuiſſe exempla videtur: Hos Characteres A & Ω Græci Imperatores ſuis Nummis fere ſemper inſculptos voluere, ubi vel Crux, vel Chriſti Monogramma inſculptum eſſet, itaut hinc A, inde Ω ſive Cruci, ſive Monogrammati ſociaretur: de quorum quidem characterum vi, ac ſignificatione multa alii commentati ſunt: at illud non omnino convenit, quo ſcilicet tempore ea Sigla adhiberi in nummis, aliiſque Chriſtianorum monumentis incœperint. Sunt enim qui poſt Arii nefariam hæreſim exordium faciant, ut ſcilicet Chriſti Divinitas ex ejus oris teſtimonio confirmata amplius extaret, quandoquidem ſeipſum eſſe *Alpha, & Omega, Principium, & Finem* in Apocalypſi cap. 1. declaravit: heinc itaque illorum Characterum invecto paſſim uſu ſolemnis veluti contra Arianorum errorem Catholico-

(1) Vide Cangium in Familiis Byzantinis in nummis Conſtantii, Joviani, Theodoſii &c. & *in Fam. Byzant.* in Mauritio *pag.* 86. ſed & idem Cangius alios tres Juſtini junioris Nummos protulit vario Monogrammate inſignitos in laudato Opere *Fam. Byzant.* pag. 73.

(2) Apud Oct. Stradam pag. 249.

(3) Apud Cang. in Diſſ. *de Infer. Ævi Numiſm. nu.* 74.

(4) Apud eund. Cangium in Gloſſario.

licorum professio. At libentius in eorum sententiam descenderimus, qui ab vetustiore ævo morem repetunt: nam & in Martyrum monumentis, qui sub Ethnicis Imperatoribus occubuere, insculptos etiamnunc spectare licet (1). Cur vero hanc præclarissimam Divinitatis notam ab ipso Dei ore acceptam, Christo tribuere non studuissent priores Christiani, qui eundem Deum, Hominemque, Salvatorem, Redemptoremque frequentibus adeo Symbolis aliis ex Sacrorum Librorum auctoritate, ac testimonio acceptis, ab Ecclesiæ exordiis demonstrare, ac revereri vehementer amarunt? Sed hæc alias.

Superest, ut de Epigrapha illa BENE-BENTV. quæ Grimoaldi nummo inscripta est, pauca observemus. Duplicem in eo vocabulo pseudographiam agnoscimus. Prior illa est, qua B pro V usurpatur: quod ne ad Longobardorum barbariem referas; jamdiù enim in vetustis sequioris ævi monumentis alteram pro altera litera passim obtinuisse constat, ut *Bidua*, pro Vidua, *Baleria*, pro Valeria, *Vibis* pro Vivis (2), & alia sexcenta, quæ jam Viri docti observarunt (3). Altera est, quod ab eodem vocabulo litera M, in qua desinere debuit, rejecta sit: Quod nec Longobardorum vitio tribuendum; sive quod nullum in Nummi Circulo spatium, ut videtur, eidem addendæ literæ superfuerit; sive potius quia quum dicta litera in dictionum fine exilem, obscurumque redderet sonum, facile ab Romanorum usque ævo, nec enunciari, nec scribi solebat, ut tradit Quintilianus (4). At hæc minuscula: illud graviori animadversione dignum, cur scilicet Grimoaldus nomen suum solo Monogrammate in eo nummo exposuisse contentus, in altera facie non se Beneventi Principem, sed duntaxat ejus Urbis nomen recto casu inscriptum voluerit. Ideo factum si quis putaverit, ut (quod Carolus Calvus faciendum edixit) qua in Urbe, sive officina Monetaria Nummus percussus esset demonstraretur, non omnino recte opinatum dixerim. Inscribi quidem nummis Urbium nomina, ubi illi signarentur, & mos, & sanctio fuit; sed dum ea duntaxat de causa memorandæ Urbes essent, earum nomina in inferiori parte nummi vix prioribus literis indicare satius fuit: sic (ut CONOB, idest ut vulgo volunt, CONstantinopoli OBsignata, nunc omittam), jam TROB. AQOB. THEOB. nihil aliud, quam TREveri, AQuilejæ, THEssalonicæ OBsignatos quamplures nummos, qui eas literas infernè inscriptas exhibent, Cangius observavit (5).

Alia igitur ejus inscriptionis verisimilior caussa quærenda est, quam facile ex ipsius Urbis dignitate repetendam reor. Sunt quidem Nummi quamplures veterum Romanorum, tum Rep. stante, tum Cæsaribus Dominis, tum Imperio inclinato percussi: quibus in nummis Romæ imago capite plerumque galeato insculpta est, cum harum inscriptionum alterutra, vel subtus, vel ad latus, vel in gyro, vel utrinque signata: ROMA. URBS ROMA. ROMA RENASCENS. INVICTA ROMA (6). Eadem ROMA, distributis in Crucis formam literis, in vetustioribus noni, decimique Sæculi Romanorum Pontificum Nummis, digniorem, ideſt mediam illorum faciem inscripta occupat (7); memorandusque heic iterum est Nummus Ravennensis superius observatus, cujus alteram faciem Monogramma ejus Urbis nomen complectens exornat, alteram vero Mulieris corona murali redimitæ effigies, quam hæc inscriptio circumdat: FELIX RAVENNA. Quis itaque id sibi persuaserit, propterea Romæ, Ravennæque vocabula iis Nummis inscripta, quod ibidem percussi designarentur? Illud potius affirmare proclive erit, demonstratam ea inscriptione utriusque Urbis dignitatem, ut alteri, Augustorum olim, mox Pontificum Sedi, alteri Imperiali Italicæ Aulæ, suus cuique honos haberetur. Pari itaque consilio inscriptum Grimoaldi nummo BENE-BENTV censeri debet; itaut non solum ea inscriptio nativum, sive proprium Urbis Decus ostenderet, aut augeret; verum etiam ex altera facie *Principis* nomen, qui tunc regnaret, ex altera Urbis, quæ *Principatus* Caput, atque augusta Sedes erat, vocabulum præseferens, parem utrique deberi honorem, commonere videretur.



(1) Ita eam sententiam confirmat V. C. P. Lupus in Epitaph. Severæ pag. 142. ex monumento Eraclii Martyris aqud Aringhum Romæ Subterran. lib. III. cap. 22. pag. 605. Addam inscriptionem sepulchralem Thoribii cum Monogrammate Christi adjectis A, & ω, quam procul dubio primorum temporum statuit Mabillonius in *De Cultu SS. Ignotor.* post Differt. ad Sæc. Bened. Venet. 1740. pag. 575.

(2) Apud Fabrettum cap. VIII. pag. 545. & seq.

(3) Reinesius Inscript. Class. I. num. 10. Spanhemius de Præst. Numism. cap. II. pag. 87. aliique passim.

(4) Inst. Orat. lib. IX. cap. 4.

(5) In d. Differt. de inf. ævi num. n. XLVII.


(6) Apud Ant. Augustinum Dial. III. pag. 93. edit. Rom. 1737.

(7) Apud Murator. Antiq. med. ævi Differt. XXVII. pag. 556.

## CAPUT IV.

*Plures Siconis, qui Grimoaldo II. successit, Nummi, tùm alias, tum non antehàc editi, exhibentur; altero addito ejus filii, Successorisque Sicardi. Siconis Genus, Resque præsertim adversus Neapolitanos gestæ. Quæ olim a Beneventani Ducatus exordio, vario tempore eosdem adversus Neapolitanos Beneventanorum Ducum, Principumve prælia, victoriæ, foedera: quidque Illis juris, potestatisque in Neapolitanos quæsitum. De ipsius denique Siconis, & Sicardi Nummis explicatio traditur.*

PRincipem Grimoaldum II., cognomine *Storesayz*, seù *Thesaurarium* excepit Siconis Principatus, nefaria (uti jam diximus) decessoris cæde partus, ac suis quoque Nummis insignis. Plures Principis Siconis Nummos superstites habemus, præcipuum aureum, argenteos alios, quorum heic ad archetyporum fidem expressa exemplaria proferimus.



Aureum, quem primo loco exhibui, accuratiùs expressum nunc habes, quàm olim ego in Præloquio Tomi I. ex Muratorio edideram: Aureum excipit *Argenteus deauratus* ab eodem Muratorio vulgatus, cui *Argenteum* alium addo, apud me servatum, ac nunc primum lucem aspicientem: Siconis Nummis alterum quoque *aureum* Sicardi filii subjecimus, ut qui olim Principatus Consors fuit, eodem etiam nunc loco Nummorum socius incedat. Sed prius de ipso Sicone videamus.

Quo anno, seù potius tempore Longobardicum Regnum Carolus Magnus adeptus est, Beneventum secessit Sico, ex Longobardorum Transtiberinæ Italiæ illustri genere ortus, non asylum modo, verum etiam lares apud Beneventanos quæsiturus. Patriam silet Erchempertus cap. VIII., Siconem *Proselytum*, ideſt advenam, aut hospitem appellasse contentus:

tentus: nec ejus rei, nisi leve vestigium, aut potiùs certi loci divinandi occasionem præstat ejusdem Epitaphium, ubi hæc legimus.

*Natus in Ausonia præstanti Corpore terra,*
*Francorum postquam cæde subacta fuit.*
*Quem Mater cernens eleganti luce nitentem,*
*Ad loca se rapuit non nocitura pio* (1).

Johanni Diacono Neapolitano Chronographo id deberi censet Cl. Muratorius, ut ea res manifesta esset; nam is, Grimoaldo extincto, Successorem ab ipsis datum tradit *Siconem Forojuliensem, qui puerulus illuc cum sua Matre venerat Avola* (2); ad quem Diaconi locum ita Muratorius. *Siconem Principem Beneventanum è Forojulii originem suam duxisse, fortassis ignoraremus, nisi rem nobis hic Scriptor servasset*: ac recitatis Epitaphii versibus, *Ausoniam* solam memorantibus, *nunc* (subdit) *horum verborum sensum assequimur. Postquam Longobardicum Regnum anno 774. Franci sibi subjecere, Mater* (de cujus nomine *Avola* mendi suspicio esse debet) *Siconem eodem anno natum è Forojulii detulit Beneventum, quò nondum penetrarant Francorum arma, aut si penetrarant, Principibus Beneventanis pacem, ac penè integram auctoritatem reliquerant*. Sed non unus Neapolitanus Diaconus Siconis Patriam nobis detexit, quam satis præclarè prodiderunt tum Anonymus Salernitanus, tum Cavensis Chronographus, ab ipso tamen Diacono omnino discordes; nam quem *Forojuliensem* Diaconus dixit, *Spoletinum* illi pari testimonio affirmant (3). Adde his bina ea vetusta Chronica, Principum Beneventanorum successiones, annosque summatim exhibentia, quorum alterum sic habet: *Sico Spoletinus, qui Comes, per annos* XV. *M.* VIII.; alterum vero: *Sico Spoletinus Ann.* XV. (4). Quale igitur Neapolitano Scriptori meritum? quæ etiam, refragantibus Longobardicis Scriptoribus, fides?

Majus certe nobis negotium ipsi Longobardici Scriptores facessunt, ea de Sicone prosequuti, quæ non ipsum cum Matre puerulum, sed grandævum cum Uxore & filiis virum, Beneventum, Grimoaldo II. Principe, advenisse narrant. Ita præ aliis Anonymus Salernitanus l. l., neque aliter Erchempertus, qui Siconem a Grimoaldo *dudum proselytum receptum, atque honoribus* auctum affirmat. Contra vero Epitaphii Auctor Siconem tenella ætate Beneventum advenisse testatus, sequentibus versibus amplius rem ipsam aperit, nam a Principe Arichi lætanter susceptum, atque in ejus, ac dein Grimoaldi filii Aula præclarè educatum subdit.

*Cujus ad adventum lætatus Ductor Herilis*
*Excepit gaudens spem, Benevente, tuam.*
*Mox Arichis Princeps arcana in mente puellum*
*Collocat, & spondet prolis habere loco.*
*Nec minus & Grimoald natus de Principe Princeps*
*Sublatum erudiit, jura tenendo patris.*

Epitaphii fidem libentiùs sequimur; nam Synchronum Auctorem habet, Neapolitani adhuc Diaconi testimonio comprobatum. Illud ex Anonymo, atque Erchemperto tutò accipiemus, Siconem scilicet sub Grimoaldo III., quum ætate idoneus jam esset; honores accipere cœpisse, atque Agerentino Gastaldatu donatum; quæ fortassis caussa fuit, ut quem hominem exterum cuncti nossent, uterque Scriptor tunc primum advenisse crediderit, quum Grimoaldi beneficiis notus esse cœpisset. At nihil de posteriore hoc Grimoaldo in Epitaphio; cujus Auctor omnia dissimulanda sibi duxit, quæ Siconi de Decessoris sui nece invidiam conflare viderentur.

Sed de Grimoaldi nece Scriptores quoque dissidentes invenio. Occisum *a suis* habet Cavensis Chronographus; patratum *à Beneventanis aliquibus* facinus generatim memorat Johannes

(1) Inter Opp. Peregrinii tom. III. pag. 309. edit. Neapol. 1751.

(2) Tom. I. part. II. Scriptor. Ital. pag. 312.

(3) Anonymus Salernit. cap. XXXVII. *Hac tempestate erat quidam Vir insignis in Civitate Spoletina nomine Sico &c.* Chronographus Cavensis ad Annum 817. *Obiit Grimoalt Princeps a suis occisus, & Sico de Spoletio electus est &c.* Tum ad An. 833. *Sico Spoletius* (ideft Spoletinus) *moritur*.

(4) Opp. Peregr. tom. V. pag. 7. & 17. edit. Neapol. 1754.

hannes Diaconus; Radelchi Comiti Confino, & Siconi Agerentino Gaftaldeo Erchempertus attribuit, qui *fub dolo infurgentes in eum, cum jam extremum fpiritum traheret, gladio eum peremerunt*. Anonymus vero Salernitanus Grimoaldi necem, Radelchis quidem fuffragio, fed à Dauferii filiis, quos ille injuriis affecerat, patratam afferit Agelmundi ficarii opera, *qui abftracto gladio cum paucis plagis eum vita privavit* (1). Chronographus denique Sophianus non ferro, fed veneno extinctum Grimoaldum famâ fe accepiffe, ait his verbis ad ann. DCCCXVIII. *Electus eft Sico Princeps in Benevento, de quo fama fuit venenaffe Grimoaldum Principem* (2). Ut hæc diffidia componamus, haud nobis magnopere laborandum ipfemet præftabit Sico, qui mox poft Grimoaldum de medio fublatum, nec pudori, nec difcrimini, fed propriæ fecuritati, emolumentoque fibi duxit, fe ejus necis auctorem profiteri. Annales Bertiniani ad eund. ann. DCCCXVIII. Legatos à Sicone Principe ad Auguftum Ludovicum fubmiffos narrat, *dona deferentes, eumque de nece Grimoaldi antecefforis fui excufantes* (3). Præclariùs de eadem legatione Chronographus Cavenfis ad eund. annum. *Sico nuncios fuos mifit in Francia ad Lugduicum Imp., Rathpertum nempe Gaftaldum Venufiæ, & Rifonem Confanguineum ipfius Principis, qui dona multa illi ferentes, de nece Grimualt eum excufarent, ne Imperatoris iram incurreret; quod & obtentum eft per illos, & cum magna lætitia reverfi funt* (4). Ita Parricidum (fic vocaffe par erit) non folum impune ceffit, fed Auctori adhuc præmii loco Principatum attulit, quem Optimatum inter fe æmulationes, contrariaque populi ftudia fcelefto, atque alienigenæ homini deferendum maluerunt (5).

Principatum fibi non immerito delatum, oftendere voluit, fuperiores Principes bellica virtute fuperare conatus: Rem perficere aggreffus eft, quam Deceffores fui ab ipfa pene Beneventani Ducatus inftitutione moliti fuerant, ut nempe Neapolitanos fibi fubderet. Quid Deceffores ante Siconem in eam rem præftiterint, percurriffe, unumque fub confpectum collegiffe præftabit. Urbem Neapolim vix tum orto Beneventano Ducatu, à Longobardis obfeffam fuiffe tradit claufula illa, quam Petrus Notarius Collectaneis ex Libris S. Auguftini ab Eugipio Presbytero lucubratis adjecit. Opus juffu Reducis Epifcopi Neapolitani ab fe emendatum, ait Petrus *fub die Iduum Decembrium Imperatore Domino noftro Tiberio Conftantino Perpetuo Augufto anno feptimo, poft confulatum ejufdem Augufti anno tertio, indictione quinta decima, obfidentibus Longobardis Neapolitanam Civitatem* (6). Nihil hac re certius, quam non folum à Synchrono, verum etiam præfente, publicæque calamitatis conforte Scriptore teftatam habemus. Certum quoque illud, eandem obfidionem anno 582., cui adfcriptæ temporis notæ fingillatim refpondent, fufceptam a Longo-



(1) Cap. XLIII. Sed & Cap. XLVIII. rem ipfam amplius confirmare pergit, datas ab Agelmundo divinitùs fui fceleris pœnas enarrans. *Agelmundus* (inquit) *de quo fupra mentionem fecimus, dum deambularet juxta Siler fluvium Accipitrem in manu ferens cum paucis fuis fodalibus, cum fe unufquifque, ut mos eft, fequeftraret ad capiendas aves, fubito ipfe Agelmundus confpexit Grimoald Principem, quem ille dudum extinxerat, furentem cum albo Equo, ficuti federe folitus erat, evaginatoque gladio contra fe venientem &c.* Rei exitus fuit, ut Agelmundus fruftra evadere fuga molitus, percuffus paullo poft interiit. Credat qui volet Anonymo, à quo tamen illud, vetuftum nempe morem fuiffe libenter accipimus, Accipitres ad venationem, feù aucupium adhibendi.

(2) Apud Murator. Antiquit. Med. ævi to. I. p. 254. & inter Opp. Peregr. tom. IV. pag. 360.

(3) Apud Murator. Scriptor. Ital. tom. II. part. I. pag. 512.

(4) Inter Opp. Peregr. tom. IV. pag. 390.

(5) Rem, uti gefta fuit, diftincta, ac fatis verifimili narratione profequitur Anonymus Salernitanus c. XLV. *Dum talia* (inquit) *poft Grimoaldi* necem *patrata fuiffent, inteftinus gladius inter Beneventanos exortus eft pro Principali ambitione, fed maxima pars Populi Radelchifo adhærebat ..... Rofrit denique, de quo fuperius fecimus mentionem, exinde omnino decertabat, quare tantum dignitatis præmium obtineret, unde fecerat Siconi jusjurandum. Quid multa referam? Inter agmen Populi fe Radelchis objecit, atque vocem emifit magnam, & inquit;* Ex noftris prorfus omnimodo minime Principem faciemus, fed externum Dominum Siconem Principem fublevemus, & forfitan, Deo volente, noftræ Patriæ invidiam exturbemus. *Dum talia Radelchis promeret, omnis denique vulgus, & fublimes voluntati ejus obtemperantes adjecerunt:* Bonus eft fermo, qui ex ore tuo proceffit; quod inchoafti, etiam perfice. *Idipfum Rofrit ajebat dicens, dignum fore talem Virum, tantæ dignitatis faftigium obtinere. Ita Omnipotens Deus difpofuit, ut fine ulla animarum periclitatione, antedictus Sico, jam dicti Radelchis concurfu eandem, quam ambiebat, affumeret Principalem Dignitatem.*

(6) Scripfi: *Tiberio Conftantino Augufto* pro *Tiberio Conftantinopolis Augufto* (uti cum aliis habet Mabillonius Vet. Anal. pag. 60. novæ edit. Parif. ann. 1723.) V. C. Mazzochii opportunam, atque omnino veram emendationem fequutus in Comment. ad Kal. Marm. tom. I. pag. 130. Sed de anno (quem 581. ftatuit Mazzochius not. 78.) libentius Mabillonio adhæferim, cujus hæc fententia eft: *obfervatu dignæ funt præmiffæ chronologicæ notæ, ex quibus intelligimus Tiberium dictum fuiffe Auguftum triennio ante initum a Juftini morte imperium; & Neapolim a Longobardis obfeffam fuiffe anno* DLXXXII. *qui Indictione* XV. *præditus erat.* Atque a Mabillonio quidem, quem etiam a Pagii cenfura defendit, non diffentire poftea videtur Mazzochius in not. 93. dum tamen more Conftantinopolitano is annus numeretur: Ceterum Zottonem primum Beneventanorum Ducem obfidionis auctorem non inficiatur Mazzochius d. not. 78.

Longobardis fuiſſe; eumque annum in Zottonis primi Beneventanorum Ducis undecimum incidere; qui quidem Zotto, durante etiam tum Longobardorum Anarchia, Ducatus ſui fines proferre ſtudens, in finitimos Neapolitanos vires ſuas explicare cœpit. Irritum Zottonis conatum inſtauravit ſucceſſor Arichis, qui anno 592. ipſo nempe ſuſcepti Ducatus exordio, novam Urbis Neapolitanæ obſidionem molitus fuit: id ex magno Gregorio ſcimus, cujus etiam vigilantiâ factum videtur, ne Arichis, Imperialibus copiis ad Neapolitanorum auxilium Ravennâ accitis, Urbe in extremum diſcrimen redacta potiretur: *De Neapolitana Urbe* (ſic is ad Joannem Epiſcopum Ravennatem) *excellentiſſimo Exarcho inſtanter imminente vobis indicamus, quia Arigis, ut cognovimus, cum Ariulpho ſe fecit, & Reipublicæ contra fidem venit, & valde inſidiatur eidem Civitati, in quam ſi celeriter Dux non mittatur, omnino jam inter perditas habetur* (1). Sed non multis poſt annis eandem moliri rem cogitavit Dux Romualdus; cui poſt propulſatas, ac mox profligatas Imperatoris Conſtantis copias, amplificatoſque ad Tarentum, ac Brunduſium uſque Beneventani Ducatus fines, id proſperè contigit, ut Cumano caſtro, Neapoli ſatis propinquo, ac Neapolitanorum propugnaculo poteretur: ſed cœptis obſtitit æqua alterius Gregorii Pontificis vigilantia, quemadmodum uterque Paulus, & Joannes Diaconus, Anaſtaſiuſque Bibliothecarius teſtantur (2); Communem enim ſibi Neapolitanorum, ſeu Græcorum Imperatorum cauſſam Romani Pontifices effecerant, veriti, ne Longobardorum arma poſt reliquas Ciſtiberinæ Italiæ Urbes ſuo imperio adjectas, in Romanum Ducatum, Urbemque Romam poſtremò converterentur.

Feliciore conatu rem ipſam a ſequutis Ducibus intermiſſam, Arichis alter repetiit; ratus, haud ferendos Neapolitanos a Longobardico Principatu exemptos, quem is in univerſa Ciſtiberina Italia ſibi confirmaverat. Ac Neapolitanos quidem pleno Dominii jure ſibi ſubegiſſet Princeps Arichis, niſi Caroli Regis Francorum, ſeu Pippini Italiæ Regis ad Beneventanum invadendum Principatum properantis rumor in id melio-

(1) Lib. II. Epiſt. XLVI. al. XXII. Indict. X., quæ in dictum Annum DXCII. incidit: Porro Ariulphus ille, cum quo Arichis *ſe fecit*, ideſt conſilia, vireſque conjunxit, Dux Spoletinus fuit, Faroaldi ſucceſſor, non verò Beneventanus, uti perperam dicitur à Guſſanvilleo in not. ad eand. Epiſtol. lit. a, alibique à me obſervatum fuit.

(2) Neapolitanus Scriptor Johannes Diaconus inprimis audiendus, qui in vita Sergii XXXVII. Epiſcopi ſic habet: *Hic* (Sergius) *dum ſub habitu adhuc Presbyteri degeret, Romoalt Dux Longobardorum pacis fraude ſimulans, miſſo exercitu, Cumanum caſtrum quodam tradente, invadit. Ad quem cum Joannes Magiſter militum cum ſuis adire feſtinaret, ad exequendam Benedictionem divinitus ille, de quo dictum eſt, Sacerdos inventus eſt. Data illico oratione Dux ille præſcius votum Deo vovit dicens. Si Domino annuente proſperè recepturus Caſtrum advenero, poſt deceſſum Pontificis, ſi advixero, iſtum Epiſcopum ordinabo. Quod & factum eſt. Abierunt, ipſum Caſtrum intrantes receperunt, atque ſtabilientes, incolumes ſunt omnes reverſi.* Satis opportunè Cl. Aſſemanus tom. II. pag. 598. inſigne mendum, quod in editione Cl. Muratorii tom. I. part. II. Script. Ital. irrepſit, ex vetuſtiſſimo Johannis exemplari in Bibliotheca Vaticana ſervato ſublatum curavit: nam pro *Romoalt Rex*, qui nullus eo nomine Longobardorum fuit, Romoalt *Dux*, in d. exemplari ſcriptum monet; ſed & ipſe Aſſemanus in ejuſdem Johannis loco recitando parum ſibi cavit, dum *prævius* habet pro *præſcius*. At dum verò de Johannis codice mentio incidit, volupe mihi aliquando fuit, illum contrectare in Bibliotheca Vaticana, ubi nunc aſſervatur, inter Codd. latin. num. 5007. Iis codicibus accenſetur, quos ex Beneventano Archivo S. Sophiæ ad laudatam Bibliothecam tranſiſſe conſtat: At in ejus fine characteribus Sæculi XIV. plus minus ſic ſcriptum inveni: *Iſte liber eſt D. Bartolomæi Apoſtoli de Benevento.* An ex ejus Eccleſiæ Tabulario in Archivum poſtmodum Sophianum translatum? An potius vetuſtos Codices Beneventi ſervatos, undequaque excipere, inque Bibliothecam Vaticanam aſportare ſtudium fuit? Sed ad Johannem, ut redeam, nihil is de Gregorii Pontificis ſollicitudine, ut Cumanum caſtrum a Neapolitanis recuperaretur: quod tamen ei non ignotum, qui Paullum, & Anaſtaſium ſibi plerumque præloquentes habuit; nec profecto ſilere debuit. Audiendus itaque Paullus Diaconus, qui de Geſt. Longobardorum lib. VI. cap. XL. ita ſcribit. *Superſtite adhuc B. Papa Gregorio Romanæ Sedis, Cumanum caſtrum a Beneventanis Longobardis pervaſum eſt, ſed a Duce Neapolitano noctu ſuperveniente quidam è Longobardis capti, quidam perempti ſunt, Caſtrum quoque ipſum a Romanis eſt receptum*; pro cujus Caſtri *redemptione Pontifex ſeptuaginta libras auri, ſicut primitus promiſerat, dedit.* Uberiori ſtilo rem ipſam aperit Anaſtaſius in vita Gregorii II. *Cumanum caſtrum ipſo fuerat tempore a Longobardis pacis dolo pervaſum, quo audito omnes ſunt redditi triſtes; Adhortans eis Sanctiſſimus Pontifex, & commonens Longobardos ut redderent; nam & munera eis dare, ut reſtituerent, voluit multa. Sed illi turgida mente, neque monitis audire, neque reddere ſunt paſſi: Unde nimis idem Sanctus indoluit Pontifex, ſeſeque ſpei contulit divinæ, atque in munitione Ducis Neapolitani, & Populi vacans, ducatum eis qualiter agerent, quotidie ſcribendo præſtabat. Cujus mandata obedientes, conſilio inito moenia ipſius Caſtri verſuti ſub nocturno ingreſſi ſunt ſilentio; Johannes ſcilicet Dux cum Theodimo Subdiacono, & Rectore, atque exercitu, & Longobardos penè trecentos cum eorum Gaſtaldione interfecerunt, vivos etiam amplius quingentos comprehendentes, captos Neapolim duxerunt. Sic Caſtrum recipere potuerunt. Pro cujus redemptione ſeptuaginta auri libras ipſe Sanctiſſimus Papa, ſicut promiſerat antea, dedit.* Quibuſne adeo ingens auri pondus a Pontifice datum? Utique *Longobardis*; quibus, ut Caſtrum redderent, dona multa promiſerat; Itaque vix puto, Caſtrum a Neapolitanis receptum ea Longobardorum cæde, & captivitate, quam Paullus, & Anaſtaſius commemorant, Johannes vero Patriarum rerum ſcriptor omnino ſilet.

melioris tum consilii ipsum perduxisset, ut scilicet tributarios tantum habere Neapolitanos contentus esset. Rem totam Erchemperti verbis audire libet. *Capta, & subjugata Carolus Italia, Pippinum filium suum illic Regem constituit; tunc ille stipatus innumerabili exercituum agmine, crebriùs Beneventum adiit capessendum. Quo tempore Arichis gener jam fati Desiderii, vir Christianissimus, & valde illustrissimus, atque in rebus bellicis strenuissimus Beneventi Ducatum regebat; qui audiens eos super se adventare, Neapolitibus, qui a Longobardis diutina obsidione fatigati erant, pacem cessit, eisque diaria in Liburia, & Cemeterio per incolas sancita dispensatione, misericordiæ vice, distribuit.* Istud vero, quod Erchempertus memorat, *novissimum* omnium Pactum, ab Arichi cum Neapolitanis initum, censet Peregrinius; nam ex Pacto, quod is in lucem edidit, manifestum subdit, Arichim, *nec semel, nec una forma cum Neapolitanis foedera junxisse* (1). Quæ quidem fœdera ita intelligenda ajo, ut suis legibus Neapolitanos vivere, veterique libertate frui sineret Arichis, qui tamen non una re sibi obnoxios haberet. Certam rem habeo ex Cæsarii Neapolitani Consulis Epitaphio, quo monumento, seu testimonio nihil tutius, simulque locupletius haberi potest. Ac primum Epitaphii auctor inter alia ad Cæsarium sic loquitur.

*Sic blandus Bardis eras, ut Foedera Graiis*
*Servares sapiens inviolata tamen.*

Ideſt; sic Longobardis Cæsarius obsequebatur, ut non ideò a veteri Græcorum Augustorum imperio desciscere probaretur. Utrorumque enim gratiam tenere satagebat; tenuisseque, Neapolitanos magnopere intererat, ut Reipublicæ suæ administrationem servare sibi possent. At non id satis visum Arichi, qui illorum subjectionem, eodem Cæsario obside accepto, amplius confirmatam sibi voluit: quemadmodum ex eodem Epitaphio manifestum habemus.

*Nutritus obses Arichis moderamine Sancti,*
*Salvasti Patriam præmemorande tuam* (2).

Ideſt; pro Foederum, pactorumque observantia, ac securitate, *obses nutriri*, ac diutissime permanere apud Arichim Cæsarius maluit, quàm patriam Neapolim in amittendæ penitus libertatis discrimen adducere.

Arichis filius, ac successor Grimoaldus assiduis Francorum armis exagitatus, rata cum Neapolitanis paterna fœdera habuisse videtur; cujus quidem exemplo successor Grimoaldus alter, antiquo fœdere contentus *Neapolitibus gratiam, pacemque donavit* (3). At paullo post perduellem Dauferium, qui fuga evaserat, non sine conspirationis suspicione, perfidiæque labe Neapolitani in suum asylum, tutelamque suscipientes, dignas dederunt pœnas Grimoaldo, qui admoto statim exercitu ad Urbis muros, quinque illorum millia cæsit, Urbem mox ipsam invasurus, nisi Dauferio tradito, atque *octo millibus præterea aureis in exenium* (ideſt multæ nomine) *oblatis*, ab expugnandæ Urbis consilio deflexissent (4). Hæc ex Longobardis Scriptoribus: parciùs fortasse, quàm ad ejus gentis gloriam ipsa tunc rei veritas fuerit; ut ipsorum fidem adhùc probes, teneasque, qui nullo partium studio scripsisse ostendantur: Amplius igitur quid sibi Grimoaldus à Neapolitanis jure quidem optimo sibi conquisivit, uti à Neapolitano Scriptore proditum memoriæ est: ac Auctor quidem vetusti Chronici Neapolitani, quod nuper inter Opera Cl. Peregrinii T. III. pag. 37. editum habetur, sic



(1) Tom. III. pag. 191.

(2) Apud Murator. Scriptor. Ital. tom. II. pag. 342. & apud Peregr. tom. III. pag. 324. Ex *Sancti* Epitheto, quo Neapolitani, infensi potius Longobardis, quam ejus gentis studiosi, Principem Arichim sponte, atque ultro exornant, maximum consequitur ejus virtutum argumentum; nec tam Stephano ejusdem Cæsarii Genitori, ut Neapolitanos suos in officiis, quæ Arichi spoponderant, contineret, quàm ut filius Cæsarius in Arichis aula optimis moribus instituеretur, *nutriri obsidem*, consilium fuit: sed de Arichis virtutibus alibi jam dictum.

(3) Erchempertus cap. VII. inter Opp. Peregr. t. I. pag. 86. Anonymus Cavensis ad ann. 808. t. IV. p. 488.

(4) Rem distinctè narrat idem Erchempertus c. VII. & VIII. sed nihil de eadem re apud Anonymum Salernitanum, qui falsò eidem Dauferio necem Principis Grimoaldi adscribit, quam a Radelchi, & Sicone multo post Dauferii conspirationem, patratam superius probavimus. Meminit tamen ipsius rei post Erchempertum Chronographus Cavensis ad ann. 816. hisce verbis: *Daufer Grimoald aggressus est propè Salernum, sed à suis revelata nequitia fugit ad Nuceriam cum paucis sociis, atque alii a Principe necati sunt: Post quæ exercitum comparavit, & Nuceriam profectus est, sed fugiens Daufer Neapolim; Grimoald Neapolites multos pro despectu vapulari fecit, & occidi, & agros incendi.*

de ea re ad annum 813. ſcribit: *Grimoaldus Dux Beneventi ad obſidendam Neapolim cum ſua gente profectus eſt; nam Dominus Dux Theoctiſtus voluit contra voluntatem Grimoaldi hoſpitare Dauferium Salernitanum: Videns Theoctiſtus non poſſe reſiſtere, pariterque ſciens, quod durum eſt contra homines fortes dimicare, coactus juravit Grimoaldo in omnibus obedire, & donavit illi non paucam ſummam auri, & argenti*. Habes itaque ex Neapolitano Chronographo, teſte nimirum, quod ad Longobardorum res attinet, omnium fidiſſimo, non ſolum agnitam, commendatamque Longobardorum *Fortitudinem*, cui nequicquam *reſiſtere* Neapolitani valerent, verum etiam juſtiſſimam inferendi belli, ſubjiciendæque Urbis cauſſam: Habes non ſolum Dauferii perduellis deditionem, aurique, atque argenti ingentem vim ſimul traditam, verum etiam, quod maximum, ac præcipuum cenſeri debet, habes à Neapolitanis Grimoaldo *juratum*, ſeſe illi *in omnibus obedituros*.

Atque Beneventanorum Ducum, Principumque ante Siconem, ita cum Neapolitanis res ſe habuerunt. Studio vehementiori, ac validiore conatu Neapolitanos aggreſſus ipſe Sico eſt; occaſionemque ſibi effecit ex depulſo non ſine injuria a Neapolitanis Theodoro Duce, Stephanoque cognominis Epiſcopi nepote in ejus locum ſuffecto (1). An hæc, vel alia moliendæ rei fuerit cauſſa, illud tunc Siconi conſilium ſubiit, ut expugnata demum Urbe, Neapolitanos ſibi ſubditos omnino haberet; atque Urbs quidem *validè obſeſſa tellure, pontoque capta eſſet, ſi defuiſſet ingenium*: ideſt, ſi in extremo illo diſcrimine Dux Neapolitanus ad dolos ſe non convertiſſet; nam Siconis ingreſſum ad ſequentem diem, quò pacatius, atque honeſtius ageretur, Matre interim, ac duobus liberis obſidibus datis, remoratus, dirutum murum (quocum ſimul Neapolitanis ſpes omnis ſervandæ Urbis corruerat) noctu inſtauravit. Hæc Erchempertus (2). At capiendæ Urbi acrius exinde ſtudium Siconem inceſſerat; reſque ipſa tandem pro voto, ac viribus ſucceſſiſſet, niſi Urſi Neapolitani Epiſcopi preces interceſſiſſent: Facti exitum Anonymus Salernitanus nobis ſervavit. *Tunc*, inquit, *Urſus electus præſentem Siconem deprecatus eſt, ut etiam amplius malum non permitteret, nec ſanguis effunderetur Chriſtianorum*. Exaudiendas Epiſcopi preces Sico non aliter duxit, quàm indicto Neapolitanis Tributo, Beneventanis Principibus perpetuò, obſidibus receptis, ſolvendo, ablatoque pariter S. Januarii Corpore, quod Beneventum transferendum curavit. *Ad hæc Sico Beneventanorum Princeps admonitionem prædicti Electi audiens deſtitit, & pacem inientes, atque in Scripto Pactum affirmantes inter Neapolitanos, & Longobardos, & obſides Neapolitanos idem Princeps abſtulit: ſpopondit ipſe Neapolitanorum Dux cum univerſis ſuis hominibus* ſub terribili, fortiſſimoque Sacramento, *atque in ejuſdem Pacti foedere perſcriptam paginam affirmavit, ſe daturum illico omni anno tributum, quod inter eos ſtatutum fuit, atque ſuis numiſmatibus ad ipſam Civitatem pro mercimoniis graderent; & ipſe Princeps Sico Januarii S. Martyris Corpus de Baſilica, ubi per longa temporum ſpatia requievit, elevans, & cum magno tripudio Beneventum regreditur* (3).

Egregium hoc Siconis facinus præclarè, copioſèque celebratum adhuc legimus in ejus Sepulchrali Elogio, cujus quæ hùc ſpectant, verba recitare libet.

*Obſidione quatit Romanas ſæpe Catervas*
*Urbis Parthenope falſidicoſque Viros.*
*Qui Dominis ſolita Samnitum fraude rebelles*
*Pellere Bardorum fortia juſſa volunt.*
*Quos Sico perdomitos congreſſu fortis in omni*
*Servitia impellit ſolvere quaque jubet.*
*Abſtulit inde etiam Beneventi in ſede locatum*
*Januarium quondam fortis Athleta dehinc.*
*Cujus Templa replens argento, auroque recocto,*
*His dedit, ut jaceat Corpus inane locis.*

Non ipſimet denique Neapolitani, quas acceperant a Sicone, clades, libertatiſque ſuæ detrimenta reticuerunt; ac vetuſtum Chronici Neapolitani ſcriptorem audire rurſus libet, qui ad

(1) Hanc belli adverſus Neapolitanos a Sicone inſtituti cauſſam affert Johannes Diaconus in Epiſcopo XLIII. Tiberio: *Eodem* (inquit) *in tempore Neapolitani Theodorum ſucceſſorem Theophylacti Ducis propellentes, Stephanum nepotem præſcripti Stephani Præſulis Conſulem levaverunt. Cujus invidia commotus Sico Beneventanorum Princeps, multa mala nunc obſidendo, nunc deprædando, Parthenopenſium irrogavit Civitati, cupiens eam aliquo modo ſuo peſſimo dominatui ſubjugare.*

(2) Cap. X.

(3) Inter Opp. Peregr. tom. III. pag. 309. & apud Murator. Scriptor. Ital. tom. II. pag. 311.

ad ann. 817. n. x. de postrema Neapolis obsidione a Sicone facta agens sic ait. *Sicon Beneventi Princeps Neapolim venit cum sua gente, & obsedit eam; Dux Bonus, quantum potuit, validè Civitatem defendit, & demum venit ad Conventionem cum Sicone, & promisit quolibet anno Tributum ei dare; & sic ab obsidione liberata est Civitas; Dominus Deus justus & potens tantum scelus Ducis Boni punivit in hoc mundo cum pessima, & horribili infirmitate Ignis infernalis, de qua mortuus est, & in alia vita cum æterno igne* (1). Vides quàm ægrè posteriores Neapolitani se Tributarios Beneventanorum fuisse tulerint, ut quod publico bono ab eorum Duce gestum fuit, ne omnino subditi redderentur, satis temerè, impièque in illius probrum, scelusque converterint: At non ita priores ipsi Neapolitani, qui publico monumento, defuncti Boni Ducis sui, erecto marmoreo titulo, promerita sincerius testati sunt. Diruta celebrantur ab eodem Duce Castella, quæ Acerris, Atellæque Longobardi ædificarant; quod etiamnunc scisse è re nostra fuerit, ut quos tunc in angustos fines Neapolitanum Territorium a Longobardis redactum fuerit, compertum haberemus: at quid Neapolitani à Longobardis subierint, Epitaphii exordium ita præfatur.

*Bardorum Bella invida hinc inde vetusta*
*Ad lacrimas, Parthenope, cogit sæpe suos.*
*Ortus, & occasus norit, quo Sico regnavit,*
*Suadendo populos munera multa dabat.*
*Nam mox hic recubans ut Principatu refulsit,*
*Eosque perdomuit bellis, triumphis subdit* (2).

Postrema hæc de Longobardis ipsis, eorumque Principe Sicone accipienda erunt, nisi Neapolitanus Auctor Epitaphii ad horrendam stili barbariem, manifesti, putidissimique mendacii in suorum gestis extollendis labem conjunxisse dicatur. *Vetusta* autem, & *lacrimosa bella* recte appellat, etiamsi, non de anteriori, sed de Siconis tantum tempore intelligat; a quo, ejusque filio Sicardo Neapolitanos *per sexdecim continuatos annos bellis oppressos*, Erchempertus testatur (3). Ducis autem Boni, qui a Sicone pacem impetravit, mors Indictione duodecima, idest An. 834. accidit, anno post Siconis obitum, quem antecedenti ann. 833. Chronographus Cavensis mortuum tradit (4).

Sed ad Anonymum Salernitanum redire præstat, qui Pacta omnia à Sicone cum Neapolitanis sancita singillatim recensuit. De ablato S. Januarii corpore nihil heic dicere suppetit post plurima, quæ de ea re in Differt. II. cap. VI. observavimus. Observandum modo est Pactum illud, quo Sico Neapolitanos adegit, ut *Numismata sua* recipere deberent, dum scilicet Longobardi *ad Civitatem suam*, idest Neapolim, *pro mercimoniis graderent*. Hinc conjicere proclive est, non ita facile à Neapolitanis olim Longobardicos Nummos admissos, non quod ii minoris ponderis, deteriorisve materiæ essent, quàm quos ipsi cuderent, vel Constantinopoli, Ravennàque cusos in usu, commercioque haberent; sed ne ea re Beneventanorum Principum majestatem, ac supremos veluti dominos Longobardos agnoscere viderentur. Sed veterem difficultatem indicta lege submovit Sico, non solum ad promovendam Mercimonii frequentiam, atque utilitatem, sed ad stabiliendam quoque, quam Neapolitani refugisse videbantur, supremam Beneventani Principatus potestatem.

Sed præcipuum, manifestumque supremæ Potestatis argumentum, Tributum fuit, quod *sub fortissimo, terribilique Sacramento*, atque *obsidibus* præterea receptis, *omni anno* Sico a Neapolitanis præstandum sibi cavit. Quid, quantumque pecuniarum eo Tributi nomine statutum fuerit, Anonymus, diligens licet rei gestæ narrator, præteriit. Illud ex Cavensi Chronographo compertum habeo, anno 865., annis circiter 20. ab eo fœdere lapsis, Neapolitanos ad pendendum Byzantinorum aureorum CCC. Tributum à Beneventanis adactos. *Neapolites apud Nuceriam, & Sarnum à Beneventanis casi sunt, & Tributum dare coabiti* (i.e. coacti) *sunt in bisanteis aureis* CCC. (5). Non de alio certè Tributo à Beneventanis tunc decertatum crediderim, quàm de illo ipso, à Sicone olim Neapolitanis imposito, sed in edito aureorum numero (quem ampliorem fuisse jure suspicabimur) mendum vel ab Amanuensi, vel a Typographo admissum videri debet. Quid quod nec Siconis filius ac successor Sicardus in eo posteriori fœdere, quod cum Neapo-

(1) Inter Opp. Peregr. tom. III. pag. 40.
(2) Ibidem pag. 335. & pag. 342.
(3) Eod. cap. X.
(4) Tom. IV. Opp. Peregr. pag. 391.
(5) L. l. pag. 396.

Neapolitanis sancivit, nihil certum de Tributariæ pecuniæ pondere, nisi *consuetam Collatæ, & Pristinæ* vocabulo præstationem expressit? addidit tamen, vel fidei violatæ, vel etiam admissæ moræ pœnam, qua Neapolitani *auri solidos Beneventanos numero tria milla componere tenerentur*; qua quidem ex pœna non mediocris auri quantitas, quæ pro *consueto* Tributo pendenda erat, argui facile possit.

Ac Sicardus quidem Neapolitanis consuetum Tributum solvere detrectantibus, non semel bellum intulit; Illi viribus sese impares agnoscentes, primi omnium pessimi exempli auctores, Saracenorum, qui paucis ante annis ex Africa prodeuntes, in Sicilia consederant, opem conquirere maluerunt, quàm pactorum fidem servare. Sed frustra id fuit, ut ex prædicto fœdere manifestum fit. Dissimulatum a Neapolitanis Scriptoribus id fœdus invenio, quo tamen nihil celebrius esse potuit (1). Præclarissimus, indubiæque fidei, ac vivus veluti testis manavit ad posteros ejus Fœderis exemplar, quod primum Camillus Peregrinius luce promerita donavit: Et Peregrinio quidem tum ex aliis, tum ex hac, vel una re plurimum debere Beneventani profitentur: itaut vix illud ferendum mihi sit, in novissima Peregrinii editione (obtrusis passim aliis ab aliena manu, non omnino Operis dignitate respondentibus lucubrationibus) ea desiderari, quæ Vir doctus ad id exemplar præfatus fuit, quæque Cl. Muratorius servanda curavit (2): ex quibus postrema, quæ ad statuendam monumenti fidem, pretiumque pertinent, heic retulisse proderit. *Quæ autem* (inquit Peregrinius) *& qualia illa fuerint Foedera, ex Capitulari, quod subjicio, a Principe datum, antiquissimum sane, maximèque memorandum, multiplicique excusum bono cognosces: Namque ex eodem ritus multos, multasque Longobardorum leges, necnon Neapoli adjacentia, & subjecta olim loca, aliaque pariter antiquitatis non injucunda rudimenta fient manifesta: Idque ex iisdem corruptissimis exemplaribus Papyraceis excepi, quibus Erchemperti Historia, aliaque exhibentur Opuscula, mutilum quidem, nec levi mei animi angore* (3). Atque utinam integrum ad posteritatem pervasisset: nam ex XLIX., quibus constat capitibus, vix XIX. legenda supersunt; quanquam singulorum omnium summaria, quæ initio præscripta habentur, brevi licet reliquorum servata notitia, non adeo iniquè ferendam ipsorum jacturam efficiant.

Non heic mihi consilium, vel Chartam ipsam recudere, vel singillatim illustrare, quam in Libri Appendice cum aliis nostrorum Principum Capitularibus legere erit. Pauca nunc recitare, atque observare sufficiet, quæ præsens sibi postulat argumentum. Ac primùm nihil in eo Fœdere est, quod non Victoris, ac Domini jure sanxisse videtur Sicardus: *Postquam* (ad Neapolitanos inquit) *desiderantes concordia pacis, Domino permittente, a nobis Dopno Viro gloriosissimo Sicardo Principe percipere meruistis &c.* At quibus præcipuis conditionibus largitus sit, mox subdit cap. II. *Sed ad firmandam vobis libertatis, & pacis caritatem, per quam vos creditis illæsa gubernari, spopondistis nobis, cui supradicto eximio Principi Sicardo a modo, idest quarta die Mensis Julii Indictione* XIV. *per unumquemque annum dare nobis Collatam, & Pristinam, quam consueti fuistis dare. Si vero ante quinque annos expletos, sicut superius scriptum est, Pactum nostræ Gloriæ irritum feceritis, Nos licentiam habeamus omnibus modos pignora infra Civitatem: Et si antestare nostris hominibus præsumpseritis, antequam tanta pignora apud nos habeamus, per quæ ad nostram plenam justitiam pervenire possimus, tum de istius Pacti corruptione nostri ante quinque annos expletos, vel si ante pignus steteritis de istis supradictis Capitulis componere nobis debeatis secundum vestram promissionem auri solidos Beneventanos numero tria millia; & insuper per Scamaratores, seu cursas, & publicum exercitum oppressionem facere usque ad nostram satisfactionem. Quod si Domino juvante, & nostra gratia comitante, in his, quæ nobis pacti estis, immobiles steteritis usque ad prædictos quinque annos expletos, & hæc nobis supradicta singulos annos persolveritis, hoc repromittimus, ut securi, & illæsi a nostra parte, in nostris finibus permaneatis.*

Tum pergit Sicardus plura constituere, quæ tum ad privatorum jus, ac judicia, tum ad publica Vectigalia, tum denique ad jus Principis pertinent. Atque ad Principis jus Nemora servat, Lacusque Patriensis piscationem; *ut non præsumat* (inquit) *aliquis absque consilio*

(1) Nullum ejus Fœderis vestigium in Chronico Neapolitano, cujus auctor ad an. 834. non aliud narrat, quàm Sicardi Bellum *ob conventum Tributum cum Duce Bono non acceptum*; petitum à Neapolitanis, qui *inferiores viribus se recognoscerent, adjutorium à Saracenis Cicilia, qui statim venerunt*: ad hæc imploratam etiam Imp. Lotharii opem, *qui misit ad Sicardum suum Ambaxiatorem Contardum, ut rogaret Principem ex parte ipsius Imperatoris, ne vellet amplius Civitati Neapolis molestiam dare: Contardus venit Neapolim, dum Sicardus jam mortuus erat &c.* Similia habet Johannes Diaconus in Johanne Episcopo XLIV. tom. I. part. II. Script. Ital. pag. 314.

(2) Scriptor. Ital. tom. II. pag. 256.

(3) Ibidem.

*filio Principis lignum excidere: Ut non liceat piscare in Lacu Patriensi absque conscientia Principis* (1). Inter vectigalia sibi debita recenset *Sigillaticum*, *Nuptiaticum*, *Responsaticum*, *Modiaticum* (2), pluraque loca, sive Castella commemorat, Urbi Neapoli adjacentia, veluti *Lavari*, *Angri*, *Stabi &c.*, nec ipsum silet *Vesuvium* Montem, ejusque colonos (3), a quibus omnibus prædicta fortasse vectigalia præstanda erant. De Amalphitanis summarium Capitis XLIV., & sequentis ita præfert. *De Amalphinis, qualiter pagantur. De Aqua, Herba, & Collata*. Amalphim, & Surrentum ad Neapolitanorum ditionem pertinere in eodem Foedere fatetur Sicardus, qui tamen Surrentinos obsidione tentaverat, Amalphitanos multis cladibus antea affecerat (4). Captam etiam *Malfiam*, ideſt Amalphim, *cum dolo, a militibus Sicardi* Principis tradit Chronographus Cavensis (5). Hinc Sicardus peculiari sanctione sibi cavit *de Amalphinis qualiter pagantur*, ideſt solvere deberent, quos scilicet Neapolitanorum ditioni relinquebat. Sed duo adhuc in dicto foedere observanda erunt. Primum illud, quod pleraque Sicardus edixerit, quæ (uti diximus) ad privatorum jus, ideſt contractus, judicia, crimina pertinebant; qua certè re amplius sibi obnoxios Neapolitanos effecisse voluit, ut non solum statuta Tributi pensitatione, verum etiam invecta Longobardicarum legum observantia supremum Beneventanorum Principum dominium agnoscerent. Alterum est, quod *quinquennale* id sancire foedus Sicardus maluerit, ut ea *pacis concordia, quam tunc percipere meruerunt*, temporariâ veluti indulgentiâ Neapolitani in officio continerentur, diuturnioreque posthac foedere dignos se probarent.

Atque hæc quidem diversis temporibus, nec sine felici successu ex vetustis, indubiisque rerum gestarum monumentis excepta, sinceroque stilo simul exhibita, Beneventanorum Ducum, Principumque adversos Neapolitanos fuere molimina. Cur Ducatum, seù Neapolitanam Urbem nunquam expugnare Longobardis contigerit, duplicem affert caussam Petrus Jannonius, Classium scilicet ex Longobardorum parte defectum, adeòque rei maritimæ militaris ignorantiam, ex parte vero Neapolitanorum, tum natura, tum arte munitissimam Urbem: Hinc præcipuum illud ei genti decus adscribit, nunquam Longobardis paruisse; Blondumque Flavium erroris redarguit, quod Longobardis posterioribus subditam affirmaverit (6). Idem decus ante Jannonium Caracciolus altisonè deprædicaverat, *Neapolim Civitatem* ajens *solum Coronatis capitibus, iisque precelsis, & potentissimis fuisse subjectam, inferioribus vero Dynastis nequaquam* (7). At falsam, quam priorem Jannonius attulit caussam convincit Erchempertus, à quo paullo ante audivimus, Urbem Neapolim a Sicone *validè obsessam tellure, pontoque*: Longobardicam classem disertè meminit Anonymus Salernitanus, qui Sicardum *Tyrreni æquoris insulas, Ausoniaque universa loca circuisse tradit, ut Corpora Sanctorum, quotquot invenire posset, Beneventum cum debito honore deferret, atque per idem tempus ex Insula Liparitana B. Bartholomæi Apostoli Corpus Beneventum cum magno gaudio deferri jussit* (8). Quî verò fieri potuisset, ut Sicardus ipse tum Surrentinis, tum Amalphitanis bellum, obsidionemque admoverit, ac anteà plurimæ aliæ maritimæ Urbes expugnatæ, Beneventano Principatui accesserint, si Classibus Longobardi caruissent? Sed nec Blondus omnino falsus, qui vel Pandulfum Capuanum Principem cogitare potuit, qui subactæ Neapoli, addito sibi *Neapolitanorum Ducis* titulo, aliquando dominatus fuit (9), vel potius ea foedera spectasse debuit, quibus Bene-

(1) Cap. XXVIII. & XXXIII.
(2) Cap. XXVII. & XXXV.
(3) Cap. XXXVI. XXXVIII. XXXIX. & XLII.
(4) Vid. Chronicon Neapolitanum pag. 42.
(5) Ad Ann. 837. pag. 391.
(6) Istor. Civil. lib. IV. cap. IV. p. 259. edit. an. 1753. *Anche questo Ducato Napolitano sarebbe passato sotto il dominio de' Longobardi, come passarono nel correr degli anni tutte le altre Città mediterranee, e dapoi la marittima ancora, toltone Gaeta, Amalfi, Sorrento, Otranto, Gallipoli, e Rossano; se due ragioni non l'avessero impedito: Ciò sono, il non essere i Longobardi forniti di armate di mare, ne molto esperti negli assedj di Piazze maritime: e per avere i Napolitani per ragione anche de' loro siti ben fortificata Napoli: tanto che potrà meritamente vantarsi Napoli col suo* picciolo Ducato, *che non ostante di essere passata sotto la dominazione de' Longobardi, quasi tutte le Città del Regno, ed essersi renduti i Longobardi Signori di quasi tutto ciò, che ora è Regno, non poterono però mai soggiogare affatto i Napoletani, ancorchè da poi negli ultimi anni a' Prencipi di Benevento fossero fatti Tributarii: in guisachè non è condonabile l'errore del Biondo* (Dec. I. lib. 8.) *che scrisse, i Longobardi non molto tempo dopo il governo de' Duchi aver soggettata Napoli*. Caussas easdem excogitavit Anonymus Mediolanensis, ideſt D. D. Gaspar Berettus in Tabula Chorographica Italiæ medii ævi num. 141.
(7) Sacr. Monum. Eccl. Neapol. cap. 20. pag. 195.
(8) Cap. LIV.
(9) Anno MXXVII. uti ex Ostiensi lib. II. cap. 58. Anonymo Casinensi, aliisque liquet. In Chronico Vulturnensi binæ habentur Chartæ, quibus hic inscribitur titulus. *In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni XIII. anno Principatus Domni Paldolfi, & IX. anno Principatus Domni Paldolfi ejus filio gloriosis Principibus, & primo anno Ducatus Neapolitanorum ipsorum gloriosorum Principum*, quarum altera Mensem Martium, altera Aprilem, utraque Indictionem XI. ideſt Annum MXXVIII. signatum habet. *Scriptor. Ital.* tom. I. part. II. pag. 505., & seq.

Beneventani Principes, Tributo indicto, aliisque sancitis legibus, Neapolitanos sibi obnoxios, subditosque effecerunt: Atque hanc verisimiliorem crediderim caussam, cur ab immediato Longobardorum dominio, imperioque incolumis Neapolis evasisse potuerit. An enim Neapolis Romanæ Reip., sequutisq; Augustis nunquam subdita fuisse dicetur, propterea quod proprias simul leges, ritus, magistratus servare permitteretur? Romanorum ea fuit indulgentia, qui Tributorum exactione, Colonorum deductione, aliisq; rebus supremum dominium testantibus, contenti essent (1). Par equidem (nam ex rerum eventu comparationem instituere licet) Longobardorum, vel indulgentia, vel consilium videri debet; neque enim ab expugnanda Neapoli unquam destiterunt, nisi eò rem deduxissent, ut Neapolitani sese Longobardorum subditos inficiari nequirent. Qualis itaque Neapolitanorum pudor hodieque fuerit, si Longobardorum olim subditos sese fateri cogantur: nam & eorum Principum capùt (quod sibi postulant) *coronatum* fuit, & eorum Principatus (diutina alioqui quingentorum annorum successione præ cæteris nobilitatus) in eosdem prope fines proferebatur, quibus florentissimum ipsum Neapolitanum Regnum hodieque continetur.

Hæc itaque Siconis, hæc Sicardi erga Beneventanum Principatum latiùs proferendum fuere promerita, quibus amplificandæ Religionis studium accessit, Beneventanam Urbem Sanctorum Lipsanis (de qua re in Differt. II. cap. VI. uberius actum est) locupletiorem efficere curarint. Duos autem Sico filios habuit, Sicardum, & Siconolfum (2), tres vero filias, quarum primam Julendam nomine, uti reliquas, *nobilissimis* Beneventanorum Uxores dedit (3). His ipse artibus, maximam etiam non sine liberalitate erga Beneventanos comitatem præseferens (4), quem per nefarium facinus adeptus fuerat, Principatum sibi confirmare, in suamque familiam perpetua successione transferre sategit: Quamobrem majorem natu filium Sicardum vivens sibi Principatus socium constituit (5). Sed Sicardi moribus factum est, ut paterna consilia perturbarentur: Quin etiam Principatus ipse, præsentibus malis penè contabescens, tristia futurorum præsagia tulit, quibus paullopost in duas partes dissectus, dilaceratusque ab sua majestate, viribus, rerumque omnium, quò hactenus provectus fuerat, felicitate dilabi cœpit. *Mortuo Sicone* (ita Erchempertus) *Sicardus Monarchiam solus obtinuit, qui jam cum Patre per aliquot feliciter annos imperaverat; coepitque populum sibi commissum ex levitate animi belluina voracitate insequi, ac crudeliter laniare* (6). Hanc itaque geminam facem, crudelitatem, & avaritiam intulit in Principatum Sicardus; alterâ in Optimatum, aliorumque Civium vitam, ac libertatem grassatus, nec a Siconolfo Fratre divexando abstinuit, quem perpetuo damnavit exilio, seù potius Tarento inclusum, majoribus Beneventanorum malis, ob sequutam Principatus divisionem, servasse visus est: alterâ vero privatorum fortunas depopulatus, sacrilegas adhuc manus divinis locis diripiendis admovit; nam *pro amore pecuniæ spectabilem, & Deo dignum Virum, Sanctitate conspicuum,* Deusdedit *nomine, Beatissimi Benedicti Vicarium, seculari magis potentia, quam congrua ratione deposuit, ac custodiæ mancipavit* (7). Talem Principem (Svetonii verbis utar, qui de Nerone loquitur cap XL.) Neronem quidem alterum per annos à paterna morte plus minus septem Beneventanus Principatus perpessus est, quem tandem publico malo natum, Beneventani, Dauferio auctore, *in ipsis foribus Sacri Palatii* promerita cæde extinctum, a cervicibus suis sustulerunt. Nullam, veluti Tyranni, servari memoriam placuit; nullum enim Sicardi, uti Siconis, aliorumque Decessorum, ac Succes-

(1) Vid. eund. Jannonium lib. I. cap. IV. §. I. & II.

(2) Anonymus Salernit. cap. 38.

(3) Idem cap. 47.

(4) Idem d. cap. 47. *Ipse supradictus Sico Princeps omnibus hominibus benignissimus, ac mansuetus nimirum se commendabat, atque plurima comitati condonabat.*

(5) De Siconis morte ita laudatus Anonymus cap. LII. *Tenuit Principatum annis* XII. *menses* III. *Fuit autem corpore validus, audacia primus, statura procerus, non minus consilio, quam viribus decoratus.* Paria, ac si mavis, non sine assentatione augustiora concinit Epitaphii auctor, hæc de animi, corporisque dotibus Siconi tribuens.

*Pulchra illi facies, oculique per ora nitentes,*
*Candida Cæsaries, candida colla tegens.*
*Celsus ab excelsa Bardorum gente statura*
*Corporis, ut cunctis altior ille foret.*
*Anteibat cunctos animo, formaque nitenti,*
*Virtutisque novæ robore, & arte fluens.*
*Pacificus, mitis, prudens, sanctusque, suavis,*
*Largus, & in cunctis pauperibusque pius.*

Obiit Sico juxta Chronicon Cavense an. 833. sed alii anno antecedenti defunctum statuunt.

(6) Cap. XII. Animadvertenda tum *Monarchiæ*, tum *Imperandi* vocabula, quæ heic usurpat Erchempertus; non ipse quidem suæ gentis ambitioni blanditus, sed jure, meritoque Beneventanis Principibus ea tribuens, quæ sibi illi satis legitimè vindicarant: Sic *regnandi* verbum de ipsis alii passim Chronographi usurpant.

(7) Idem Erchempertus cap. XIII. Eadem narrant Ostiensis lib. I. cap. 21. & Chronographus Cavensis ad ann. 834.

Successoris Radelchis, Epitaphium occurrit: nec nisi *Tyrannum* Sicardum in Tabulis Ecclesiasticis legere est(1). Justissimum Beneventanorum in ejus familiam odium ex eo quoque manifestum fit, quod, superstite Siconolfo fratre posthabito, Radelchim sibi Principem delegerint: quæ tamen deterioris mali origo fuit, dum Siconolfus improborum factione, atque ope ad invadendum Principatum excitatus, tunc demum à cruentissimo, diuturnoque bello destitit, quum iniquissimo fœdere Beneventani Principatus partem, proprio deinceps jure administrandam, sibi vindicasset. Sed de his in sequenti Capite, ubi nummus Principis Radelchis illustrari debet, opportunior differendi erit locus.

Age nunc de Siconis, ac Sicardi Nummis, quos superiùs spectandos dedimus, videamus. Siconis aureus non suâ tantum materiâ, sed Archangeli quoque Michaelis a parte antica, ejudem Siconis a postica, imaginibus expressis præstantior reliquis censendus est. A digniore ordiar. In Archangeli effigie duo nunc sunt ad exactissimam nummi fidem expressa, quorum alterum falsò repræsentatum, deesse alterum videntur in ejusdem Nummi ectypo, quem Muratorius protulit, ipseque ex Muratorio in Præfatione Tomi I. retuli. Vides nunc, quæ antea deerant, adesse Archangelo *Alas*, quæ ab humeris exurgentes ex utroque effigiei latere leviter expansæ descendunt. Quis (nisi sola Epigraphes docuisset) eandem sine Alis imaginem pro Archangelo accepisset, simulque alarum defectum temporum ruditati adscripsisset? Sed rudis quamquam imago ipsa, insignior nunc ex præcipuâ ejusdem Archangeli notâ evasisse videtur. Jam ante Siconem Nummus aureus in S. Michaelis honorem a Longobardorum Rege Liutprando percussus habebatur; propagato tunc (uti alibi dixi) a Longobardis Cistiberinis ad Transtiberinos, veteri ex Garganicæ Basilicæ occasione Archangeli cultu: Eum nummum videre est apud Blancum in not. ad Paul. Diac. *lib.* IV. *cap.* 23. simul cum Agilulphi corona repræsentatum; edidit quoque Muratorius *Antiq. Med. ævi Dissertat.* XXVII. *T.* II. *pag.* 588. Archangeli effigies in eo Liutprandi nummo obliquè se habet, ac dexterâ Crucem, humeris appositam Alam satis amplam ostendit. Non igitur Siconi ex sua gente, Michaelis in nummis effingendi exempla deerant: sed, ut Michael Alis insigniri deberet, obvium æquè, ac satis congruum videbatur.

Alas Diis ferè omnibus veterum mythologia tribuebat, quas vel eorum Capiti ad designandam Naturæ Divinæ obscuritatem, vel Humeris ad providentiæ, protectionisque erga homines argumentum, vel pedibus ad divinæ mentis, motusque velocitatem indicandam effingebant(2): ejusmodi autem Symbolum, ut alia quam plura, ex Sacris Libris hausisse Ethnici videntur: nam & ipse primùm verus Deus ejusdem Symboli cœlestibus Spiritibus adhibendi auctor comprobatur, vel quum Moysi mandavit, duobus illis Cherubim Arcæ lateribus utrinque assidentibus Alas addendas, quibus expansis illam contegerent(3); vel quum sacris vatibus, Isaiæ, Ezechieli, ac demum Johanni adstantes suo Throno Seraphim conspiciendos dedit, non binis tantum, sed senis Alis instructos (4): ac ne supervacua, otiosaque ejusmodi alarum multitudo putaretur, ex ostenso illarum diverso usu, motuque satis præclarè incomprehensibilis Dei majestas, ardentissimus eorum Spirituum in eundem Deum Amor, paratissimum denique eorumdem divinis mandatis implendis obsequium, significata habentur: Hinc, *qui facit Angelos suos Spiritus, & Ministros suos flammam ignis*, tales habet, *qui potentes virtute faciunt verbum ejus, ad audiendam vocem sermonum ejus*(5). Quàm meritò igitur Michaeli Nummus attribuit, nosque olim prætermissas restituimus Alas, quibus is *inter administratorios Spiritus, in ministerium missos propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*, Principatum tenens, majorem quoque tutelæ suæ vim, ac celeritatem demonstrat.

Id vero in eodem Nummo alias edito falsum occurrit, quod Archangelus dexterâ quan-



(1) Martyrologium Romanum ad diem x. Octobris. *Apud Casinum Sanctus Deusdedit Abbas, qui a Sicardo Tyranno in carcerem trusus, illic fame, & ærumnis confectus reddidit spiritum.* De Sicardo plura dixi in not. ad Dissert. II. cap. VI., ubi de Translatione Corporis S. Bartholomæi Apostoli agens, ex eo ingenti beneficio, quod Sicardo Beneventana Civitas acceptum refert, pleraque in scelestissimi Principis excusationem adducta tunc volui, quæ tamen sic intelligenda nunc volo, ut incolumis veritas, ac nullis, vel levibus injuriis affecta habeatur. Non illud tamen ex Chronographo Vulturnensi sileam, cujus vix locum alias indicav.: Etenim Chronici lib. III. hæc habet. *Beneventi Sicone defuncto, Sicardus ejus filius succedit. Hic multa dona Monasteriis Servorum Dei contulit, sed præcipuè Beatissimi Vincentii.* Script. Ital. tom. I. part. II. pag. 402.

(2) Amorem, seu Cupidinem *aligerum* vocat Virgilius Æn. I. 667. & *Alatas* Mercurii plantas dixit Æn. IV. 259., quarum symbolum explicat Macrobius *Saturn.* I. 19. Vid. Cl. Huetium *Demonstr. Evang. Prop.* IV. *cap.* IV. *num.* 8. & *cap.* VIII. *num.* 3.

(3) Exodi XXV. v. 10.

(4) Isajæ VI. v. 2. Ezech. I. Apocal. IV. v. 8.

(5) Ad Hebr. I. Psalm. 102. 21.

dam veluti securim gestare effingatur. Non enim, ( uti in Liutprandi nummo ) Crux Michaeli dexteræ in nostro Nummo iterùm apponi debuit, qui jam Crucem ipsam sinistrâ satis conspicuam gestat: Hasta itaque illa est, cujus vertex ab uno tantum latere ferrum effert, in *Securis* speciem prominentem. Nihil magis insolens, ac revera falsum: Vetustæ Archangeli Imagines nonnisi gladium dexterâ elato brachio in subjectum Draconem vibrantem ostendunt; utque à veterum nummorum exemplis non discedamus, extant Ludovici XI. Francorum Regis aurei, & argentei varii ponderis nummi, in quibus effictus S. Michael, gladium dexterâ, levâ scutum cum tribus liliis tenens, pedibus Serpentem proterens repræsentatur (1). Hos inter monetas perperam annumerari observat D. Le Blanc pag. 249., qui ob institutum a Ludovico Ordinem S. Michaelis cusos contendit, non ut in publico usu essent (2); sed quis tutè id affirmare ausit, postquam eorundem nummorum varium habetur pondus, non una materia, diversa denique a parte postica aliarum rerum effigies? Nihil vero vetat, ut ipsi Nummi ad instituti Ordinis servandam memoriam, honoremque augendum percussi, in publicum quoque usum adhiberentur: nam & mos ille passim obtinuit, publicis monetis Sacras imagines, ac præsertim Sanctorum, qui gentem in tutela haberent, vel beneficiis affecissent, vel effigies, vel nomina insculpi: Id certè ex nostrorum Principum nummis manifestum fit. An igitur gladius censendus ille fuerit, quo S. Michaelis dextera in nostro Nummo armata conspicitur? Sed ne id quidem dicere sinit ea armaturæ forma, quæ nullum superiore parte Capulum, sed omnino in alteram Cuspidem inferiori omninò similem, media è dextera exurgit: Dum igitur brevissima hasta, seù ferrum illud utrinque, infernè scilicet, supernèque cuspidatum apparet, quid si *Fulmen* repræsentatum dicemus? nihil certè ad eam armaturæ formam interpretandam verisimiliùs, nihil etiam Archangelo congruentius.

Fulmina in Heroum insignia transisse, profanis veterum monumentis docemur; Alexandri imaginem, quam depinxit, fulmen dexterâ jaculantem voluit Apelles, quo ejus bellorum, victoriarumque rapiditatem, felicitatemque, atque ex his nominis immortalitatem demonstraret (3). Hoc quoque assentationis genus Romanorum pervasit animos in Augusti honorem effusissimos. De eo sic Virgilius (4).

*.......... Cæsar dum magnus ad altum*
*Fulminat Euphratem bello, victorque volentes*
*Per populos dat jura, viamque adfectat Olympo.*

neque id verbum ad bellicam Augusti magnificandam virtutem, qua longinquos quosque fortissimosque populos pervaderet, ac sibi prosterneret, metaphoricè usurpavit Poeta; nam & in illius honorem percussos nummos invenio, in queis verum fulmen eidem tribuitur. Extat apud me æreus medii moduli Augusti nummus, in cujus antica parte ipsius imago cum diademate radiato expressa est, cum hac Epigraphe: DIVUS AUGUSTUS PATER; in postica vero Fulmen cum sigliis hinc inde S.C. (5). Mortuum quidem jam Augustum demonstrant, tum *Divi* appellatio, tum *radiatum* Diadema; at nihil minus assentationis fuit erga mortuum, quàm viventem. Id nobis proderit, Fulminis formam, uti effingi soleret, ex eodem nummo certò nosse. Medium jaculum supra infraque æquè acutissimum alas ex suis lateribus emittit, atque utrinque simul ascendentes, descendentesque duos subtiliores serpentes radios, quibus omnibus suam vim, rapiditatem, seque trisulcum ostendit. Non omnia hæc, scilicet alas, radiosque in eo fulmine intueri licet, quod in nostro Nummo Michaelis dextera perstringit: sed dandum id temporum barbariei, quæ in tota Michaelis imagine sese manifestat: quamquam & sine iis

(1) Apud Hautinum pag. 173., & Cangium in Gloss. tom. III. pag. 924.

(2) De eo Militari Ordine, ejusque insignibus, atque honoribus passim Galli Scriptores agunt, meminitque Bart. Chassanæus *in Catal Glor. Mund. part.* I. *pag.* 38., *& part.* IX. *pag.* 331. *edit. Genevæ* 1682.

(3) Pier. Valer. de Fulm. signif. Thes. Antiq. Rom. Grævii tom. V. pag. 690.

(4) Georg. IV. v. 560. Sic idem Vates .... *geminos duo fulmina belli Scipiadas*, vocavit Æn. VI. v. 843.

(5) Alterum pene similem exhibet Ez. Spanhemius *de Præst. Numism. pag.* 395. *edit. Elzivir.* cum eodem scilicet fulmine; sed ex aversa parte inscriptum est. AUGUSTA EMERITA, qua in Urbe cusus in Augusti honorem nummus demonstratur. Cæterum satis celebris illa est Romanorum Militum Legio, *Fulminatricis* vocabulo decorata, cujus insigne fuisse Fulmen in Clypeis figuratum disertè tradit Val. Flaccus VI. 53.

*Cuncta Phalanx, insigne Jovis, cælataque gestat*
*Tegmina, dispersos trifidis ardoribus ignes.*
*Nec primus radios, miles Romane, corusci*
*Fulminis, & rutilas scutis diffuderis alas.*

iis alarum, radiorumque additamentis Fulmina occurrunt in aliis veterum nummis (1), ut jam nullum nobis dubium supereſſe debeat, quin ea Archangeli imago nonniſi habitu jaculantis Fulmen accipienda ſit: ac jure quidem Fulmen in dextera, Crux vero in læva geſtanda Michaeli tribuitur, de quo canit Eccleſia.

*Explicat victor Crucem*
*Michael ſalutis ſignifer.*
*Draconis hic dirum Caput*
*In ima pellit tartara,*
*Ducemque cum rebellibus*
*Cœleſti ab Arce fulminat.*

At ne plura heic de Sanctiſſimo Archangelo addenda ſunt (de cujus tamen promeritis, laudibuſque nihil ſatis): quandoquidem in Diſſertatione II. cap. IV. rem ipſam pro viribus præſtiti, ejus in Longobardicam Gentem Tutelam, hujuſque in Michaelem ſtudia uberrimè proſequutus. Id nunc a Principe Sicone additum, ut rem utramque, cuſis cum Archangeli effigie nummis, celebriorem efficeret; præberetque ſequutis Principibus exemplum, quo & ipſi in ſuis deinceps nummis ejuſdem Archangeli nomen inſculptum vellent: uti in Sicardi nummo aureo, quem ſuperiùs edidimus, manifeſtum ſit, atque in Principis Radelchis argenteo nummo, quem ſequenti Capite illuſtrabimus, ſpectare erit.

Altera nunc ejuſdem aurei nummi facies obſervanda erit, ubi Siconis effigies præſto nobis eſt cum hac Epigraphe SICO PRINCES. In ſequioris ævi nummis, quando in univerſas artes, præcipuèque in nummarias officinas fœdiſſimam ruditatem Barbaries invexit, Principum vultus ad vivum expreſſos, ſeù viventis imaginem quærere fruſtra eſt, demonſtrare ſtultiſſimum. Id ſolum ſpondere certum nobis licebit, ut ex iis nummis, quæ præcipua tum fuerint ipſorum Principum Inſignia, diſcamus. Haud inferiora certè Siconi nummus attribuit, quàm quæ Regibus, Auguſtiſque; Globum nempe Crucigerum, ac Coronam gemmatam De Globi uſu ambitioſior certè cenſendus Sico eſt, quamquam præiverit Princeps Grimoaldus in ipſo illo Nummo, quo *Dominum Carolum Regem* inſcribere juſſus fuit. Ab ipſo Jove, cujus dexteræ binos globoſos Orbes Martianus Capella (2), ternos ejuſdem Statua Conſtantinopoli poſita geſtatos refert (3), mutuatus videtur Auguſtus, qui (uti ait Iſidorus (4)), *pilam in Signo conſtituiſſe fertur propter nationes ſibi in cuncto Orbe ſubjectas, ut magis figuram Orbis oſtenderet.* Ab Auguſto in Imperii ſucceſſores promanavit hoc inſigne, adjectâ aliquando Epigraphe, quæ globi rationem, ſignificationemque explicaret: RECTOR ORBIS, aut DOMINUS MUNDI (5); Quod & Occidentales Imperatores ſibi quoque uſurpandum duxerunt, ſaltem à Caroli Calvi ævo, cujus effigies dexterâ ſceptrum, ſiniſtrâ globum ſuſtinere conſpicitur (6): mox ſingulis quibuſque Regibus commune id fuiſſe variarum gentium Scriptores teſtantur (7); non quod eâdem, qua Auguſti, arrogantiâ Orbis dominium affectare viderentur, ſed potius, ne Imperatoribus ſeſe inferiores, aut ſubjectos oſtenderent, quibus cum paria inſignia præſeferre geſtirent. Eodem certè conſilio Globum cum Regiis aliis Inſignibus Principes Beneventani ſibi vindicarunt, quo liberi omnino, nulliſque potentioribus Dynaſtis ſubjecti, genti ſibi ſubditæ ſupremo imperii jure dominari comprobarentur. Ejuſmodi vero Globum nonniſi in Nummis adhibitum crediderim, in queis Byzantinam monetam adamuſſim æmulari Principibus noſtris ſolemne fuit; ſecus vero de Corona judicandum eſt, quæ non modo in nummis expreſſa erat ab ipſo primo Arichi Principe cœpto more, ſervatoque deinceps jure, ſed re quidem vera ad potiſſimum Majeſtatis argumentum eorom Capite geſtabatur.

Ac de Sicone quidem, de quo nunc agitur, bina in promtu ſunt ſatis præclara, cer-



(1) Hos nummos videre eſt apud Ant. Auguſtinum *Dial.* v. *pag.* 141. *& ſeq. edit. Rom.* 1736.

(2) Lib. I.

(3) De qua ſtatuta Codinus *in Orig. Conſt. & Suidas v.* Ζεύς.

(4) Orig. lib. 18. cap. 3.

(5) Paſſim tum in nummis, tum in Inſcriptionibus is titulus occurrit. Vid. Gruter. pag. 1086 num. 7. Ammianum lib. XV. & XXIX.; Baſilius Seleuciæ Epiſcopus Serm. II. obſervat Imperatorum Imagines aſpicientibus admirationem afferre. *Clamydem marino flore collucentem, Diadema lapillorum lumine coruſcans, Manum denique, quæ Orbem terrarum in modum ſphæræ formatum digitis geſtare creditur.*

(6) Apud Mabillionium Muſ. Ital. tom. I. pag. 224. Vide, quæ is de ead. effigie obſervat pag. 68. & 69., præſertim de Monogrammate eidem Globo inſcripto.

(7) Eos omnes recenſet Cangius in Diſſert. *De infer. Ævi Numiſmat.* num. XIX., ubi plura de eadem re ſatis eruditè obſervavit.

tæque fidei monumenta, quæ & sumptuofiffimam Coronæ magnificentiam, & piiffimam Coronati munificientiam maximoperè commendabunt. Ac primùm, poft tranflatum in Beneventanam Urbem S. Januarii Corpus, exædificatamque eidem recondendo elegantiffimam Ædem, *etiam excellentiffimus Princeps Sico Coronam auro optimo, excellentemque gemmis pretiofiffimis de capite fuis manibus depofuit, & fuper Altarium B. Jannarii locavit, quod ipfe fimul cum Præfule auro optimo, gemmis pulcherrimis, figuris variis undique per totum fieri mandavit* (1). Alteram quoque *Coronam auream fmaragdinis gemmis mirificè decoratam pro folidis tribus millibus aureis æftimatam*, ab odem Principe Sicone Ecclefiæ Cafinenfi oblatam, fidiffimus ejus rei teftis memorat Oftienfis (2): Ut jam videas, quantum fplendoris Principes Beneventani in ea re collocarint, qui plures etiam, variafque Coronas fuo ufui fervabant, ingenfque pretium in illarum opus profundebant. Quæ vero ejus Coronæ forma fuerit, tum ejufdem Siconis, tum aliorum Principum Nummi ipfi oftendunt: Non in Diadematis fpeciem illa erat, qualem a Regibus Longobardis geftatam etiamnum oftendunt ternæ ille coronæ in Modoetienfis Ecclefiæ Gazophylacio fervatæ, Agilulphi fcilicet, ac Theodolindæ, quarum Ectypa exhibet Cl. Blancus (3): Sed quæ in Calyptræ, feù Caffidis fpeciem exurgens, ac Crucem vertici infixam habens integrum caput operiebat; qualem à Conftantino primùm adinventam, à Succefforibus receptam, in varias dein abiiffe formas, Nummi, Scriptorefque docent (4): Codinus vice omnium fit. *Scire oportet illud, quod nunc vocatur Stemma, olim appellatum effe Diadema. Id autem erat lata vitta ex unionibus, & margaritis, pofita quidem in Imperatoris fronte, fed circa cerebrum* (feù occiput) *retrò ligata, unde & Diadematis, quafi dicas ligamenti, nomen obtinuit, quod paulatim mutatum evafit tale, quale hodie vifitur, & nominatur Stemma*: & mox: *Imperator in capite diverfa habet geftamina, interdum, id quod vocatur τροπαιυχίαν* Tropeuchia, *aliquando Ιυςινιανειον* Juftinianeum, *aliquando adhuc ὑπέρτερον excellentius, quorum figuras particulatim declarare non eft hujus loci. Ex his igitur geftaminibus geftat Imperator, quodcunque voluerit* (5). Maluerunt igitur Principes noftri, Aulæ potius Conftantinopolitanæ tum florentis, quàm, cui fucceffiffe videbantur, Ticinenfis, eo Capitis geftamine, feù tegumento majeftatem referre. At de aureo Siconis nummo jam fatis.

Sequitur Argenteus deauratus, qui a Cl. Muratorio ex Mufeo Alexandri Bertacchinii editus, fimillimam, ut in fuperiore aureo, Siconis effigiem exhibet cum eadem Epigraphe SICO PRINCE; alterâ vero facie Crucem cum duplici tranftro præfert, & huic inverfam S., inde C., quas Muratorius interpretatur *Salus Chriftianorum*; in limbo vero S. MICHAEL ARHANCELU.

Præftantior eft alius argenteus Nummus, apud me extans, ac Muratorio ignotus, quem in fronte hujus Capitis exprimendum curavi. Crux itaque in antica illius facie tribus lineis infiftens infculpta eft. Quid fint lineæ illæ Cruci gradatim fubftratæ, unus, quem fciam, obfervavit Antonius Auguftinus, qui utique fcalas, feù gradus repræfentatos exiftimat, antiquamque exinde adverfus recentiores Hæreticos Crucis adorationem probari affirmat (6). Illud eandem in rem obfervaffe præftabit, non ab ipfis Iconomachis Auguftis denegatam Crucis adorationem, quam in fuis nummis adhuc infculpi finebant (7). Illud verò huic

(1) Ex autographis Actis ejufdem Translationis in noftra Bibliotheca fervatis, quorum exemplar nuper a Bollandianis, feù Cl. P. Stiltingo editum eft in Commentario ad acta S. Januarii.

(2) In Chronico Cafin lib. I. cap. XXV.

(3) In not. ad Paul. Diacon. lib. IV. cap. 23. pag. 460. Script. Ital. tom. I. part. I.

(4) Hujus moris, quo pofteriores Augufti Diademata fua Crucis Signo decorarint, auctorem Juftinum ex nummis colligi obfervat Cangius d. Differt. n. XVII. At longe ante id obtinuiffe affirmat S. Hieronymus ad Lætam ita fcribens: *Regum purpuras, & ardentes Diadematum gemmas, patibuli Salvatoris pictura condecorat*. Unde morem ab ipfo effe Conftantino conjicit Lipfius de Cruce lib. III. cap. 16.

(5) Codinus Curopal. *de Offic. Aulæ & Eccl. Conftant.* cap. VI. num. 33. 36. & feq. inter Script. Hiftor. Byzant. tom. XVIII. pag. 70. Venet. 1729. Ut veterem Diadematis notionem affequeremur, nummos exhibet Jac. Gretferus de Cruce lib. I. fed & ipfe videndus Gretferus in additionibus ad eund. Codinum l. l. p. 342. ubi de eo Diademate, quod *Juftinianeum* vocabatur, Alemanno non affentitur, qui in *Comment. ad Anecdota Procopii* illud ex Mufivo Ravennate demonftraffe putavit: non enim negat Juftinianum *tali capitis tegumento ufum, fed hoc effe ipfum* Juftinianeum *ex tabula illa probari poffe* Gretferus inficiatur.

(6) Dialog. VIII. edit. Rom. 1636. pag. 230.

(7) In locum everfæ celeberrimæ Imaginis Salvatoris Crucem Leo Ifauricus fubftituit. Præterea Michael, & Theophilus Imperatores in Epiftola ad Ludovicum Imperatorem relata à Baronio an. 824. de Chriftianis imagines colentibus hæc habent: *Primum quidem vivificas, & honorificas* Cruces *de Sacris Templis expellebant, ac in eadem loca imagines ftatuebant &c.* ubi etfi falfum fit ejufce ævi Chriftianos *Cruces* ab Ædibus Sacris

huic Nummo est prorsus insigne, quod in ejus postica parte Monogramma suum conspiciendum SICO nobis præbeat: atque hæ quidem quatuor ejus nominis literæ quadratæ Crucis angulos claudunt, dum S. & I. transversæ hastæ, C. & O. rectæ angulis affixæ sunt, atque supra ipsam C. altera Crucicula adjecta est, quæ inter circumscriptam Epigraphem locum obtinet. Epigraphes autem hæc tantum est. PRINCES BENEVENT. nullius addito nomine, quod in ipso Monogrammate Nummi areæ insculpto satis expressum haberetur.

Superest Sicardi Nummus, Principis magis infamiâ, quàm auro, repræsentatisque rebus insignis. Ipsa eadem Sicardus, quæ in Siconis patris Nummis conspeximus, regia gestat insignia, Crucigeram *Coronam*, Crucigerum *Globum*. In altera facie Crux simili prorsus, quemadmodum in Siconis, ac in Græcorum passim Nummis, formâ, tribus insistit gradibus cum litteris hinc inde S.I., quæ fortassis significant *Salus Imperii*. In circuitu VICTORIA PRINCIPU. infra CONOB. Ex quibus vides, nihil Sicardo prætermissum, quo Imperialis Græcorum Aulæ morem in suis Nummis adamussim exprimeret. At magis Principatus Beneventani majestati ipse consuluisset, si mores suos Principe dignos in Reip. administrationem attulisset. Ruentem in scelestissima quæque Principem cædes sustulit, quâ tamen & ipse ruere Principatus cœpit, in duas exinde partes, successionesque dissectus; uti sequenti Capite dicendum erit.

## CAPUT V.

*Principis Radelchis argenteus Nummus nunc primum editus. Is Principis Sicardi olim Thesaurarius, postea, Beneventanorum electione, Successor. Diuturna, atque exitialia inter ipsum, ac Siconolfum Sicardi fratrem Bella, ac denique Principatus Divisio. Quæ in ea Divisione Imp. Ludovici II. partes. Quid in Radelchis Nummo insculpta symbola denotent. Reliquæ ejusdem Nummi partes explicantur.*

MOEstissimis Erchemperti verbis hoc Caput exordiar, quibus is *Historiolam Longobardorum Beneventi degentium condere* aggressus, nihil de iis sua ætate dignum, ac laudabile reperiri conqueritur; *idcirco* (inquit) *non Regnum eorum, sed excidium, non felicitatem, sed miseriam, non triumphum, sed perniciem, non quemadmodum profecerunt, sed qualiter defecerunt, non quomodo alios superaverint, sed quomodo superati ab aliis, ac devicti fuerint, ex intimo corde ducens suspiria ad posteritatis exemplum succincto licet, & inerti prosequar calamo*. Postrema malorum summa, Principatus divisio fuit, quem antea diuturno civili bello labefactatum, Saracenorumque in utriusque partis auxilium, seù veriùs perniciem decertantium, rapinis, cædibusque vastatum, exangue veluti Corpus, Radelchis, ac Siconolfus bipartiti inter se fuerunt.

Sicardo extincto, Beneventani de Siconolfo fratre, quem ille Tarenti adhuc carcere inclusum reliquerat, nullimode cogitarunt, publico quidem in familiam præconcepto odio, maximè verò, nec temerè veriti, ne eum fraterni Principatus, morumque successorem sortirentur. Bono itaque publico prospecturi, solemnibus celebratis comitiis, Radelchim, seù Radelgisum Beneventi Principem renuntiarunt, in cujus electione (uti laudatus Erchempertus tradit) *omnis Beneventi Provincia consensit, quod vir esset blandis, ac bonis moribus pollens, qui primatum promeruit* (1). Radelchim decessoris Principis Sicardi *Thesaurarium* fuisse disertè idem memorat Erchempertus, consentitque Ostiensis (2). Immo & Sicardus ipse testis est, qui *Attoni Gastaldi nostri filio* (corruptè *Actioni Gasindio nostro filio*) *terram vacuam in Fulcre* (lege *Furcula*) concessisse ait *per rogum Radelchis Thesaurarii nostri*, uti legitur in Diplomate in Chronico S. Sophiæ part. III. num. 14. pag. 461. al. 631. Sed & Sicardi *Gamalum* fuisse addit Chronographus Cavensis (3). Unus Ignotus Casinensis pro Thesaurario *Secretarium Palatii* Radelchim appellat (4). De Thesaurarii munere satis diximus cap. III., ubi

cris abjecisse, inde saltem colligitur, Iconomachos, abdicato cæterarum Imaginum cultu, Crucem coluisse: Vid. Gretserum in Horto S. Crucis p. 1., Cangium in Constantin. Christ. l. II. De Imagine Chalces. & d. Differt. n. 23.

(1) Cap. XIV.
(2) Chron. Cas. lib. I. cap. XXIV.
(3) Ad ann. 839. Inter Opp. Peregr. tom. IV. p. 393.
(4) Cap. VIII. Inter Opp. Peregr. tom. I. pag. 201.

ubi posterioris Grimoaldi Principis Nummum illustravimus. An qui Ignoto Casinensi *Secretarius Palatii*, idem videri debeat; qui aliis *Thesaurarius* dictus est, meritò dubitabimus: Uti de Thesaurario observavimus, ita de Secretario, ab Aula Byzantina, unde Principes nostri Palatina officia mutuabantur, petenda muneris explicatio. Codinus itaque *Primi Secretarii munus ex ipso vocabulo innotescere*, inquit, *nam primus est in Senatu* (1). Itaque, nisi *Ignotus* falsè, vel mendosè se habeat, quum de munerum diversitate aliunde constet, poterit Radelchis utroque tum Thesaurarii, tum Secretarii Palatii simul munere in Sicardi Aula perfunctus existimari. Dum vero & ipsum Radelchim Sicardi *Gamalum* fuisse, Chronographus Cavensis præclarè testatur, jam nunc ejus vocabuli explicanda significatio est. Inter Leges Regis Rotharis illa extat num. CCCLXVII., qua cavetur, ut *si aliquis de Sacramentalibus mortuus fuerit, potestatem habeat ille, qui pulsat, in locum mortui similem alium nominare de proximis legitimis, aut de naturalibus, aut de Gamalibus, idest Consabulatis* (2): non alios igitur *Gamalos*, sive *Gamales* Viri docti in dicta Lege agnoscunt, quàm filios ex justis Nuptiis natos, præcedente *pacto maritali*, quod *Fabulæ* vocabulo significatum affirmant (3). An igitur Sicardi filius, & quidem legitimus Radelchis? Nihil falsius affirmare, vel etiam conjectare poterimus. Conjugem Rofriti *cognatam* Sicardum non multo ante ejus necem duxisse, narrat Anonymus Salernitanus (4): Mulieris nomen ex ipsomet scimus Sicardo, qui res quasdam *per rogum Adelchisæ dilectæ conjugis nostræ Attulo aurifici nostro concessisse*, ait in altero Diplomate, quod paullò ante memorato adjectum est: ex qua tamen Conjuge nullum susceptum filium reperire erit; susceptus vero si unquam fuisset, nonnisi puerulus Sicardo Patri paullopost interempto superstes, nullimodè ipse idem Radelchis dici potest, provectæ ætatis vir, & Sicardi olim Thesaurarius, ejusque successor a Beneventanis electus. Satius igitur fuerit, latiori significatione Radelchim Sicardi *Gamalum* appellatum credere, quod consanguinitate, vel affinitate conjunctus eidem fuerit: equidem tres Sicardi Sorores, à Sicone Patre cum Beneventanorum nobilissimis matrimonio junctas superiùs observavimus.

Restituta Reip. felicitas, Radelchi jam Principe, videbatur, dum pacata omnia duobus annis, mensibusque sex perstiterunt. At non tam Siconolfi ambitione, quam improborum hominum conjuratione, nova undique malorum omnium colluvies Principatum invasit; Vindex criminum Radelchis Dauferium, aliosque plures in exilium egerat: Landulfus Capuæ Gastaldus multis crudelitatis, aliorumque flagitiorum exemplis famosus non solum poenas effugere, sed perpetuam impotentiæ suæ libertatem sibi statuere cogitavit. Salernum itaque coeunt, Urbem ab Arichi olim munitionibus, regioque Palatio ad Beneventanorum Principum secessus illustratam, ibique Siconolfum Principem proclamarunt (5). Sico-

(1) Georg. Codinus Curopalata de *Officiis Constantinopolit.* cap. VI. num. XXXIV. inter Scriptores Hist. Byzant. tom. XVIII. pag. 57. ad quem Codini locum hæc ad rem nostram observat Gretserus pag. 173. Πρωτοασηκρῆτις *nomen ex Latio in Græciam translatum; dignitatis Palatinæ index, & quidem multo majoris, quam habet is, quem nos* primum Secretarium, *seù* primum a Secretis *nominamus. Est enim iste primus in Secreto, seù Senatu ...... Illud observatione dignum est, latinos Græcorum imitatione scripsisse, & usurpasse vocabulum* Asecreta, *ut videre est lib. IV. cap. 19. ejus Operis, quod Carolo M. perperam attribuitur, ubi est Leontius* Asecreta. *Apud Hincmarum Epist. 3. cap. 16. habes* Asecretis, *quod olim summi Cancellarii nomen fuisse ait*; Hactenus Gretserus. Ejusmodi Palatii, sive Curiæ, aut Aulæ munus vix novit Cangius, de *Ecclesiæ* Secretariis egisse contentus: Habes tamen ex ipso *Secretum*, vel *Secretarium* locum appellatum, in quo Judices jus dicturi, vel alii de rebus seriis deliberaturi consident; sic apud Ammianum lib. XV. *Judiciale Secretum*, & in Const. 2. Append. ad Cod. Theodos. *Sit ejusmodi personis illicitum tenore hujus legis Sacra nostra adire secreta, & impetrare rescripta.* Brissonius in *De Verb. Signif.* lib. XVII. *Secretarium*, inquit, *locus est, in quo Judices causas examinant; est enim* Secretarium Judicum, *ut* Consistorium *Principis*: L. ult. Cod. *Ubi Senator &c.* Hoc verbo auctor Passionis B. Cypriani statim utitur: Unde dictum sit, vide Cassiodorum Ep. 1. lib. II.

(2) In Cod. Leg. Longobardorum apud Murator. Script. Ital. tom. I part. II. pag. 46.

(3) Vide Cangium d. v. *Gamales*, ubi & ejus vocis Etymologiam ex Germanica Lingua deducit.

(4) Cap. LVI.

(5) Utrisque, ideft Dauferio cum aliis Beneventanis, ac Landulfo Capuano rebellionem tribuit Erchempertus cap. XIV. & seq. Capuanos præcipuè auctores voluit Ostiensis in Chron. Casin. cap. 24. *Interea* (inquit) *Capuani, quibus tunc Landulphus Gastaldeus præerat, propter multas nequitias suas prædictum Radelchim valdè infensum habebant: qua de causa illum nimium formidantes, ineuntes consilium ad Siconolfum filium supradicti Principis Siconis, qui tum apud Tarentum exul morabatur, se conferunt, eumque sibi in Principem eligunt. Qui Siconolfus, tam cum eisdem Capuanis, quam cum maxima Beneventanorum manu, qui prædictum Radelchim exosum habebant, Salernum ingressus contra eundem Radelchis modis omnibus insurrexit; coeperuntque ad invicem totis nisibus litigare &c.* Eadem narrat Ignotus Casinensis num. VIII.

Siconolfum Sicardus frater affectati Principatus nomine vinculis mancipavit; mox, ut justam quoque successionis spem præcideret, invitum Clericorum ordini adscriptum voluit; postremo Tarentum relegatum arctissimo carceri custodiendum curavit (1). De Siconolfi Clericatu, aliis silentibus, testem habemus Anonymum Salernitanum, qui *ad Diaconatus honorem eum per vim sublimatum, etiam Evangelium in Ecclesia legisse* narrat (2). De Salernitani fide dubitandum vetat Anastasius, sive quicumque is sit vetustus sanè auctor Brevis Chronici Casinensis, qui Siconolfum *Diaconum* fratrem Sicardi Principis semel, atque iterum appellat (3): & sanè, ut a Principatu arceretur, Diaconus is erat constituendus; an verò ritè, validèque, nos omnino negabimus; de more autem id fuit illorum rudium, simulque improborum temporum, quando Principes sibi majestatis suspectos, æmulosque, *attonsos*, vel invitos in Ecclesiis, Monasteriisque perpetuis Clericorum, Monachorumque institutis mancipatos volebant (4). Non deerat Sicardo ex Gente sua, ideft Regis Liutprandi exemplum, qui (teste Paulo Diacono lib. VI. cap. 57.) *Spoletum perveniens Trasemundum Ducatu expulit, eumque Clericum fecit*. Plura etiam exempla ejus rei ex Aula Constantinopolitana per idem ævum prodierunt, improba quidem, sed quæ improbus Princeps inter alia plura æquè sectatus est (5). At Siconolfo magis Principem, quàm Diaconum agere libuit: moxque Capuanorum, Beneventanorumque factione excitatus, suisque è latebris prodiens teterrimam facem universo Principatui intulit.

Ad malorum cumulum Saraceni accessere. Hi paullo ante id tempus ex Africa in Siciliam pervaserunt: mox ex Radelchis, ac Siconolfi dissidiis occasionem sibi fecerunt in Calabriæ oras invadendi; atque exinde Tarento captâ, per Apuliæ fines omnia cædibus, depopulationibusque complere cœperunt. Radelchis, qui duos teterrimos hostes domi habebat, Saracenos sibi fœderatos, auxiliariosque efficere maluit, deteriores scilicet Siconolfo hostes, quibus ad reparandas, confirmandasque adversus Siconolfum vires suas uteretur. At mox malesani consilii pœnituit; nam Saraceni eo fœdere audaciores, Barium dolo occupant; atque ita Radelchi adversus Siconolfum militarem operam præstant, ut utrumque sibi veluti hostem proponentes, in universum Principatum cædibus, rapinisque debacchati, hac una re illius partes sustinere viderentur, quod pecuniæ inopiâ laborantem ex Beneventanæ Ecclesiæ thesauris ad Militaria stipendia sibi persolvenda coegissent (6).

Haud inferiorem, seù meliorem Radelchi Siconolfus probare se voluit, illius exempla secta-

(1) Non a Sicardo fratre, sed a Successore Radelchi, Siconolfum exilio damnatum, ac carceri mancipatum ex Anonymo Sophiano certum asserit Pagius ad Baronium an. 840. num. 14.; Tu ne asserenti credas, quod nec Anonymus, nec reliqui omnes Radelchi, sed Sicardo tribuunt? Hæc certè scribens Pagius dormitabat.

(2) Cap. LXVII.

(3) Tom. II. part. I. Script. Ital. Murator. pag. 366.

(4) Hùc referendus videtur antiquus offerendorum in Ecclesiis, Monasteriisque *Puerorum* mos, atque ritus. Ex S. Basilii Regula mutuatus est S. Benedictus, qui in Regulæ suæ cap. 59. illud, quod Basilius liberum reliquerat pueris ex voto parentum oblatis, adulta ætate, quum velle, & nosse jam scirent, ratum manere sanxit, & revertendi ad sæculum facultatem ademit. Nonnullis displicuit hæc ex oblatione parentum imposita pueris necessitas, eaque de re S. Benedicti Regulam carpere ausi sunt, quos Rhabanus Libro singulari refutavit. Variam tamen ejusdem rei disciplinam antiquitus fuisse ostendit doctissimus Mabillonius, pluribus de hoc argumento effatus *Veter. Analect. pag.* 157. edit. Paris. 1723.

(5) Theodosius Adramysenus Anastasium Artemium Imperio exturbatum *Monachum* agere compulit. Mox Leo Isauricus eundem Anastasium cum filio suo in *Clericum* detonderi coegit. Celeberrimum S. Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani nomen est, tum ex iis, quæ eamdem adeptus dignitatem pertulit, tum ex anteactæ vitæ eventis; nam is Michaelis Curopalatæ Imperatoris filius, à Leone Armeno Castratus, atque in Monasterio inclusus, inde Patriarchatum obtinuit Anno 847. Annales Bertiniani ad Annum 849. *apud Muratori. Script. Ital. tom.* II. *pag.* 533. referunt Carolum filium Pippini comprehensum ob perfidiam in Regem Carolum Patruum suum, sententiam quidem Capitalem meruisse, sed *clementiæ respectu servatum; unde apud Urbem Carnutum Carolo Rege Conventum habente post Missarum solemnia ambonem Ecclesiæ conscendens innotuit omnibus voce propria, se ob servitutis divinæ amorem* Clericum nullo cogente *velle fieri: ibique ab Episcopis, qui præsentes aderant, benedictus, & ad* Clericum *tonsus est*. An revera volens id egerit, alii judicabunt. Sed & ipsum Pippinum Aquitaniæ Regem a dicto Carolo patruele captum, Episcoporum consilio *tonsum*, Monachum Suessione in Monasterio S. Medardi factum narrat Otto *Frisingensis Chron. lib.* I. *cap.* I. Sed audiendi iterum Annales Bertiniani ad Annum 854. *Pippinus Pippini filius, qui in Monasterio S. Medardi tonsus Monachi habitum susceperat, & juramentum permansionis fecerat, Aquitaniam ingreditur, parsque maxima Populi terræ ad eum convolat......* & paullo post: *Karlus Pippini frater jam Diaconus ordinatus a Corbejensi Monasterio recedit. Karlus Rex Karlomanum filium suum tonsura Ecclesiastica dedicat*. Vides improbum sequioris ætatis morem, quo tonsura tum Ecclesiastica, tum Monastica Regiarum familiarum personis, sive luendæ pœnæ, sive auferendæ successionis caussa, adhibito etiam Episcoporum consilio, factoque, invitis imponebatur. Vides etiam, quàm facilè, dum facultas suppeteret, ab ejusmodi *Tonsis* sperneretur: quod utrumque in nostro Siconolfo factum intuemur.

(6) Vid. Erchempertum cap. XV. & XVI. Anonymum Salern. cap. LXXIII. & seq.

fectatus . Uti enim Afros ille, ita Hispanos ipse Saracenos in suas partes evocavit: atque in Salernitanæ Ecclesiæ opes sacrilegas manus admovisse non contentus, ingentes Casinensis Ecclesiæ thesauros expilavit. Rem hanc ex Ostiensi audire libebit, ut ex ejus dictis, quantis tum Casinensis Ecclesia divitiis afflueret, speciatim noscamus. *Septimus jam præsentis Abbatis* (Bassatii) *annorum circulus volvebatur* (ideſt Christi annus 843.), *cùm præfatus Siconolfus ad B. Benedicti Monasterium veniens sub præstationis nomine, Hispanis tribuendum Agarenis, universum ferè Thesaurum, quem gloriosæ memoriæ Reges Carolus, & Pippinus frater ejus, & Carolus Magnus, & Ludovicus filii ejusdem Pippini, & alii quam plures seù Reges, seù Principes religiosè ibidem contulerant, abstulit. Prima siquidem vice tulit in Calicibus, & patenis, Coronis, ac Crucibus, phialis quoque, & amulis, batis, & fibulis auri purissimi libras centum triginta, Saricam insuper sericam de sylphori cum auro, & gemmis, pro quibus promisit se redditurum solidos siculos decem millia* (1). *Item secundò trecentas sexagintaquinque in argento libras, & quatuordecim millia solidos aureos figuratos. Item bazias de argento pensatas libras triginta, & fundatos duplices octo. Item in Anaglifis Baziam unam, & Scattonem unum Constantinopolitanum, utrumque argenteum, & inauratum. Alia vice post octo circiter menses tulit in Coronis, & baziis atque amulis, garalibus, & coclearibus argenti simul quingentas (libras). Item post menses decem venit, & rupit ipsum Monasterii vestiarium, & abstulit inde solidos prædolatos duo millia. Alia vice, quando Spoletum perrexit, Majo cognatus ejus abstulit item solidos duo millia. Iterum quando Romam perrexit* (2), *venit idem Siconolfus, & abstulit Coronam auream smaragdinis gemmis mirificè decoratam, quæ patris ejusdem Siconis Principis fuerat, pro solidis tribus millibus. Et hæc quidem omnia ipse Sacrilegus S. Benedicto auferens, neque sibi, neque Patriæ, aliquid inde profecit, neque ab illo tempore aliquam deinceps victoriam habere promeruit* (3). Hæ tum fere opes, quæ præter effusissimas prædiorum donationes, præcipua Beneventanorum Principum pietate, in Ecclesiæ Casinensis Thesauros confluxerant; nunc unius Siconolfi ambitione, atque impietate, in Saracenorum stipendia, ac prædam, in avaritiæ, perfidiæque præmium, ac trophæum, in ipsius denique Principatus malum, interitumque conversæ, atque absumptæ.

Infelicissimas Cistiberinæ Italiæ tunc temporis calamitates domestici passim Scriptores pluribus verbis deplorant; faciem vividiùs exprimit Erchempertus: *Erat* (inquit) *inter Siconolfum, & Radelgisum frequentissima pugnæ concertatio, & quotidiana litium seditio, unde ex diversa parte ii, quibus justitiæ via displicebat, alternatim ab uno in alterum confugiebant, fiebantque crebræ rapinæ, incestaque fornicationes; erant universi erronei, & ad malum prompti, quasi bestiæ sine pastore aberrantes in saltu: Sed cùm jugiter Civili bello invicem lacerarentur, essetque omnium pernicies, & ut ita dicam, animæ, & corporis extrema perditio; maximè quia Saraceni Beneventi degentes, quorum Rex erat Massari, infra, extraque omnia funditus denecaverant, itaut etiam Optimates illius* (*Urbis*) *pro nihilo ducerent, atque ut ineptos servulos, taureis duriter flagellarent* (4). Et Saracenorum quidem quædam veluti inundatio universas, quâ longe paterent, Beneventani Principatus Regiones non tam opplere, quam oppri-

(1) Nummorum, aliarumque pretiosarum supellectilium species, nominaque, quæ ab Ostiensi heic memorantur, explicare supervacuum erit. Plura explicavit Cam. Peregr. in notis ad Historiam Ignoti Casinensis, qui rem ipsam distinctè ante Ostiensem memoriæ tradidit num. x. Vid. tom. 1. Peregr. pag. 206. Edition. recent. Reliqua Cangius in suo Glossario præstabit.

(2) Spoletum primum. Romam postmodum Siconolfus adiit, ut Guidonem Ducem Spoletinum *Cognatum suum* in suas partes traheret. Guido non modo id negotium sibi facessere noluit, sed in sui emolumentum convertere cogitavit; nam *pro cupiditate pecuniarum, quibus* (inquit Erchempertus) *maximè Francorum subjicitur genus*, ut Siconolfum à Beneventi obsidione removeret, accepit a Radelchi *unam Sellam pro septuaginta millibus nummis aureis*: mox obtinendi Principatus spem Siconolfo pro quinquaginta millibus nummis aureis vendidit; quare Siconolfus *Romam adiit, aureos tribuit, sacramentum dedit, jusjurandum suscepit, nihil proficiens inanis abscessit*. Hæc tum Beneventani Principatus in præceps ruentis fuere fata, cujus vires, opesque corrodere, nemo sibi nefas ducebat. Spoletinum Ducem Guidonem ex *Francorum genere* præclarè habet Erchempertus; & sane Ducatum illum sibi obnoxium Franci servarunt, cui suos Duces præficiebant: Siconolfi autem *Cognatum* Guidonem putaverim, vel quod ex Sororibus suis, quas Princeps Sico Beneventanorum nobilissimis Conjuges dederat, quæpiam fortasse secundis nuptiis Guidoni juncta sit, vel potius ex veteri alio vinculo ejusdem Siconis familia, qui domo Spoletinus, aut Forojuliensis fuit, ut superiore Capite observavimus, cum Guidone necessitudinem habuerit; vox enim *Cognatus*, variè accipi sequiore ævo solebat.

(3) Chron. Casin. lib. 2. cap. xxv. edit. Laureti.

(4) Cap. xviii. Audiendus etiam Ostiensis lib. 1. cap. xxvii. *Tunc temporis Massar Saracenorum Dux in auxilium prædicti Radelchis Benevento residens, eosdemque ipsos Beneventanos vilipendens, quocunque modo posset, vehementer affligeret, Monasterium S. Mariæ in Cingla devastavit, Castellum S. Viti cepit, Thelesinam Civitatem sibi ad deditionem coegit, & universa in circuitu depopulatus est.*

opprimere videbatur, jamque angustam sibi cædium, rapinarumque sedem spernens, in Romanos fines, atque in ipsam Religionis arcem se effudit. *Mense Augusto* (inquiunt Annales Bertiniani ad Annum DCCCXLVI.) *Saraceni, Maurique Tibri Romam aggressi Basilicam B. Petri Apostolorum Principis devastantes, ablatis cum ipso Altari, quod tumbæ memorati Apostolorum Principis superpositum erat, omnibus ornamentis, atque thesauris, quemdam montem centum ab Urbe millibus munitissimum occupant* (1). Hæc eadem Annalistæ, Chronographique omnes; qui tamen falsos Bertinianos ostendunt, id quoque in ejusdem anni finem referentes, Ludovicum nempe Lotharii filium Regem Italiæ cum Saracenis pugnasse, victumque vix Romam pervenisse: Nondum enim, ut Italiæ malis occurreret, aderat Ludovicus; sed qui Spoleti cum suo Duce stationem habebat, Francorum Exercitus in Saracenos missus, turpiter superatus extremam cladem fugâ vix evasit (2).

Advenerat quidem biennio ante, idest anno DCCCXLIV. in Italiam Ludovicus à Lothario Augusto genitore missus, ut sive Italici Regni, sive Imperii à Sergio II. nuper in Rom. Pontificem electo coronationem reciperet, simulque ipse (uti Sigebertus, ac dictus Annalista Bertinianus ajunt) Pontificis electionem, Imperatoriâ, quam sibi perperam afferebat, auctoritate confirmaret (3). Nihil læti tunc attulit Ludovicus, qui Italiam cum exercitu ingressus, non tam juvenili ardore, quàm improba dominandi cupidine abreptus, cui etiam prava suorum consilia stimulos addebant, ita se gessit, ut paria, quæ alibi a Saracenis patrabantur, in reliquam ipse Italiam mala invexisse videretur. Sed hæc sequenti Capite opportuniùs; ubi de Ludovici Nummo Beneventi percusso agendum erit. Ad rem nunc quod attinet, haud eam sibi negligendam occasionem duxit Siconolfus, ut scilicet Ludovici gratiam, opemque præriperet. Unicum, sed satis locupletem, fidumque testem Anastasium invenio; cujus verba inVita Sergii libenter describam. *Per idem tempus, cum Rex Ludovicus Romæ degeret, Siconolfus Beneventanorum Princeps magno cum exercitu Romam venit. Quem cum prædictus Rex honorificè suscepisset, omnia, pro quibus venerat, ipsi indicavit: Cui Rex gratanti animo, quicquid petierat, tribuit, atque concessit: Et cum simul Franci, & Longobardi, & Beneventani congregati fuissent, facta est ingens populi multitudo, itaut omni ex parte Roma circumdata videretur; quorum multitudine omnia sata deleta sunt. Ipse vero Siconolfus ardenti pectore præcipuum desiderabat videre Pontificem, & ab eo benedictionem accipere: Quem Præsul cum suscepisset, solo prostratus pretiosos ejus pedes humiliter est osculatus, & ab eo benedictione suscepta, ab ejus conspectu alacriter, Deo gratias referens, regressus est.* Lætus quidem Româ abire potuit Siconolfus, Pontificia benedictione suscepta, sed non æquè lætus rebus sibi à Ludovico concessis. Qua de re Romam Ludovicum alloquuturus Siconolfus accesserit, non explicat Anastasius, qui tamen omnia, quæ petierat, ei tributa, & concessa à Ludovico subdit. Nil dubium, caussam suam adversus Radelchim tunc egisse Siconolfum, cui Ludovicus annuisse videtur. At nihil certè tunc negotii de Principatu Beneventano Ludovicus sibi fecit, quem Civilibus bellis, Saracenorumque gladiis, & rapinis adhuc divexandum reliquit.

Faustior certe anno 851. (tamdiù enim malorum fuere incrementa) fuit Ludovici adventus: Rebus in extremum interitum jam ruentibus, communi Longobardorum voto ad Augustum Lotharium, qui opem solus ferre posset, transmissæ preces; quas ut ille facilius admitte-



(1) Sacrilegam, opimamque prædam secum Saraceni abducentes Cajetæ consederunt. Vid. Jo. Diaconum in Episcopo Neapolitano Joanne, Anastasium in Vit. Leonis IV., Ignotum Casinensem, Ostiensem &c.

(2) Sic Leo Ostiensis lib. 1. cap. XXVI. Ignotus Casinensis num. IX. *His diebus Saraceni ingressi Romam Oratorium totum devastaverunt Beatissimorum Principis Apostolorum Petri, Beatique Ecclesiam Pauli, multosque ibidem peremerunt Saxones, aliosque quam plurimos utriusque sexus, & ætatis, Fundensemque capientes Urbem, vicinaque deprædantes loca, Septembri quoque mense secus Cajetam castramentati sunt; contra quos pervenit Francorum Exercitus, sed superatus à Saracenis quarto Novembris idus iniit fugam, quos persequentes Saraceni, illorumque omnia capientes, tandemque ad Sanctum devenerunt Andream, cujusque Cellam igne cremarunt.* Missum à Lothario exercitum affirmat Joannes Diaconus l. l. *Africani* (inquit i. e. Saraceni) *in forti brachio omnem hanc Regionem devastare cupientes, Romam supervenerunt, atque jaculato de Coelo judicio, Ecclesias Apostolorum, & cuncta, quæ extrinsecus repererunt, lugenda pernicie, & horribili captivitate diripuerunt. Idcirco motus Lotharius Rex Francorum ferocem contra eos populum misit...... Franci vero ignorantes calliditates eorum conabantur viriliter contra eos descendere: At illi de latibulo exilientes, irato Deo, primum ipsorum percusserunt signiferum, quo perempto, cunctis terga vertentibus, validissimum occidebantur.* At si mense Augusto deprædatio facta est, Novembris initio pugna, quis credat tam cito Exercitum è Galliis à Lothario missum advenisse? Stat igitur Ostiensis fides, non alios fuisse eos Francos, nisi qui Spoleti stationem habebant; ubi & Guidonem Ducem ex Francorum Genere, Siconolfi Cognatum superius novimus in not. 2. pag. antecedentis: id solum dici potest ejusmodi Spoletinorum expeditioni Lotharii mandatum accessisse.

(3) Vid. Card. Baronium ad d. Ann. 844. num. V., & Pagium ibid.

mitteret, Venerabilis Casinensium Abbas Bassatius Legatorum Princeps delectus fuit. Hujus Francorum in Italiam expeditionis Ludovicum auctorem (nulla Lotharii mentione facta) agnoscunt Ostiensis, ac qui longè Ostiensem præcessit, Synchronus Scriptor Ignotus Casinensis, à quo etiam habemus Ludovicum Imperatorem Augustum appellatum, & ipsius de ea expeditione Edictum hoc titulo promulgatum: *Constitutio permotionis exercitus observationis partibus Beneventi sub indictione quinta decima*, fortasse, *quarta decima*, quæ dicto anno 851. respondet. At non fraudandus laude sua Lotharius, qui Lodovicum filium, atque Imperii jam consortem, expeditionis Ducem in Italiam tunc ablegavit. Rem totam breviter, ac diligenter ex Joanne Diacono accipies: *Eodem quoque anno supplicatione hujus Sergii, Principumque Longobardorum direxit Lotharius Imperator filium suum Lodogvicum bona adolescentiæ Juvenem propter catervas Saracenorum Apuliæ sub Rege commanentes, & omnium fines depopulantes, qui adveniens, coelesti comitatus auxilio, de illis Hismahelitis triumphavit: & sagaciter ordinata divisione Beneventani & Salernitani Principum, victor reversus est* (1).

Felicia tantum avertendis Beneventani Principatus malis auspicia Ludovicus posuit; nam non omnes fractæ Saracenorum vires, quibus Barium, ac Tarentum pro validissimis propugnaculis supererant; unde & pristinas depopulationes adorsi, ad plurimos sequutos annos Cistiberinam Italiam divexarunt; sed gravissimum omnium Reip. detrimentum, ac nullo unquam medicamine sanandum vulnus ipsa fuit Beneventani Principatus divisio. *Quod pejus est* (ita queritur Erchempertus n. xx.) *quod pejus est, Beneventi Provincia in multis divisa ad exitium magis, quam ad salutem de die in diem a Dominatoribus ducebatur*. Ita tum factum oportuit: nec Ludovicus abnuere noverat, Regiæ suæ domus exemplis, in qua ex Caroli Magni instituto omnia in partes, ac Civilia Bella abire consueverant, atque ipso tunc Ludovici ævo Francicum Regnum in plurimas Dynastias dissectum non tam demiratus, quam indignatus Otto Frisingensis, *Vide* (ad lectorem exclamat) *ad quantum defectum Romanum Imperium devenit, ut, in tres partes Francorum Regno diviso, tertiæ partis tertia pars fuerit* (2). Hunc quoque *defectum* in Beneventano Principatu agnoscemus ex ea divisione, quæ inter Radelchim, Siconolfumque peracta fuit. Ex eo certè capite potiùs quàm ex Saracenorum invasionibus eum Principatum ad occasum suum ruisse queruntur vetusti nostrates Scriptores (3). Ingens quidem malum, in duas partes Principatus divisus; quod tamen præsentis majoris mali, vel origo vel fomentum fuit: in tres enim partes revera divisio fuit; ac Salerni æmula Capua altius se ipsam extollere, alienumque imperium aspernari cœpit. Landulfus, qui, ut superiùs diximus, Siconolfi ausibus adversus Radelchim præcipuam opem contulit, spreto *Gastaldei* titulo, Capuæ *Comes* dici voluit, atque ex Principatus divisione occasionem Capuani Comitatus supremo dominii jure sibi afferendi nactus fuit: Hæreditarium dein Comitatum filiis reliquit,

(1) Chron. Episc. Neap. in Joanne pag. 316. tom. I. part. II. Scriptor. Ital. Audire quoque præstat Ostiensem lib. I. cap. VIII. *Veniens igitur Ludovicus Beneventum, à Radelchis, Beneventanisque receptus est, eique omnes Saraceni contraditi, quos omnes ipso die vigiliarum Sancti Pentecostes extra Civitatem duci, & jugulari præcepit, inter quos etiam Dux Massar capite plectitur. Moxque idem Imperator, convocatis omnibus Longobardis, totam Beneventanam Provinciam inter Radelchis, & Siconulfum æquo discrimine est partitus Anno Domini 851. sicque post dies paucos prospere est ad sua reversus*. Ni stupidissimos faciamus Saracenos omnes Beneventi degentes, vix credemus more pecudum se comprehendi, occidique passos. Nulla autem Chronographo Cavensi fides, qui ab universo Principatu expulsos tunc Saracenos affirmat ad annum 850. *Lugdoicus* (inquit) *filius Lutarii venit Beneventum pro Saracenis expellendis. Tum facta est pax inter Ratelchisium, & Sichenulfum diviso inter utrosque Principatu, facto foedere cum Sacramentis ab ipsis. Hinc Lugdoicus Saracenos omnes, qui aut Ratelchisio, aut Sichenulfo favebant, facile submittere potuit, & a totius Principatus locis eos expulsare.*

(2) Chronic. lib. VI. cap. I. ubi de Lothario, ejusque filiis Ludovico, Lothario, Carolo agit, inter quos Pater propriam regni partem divisit, alias partes Carolo, ac Ludovico Lotharii fratribus obtinentibus. Id enim notavit Erchempertus num. XIX., & descriptis Erchemperti verbis Ostiensis lib. I. cap. 29. *Per idem tempus defuncto jam dicto Lothario pentifariè* (i. e. in quinque partes) *Regnum Francorum divisum est: nam Ludovicus, & Carolus Germani ipsius Bajoariam, & Aquitaniam regebant. Primogenitus vero filius ejus Ludovicus nomine, est sortitus Italiam: secundus Lotharius potitus est Aquis: tertius autem Carlittus Saxoniam obtinuit.*

(3) Erchemperti ea de re lacrimosos questus initio audivimus: luctum suum miscet Ignotus Casinensis n. IV. *Omne Regnum* (inquit) *in se ipsum divisum desolabitur: & quod quis serens seminaverit, hoc & metet; propterea divisus Israeliticus Populus in omnem ventilatus est Mundum. Sic & hæc Longobardorum gens dissidentes mentibus etiam suos interfecere Principes: ob id Patriæ facta divisio, Beneventanorum Principatus duabus equidem partibus extitit divisus*. Ostiensis quoque lib. I. cap. XXIV. in eandem rem idem pariter ex Evangelio usurpat. *Omne Regnum in se ipsum divisum desolabitur; illudque ex Salustio satis appositè addit*: Concordia parvæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur. Erchemperti, quæ supra retulimus, verba ex num. XX. ipse quoque usurpavit Chronographus Vulturnensis pag. 402., sed fœde corrupta in hunc modum: *Provincia multis divisa ad exitum magis, quam ad salutem de die in diem a multis damnatoribus ducebatur*. Quæ ex Erchemperto ita restitues: *ad exitium magis, quam ad salutem de die in diem à* multis dominatoribus *ducebatur*.

liquit, quibus hæreditarium quoque illud monitum (quod Erchempertus *Edictum* appellat) tradidit: *ne unquam, quantum ad se pertineret, finerent Beneventum cum Salerno pacisci; quia non erit* (inquit) *vobis profuturum: Cujus monitum filii audientes, opere pariter patrarunt: atque suis hæredibus in jus perpetuum, ficut à Patre acceperant, reliquerunt. Magnum sane hæreditatis scelus suæ reliquit soboli.... Accepto itaque jure regnandi nullo modo Siconolfo (in cujus partem Capua assignata fuit) obsequuntur, parvipendunt imperium ejus.* Hinc fortasse fuit, ut Chronographus Vulturnensis in tres partes Beneventanum Principatum initio divisum affirmaret. *Hoc tempore divisio facta est inter Beneventum, & Salernum, & Capuam* (inquit pag. 390.). Id omnino certum, Salernitanum ipsum Principatum non dum penè exortum, in duas partes discerptum, eundem Capuanum Comitatum amisisse, qui non diù post, videlicet anno 900. Atenulfo auctore, in tertium Principatum erupit. Sed hæc alias; propiùs nunc spectanda nobis erit ipsa inter Radelchim, ac Siconolfum Principatus divisio; cujus videlicet consilio, auctoritateque, quibus denique sancitis fœderibus gesta sit.

Salernitani quidem Scriptores, Anonymus, Romualdus, ac Chronographus Cavensis, nullam ejus rei partem Ludovico attribuunt (1). Imo si Anonymum audimus, ipse Beneventanus Princeps Radelchis malorum pertæsus, iterumque Siconolfi obsidione pressus, Principatus divisionem excogitavit, ac Guidone Spoletino Duce arbitro, cum Siconolfo perfecit (2). At Erchempertus præcipuum rei auctorem Ludovicum agnoscit, qui, *præsentibus omnibus Longobardis, inter duos prædictos viros* (Radelchim, & Siconolfum) *totam Provinciam Beneventanam æquitatis discrimine sub jurejurando dispartivit* (3). Erchempertum sequitur Ostiensis; sequemur & nos, celebratam quidem, Ludovico præsente, Divisionem ajentes, cui tamen hortantis potius, suadentisque, quam imperantis, jubentisque partes tribuimus. Id enim, ut tutò pronunciemus, ipsa Divisionis Charta suppeditat.

Meminit ejus Chartæ Anonymus Salernitanus, qui adhuc suo ævo, ideſt sub Sæculi x. exitum Salerni servatam testatur (4). Ex vetusto membranaceo Codice Bibliothecæ Casinensis exceptam, in lucem hominum protulit Cl. Camillus Peregrinius, Capitulis XXVIII. distinctam, quorum summa isthæc est.

In Cap. I. II. III. Radelchis Siconolfo, eique, qui per Siconolfi voluntatem post ejus decessum *principandi* potestatem susceperit in Civitate Salerni, partem Principatus Beneventanæ Provinciæ concedit inter Consiam, Salernum, & Capuam *per singularia integra Gastaldata, & Ministeria*, quæ Capp. IX. & X. exactissimâ descriptione recensentur: sanciturque perpetuum Fœdus, quo neutra pars alteri injuriam suis, vel alienis viribus inferat, inlatamque ab externis hostibus mutua ope propulset.

In Cap. IV. V. VI. VII. exceptis Casinensi, & Vulturnensi Monasteriis, quæ *sub defensione Domini Imperatoris Lutharii, ejusque filii Domini Ludogvici Regis sunt*, Episcopatus alterutrius Principatus, ubi sita sunt, cum antiquis, integrisque suis juribus, & possessionibus permaneant; Clericisque quibusque ad suas Diœceses, Monachis, Monialibusque ad sua Monasteria redeundum indicitur, exceptis Clericis, qui *in Palatio serviunt, aut per vim clericati fuerint.*

In Cap. VIII. Salernitani Principatus subditis recto (ut hactenus) itinere per Beneventanum Principatum Garganicam B. Archangeli Michaelis Basilicam adeundi facultas tribuitur.

In Cap. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. nemini alterutrius partis, sive Principis sui permissu ad alteram, vel asyli, vel habitationis caussa transeundi fas deinceps sit; res vero, ac substantias utrobique possidere liceat.

In Cap. XIX. XX. De Homicidiis, Prædis, atque *Zalis, seù incendiis retroactis nihil inquirendum*, vindicandumque: Siqua in posterum a parte una in alteram patrata sint, Byzanti-



(1) Romualdus Salernitanus in Chron. apud Murator. Script. Ital. tom. VII. pag. 158., nulla Ludovici facta mentione, hæc tantum habet. *Tunc quoque divisus est Principatus Beneventi, ac Salerni; & Beneventi quidem Princeps Radelchis; Salerni vero Siconulfus factus est Princeps.* Chronographi Cavensis verba in not. 1. pag. antecedentis recitavimus.

(2) Cap. LXXVII.

(3) Cap. XIX. Pagius memoriâ lapsus inter Adelgisum, & Siconulfum divisum Principatum affirmat ad An. 866. num. VIII. pag. 61. tom. XV. Annal. Baron. edit. Lucens. Verba ejus hæc sunt: *Supra diximus, Ludovicum II. Imp. Principatum Beneventanum in partes duas distraxisse, & Adelgisum ab eo jussum præesse Benevento, Siconulfum vero Salerno, & Capuæ, sicque inter duos Duces illos de Principatu Beneventano contendentes pacem constituisse.* Hoc animadvertendum duxi, ne quis Pagii locum legens, ita rem esse sibi suadeat. Pagio vero nequaquam succensemus, quia levibus hisce maculis non offendimur, quarum *veniam damus, petimusque vicissim.*

(4) Cap. LXXIX.

zantinorum aureorum trium millium *in Nobiles* multa ſancitur, in *Ruſticos*, plebejoſque Lege animadvertendum.

In Cap. XXI. quidquid hactenus ab alterutro Principe, *de cauſa Palatii*, ideſt de Bonis, juribuſque ad Principatum, ſeù Fiſcum pertinentibus per *Breve*, aut per *Præceptum*, cuipiam donatum ſit, quod non in ipſius Donantis parte nunc remanet, non aliter ratum, quàm ſi Princeps velit.

In Cap. XXII. XXIII. Uxor cum Filiis, ac ſubſtantiis, Viris, qui alterius partis ſunt, requirentibus reddendæ: Captivi dimittendi.

In Cap. XXIV. nova cum Saracenis fœdera perpetuo interdicuntur, immo conatus omnis *uſque ad ſummam virtutem* adhibendus, ut quicumque in univerſo Principatu ſupererint Saraceni, expellantur, præter illos, qui *temporibus DD. Siconis, ac Sicardi fuerunt Chriſtiani, ſi magarizati non ſunt*, ideſt, ſi ad Muſulmaniſmum non redierint, uti ex hac noſtra Charta, aliiſque explicat Cangius.

In Cap. XXV. XXVI. XXVII. ejus diviſionis perficiendæ, obſervandæque veluti arrham, *præſentialiter, antequam Domnus Ludogvicus Rex cum ſuo exercitu exeat de terra noſtra*, Radelchis tradit Siconolfo Gaſtaldatum *Montellam cum omnibus Caſtellis ejus, & medium Gaſtaldatum Acerentinum*, omnia, quæ edixit, obſervaturus abſque omni fraude, vel malo ingenio, vel *quocunque argumento, occaſione, ſeù diruptione*; violaturus verò multam ſibi X. millium Byzantinorum aureorum *Domno noſtro Imperatori* exolvendam indicit.

In poſtremo denique Capitulo XXVIII. *Quum Pactum iſtud* (inquit Radelchis) *firmatum fuerit, reddam tibi Siconolfo præſentialiter Petrum filium Landonis, & Poldefrit filium Pandulfi, ſi tu mihi reddideris Adelgiſum, & Ladelgiſum filios meos, & Potonem Nepotem meum* (1).

Non alia itaque ex hac Charta ad Imperatorem Lotharium, Regemque Ludovicum pertinere novimus, quàm Monaſterii tum Caſinenſis, tum Vulturnenſis *defenſionem*, ideſt Patronatum (2), adjudicatamque iiſdem ex Pactorum violatione decem aurorum millium Multam: Non ipſorum Nomen Chartæ inſcriptum, nulla ab utroque Principe emiſſa ſubjectionis Profeſſio, nullum memoratum Tributum, nulla denique ſupremi Dominii index acceſſit Lotharii, vel Ludovici ſubſcriptio, aut confirmatio. Sed nec præconceptum Ludovici ſtudium erga Siconolfum, qui (uti ſuperiùs diximus) Anno DCCCXLIV. illum Romæ convenerat, Siconolfo profuit, ut, eo præſente, integro Principatu potiretur. Neque demum Radelchis res ita corruerant, ut, niſi ſanctius conſilium publicis calamitatibus finem imponendi ſubiiſſet, delatum ſibi legitimè Principatum tueri nequiret, unde & turpiſſimum illud mendum, heic animadvertendum, ſimulque abolendum ducimus, quod neque a Pagio olim, neque a Manſio in nupera Annalium Baronianorum editione ſublatum fuit ex Oſtienſis loco ab eodem Baronio in an. 851. n. 1. deſcripto ex Chron. l. 2. c. 31., ubi Oſtienſis Ludovici *adventum* Beneventum, Saracenorum *cædem*, Principatuſque *diviſionem* complectitur. *Ludovicus* (inquit Oſtienſis apud Baronium) *Beneventum venit, eique Radelchis, ac Beneventani Saraceni omnes traditi ſunt*. An igitur Radelchis cum Saracenis ſimul traditus? Ita certè corruptum, quod Baronius nactus eſt, Oſtienſis exemplar, atque iſtud idem ejuſdem Lucenſis editionis Index T. XIV. ſemel, iterumque confirmat; nam V. *Ludovicus* ſic habet: *Radelchim Captivum accipit*, tum V. *Radelchis*: *Ludovico Imperatori traditur*. Mendum ex eo manavit, quod τὸ *Radelchis*

(1) Tom. III. Opp. Peregrinii pag. 214., & apud Murator. Scriptor. Ital. tom. II. part. I. pag. 260.

(2) Mirum, quanta ſolicitudine Monachi tum Caſinenſes, tum Vulturnenſes Imperatorum Lotharii, & Ludovici protectionem ſibi conquiſierint, atque ad poſterorum memoriam ſervatam curarint. Audi Oſtienſem lib. I. cap. 28. *Prædicti Principes Radelchis, & Siconolfus Pactum diviſionis Principatus inter ſe firmantes hoc Monaſterium S. Benedicti, & Monaſterium S. Vincentii extra ſortem eſſe decreverunt, dicentes*: Hæc Monaſteria ad nos minime pertinent, quoniam ſub tutela, & immunitate Dominorum Imperatorum Lotharii, atque filii ejus Ludovici *conſtituta ſunt*. Haud certe talia uno ore loquutos Principes audivit Oſtienſis, ſed ex rei eventu, ita loquentes ad Immunitatis confirmationem adducit. Eadem, iiſdem verbis Oſtienſis, de ſuo Monaſterio habet Chronographus Vulturnenſis tom. I. part. II. Script. Ital. pag. 390., additque Cauſſam, quod non ſolum Baſſacius Caſinenſis Abbas, ſed pariter Jacobus Abbas Vulturnenſis, & adventus Ludovici, & victoriæ auctores fuerint: *Siquidem* (ſubdit) *Imperator per Jacobum venerabilem Abbatem B. Martyris Vincentii, & Baſſacium B. Benedicti invitatus adveniens, & victoriam obtinere, & maxima rebus utilia illorum Conſilio conſequi meruerat*. Falſus certe Chronographus, qui Jacobo Abbati Vulturnenſi has partes præproperè (uti mox obſervabimus) adſcribit. Sed aliam comparatæ Auguſtorum *Tutelæ*, & *Immunitatis* cauſſam utrique Monaſterio fuiſſe video. Exemplo Sicardi, qui *Deuſdedit* Abbatem Caſinenſem vexavit, Siconolfi, qui Theſauros expilavit, uti adverſus conſimiles conatus in poſterum Imperatorum tutela muniri poſſent, Caſinates, atque Vulturnenſes ſatagerunt.

*chis* nominandi casu acceptus fuit, unde præpositio à, quæ antecedebat, erasa quoque fuit, invito quidem Ostiensi, qui *Radelchis* nomen, barbaricorum nominum more, qui nullam declinationem accipiebant; auferendi casu, etiam præmissa præpositione à, manifestè usurpavit. En Ostiensis verba lib. I. c. 29. ex editione Laureti anni 1616. *Veniens igitur Ludovicus Beneventum a Radelchis, Beneventanisque receptus est, eique omnes Saraceni contraditi*. Haud secus editio Nucæi apud Murat. T. IV. Scriptor. Ital. pag. 303. lib. I. cap. 30. *Veniens igitur Ludowicus Beneventum, a Radelchis, Beneventanisque* (aliud Ostiensis exemplar, uti Nucæus notat, addit *honorificè nimis*) *receptus est, eique omnes Saraceni contraditi &c.*: non igitur a Beneventanis traditus simul cum Saracenis Radelchis, qui Ludovici opem postulavit; advenientem *honorificè* cum suis suscepit; Saracenis trucidandis, expellendisque operam suam contulit: ac denique, ut omnes præsentium malorum radices evellerentur, Fœderis cum Siconolfo, parte Principatus tradita, fanciendi auctor videri voluit: *Ego Radelchis Princeps* (sic ipse Divisionis Legem dicere orditur) *concedo tibi Siconulfo Principi Salernitano firmissimam pacem de integra parte Principatus Beneventanæ Provinciæ, quæ tibi nominatim evenit per singularia integra Gastaldata, seu Ministeria, quæ hic descripta sunt &c.* Ipse demum Radelchis cum suis Optimatibus Chartam subscribit: atque uti Radelchis edixit, ita servandum placuit: atque ita demum Siconolfus Beneventani Principatus partem, cujus caput Salernum, obtinuit, quem tamen Principatum eidem mors illicò abstulit, mox ejus filio Siconi, quem infantem reliquit, Petri, & Ademarii perfidia surripuit (1).

Neque ipse diù Radelchis celebratæ divisioni advixit, anno DCCCLII. defunctus, exactis sexaginta vitæ annis, Principatus vero duodecim mense minus, si Anonymo Salernitano fides (2), aut decimo duodecimi anni mense, si Chronographus S Sophiæ veriora habet (3): At neutrum de eo mensium numero admittendum ostendit ejusdem Radelchis marmoreum Epitaphium, cujus fides potior esse debet: sic enim habet.

*Vndenis lapsis duodenus coeperat annus,*
*Bardorum Princeps noscitur esse quibus.*
*Sexaginta suæ vitæ compleverat annos,*
*Cum moriens mundo vivit in arce poli* (4).

Habes itaque *completos* quidem vitæ annos sexaginta, sed nonnisi cœptum duodecimum Principatus annum, cui propterea numerosi menses, quos Anonymus, Chronographusque recensent, convenire nequeunt. Quoti ii menses fuerint, non tanti est, ut divinare laboremus. Quot, quantisque virtutibus Principe dignis excelluerit Radelchis, præstat potius ex eodem Epitaphio nosse, ubi nihil ex assentandi studio irrepsisse, satis ostendit præter alia ejus Principis facinora, una supradictæ divisionis Charta, in qua luculentissima Religionis, Justitiæ, Pacis argumenta exhibentur. Duodecim quasi Principatus annis respondentes Filios superstites sibi reliquit Radelchis, utriusque sexus, felicior certè eo filiorum numero, quibus in longum ævum Principatus successores ex suo genere habuit, quàm Principatus sui administratione, in qua ingentibus jactatus calamitatibus meliora, quæ voluisset, præstare non potuit. Hunc filiorum numerum marmoreum alterum *Caretrudæ* conjugis Epithaphium nobis prodit; Caretrudam enim, fœminam nobilissimam, eo nomine ipse quoque Radelchis conjugem suam appellat in Diplomate n. 16. Partis III. Chronici Sophiani; sed Epitaphium audiamus, ubi post alia hæc habentur.

*Nam summi conjux Radelchis Principis extans*
*Germine quod tenuit duxit honore decus.*
*Inde viri solium in Natis ex ordine firmans*
*Sancivit Patriæ hos caput esse suæ.*
*Sicque sui magno fructus ab culmine ventris*
*Ter quartum vidit fructificasse gradum.*
*Pontificem, & Comites genuit, Proceresque sagaces*
*Vndique conspicuo fulta vigore fuit.*

Ac

(1) Vid. Erchempertum cap. XIX. & XX. ac Anonymum Salernitanum cap. LXXXVI. & LXXXVIII.
(2) Cap. XCV.
(3) In Chronico Ducum, & Principum Beneventanorum apud Peregr. tom. V. pag. 22. & apud Ughell. tom. X. pag. 419.
(4) Tom. III. Opp. Peregr. pag. 312.

Ac in tertio disticho ipsa *ter quartum gradum fructificasse* Caretruda dicitur, idest *ter quatuor*, seù duodecim filios genuisse, ex quibus illa alios *videre* lætata est in paterno solio ex ordine sedentes, nempe Radelcharium, mox Adelchim, deinde Gayderisium Radelcharii, Radelchim denique alterum Adelchis filium: *Vidit* alios vel Comites, vel Proceres, quorum nomina ( si Radelgisum excipias à Radelchi Patre in Divisionis charta postremo Capitulo memoratum),quorum etiam gesta ignoramus: *Vidit* Pontificem, idest Ayonem filium Beneventani Episcopatus dignitate potitum,cujus nomen datæ ad illum Johannis PP.VIII. Epistolæ 33. & 157., Diploma Ludovici II., quo Ecclesiam Garganensem ejus jurisdictioni confirmat, Anastasii denique Bibliothecarii dicatus eidem Sermo S.Theodori Studitæ de S.Bartholomæo in latinum conversus, satis celebrem posteritatis memoriæ reliquerunt. Ac *vidisse* quidem Caretruda potuit, quæ

*Bis tria post annos quadragenos lustra recurrens*
*Hæc Caretruda solo terrea membra dedit.*

idest transacto septuagesimo vitæ anno defuncta est, diutissimè quidem Radelchi viro superstes, ætate tamen longe inferior, cui adeo numerosam, simulque gloriosam sobolem genuerat. Sed de Radelchi ipso jam satis: nunc de ejusdem Nummo dicemus.

Nullus hactenus, quem sciam, Beneventani Principis Radelchis Nummos protulit,aut meminit. Pretium igitur, hoc quoque nomine, ei Nummo accedit, quem argenteum apud me servatum, exhibeo.



Habes anticæ partis limbo inscriptum MICHAELIS ARCHANGELI nomen. Præcipuum Longobardicæ Gentis Patronum in nummis insculpi consuetum, in superiorum Principum nummis jam demonstravimus: sequutus eum morem Radelchis fuit; cujus erga Archangelum religiosissimus cultus ex eo quoque enituit, quod veritus, ne ex Principatus divisione Salernitanorum frequentia ad Garganensem Basilicam minueretur, liberum iis per Beneventanum Principatum consuetum iter patere voluerit, tantique eam rem putavit, ut peculiari Capitulo, non tam Salernitanos certiores facere, quàm ultrò accire, eorumque veterem religionem fovere fategerit. In ejusdem autem partis areâ Crux quadrata insculpta est, quæ inter æquales suas quatuor hastas totidem ex suis lateribus breviores veluti, atque acutos radios emittit, ita ut ad stellæ quodammodo effigiem accedat: Hastarum vero acumina ( nam & ipsæ hastæ acuminatæ sunt ) globulis clauduntur, ut in ea effigie nonnisi Crucis signum expressum indicaretur.


Postica pars RADELCHIM PRINCIPEM legendum offert, qui Spicam in medio positam circumdat, ex cujus extremo culmo duo curvescentes ramusculi prodeunt, ambo in tres veluti bacchas desinentes. Quid rei ejusmodi Symbolo indicatum voluerit Radelchis, conjecturâ assequi tantùm licet. Ac primùm Spicas in nummis repræsentari antiquus mos fuit ad earum Urbium, ubi cuderentur, agrorum fertilitatem demonstrandam, uti de veteris Hispanorum Urbis *Carmonæ* numismatibus docet Ant. Augustinus (1),deque Alexandria Ægypti Sebastianus Erizzo (2), addens illius nummum ideo in Augusti honorem cum Spicarum fasciculo, seù manipulo percussum, quod is teste Svetonio Cap. 18. *Ægyptum in Provinciæ formam redactam, ut feraciorem, habilioremque annonæ Urbicæ redderet, fossas omnes, in quas Nilus exæstuat, oblimatas longa vetustate, militari opere deterserit.* Quid ni igitur Radelchis eam Spicam adhuc erumpentibus iis fructiferis ramusculis insignem nummis suis sculpserit, ut Beneventani Principatus Regiones, eo quoque nomine vetustis Scriptoribus celebratas, omnium fœcundissimas demonstraret? Sed & altera ( si conjecturis paullò liberiùs indulgere fas sit ) ejusdem Symboli interpetratio afferri potest: Dum enim contra frumenti naturam est, ex proprio culmo alias minores spicas, veluti proles suas, progignere, sed ex una duntaxat radice prodeuntes sibi associare, jam in ipsa media Spica Beneventanum Principatum agnoscere proclive erit, ex quo Salernitanus Principatus, vel etiam, si mavis, Comi-

(1) Dialog. VIII. pag. 233. edit. Rom. 1736. ubi & alias addit pag. seq.

(2) In Nummis Augusti pag. 168. edit. Venet. 1571.

Comitatus simul Capuanus illis ramusculis designati, & contra jus, fasque propagati, & longe inferiores, veterem illius majestatem sibi observandam indicare videbantur. Si res ita fuerit, post factam divisionem, atque extremo Radelchis anno, percussum eum Nummum dicere oportebit; eique symbolo opportuniorem dederit occasionem sequuta mox Siconolfi mors, cui Sico filius nondum anniculus sub perfidi tutoris Petri cura successit. At hæc (inquies) illis rudium temporum ingeniis sagacitas, ut tantam rem eo Symbolo expressisse scirent? Non id certè contenderim: Quare priorem interpretationem si quis probare, aut meliorem afferre malit, non veto; illud intereà certum, faustumque mihi attribuam, eo singulari Radelchis Nummo, nunc primùm in lucem eruto, non mediocre nostris Longobardicis Antiquitatibus pretium adjecisse.

An suos quoque Nummos recens Princeps Salernitanus Siconolfus cuderit? Affirmat Cl. Muratorius, cujus locum libenter afferam. *Scripsit (inquit) ad me ex Urbe, quum in vivis esset, P. Eduardus de Vitry Soc. Jesu, Vir doctissimus, & Nummariæ peritissimus, atque insignis Musei institutor, ad se delatum fuisse Nummum ex Ære inaurato, quem pro aureo incautè acceperat. Ibi effigies erat Principis, qualem in Sicardo conspeximus, cum inscriptione* SICONULFUS, *& in aversa eadem Crux cum literis* S. I. *&* VICTOR. PRINCIP. CONO. *Is est Siconolfus Princeps primus Salerni, inter quem, & Radelchisium Beneventi Principem Anno Christi* DCCCXL. *teterrimum bellum exarsit, in longum tempus productum, & Beneventani Ducatus* (Principatus) *divisione tandem compositum* (1). An dictus Nummus ante Beneventani Principatus divisionem, vel post Salernitani concessionem Siconolfus percusserit, ex recitata Epigraphe dignosci nequit: Potuit Siconolfus, postquam Salernitano Principatu potitus fuit, suprema, quæ sibi à Radelchi permissa fuerant, Majestatis jura exercere; ac Beneventanorum Principum exemplo monetam instruxisse; si tamen id cogitare, sinereque quiverint pauci illi menses, quibus Principatu suo frui potuit. Sed per ipsam divisionem, jus monetæ cudendæ Siconolfum sibi usurpasse nunc certò scimus ex ejus argenteo Nummo:




Siconolfi nomen Monogrammate expressum legitur, Epigraphe hac circundatum. PRINCES BENEBENTI: altera verò facies *Crucem* consuetâ formâ insculptam exhibet, atque in circulo: S. MICHAE ARCHANGELV. E re quidem sua fore existimavit Siconolfus, si Beneventani Principatus titulum, quem Paternæ, Fraternæque successionis jure sibi debitum, armis tum sibi vindicare conabatur, velut proprium adhiberet. Id certè in plerisque Chartis factum invenio, quæ, flagrante adhuc civili Bello, ejus nomine inscriptæ sunt (2). Id etiam in Nummis ab eo cusis factum ostendit editus superiùs à nobis Nummus; quem à Siconolfo, nondum Salerni Principe, sed ad Beneventanum Principatum conatus suos admovente percussum certò statuimus.

Qui verò Siconolfo successerunt, Salernitanos Principes, monetâ suâ usos unicus probat Nummus ab eodem Muratorio editus, atque hisce verbis illustratus: *Nummus æreus, in Museo Chiappinio Placentiæ adservatus, ad Gisulfum Salerni Principem spectat. Ejus Effigies conspicitur cum Epigraphe* GISULF. . . . . . *In postica Urbis aspectus superpositis literis* CIVITAS SAL. *Gisulfusne primus, an secundus heic designetur, ignoro*. Nec scire magnum est, nec nostra refert; quare, missis Salernitanorum Nummis, ad reliquos nostros illustrandos Nummos libentiùs progrediemur.

CAPUT


(1) Antiq. Med. Ævi tom. II. Differt. XXVII. p. 619.

(2) Certe Principatus sui Siconolfus annos à Sicardi fratris obitu numerare affectavit, ideſt ab anno 839. si veræ sunt binæ veteres Chartæ, quarum alteram edidit Erasmus Gattula in *Accession. ad Hist. Casin. p.* I. *pag.* 36. quæ data est: *Anno decimo Sikenolfi mense Majo Indictione duodecima*. Alteram refert Chronicon Vulturnense *pag.* 392. *tom.* I. *p.* II. *Script. Ital.*, ubi *Domnus Vir gloriosissimus Sikenolfus Dei providentia Longobardorum gentis Princeps Anno Regni nostri Deo propitio, decimo mense Novembris* XIII. *indictione*, quædam bona cum Monasterio Vulturnensi commutat: quæ quidem Chartæ in eundem annum 899. incidunt, cujus anni mense Majo Indictio XII. decurrebat.

## CAPUT VI.

*Imperatoris Ludovici II. areus Nummus Beneventi cusus cum ejusdem Urbis epigraphe. Is Nummus, inter graviora alia, Captivitatis occasio, quam idem Augustus à Principe Adalgiso, Beneventanisque passus fuit. Ad ipsum Principem Adalgisum à Superiore Radelchi Principum Series continuatur; ipsorumque cum Saracenis certamina, ac varia fortuna. Adalgisi factum, nomenque ex Ludovici Captivitate à calumniis strenuè vindicatur.*

MUlta Beneventanorum rebus communia de Imperatore Ludovico II. Lotharii filio superiore Capite disseruimus; plura adhuc, ac fortasse graviora in hoc alterum Caput dicenda servavimus, quibus ejusdem Ludovici Nummus Beneventi cusus promptam occasionem, amplissimamque materiam præstabit. En Nummum ipsum, cujus Ectypon primus omnium Le-Blancus edidit in *De Nummis Regum Francorum*, atque inter Principum Beneventanorum Nummos Muratorius jure merito retulit (1).




Nulla Nummus ipse explicatione indiget, in cujus altera facie HLVDOVICVS IMPERATOR, in altera BENEBENTVM legitur. Explicanda tamen cudendi caussa est: explicandi quoque maximarum rerum successus, quibus & ipse nummus occasionem fecisse, aut addidisse videtur.

Radelchi Principi defuncto, Radelgarius filius successit plenis quidem Beneventanorum suffragiis, quibus ejus electionem tribuunt tum Erchempertus, tum Salernitanus Anonymus (2). At confirmatam potius, adprobatamque à Beneventanis Radelgarii successionem rectiùs dicemus, qui à Radelchi Patre post compositas cum Siconolfo res, Principatus socius adscitus fuit, uti mox ex ejus Sepulchrali monumento probabimus. Res illius fortiter gestas minime *ad suam notitiam* pervenisse subdit Anonymus ex sua potius incuria, quam ex brevissimo Principatus spatio, quod vix ad Annos XII., ac Menses VI. attigisse testatur. At præter Marmoreum Monumentum, quod in Ecclesia Beneventana Radelgarii memoriam, virtutes, resque gestas perpetuæ posterorum memoriæ inscripta habebat, Erchempertus quidem Radelgarium Principem, *Virum planè fortem viribus, & animo pium, & corpore cunctis gratum* fuisse ait. Præcipuum, quod tunc maximè intererat, Radelgarii studium fuit, ut Saracenorum reliquias extingueret, sivè potius excrescentes iterum ex Bario munitissima Urbe inundationes cohiberet. Impares huic expeditioni vires suas animadvertens, nihilque auxilii ex Salernitanis sibi pollicitus, qui sub puerulo Sicone erant, iterum Augusti Ludovici opem sibi expetendam duxit, eundemque Bassacium Casinensem Abbatem, adjuncto quoque Vulturnensi Abbate Jacobo, oratorem misit. Ad Annum DCCCLII. hic Ludovici adventus referendus est: nam hoc Anno Ludovicus *Lotharii filius* (uti narrant Annales Bertiniani) *Beneventum adiens, Baitam Civitatem oppugnat, interruptoque muro pessimis usus consiliis à coepto resilit: nam dicentibus consiliariis suis, magnam illic partem esse Thesaurorum, quà penitus fraudaretur, si passim omnibus intrandi copia daretur, in Castra sese recipit, prohibitis omnibus ab irruptione Urbis. Quibus recedentibus, Mauri ita noctu muri interrupta trabibus muniunt, ut venientem in crastinum hostem nullatenus formident. Proinde incassum tanto labore dedu-*

(1) Antiq. Med. Ævi t. II. Differt. XXVIII. p. 620. num. VIII.

(2) Erchempertus in fin. num. XIX. *Quo* (Radelchi) *migrato, Radelgarius filius ejus in Principatum loco ejus electus est.* Anonymus num. XCV. *Ejus filium Radelgarium Beneventani Principem sublimarunt.*

*deducto, Ludovicus cum exercitu suo ad propria remeat* (1). Civitatem *Baitam* in Beneventano Principatu nemo unquam novit, sed eo vocabulo *Barium*, vel ab Annalista intellectum, vel corruptè scriptum omnes fatebimur, a quo etiam Mauros pro Saracenis appellatos legimus. Sed quod hæc posterior Ludovici expeditio infelicem habuerit successum, non aliam caussam affert Erchempertus, nisi Capuanorum perfidiam, quorum *videns supradictus Cæsar fallaciam, & se nihil proficere, sine emolumento recedens abiit* (2): Ut videas, quàm constantes in susceptæ, aut potius subreptæ libertatis studio Capuani fuerint, veriti, ne, Saracenis deletis, antiquis Dominis servire cogerentur; sed impiissimi consilii pœnas paucos post annos ab ipsis eidem Ludovico datas inferiùs observabimus: Interea abscedens tunc Ludovicus Ademario Salernitanum Principatum permisit, abducto secum Sicone puero Siconolfi filio, qui non diù post redux scelestiori ejusdem Ademarii perfidiâ veneno extinctus, majoris Siconis Principis Beneventani familiam, quæ sceleribus eam dignitatem sibi comparaverat, secum tumulavit (3).

Sed ad Radelgarium revertamur, qui, uti superiùs diximus, a Radelchi patre post Fœdus cum Siconolfo sancitum in Principatus societatem admissus, paucis cum Patre mensibus, tribus post illius obitum annis circiter Principatum tenuit, atque post unum, ac triginta ætatis annos vivere desiit. Hæc omnia ex ejus marmoreo Tumulo certò scimus, ubi, inter alia plura ejus virtutum elogia, de Principatu ante, & post paternum obitum administrato sic legitur.

*Sub Patre nam Princeps solium, regnumque paternum*
*Post Patris excessum rexit ad omne decus.*

idest Princeps sub Patre, nempe vivo Patre, esse incipiens, eo mortuo, Princeps remansit: De ætatis vero, Principatusque spatiis hæc inferiùs sequuntur.

*Bis tria post lustra, annumque unum carnea claustra.*
*Deseruit jussu, Christe tremende, tuo.*
*At, Benevente, tibi bis binis præfuit annis,*
*Quo tua regnante gloria pulchra fuit.*

Atque utinam sic res se habuisset; ac vera illa quoque fuissent, quæ paullo superiùs de ipso Radelchi celebrata pariter in eodem Epitahio legimus, idest.

*Fortia Francorum sedavit Regna, suosque*
*Confines vinxit undique pacis ope.*

Perturbata potiùs omnia tum fuere Saracenorum excursionibus, qui licet olim Benevento expulsi, ex Urbe tamen Bario, aliisque Oppidis, quæ in suam potestatem redegerant, in Beneventanos fines, audaciores quidem ex susceptæ ab Imp. Ludovico expeditionis infelici successu, debacchabantur. Sed quod ad illos *bis binos* attinet Principatus annos, quos Epitaphium Radelgario tribuit, facilè conciliabis cum Annis III. & Mens. VI., quos Anonymus Salernitanus numeravit; aut enim Epitaphii auctor rotundum numerum carmini aptiorem usurpavit, vel potius Anonymus Principatus post Patris mortem gesti tempus duntaxat agnovit.

Radelgario anno DCCCLI. defuncto, Adelchis, sive Adalgisus germanus in Principatu successit, *Vir* (inquit Erchempertus) *mitissimus, & amabilis cunctis, tantæque mansuetudinis, ut ab exteris diligeretur*. Infelicissimum nactus est Reip. statum, Saracenorum excursionibus vehementiùs perturbatum; unde & eorum Regi Saodano Barii, quasi tutissimo Tyrannidis suæ, latronumque domicilio, manenti, ut a consuetis cædibus, depopula-

ALTER D d

(1) Annales Bertiniani ad An. DCCCLII. Inter Script. Ital. tom. II. pag. 532.

(2) Cap. XX. Eadem habet Ostiensis in Chron. Casin. lib. I. cap. XXX. *Iterum Saracenis Bari degentibus Calabriam totam, omnemque Apuliam, universamque Provinciam Beneventanam affligere, ac devastare nitentibus, rogatus a Primatibus Patriæ Bassatius Abbas una cum Jacobo Abbate S. Vincentii Franciam adiit, præfatumque Ludovicum rursus ad has partes venire coegit: qui veniens, Barium protinus adiit, cumque Saracenis per dies aliquot sine effectu aliquo dimicavit; sed Capuanorum calliditate, ac fallacia cernens se nil proficere, Siconolfi filio de Salerno exiliato, & Ademario Principatu concesso, reversus est.*

(3) Vid. Anonymum Salernitanum cap. LXXXVIII.

pulationibusque desisteret, & annuam pensionem polliceri, & Filiam suam cum aliis obsidibus tradere coactus fuit (1). Quum verò neque eo fœdere Saraceni prædis assueti conquiescerent, in id consilii ventum est cum Guaiferio Salernitano Principe (qui Anno DCCCLXI. Ademario, Principatus, atque oculorum orbatione pœnas perfidiæ luenti, successit), ut jam tertiò ad Imp. Ludovicum, *quatenus cum valido exercitu veniret, & una cum ipsis Agarenos de finibus Italiæ exturbaret*, Legatio mitteretur (2). Legationem diù post, nempe anno DCCCLXVI. sequutus est Ludovici adventus, validiore, quàm olim, Exercitus apparatu, atque uxoris suæ Ingelbergæ comitatu insignis, sed Saracenis æquè, ac Salernitanis, Capuanisque metuendus (3). Ac Salernitani quidem apud Ludovicum offenderant, quod cum Ademario, ejus nutu Principe constituto, tam sæviter se gessissent, ejusque loco, ac proprio arbitratu Guaiferium suffecissent. Gravior fuit Capuanorum caussa, qui (uti superiùs diximus) priorem Ludovici expeditionem adversus Saracenos eluserant: nullus excusationi, aut veniæ locus fuit: nam ad veteres fallacias vergentes Capuanos animadvertens Ludovicus, trimestri obsidione pressos, ac frustra indulgentiam deprecatos, diruta eorum Urbe, menstruis Francorum judicibus non tam gubernandos, quàm diripiendos, divexandosque tradidit (4). Agnosces hac in re, non dissimilis criminis reos, eandem Capuanos à Ludovico subiisse pœnam, quam olim, quum ad Annibalem defecissent, à Romanis reportarunt; dum in Præfecturæ formam redigendam Capuam Romanis placuit, atque *habitari tantum, frequentarique, sed nullum Corpus Civitatis, nec Senatus, nec Plebis Concilium, nec Magistratus esse, Præfectum ad jura reddenda quotannis mittendum* (5). Adhuc verò Ludovicus duriorem Capuanorum conditionem esse voluit, qui *pro nihilo ducti*, non quotannis, sed *omni fere mense diversis Judicibus* injurias potius, quàm jura, reddituris *dabantur in prædam*. Certè inter res egregiè à se gestas Capuæ expugnationem reputandam voluit Ludovicus, utque ejus celebritatem posteris commendaret, in suis Diplomatibus inter alias temporis notas adhibuit. Sic in Privilegio Monasterio Vulturnensi concesso Anno sequenti DCCCLXVII. hæc in fine leguntur. *Data* III. *Idus Junii, Anno, Christo propitio*, XVII. *Imperii Domini Hludovici piissimi Augusti*, *Indict.* XIV. *& postquam cepit Capuam, Anno primo. Actum Capua Civitate in Dei nomine feliciter* (6). Sed quæ tandem Ludovici res cum Saracenis fuerint, accuratiùs observabimus.

Sequenti anno DCCCLXVII. Ludovicus adversus Saracenos exercitum admovit. Sed adversam, quam primo prælio expertus est, fortunam, mox tardo licet gradu, sibi tamen obsecundantem, faustamque habere cœpit. Fractæ passim Saracenorum vires, recepta oppida; sed dum Barium vigeret, stare adhuc Saracenorum res videbantur, nec victor Ludovicus videri poterat. Hinc omnes Francorum, ac Longobardorum Copiæ ad ejus Urbis expugnationem conversæ; nec nisi post diutinam obsidionem (id enim Saracenorum studium, atque conatus, ut sibi Barium servarent) tandem ab hostium manibus erepta est, postquam ab Anno DCCCXLI., quo Saraceni à Radelchi auxiliares admissi, eam dolo occuparunt, triginta circiter annis Saracenico jugo, pessimo universi Principatus fato, oppressa fuit. De expugnatæ Urbis anno apud vetustos Chronographos non convenit: ad Annum DCCCLXVIII. rem gestam retulit Lupus Protospata: *Anno* 868. (inquit) *Indictione prima exierunt Agareni a Bario per Francos, tertia die intrante Mensis Februarii* (7). Sequenti anno attribuit utrumque Chronicon *Sophianum, & Cavense* (8). Post quadriennii obsidionem Urbem Barium à Ludovico expugnatam disertè testatur Ostiensis (9): quare dum non ante annum DCCCLXVII. in Saracenos arma

(1) Vid. Erchempertum num. XXIX. Inter obsides Radelgisi Filiam silet Erchemprtus, quam tamen scimus ex Anonymo Salernitano, qui cap. CXVI. Barii expugnationem Ludovici ope factam referens, Saodanum Regem, ut capitis pœnam evitaret, se in Adalgisi fidem tradidisse ait, hoc merito, quod *Filiam ejus obsidem incontaminatam apud se servasset*.

(2) Anonymus Salernitanus cap. XCV.

(3) Annales Bertiniani ad Annum DCCCLXVI. *Ludovicus Italiæ Imperator una cum uxore sua Ingelberga in Beneventum contra Saracenos venit*.

(4) Erchempertus num. XXII. *Landulfus ad solitam vergens fallaciam Capuanos, quos Cæsari præsentaverat, fugere compulit; ipse solum cum eo remansit, quasi satisfaciens, se nihil culpabile penes eum gessisse. Prædictus itaque Augustus Landulfum tum pro nihilo ducens, Capuam adiit, obsessamque tribus hinc inde mensibus, funditus circumcirca delevit, & cùm civibus illius quodcumque placitum dare nollet, Landperto Comiti illius se tradiderunt, putantes se facere rectiùs, corruerunt. Unde postea pro nihilo ducti, omni fere mense diversis Judicibus dabantur in prædam*.

(5) Livius lib. XXVI.

(6) In Chronico Vulturnensi pag. 395. Scriptor. Ital. tom. I. part. II.

(7) Inter Opp. Peregr. tom. IV. pag. 18., & inter Scriptores Ital. Murator. tom. V. pag. 37.

(8) Ac in Chronico S. Sophiæ id ipsum mendosius statutum leges in anno DCCCLXI., quod in alio MS. ad DCCCLXIX. protrahitur. Vid. tom. IV. Opp. Peregr. pag. 162., in quo tomo Chronicon Cavense invenies de hac re loquutum pag. 397.

(9) In Chronico Casin. lib. I. cap. 36., ubi post narratum Ludovici adventum anno 866., resque ab eo dicto

arma movit Ludovicus, nonnisi ad annum demum DCCCLXXI. deducenda res erit. Ostiensi consentire videtur Anonymus Salernitanus, nihil de *quadriennio*, sed tamen de *prolixo* obsidionis tempore testatus hisce verbis: *Dum per prolixa tempora eam* (Barium) *undique obsedisset, postremò à Francis, & Longobardis est capta. Ipse namque Segdan* (quem superius Seodam appellavit: Constantinus Porphyrogenitus in Vit. Basilii Macedonis *Soldanum hunc ipsum* vocavit, ut videas, non personæ, sed dignitatis id nomen fuisse) *in unam Civitatis illius turrem se communivit, & nominativè Beneventanum Principem Adelchisium acclamavit, inquiens*: In fide tua me suscipe, quia, teste Deo, tuam filiam incontaminatam penes me habeo: *habuerat enim eam nuper obsidionem* (obsidem), *& minime, licet infidelis, adhuc contaminaverat; quo audito, Princeps Adelchis statim ab Imperatore eum expetiit, & accepit, nec non & duos alios sodales: Et tota Apulia, simulque etiam Calabria, Deo propitio, ab hostibus potenter erepta, cum ingenti tripudio Beneventum venerunt* (1). Rei exitum ex Anonymo audire libuit, ut non solum de diuturno obsidionis tempore Ostiensis testimonium comprobaretur, verum etiam, ut non solius Ludovici viribus Barii expugnationem, reportatasque de Saracenis victorias sciremus. Rei gestæ quidem meritum, ac laudem integram Ludovicus sibi vindicat in ea præclara Epistola, qua non multo post tempore ad Basilium Græcorum Imperatorem respondens, *de cætero* (inquit) *Frater carissime, noveris cum virtute summi Opificis nostri, exercitum nostrum ordine prænotato, Bari triumphis nostris submissa, Saracenos Tarenti pariter, & Calabriæ mox mirabiliter humiliasse pariter, & comminuisse* (2). At non is suas quoque partes Adalgiso Beneventano Principi, neque Adalgiso laudem invidere debuit: servavit certe Anonymus, cujus testimonium jam audivimus: servavit Erchempertus, qui Ludovicum *sequenti anno* (postquam advenerat Beneventum, idest anno DCCCLXVII.) *multis fultum auxiliatoribus Barim perrexisse*, tradit (3). Unde verò auxilia hæc, nisi ab ipsis Beneventanis? Hinc ab expugnata Bario, totaque Apulia, & Calabria in Beneventani Principatus potestatem restitutis, Ludovicum simul, & Adalgisum *cum ingenti tripudio Beneventum venisse*, ait Anonymus Salernitanus; ambos, videlicet *Augustum Beneventum cum ejus Principe cum gaudio magno receptos ab Episcopo cum suis Sacerdotibus, & Monachis* testatur Chronographus Cavensis (4): Unde & quandam celebrati Triumphi speciem habemus, eumque Triumphum, quem Ludovicus ad Basilium scribens sibi uni arrogavit, cum Adalgiso fuisse communem fateri debebat.

At non diù stetit hæc læta rerum facies, ipsius Ludovici, ejusque Augustæ Conjugis Engelbergæ Captivitate, in mœrorem, ac luctum conversa. Ejus facti auctor Adalgisus ipse, adversus quem à Scriptoribus penè omnibus, ad ipsum facinus, non ad facinoris caussam intendentibus, dirè conclamatum est. Ab Erchemperto ordiar, qui post narratum ex Saracenico Bello Ludovici reditum in Beneventanam Urbem, hæc statim subdit. *Quibus ita patratis, videns Diabolus suos eliminari, Christoque universa restaurari, principia recolens, & damna inferni dolens, suo instinctu cœperunt Galli graviter Beneventanos persequi, ac crudeliter vexare: qua de re & Adalgisus Princeps adversus Lodogvicum Augustum erectus cum suis, Beneventi infra mœnia degentem, ac securè quiescentem astu doloso Sanctissimum Virum, Salvatorem scilicet Beneventanæ Provinciæ, cepit, & custodiis mancipavit, bonaque ejus diripiens, ditatus est, cunctosque Viros exercitales expoliavit, & fugere compulit, & ex bonis eorum onustatus est. Consistente itaque Augusto in Custodia, excitavit Deus Spiritum Ismaelitum, eosque ab Africa Regione protinus evexit, ut ulciscerentur Augusti opprobrium, sicuti filii Dei passionem Vespasianus, & Titus ulti sunt; sed defensio Dei dilata est in* XLII. *juxta Prophetiam Elisei, qui* XLII. *pueros, à quibus illusus est, duobus Ursis dedit in commestionem; hujus autem contemptum nec in* XL. *distulit dies, ex quo datur intelligi, qualis, quantusque vir ille fuerit, qui tam citò defensus est* (5). Nescio, an

ALTER



ipse

cto anno gestas, mox sequenti anno hæc subdit: *Apud Luceriam, universo congregato exercitu, cum Saracenis congreditur, à quibus primo Certamine superatus, demum ex his, opitulante Deo, victoriam triumphalem adeptus universis illorum castris potitur. Inde Barium contendens quatuor illam annis obsedit. Materam interim munitissimam illorum Civitatem capiens, igne illam, ferroque consumpsit. Post hæc venit Venusiam, & tam in ea, quàm in Canusio pugnatorum præsidio posito, Barium hinc inde coepit graviter expugnare; sicque rediit Beneventum.*

(1) Anonymus Salernitanus in Chron. cap. CXVI. tom. II. opp. Peregr. pag. 211.

(2) Apud eundem Anonym. Salern. cap. CXV. p. 208. Satis prolixam eam Ludovici ad Basilium Epistolam diù optasse, ac lætanter tandem se reperisse ait Magnus Baronius in *scripto Codice Historiæ Longobardorum Beneventanorum Principum ab Erchemperto conscriptæ*: unde lectu dignissimam reputans, integram in Annales suos descriptam exhibuit ad An. 971. à n. LI ad LXXI. Sed ad Erchempertum Codicem illum pertinere Baronius credidit, quem Anonymi Salernitani opus esse omnino constat; uti a me in *De Re Litteraria Beneventanorum medii ævi* demonstratum est.

(3) Cap. XXXIII.

(4) Cap. XXXIV.

(5) Tom. I. part. II. Scriptor. Ital. pag. 403.

ipse desipuisse Erchempertus, an potius Ludovico illusisse dicendus sit, cujus parem, ac Christi Domini caussam facit, celeriorem etiam tolerati opprobrii vindictam; sed *qualis, quantusque vir fuerit* Ludovicus, mox videbimus, tum ex aliis, tum (quod præcipuum est) ex ipsomet Erchemperto, qui palinodiam pro Beneventanis cecinisse voluit: Rei narrationem ex Erchemperto iisdem verbis excepit, in suumque opus retulit Johannes Chronologus Vulturnensis. At Leo Ostiensis, qui Erchempertum sibi ferè semper præeuntem habet, rem ipsam modestiore stilo in pauca sic contrahit. *Ludovico apud Beneventum posito, Adelchis Princeps ipsius Civitatis Diaboli invidia ductus, inventa occasione, quod Franci multa in Civitate insolenter agerent, adversus eum securè degentem protinus insurrexit, eumque capiens custodiæ mancipavit, cunctos milites illius dispolians fugere compulit. Sed non in longum Deus passus est, innocentem hominem frustra affligi; moxque intra quadraginta dies innumerabili Saracenorum exercitu ab Africa adventante, Ludovicus a custodia extemplo dimissus est, & Sacramentis obstrictus, recedens à Benevento intra tres dies abiit Barulum* (1). Sed & Neapolitanus Chronographus Joannes Diaconus rem ipsam referens, his verbis detestatur. *Beneventi itaque eo* (Ludovico) *degente, Beneventani, & Salernitani æmulatores tantæ bonitatis prædicti Imperatoris, insurrexerunt cum consilio Sergii Ducis contra eum; quo capto, unaque cum Conjuge sua recluso, plurimi Franciam, amisso Pastore, luctifero ululatu reversi sunt in Regionem suam. Postmodum vero Beneventani, Salerno jam à superventu Saracenorum obsesso, dimiserunt ipsum Imperatorem sub sacramento districtum, quo nullatenus pro tanta inhumanitate, quam ei ingesserant, redderet eis meritum* (2).

At asperiora in Adalgisum, Beneventanosque habet Rhythmus ille, quem ex MS. Codice Veronensi in lucem edidit Cl. Muratorius, qui à Synchrono auctore lucubratum censet (3); ut videas, quam famosum in universa Italia illud factum tum fuerit, quod etiam Carmine celebrari libuisset. Nihil certè omittitur, quod non Beneventanis invidiam conflet, nihil quod non Ludovico misericordiam conciliet, ità ut in illis *Judæi*, in altero *Christus*, usurpatis etiam ex Evangelio Divinæ Passionis verbis, repræsententur. Sed nihil certè eo Rythmo mendosius, nihil ineptius, ut non tam rei veritatem, sæculique ruditatem agnoscas, quàm similem illis Fabellis Historiolam putes, quæ in Plebeculam ingentium eventorum curiosam à quibusdam maleferiatis sciolis etiamnum in foris, & triviis lectitari, oboloque venditari solent; legendi cupidus infernè, qualem Muratorius exhibuit, cum ipsius notis descriptum Rythmum habebit (4), cui & pauca adnotavimus.

Inte-

(1) Chron. Ostien. lib. I. cap. XXXV. edit. Laureti.

(2) In Episcopo Athanasio t. I. p. II. Script. Ital. p. 317.

(3) Antiq. med. ævi tom. III. Dissert. XL. De *Rhythmica Veterum Poesi* pag. 711.

(4) *Rhythmus de Ludovico II. Imperatore per Adelchim, seù Adalgisum Beneventi Principem capto, compositus anno 871., aut 872.*

Audite omnes fines terræ (1) errore cum tristitia
Quale scelus fuid factum Benevento Civitas.
Lhuduicum comprenderunt sancto pio Augusto (2)
Beneventani se adunarunt ad unum consilium.
Adalferio loquebatur (3) & dicebant Principi:
*Si nos eum vivum dimittemus, certè nos peribimus:*
*Celus* (4) *magnum præparavit in istam Provinciam:*
*Regnum* (5) *nostrum nobis tollit: nos habet pro nihilum:*
*Plures* (6) *mala nobis fecit: rectum est, ut moriad* (7)
Deposuerunt Sancto (8) pio de suo Palatio:
Adelferio illum ducebat usque ad Pretorium;
Ille vero gaude (9) visum tanquam ad martirium.
Exierunt Sado (10) & Saducto (11) inoviabant Imperio:

Et

(1) *Legendum puto*: Horrore.

(2) *Si legibus Maffeii amici parendum est*, Augustlo, *legendum erit: Sed iis legibus veteres rigidè se obstrinxisse minime videntur.* Carpit heic quodammodo Muratorius V. C. Marchionem Maffejum, qui in Dissertatione *sopra i Versi Ritmici* post Hist. Diplomat. Mantuæ 1727. hæc in fine habet pag. 108. *Non però*, Theodorus, *dovrebbe scriversi, che ripugna al Verso, ma* Theodorius, *come nel Ritmo Veronese* Isidorius *dee dirsi, non* Isidorus: *non già per la ragione di doversi dir sempre* Cassiodorius, *cioè per la triplicata testimonianza del Manoscritto più antico di ogni altro, da me pubblicato, e della Regola de' nomi Romani, quando un Cognome comunicato a più famiglie passava in Gentilizio, come ivi accennai, ma in questo luogo solamente, e in grazia del Ritmo.* Carpendi causam Muratorio præbuit Maffejus conterraneos suos sugillans, quod Rhythmum (de quo nunc agimus) Muratorio submissum, latere sibi maluerint. *Vidi* (inquit Maffejus l. l. p. 195.) *tre mesi sono fuor di Verona un Ritmo, simile al nostro, trovato in Codice Veronese, e mandato all' erudito, e principal Raccoglitore delle cose Italiche. Lepida fu la Cura usata quì da certuni per tenermelo nascosto, e segreto, quasi l' ajutar io à trascriverlo, e l' emendarlo, e il porlo tra gli Anecdoti Veronesi avesse potuto farmi salire sul carro della gloria. Da lodarsi per altro è molto, l' averlo mandato in buone mani, e per una Collezione, alla quale ho cercato io, e cercherò di contribuire ben' altro.* Hæc mihi observasse opportunum, aliis audisse jucundum: ut noscamus, vitemusque simul hasce animi ægritudines, à quibus aliquando Viri doctissimi cavere sibi nesciunt.

(3) Adalferius, *unus è Primatibus Beneventanis.*

(4) *Pro* Scelus, *ut puto.*

(5) *Vide Annales Bertinianos, & Anonymum Salernitanum.*

(6) Plures, *scribe* Plura.

(7) *Idest* moriat, *cum bona Prisciani venia.*

(8) *Pro* Sanctum Pium, *idest Ludovicum Augustum, quem Erchempertus* Sanctissimum *appellat.*

(9) *Forte* gaudens ibat.

(10) Sado, *seu* Sadoan, Sugdan *Princeps Saracenorum, tunc Beneventi Captivus. Narrat etiam Anonymus Salernitanus, ejus consilio ad hoc facinus usum esse Adalgisum.*

(11) Saducto noviabant. *Quid heic scribendum sit, majori otio fruentibus divinandum relinquo*: num qui obviabant Imperio? Nihil minus. Tu, me auctore, sive interprete, integrum versum sic

lege:

Intereſt vero, quæ cum Erchemperto, Oſtienſe, ac Chronographo Vulturnenſe, idem Rythmi Auctor de Saracenis *divino judicio* in Salernitanos immiſſis fabulatur, hoc loco, atque in antecessum refutemus. Ac primùm ſi Beneventani peccarunt, quare peccati pœnas luere Salernitani debuiſſent? Præterea, etſi nonnihil mali à Saracenis ex Africa tunc recèns appulſis Salernitani, aliique finitimi tulerint, res tamen eò devenit, ut Saraceni paullopoſt partim cæſi, partim in fugam acti fuerint: immo idem Erchempertus, qui illam irruptionem Divino Numini Ludovici injuriam vindicanti attribuit, ipſe poſtea Erchempertus Deum, veluti facti pœnitentem adducit, quippe qui fugientium Saracenorum claſſem non ſine inſigni miraculo, tempeſtate conſumpſerit: *Prius enim* (ait), *quàm fugam arriperet nefanda Gens, hujuſmodi ſignum de Coelo Deus multis oſtendit; faculam igneam permaximam præpete curſu in medio navium jecit, quam mox ſequuta eſt tempeſtas, quæ cunctas Liburnas fruſtatim diſrupit* (1). Satius igitur fuerit, Chronographo Cavenſi fidem accommodaſſe, qui poſt narratam Ludovici Captivitatem, nullam ad eum liberandum in novo Saracenorum adventu Divinam agnoſcit vindictam, aut cœleſte conſilium; ſubdit is quoque infeliciſſimum Saracenicæ expeditionis exitum, quem Beneventanorum, aliorumque Sociorum virtuti attribuit. *Saracenorum* (inquit) *Claſſis ab Africa in Salernum venit prope Octob. Kal., & Civitatem obſiderunt. Sed Dei ope à Beneventanis, Malfitanis, & Sergio Conſule cum Neapolitibus ſuis ſubſidium attulerunt nobis: exinde in anno ſequenti etiam per Francos ob preces Landulfi Epiſcopi Capuæ, & noſtri Abbatis de S. Benedicto in Caſino ſubvenitur. Qua de cauſſa obſidio ſtatim abſoluta eſt, & Saracenorum Claſſis fugiit in Calabria; ſed multum confracta propter pelagi procellas, quæ illam triduo rebolberunt* (2). Si igitur ex humanarum rerum eventis Divina arguere, ac conjecturare judicia licebit, non equidem Saracenos veluti Dei ſatellites ad Beneventanorum ſupplicium delectos dicere locus erit, ſed ex cæſis, fugatiſque, ac denique tempeſtate conſumptis Saracenis, gratum Deo potius Beneventanorum factum, toleratamque Ludovico pro ejus merito (quod Erchempertus ipſe paullo poſt agnoſcit) ejuſmodi calamitatem fateri oportebit.

Sed

(1) Cap. xxxv. Ejuſdem Saracenicæ Claſſis, nec ipſe ſiluit Oſtienſis l.l.

(2) Tom. IV. Opp. Peregr. pag. 397. ad Ann. 870.

---

Et ipſe Sancte pius incipiebat dicere:
*Tanquam ad latronem veniſtis cum gladiis & fuſtibus.*
*Fuit jam namque tempus vos allevavit* (1) *in omnibus:*
*Modo vero ſurrexiſtis adverſus me conſilium:*
*Neſcio pro quid* (2) *cauſam vultis me occidere:*
*Generatio crudelis* (3) *veni interficere*
*Eccleſie que Sanctis Dei venio diligere:*
*Sanguine veni vindicare, quod ſuper terram fuſus eſt.*
Kalidus ille tentator (4) ratum adque nomine
Coronam Imperii ſibi in caput ponet (5) & dicebat populo:
*Ecce Summus Imperator: poſſum* (6) *vobis regere.*
Leto animo habebat (7) de illo quo fecerat.
A Demonio vexatur (8) ad terram conciderat.
Exierunt multæ turmæ videre mirabilia.
Magnus Dominus (9) Jeſus Chriſtus judicavit judicium;
Multa gens Paganorum exit (10) in Calabria
Super Salerno venerunt poſſidere Civitas (11).
Juratum eſt (12) ad Sancta Dei Reliquia
Ipſe Regnum defendendum, & aliam requirere.

lege: *Exierunt Sado* (ideſt *Sedoam*) *& ſimul capto improperabant Imperio*, ideſt *Imperatori*. Certè improperandi cauſam tum Seodam habebat à Ludovico debellatus, tum cum ipſo Seodamo Beneventani, qui Ludovicum, Francoſque Saracenis omnibus deteriores experiebantur; uti ſuperiùs oſtendam.

(1) *Pro* allevavi. *Beneficia innuit in Beneventanos collata.*

(2) *Scribe*, pro qua cauſa.

(3) *Veni illum interficere, qui huc venit, ut Eccleſias Sanctas Dei à Saracenorum jugo eriperet. Hoſtium tuorum ſanguinem, qui ſuper terram fuſus eſt, veni vindicare.*

(4) *Quis* tentator *iſte? num Adalgiſus, an Seodan, an alius quiſpiam? noctem faciunt verba illa*: ratum adque (*pro* atque) nomine.

(5) *Pro* ponit.

(6) *Latinè volens efferre Italicum* vi poſſo regere, *ignoravit, an illud* vi *Accuſativo reſponderet potius, quàm Dativo*. Supervacanea hæc Muratorii obſervatio: An enim Synchronus (ut is cenſet) Rhythmi auctor Italicam linguam nondum Sæculo IX. natam noſſe, ac reſpexiſſe poterat?

(7) *Pro* abibat, *ut puto, lætus de illo, quod fecerat*. Immo *læto animo habebat de illo* (pro *illud*), *quod fecerat* Adalgiſus videlicet Princeps, quem nunquam in hoc Rhythmo memoratum mireris.

(8) *Et hoc incertum, fueritne Adelchis Princeps, an Seodam vexatus à Dæmonio*. Neuter certè, ſed fabellam hanc, uti alias plures ridebimus.

(9) *Scriberem* Domnus, *ut menſura prioris verſiculi rectius procederet: ſed leges ſyllabarum video alibi neglectas*. Ita eſt; ut non debuerit Muratorius de hac emendatione videri ſollicitus: Ceterum nuſquam fortaſſe melius ſe habuit ignariſſimus Rhythmi Auctor, cui notum, uti eidem Muratorio, vetuſtum Carmen omni ævo vulgatiſſimum, eſſe debuit: *Coeleſtem* Dominum, *Terrenum dicito* Domnum.

(10) *Pro* è Calabria. Rectius ſtabit in *Calabriam*, quà tunc ex Africa Saracenos adveniſſe omnes tradunt, inde vero ad Salernum expugnandum proceſſiſſe.

(11) *Exeunte ſupramemorato anno* 871. *Salernum obſidione preſſum eſt à Saracenis*: *Pro* poſſidere, *ſcriberem* obſidere.

(12) *Stropha hac ſpectans ad literam* I. *ſupra deſideratur. Neſcio, an ſuo loco ſit reſtituenda. Videtur autem heic innui Sacramentum, quo ſe obſtrinxit Ludovicus*, ſe vindictam aliquam ex calumnia, quam tunc patiebatur, nunquam exacturum, *ut ſcribit Regino*: *Ceterum manca eſt hæc Stropha, & aliæ integræ fortaſſe deſiderantur; neque enim Rhythmus per reliquas Alphabeti literas progreditur*. Non equidem progredi poterat, dum quæ in poſtrema Stropha leguntur, univerſæ rei exitum nobis exhibent; quam quidem Stropham, ſeu binos ejuſdem verſus ſic legerim. *Juratum eſt* (ſcilicet à Ludovico) *ad Sanctas Dei Reliquias*: *Ipſe Regnum deſerendum* (pro *defendendum*), ut ſcilicet Beneventanum Principatum *deſereret*, ab eoque ociùs abiret, *& alia* (pro *aliam*) ideſt loca *requirere*: uti à Ludovico ſtatim factum eſt. Sed plura, quàm oporteret, deceretque, huic Rhythmo dedimus, qui tanti certe non eſt, ut Muratorius præ Maffejo evulgaſſe gloriaretur, aut præreptam ſibi Maffejus editionem indignaretur.

Sed quid de Ludovici Captivitate exotici Scriptores memoriæ mandarint, nunc audiamus. Annales Bertiniani ad Annum DCCCLXXI. nuncios ex Italia in Gallias plurimos ad Carolum Regem missos ajunt, qui *eum invitabant Italiam ire, quoniam Nepos suus Ludovicus in Benevento Civitate cum uxore, & filia a Beneventanis occisus foret*. Sivè ab novarum rerum cupidis ii nuncii fuerint, sive per seipsam rei fama in Gallias pervaserit, fama, inquam, malum, quo non velocius ullum, viresque sibi eundo tum quæsisset, ut pro Ludovici captivitate, paullatim necis rumorem apud longinquos persuderit; Carolus rem tandiù sibi incertam esse voluit, donec a *Missis* suis ex Italia reversis nunciatum sibi fuerit, *quod ipse Imperator Ludovicus viveret: Nam Adalgisus cum aliis Beneventanis adversus ipsum Imperatorem conspiravit, quoniam idem Imperator factione uxoris suæ, eum in perpetuum exilium deducere disponebat. Et cum idem Adalgisus noctu super ipsum Imperatorem irruere disposuisset, isdem cum uxore sua, & cum eis, quos secum habebat, quandam turrim valde altam munitissimam ascendit, & ibi per tres dies cum suis se defendit. Tandem Episcopus ipsius Civitatis obtinuit apud Beneventanos, ut, acceptis ab eodem Imperatore sacramentis, illum vivum, & sanum abscedere permitterent. Juravit autem ipse, & Uxor ejus, & Filia ejus, ac omnes sui, quos secum habebat, quia nunquam, vel nusquam pro eadem causa ullam vindictam, vel per se, vel per quemcumque de ipsa caussa erga se perpatrata requireret, & nunquam cum hoste in Beneventanam Urbem intraret. Sicque egressus per Spoletium versus Ravennam iter arripuit, mandans Apostolico Adriano, ut obviam illi in transitu itineris sui veniret, quatenus de ipso Sacramento illum, & suos absolveret*.

Facti narrationem, quam à Nunciis suis Carolus, nosque ab Annalista Bertiniano suscepimus, in eo duntaxat falsam deprehendunt plerique, quod Ludovicus ab Hadriano II. Pontifice juramento solutus dicatur, qui tamen a Successore Joanne VIII. voti compos est factus (1). Regino quidem Anno sequenti 872. (quod tamen ad annum 873. referendum, adversante Pagio, Baronius statuit), Ludovicum Romam venisse narrat; *ibique conventum celebrans coram summo Pontifice multa super Adalgisi tyrannide conquestus est. Tunc à Senatu Romanorum idem Adalgisus Tyrannus, atque hostis Reip. est declaratus: Joannes Papa Imperatorem à juramento, quo se obligarat, auctoritate Dei, & S. Petri absolvit, affirmans nihil obesse, quod ad mortis periculum evadendum coactus fuerat, nec sacramentum esse dicendum, quod contra salutem Reip., quamvis cum multis execrationibus, fuerit prolatum. His adhortationibus Principis animus ad rediviva certamina provocatur: tamen ne à suis perjurus diceretur, nequaquam ipse contra Tyrannum procedit, sed Reginam cum exercitu dirigit*. At Reginonis postrema hæc absurdi loco habenda sunt: Si enim Ludovicus rite juramento solutus fuit, idque in Concilio ea de re Romæ celebrato adeo solemniter gestum sit, qui scrupulus ille esse debuit, ne adhuc *a suis perjurus* haberetur? Sed nonne Ludovicus nec *per se*, *nec per quemcumque* Beneventanos molestandos juravit? nonne demum Augusta Conjux, quam expeditionis ducem a Ludovico factam Regino ait, & ipsa eodem juramento obstricta, a quo nullam obtinuisse solutionem memoratur? Falsum denique illud Reginonis est, Ludovicum noluisse per seipsum in Adalgisum, Beneventanosque bellum inferre, quod non semel, sed irrito conatu, per seipsum præstitit, ut inferiùs dicetur. Sed hæc obiter: De Pontifice Joanne, qui Ludovicum absolvit, testatur etiam Hermannus Contractus in suo Chronico ad Annum 871. his verbis. *Ludovicus Imp. Adalgiso Tyranno per sacramentum repacificatur: quo tamen sacramento eum post Joannes Papa absolvit, & eum contra eundem Tyrannum incitavit ad bellandum* (2). Consentit denique de Joanne Otto Frisingensis, qui Reginonem iisdem pene verbis describit (3). Sed quantumvis verum illud sit, non ab Hadriano, sed a Joanne Ludovicum Sacramento solutum, haud tamen falsus Annalista Bertinianus dicendus est, qui Ludovicum statim post captivitatem Benevento Ravennam versus abscedentem, ab vivente tunc Hadriano ejusdem juramenti solutionem postulasse narrat, quam, Hadriano defuncto a Joanne successore anno 872., ut Regino habet, vel 873., uti Baronius maluit, in Concilio Romano tandem obtinuit.

Sed

(1) Vid. Cl. Georgium in not. ad Annal. Baron. ad ann. 871. tom. XV. pag. 243. edit. Lucensi. Friderici Episcopi Leodiensis testimonio contentus fuit Georgius; quod excepit ex illius Epistola vulgata *Vet. Mon. t. I. col.* 653. ubi Fridericus, qui ineunte Sæc. XII. floruit, hæc ait. *Temporibus* VII. (lege VIII.) *Johannis, qui Adriano II. successit, Ludovicus Imperator ab Adalgiso Beneventano Duce constrictus timore vitæ jurejurando firmavit, se nunquam Beneventi fines ultra intraturum ... Ab hoc juramento postmodum prædictus Papa Johannes Romæ absolvit eum &c.* sed præter Fridericum multos ejusdem rei testes gravissimos superius dedimus.

(2) Inter Scriptor. Germanicos ab Urstisio editos tom. I. pag. 307.

(3) Inter eosd. Scriptor. Germ. tom. I. pag. 121.

Sed ad Ottonem Frisingensem redire præstat, qui de Ludovici Captivitate, non tam copiosè, quàm ex proprio ingenio differuit; Ac primùm Ludovicum adversus Saracenos, qui Beneventanam Regionem vastabant, expeditionem parasse Frisingensis tradit; sed mox Saracenorum omnino oblitus, bellicos Ludovici conatus adversus unum Adalgisum conversos subdit, propterea quod is *fiducia Græcorum Ludovico Imperatori, ascitis sibi Samnitibus, Lucanis, Campanis, rebellare parat*. Nihil profectò falsius excogitari potuit, non enim adversus Adalgisum Ludovicus moveri potuit, qui ab Adalgiso exoratus, & accitus, Adalgisi quoque militaribus copiis suffultus in Saracenos feliciter dimicavit. Pergit Otto, aitque, a rebelle Adalgiso, cui nulla tunc ab Imperiali exercitu evadendi spes esset, conciliatum muneribus Ludovicum Beneventanis finibus egredi persuasum, qui tandem, *expulsis Græcis, omnes Lucaniæ, & Campaniæ Urbes Romano Imperio restituit*. Meliùs Otto pro *Græcis* Saracenos, & pro *Romano* Imperio Principatum *Beneventanum* dixisset: Hinc Ottoni meritò objiciemus Joannem Diaconum, qui de Ludovico sic verè ait: *Beneventi commorans magnam de Cœlo accepit victoriam, itaut Agarenis fame, & gladio interemptis, & Rege eorum Seodam capto, Civitates, quas ceperant, auferret, & in pristinum revocaret dominium* (1). At quid tandem de Ludovici captivitate Frisingensis edisserat, audiamus: *Inter hæc Adalgisus dolis iterum Regem* (Ludovicum) *circumvenire tentat, occurrensque ipsi, suadet, ut militem dimittat, regioni parcat, adjiciens, necessarium non esse, Regem subjectum sibi inaniter consumere populum. Rex ad monitum Ducis, omnibus præter paucos ad propria remissis, Beneventum ingreditur, nihilque perperam sperans, dum circa meridiem strato cubat, subitò a Beneventanis irruentibus arma arripere cogitur. Cives autem cum Duce suo Adalgiso Palatium incendere volentes, Principem pacem petere, ac interposito jurejurando, ne amplius sine voluntate ipsorum fines illorum ingrederetur, promittere cogunt. Imperator, hac ignominiosa pactione facta, Romam venit, ibique coram Summo Pontifice Joanne, qui Adriano successerat, totoque Senatu causam suam exponit. Proinde Adalgisus à Senatu hostis, ac Tyrannus pronunciatur, Augustusque à Pontifice, auctoritate Dei, ac B. Petri, a Sacramento, quod nolens, & pro conservanda vita fecerat, absolvitur. Verùm Princeps, quamvis a Sacramento liberatus justè videretur, tamen ad removendum scandalum, per se ad compescendum Tyrannum ire recusat; collecto tamen milite, Reginam ei destinat. Audiens hoc Adalgisus, ac timore percussus ad Corsicam Insulam fugit, & sic iram Principis declinavit* (2). Hactenus Frisingensis, cujus narrationem plura, quæ superiùs recitavimus, sinceriora aliorum testimonia magna ex parte commentitiam declarant.

Ut verò res ipsa tot Scriptoribus celebrata luculentiùs constet, operæ nunc pretium erit ex illorum verbis duo præcipua colligere, ut, quorum nempe ope, consilioque, quam denique ob caussam Adalgisus Ludovicum custodiæ manciparit, certò statuamus. Annalista Metensis, & cum eo Regino ad an. 871. ajunt, Adalgisum Græcorum persuasionibus corruptum id facinus adversus Ludovicum fuisse molitum (3). Ea in re *Græcorum vafritiam* ipse quoque agnoscit, & fatetur Chronographus Cavensis (4): & sane Byzantinos Augustos iniquiùs semper Francorum potentiam tulisse, eamque, quibuscumque possent modis, artibusque, deprimendam curasse satis constat; ac ipsa ostendit Basilii ad eundem Ludovicum Epistola, cujus mentio superiùs facta est. Sed ad rem quod attinet, Constantinus Porphyrogenitus Ludovici captivitatem pluribus licet commentis conspersam narrare instituens in Vita Imp. Basilii Avi sui n. LVI., & sequ., nihil de ipso Basilio, vel sua gente habet, sed eam perfidiam *Soldano*, seù *Seodano* homini vafro, & astuto attribuit, qui *annos duos cum Rege Francorum Capuæ moratus fuerat*. Etsi verò falsum id sit, Capuæ apud Ludovicum commoratum *Soldanum*, qui ipse *Seodam*, aut *Segdam* est Saracenorum Dux, in expugnatione Barensi in Adalgisi fidem, seù custodiam receptus, apud quem Captivi specie Beneventi tunc servabatur; Verum tamen est illius consilio usum Adalgisum, qui, teste Anonymo Salernitano, quum ab eo sciscitaretur, *utrum apprehenderet, & ex Urbe ejiceret Imperatorem, an non*, adderetque, *pluribus rem prædictam innotuisse*; tum Segdam, *ut erat sagacissimus, in hunc modum verba depromit*: Quod inchoasti, perfice, ne forte consilium promulgetur (5). Ex quibus vides, non Græcis suadentibus, quibuscum Longobardi veteres simultates fovebant, sed suomet, suorumque Beneventanorum molimine Adalgisum patrando facinori animum, manumque admovisse: Beneventanis Salernitanos commiscet, ac præterea Sergii Ducis Neapolitani consilium

(1) L. l. tom. I. part. II. Scriptor. Ital. pag. 357.
(2) Otto Frisingens. in Chron. lib. VI. cap. IV.
(3) Vide Pagium in Critica Baronii ad d. annum 871. num. VII., & ad annum 873. num. I.
(4) Tom. IV. Opp. Peregr. pag. 897. ad ann. 869.
(5) Anonym. Salernit. cap. XCVII. tom. II. Opp. Peregr. pag. 213.

filium adjicit Joannes Diaconus (1). Sed ficuti Seodamus, ità nec Salernitani, nec Sergius, auctores, adjutorefque ejus facti, nifi quod faciendum fortaffe probaffent; Adalgifi itaque Principis, fuorumque Beneventanorum id facinus duntaxat fuit, quod tamen, ne in illorum invidiam (uti paffim ab aliis, temerèque factum eft) adhuc vertatur, patrandi cauffas fincerius nunc, atque penitiùs obfervare præftabit.

Duas cauffas, feù duplex cauffarum genus in hac Ludovici calamitate, fpectare erit; alterum, quod aliundè, alterum, quod a Beneventanis Ludovicus fibi effecit. Ut de primo probè conftet, ab eodem exicipiemus Erchemperto, qui antea pro Ludovico peroravit: *Cur autem jam dicto Augusto fupradictum opprobrium, Domino permittente, Beneventani inferre quiverunt, de multis duo inferam. Primum, quia veniens quodam tempore Romam, ut duos Epifcopos condemnatos ad priftinam reduceret dignitatem; & dum nollet ei confentire Nicolaus Papa, Vir Domino plenus, fecundum antiquum morem obviam ei venit candidatum Sacerdotale agmen, & ille, fpreto timore Dei, fuftibus Clerum cædi fecit; Cruces vero, omniaque facra myfteria pedibus calcari, Romamque pene milliari fpatio deprædatus eft, Vicariumque B. Petri, quafi vile mancipium, ab officio fui minifterii, nifi Dominus reftitiffet, privare voluit. Secundum, quia, capta Bari, & Saugdam omnium hominum flagitiofiffimo, non juxta voluntatem Domini eum protinus, ut dignum erat, crudeliter interfici fecerit, oblitus videlicet, quid Samuel coram Saule de Agag pinguiffimo Rege Amalechitarum egerit, quomodo eum in frufta difcerpi fecerit &c.* (2).

Pofteriorem cauffam ab Erchemperto allatam non moror. Priorem teneo, ut jam ex Erchemperto nofcere incipias, *qualis*, *quantufque vir* fuerit Ludovicus, quem *fanctiffimum* ipfe paullo ante Erchempertus deprædicaverat, ac nonnifi manifeftâ, præfentiffimâque Dei ope a captivitate liberatum volebat. Veriffima autem de impiiffimo Ludovici, fuæque Gentis in Rom. Pontificem, Clerum, ac præcipua Chriftianæ Religionis infignia furore ab Erchemperto nobis tradita fuiffe docent Annales Bertiniani ad An. DCCCLXIV., ex quibus etiam duos Epifcopos illos ab Erchemperto nullo nomine indicatos, *Gunthardum* Archiepifcopum Colonienfem, & *Theutgandum* Archiepifcopum Trevirenfem fuiffe fcimus, eorumque cauffam, ob quam à Pontifice fanctiffimo Nicolao juftè, ac ritè depofiti, eâ indulgentiâ, quam Regia freti legatione extorquere fatagebant, fe indignos probarunt. Qui Erchempertum audiit, multò magis Bertinianis Annalibus auditis, de hoc Ludovici facto horrebit, neceffe eft (3). Interim ex ipfo Pontifice Nicolao rem ipfam comprobabimus, qui in fua ad Orientales Epiftola de Rodoaldo queritur, prævaricatore Pontificiæ Sedis Legato, ac cum prædictis Archiepifcopis fimul depofito, qui, *ubi* (inquit) *non reperiit tutum fuæ tergiverfationis latibulum, tandem aliquando Romam redire aufus eft; Et cùm nos inter furentium adverfariorum linguas, & manus apud B. Petrum Apoftolum degeremus, ipfe infperatus fuper nos hoftis inter hoftes irruit* (4).

Sed nec primum hoc, nec poftremum fuit à Ludovico proditum, animi ad omne facrilegii, crudelitatis, ambitionis genus paratiffimi, exemplum. Nihil calamitofius Religioni, atque Italiæ contingere potuit, quàm quum is primùm anno DCCCXLI. Italiam invifere cœpit.

(1) Verba Joannis Diaconi fuperiùs recitavimus.

(2) Cap. XXXVII.

(3) Annalifta Bertinianus hæc fcribit. *Ludovicus Imperator Italiæ nominatus, incentore Gunthario ad fuam injuriam referens, quoniam Legatos fui fratris Lotharii per ipfius fiduciam, & interventionem Romam directos Apoftolicus, ut fupra monftravimus, degradavit, feque ipfum furore non capiens, comitantibus fecum eifdem Legatis Theutgando, atque Gunthario, cum Conjuge ea intentione pergit, quatenus aut Papa Romanus eofdem reftitueret Epifcopos, aut hoc facere non volenti noxiè quodammodo manum mitteret. Quod audiens Apoftolicus cum Litaniis, generale jejunium fibi, & Romanis indixit, ut Deus Apoftolorum fuffragiis præfato Imperatori mentem bonam, & reverentiam erga Divinum cultum, & Apoftolicæ Sedis auctoritatem donaret. Imperatore autem perveniente Romam, & fecus Bafilicam B. Petri degente, Clerus, & populus Romanus cùm Crucibus, & Litaniis jejunium celebrantes B. Petri memoriam adeunt, & ab hominibus Imperatoris, cùm gradus ante Bafilicam B. Petri coeperunt afcendere, in terram proftrati, & variis ictibus flagellati, & Crucibus, ac vexillis confractis, qui evadere potuerunt, fugati funt. In quo tumultu, & Crux mirabilis, & veneranda à Sanctæ memoriæ Helena decentiffimè fabricata, in quo lignum mirificæ Crucis pofuit, & S. Petro munere maximo contulit, confracta, & in lutum projecta eft....... Quæ flagitia ut Apoftolicus in Lateranenfe Palatio degens comperit, & paullo poft illum capiendum non incerto nuncio didicit, latenter navem intravit, & per Tyberim ad Ecclefiam S. Petri fe contulit, ubi duobus diebus, ac noctibus fine cibo, ac potu manfit.* Ceffit tunc Roma, ceffit tunc Pontifex Ludovici furori, fed improbitati non ceffit; atque demum Apoftolicam Nicolai juftitiam, ac conftantiam expugnare non valens Imperator, *poft paucos dies patratis a Comitatu fuo multis deprædationibus, & manfionum deftructionibus, ac Sanctimonialium, cæterarumque foeminarum conftuprationibus, atque hominum cædibus, necnon & Ecclefiarum infractionibus, Roma exiens Ravennam venit &c.* At non ita pauci ii, tam nefarii facinoris, tantæque calamitatis fuere dies, *quos duos, & quinquaginta* numerat *Libellus* quidam, per eam occafionem a Romanis fcriptus, relatufque in Codice Uldarici apud Eccardum *in Hift. Med. ævi* tom. II. col. 190.

(4) Apud Baronium ad an. 864. num. III.

cœpit. Ab Lothario Patre Romam tunc primum missum post Gregorii IV. obitum, Sergiique II. electionem tradit Sigebertus, *acturum, ne deinceps, decedente Apostolico, quisquam illic præter sui jussionem, Missorumque suorum præsentiam ordinetur Antistes*. Ex Adonis testimonio, qui Ludovicum ad suscipiendam Regni, seù Imperii coronam, à Genitore missum tantummodo narrat, Baronius *Schismatici* Sigeberti *impudentiam redarguendam* sibi censuit; sed allatam à Sigeberto caussam antiquiores Sigeberto Annales Bertiniani iisdem verbis prodiderunt; nosque veram ducimus, non ut Lotharii, Ludovicique læsum in ea Pontificis electione jus statuamus, sed ut manifestam utriusque injuriam, quam Romanæ Ecclesiæ inferre conabantur, noscamus. Sed sceleftius quid animo tunc concepisse Ludovicum, ut scilicet non solum Romanæ Ecclesiæ libertatem, verum etiam Romanam Urbem, ejusque ditionem omnem suo dominio, seù potius Tyrannidi subjiceret, manifestè ostendit copiosissimus, optimèque instructus ille Exercitus tum militum, tum pessimorum consiliariorum, quibus stipatus Italiam ingressus est; ostendit sequutus mox rei eventus; ostendunt res ipso in limine à Ludovico, ejusque exercitu gestæ, quas Anastasii verbis describere præstat. *Ipsi vero, ex quo in oras Bononiæ Civitatis teligeris exercitibus sunt ingressi, tantas cædes, tantasque strages in populos peregerunt, ut qui per Urbes, & agros erant tyrannica crudelitate perterriti, relictis propriis locis, per loca abdita, & latebras se absconderent. Cum vero hæc per omnem locum, singulasque Urbes, atque vicos, & agros sæva operarentur nequitia, ad pontem pervenerunt Capellæ &c.* Audisti ne, lector, aut potius vidisti, non, ut olim, Francicos exercitus ex Alpibus descendere Italiæ salutares, sed ex Septemtrionali plaga irruere iterum in Italiæ exitium, ac vastitatem novos Getas, Hunnos, Alanos, & cetera, quæ olim fuerunt, Barbaricarum nationum monstra: Sed deteriores adhuc Francos dicere licebit, quos nec fulminibus armata Divini Numinis dextra cohibuit: nam ad dictum *Pontem Capellæ*, subità tempestate, cum multorum nece concussi, *hoc videntes horribile signum, nullatenus mentis ferocitatem deponentes atroci voluntate ad Urbem velociter properabant*. Altero igitur signo opus fuit, quando jam Ludovicus cum suis non solum irreligioso, sed planè hostili animo in Atrio Basilicæ S. Petri consisteret; in quo Atrio *unus de exercitu à Dæmonio arreptus in conspectu omnium Francorum valdè vexatus est*. Sic ipse è Cœlo Deus Pontificis inermis constantiam, prudentiamque adversus Ludovici ambitionem, ferociamque communivit, ita ut demum discedenti, nihil omnino aliud, præter Italici Regni Coronam, obtinere contigerit. *Tunc vero læti omnes cum conjugibus, ac liberis Senatus, Populusque Romanus, tam ingenti peste liberati, & à jugo tyrannicæ immanitatis redempti Sanctissimum* Sergium *Præsulem, velut salutis auctorem, & restitutorem pacis venerabantur* (1). Hæc fuerunt Ludovici exordia, quæ deteriora postmodum sunt consequuta, ut paullò superiùs demonstravimus, quibus & avaritiæ studium in nefarium usque Simoniæ scelus erumpens, & alia plura addere promptum esset, quæ cum Erchemperto, qui *de multis duo inferre* contentus fuit, libenter prætermittimus.

Accessit ad malorum cumulum, grande & ipsum malum, Fœmina, scilicet Augusta Conjux, Ingelberga. Nihil ea arrogantius, nihil avarius, quæ propria sexus vitia, si cum Principatu coalescant, in immensum insolescere solent: Quamobrem universæ Italiæ odium sibi Ingelberga comparavit, atque votis communibus indigna fuit habita, ut Ludovici thalamo, ac lateri adstaret. Patrium, ideft Francicum, proindèque indubiæ fidei Scriptorem Annalistam Bertinianum audire satis fuerit. *Primores* (inquit) *Italiæ Ingelbergam propter suam insolentiam habentes exosam, in loco illius filiam* Winigisi *Imperatori substituentes, obtinuerunt apud eundem Imperatorem, ut Missum suum ad Ingelbergam mitteret, quatenus in Italia degeret, & post illum non pergeret, sed eum in Italiam reversurum expectaret. Ipsa autem non obaudiens illud mandatum, post eum ire maturavit* (2). Quocunque vero nomine, vel Conjugis, vel Pellicis, filiam Winigisi, Ingelbergæ uxoris vice, Ludovico substituendam curarint Primores Italiæ, alterutrum nefas fuerit, necesse est; atque istud quidem Ludovico admisisse novum scelus fuit, Italis vero proposuisse flagitium, quo tamen sceleftiora illa, quæ ex Ingelberga sibi pertimescebant, à cervicibus suis avertere nitebantur.

Sed quid hæc (iniquies) ad Beneventanos? Ac Beneventani quidem (ut ad ipsorum caussam descendamus) talem virum Ludovicum, talem fœminam Ingelbergam, cum suis Francis diuturnâ quadriennii morâ domi sustinere debuerunt. Ferenda quidem quæcunque aspera fuerant,



(1) Anastasius in Vita Sergii II. tom. III. part. I. Scriptor. Ital. pag. 227. & seq.

(2) Annal. Bertiniani ad ann. DCCCLXXII. tom. II. part. I. Script. Ital. pag. 558.

erant, quando adversus communes Hostes pugnandum fuit, quibus debellandis ita necessariæ erant Francorum vires; ut tamen sine Beneventanorum conatibus vix essent profuturæ. Jam initio hujus Capitis observavimus, sola Capuanorum defectione priorem expeditionem, quæ adversus eosdem Saracenos ab eodem Ludovico Anno DCCCLII. suscepta fuit, incassum cessisse. Prostrati postea Anno DCCCLXXI. Saraceni; expugnata Barium; parta tunc victoria est; quum conjuncti Francis Beneventani suas vires omnes (uti par erat) contulissent, suumque sanguinem in eam rem profudissent. Sed & ingens tunc à Francis beneficium non abnuebant acceptum, perpetuisque grati animi significationibus obtestaturi fuissent Beneventani, nisi Franci ipsi beneficium suum perire fecissent, atque eò demum rem omnem deduxissent, ut Beneventani, mutato tantum Saracenorum nomine, idem, aut etiam acerbius à Francis subire jugum cogerentur.

Ac de Francorum exercitu testatissima res est ex ipsismet Scriptoribus, qui de Ludovici Captivitate Beneventanos adeò criminosè insectantur. Erchempertus, qui aliis præit, *Diaboli instinctu* Gallos *graviter Beneventanos persequi, ac crudeliter vexare coepisse* affirmat. Parum, aut certe nihil Diabolus laborare debuit, ut Gallorum animis hunc instinctum injiceret, quos satis superque suopte ingenio, ac more ad prædam, & sanguinem, atque ad omne flagitiorum genus exardescentes, paullò ante Italia, atque ipsa Roma experta fuit. Quid verò malorum in Beneventanos non addidissent Galli, qui Saracenicâ victoriâ insolentiores effecti, illos ea de re sibi obnoxios reputabant? Quantum denique Gallis incentivi ex ipso Augusto Ludovico, ex ipsa Augusta Ingelberga, quorum tum auctoritas, tum exempla non illorum cohibere, aut temperare licentiam, sed augere insolentiam videbantur?

De Ingelberga nunc videamus. Chronographus Cavensis, qui (uti superiùs diximus) in Ludovici Captivitate Græcorum *vafritiam* admittebat, præcipuam tamen caussam in Ingelbergæ improbitatem refert: nam *pro sua Uxoris malignitate in carceribus traditum Ludovicum* adtestatur. Annalista Bertinianus, quem etiam superiùs audivimus, mali caussam, eandem Ingelbergam agnoscit, *cujus factione* Adalgisus Princeps *in perpetuum exilium a Ludovico* ejiciendus parabatur; scilicet ambitiosæ Foeminæ, quæ sibi cuncta per impotentiam subjecerat, illud molestum videbatur, illud reliquum erat, ut legitimum, innoxiumque Beneventanorum Principem non solùm paterno Principatu, sed paternis adhuc laribus perpetuò extorrem efficeret. Sed jamdemum Anonymum Salernitanum audire libebit, cujus testimonium de universa re in hunc locum servavimus. *Cumque Beneventanos Cives nimis hostiliter insequeretur sua Conjux; atque mulieres illorum omnimodis nimirum foedaret, & ipsa Beneventanos variis injuriis afficeret, afferens ad suos*; quia minime se sciunt communire Beneventani Clypeis: *dum ferè spatio trium annorum ipse memoratus Ludovicus una cum dicta uxore Beneventanis præesset, Beneventani eum extra Urbem expulerunt in hunc modum, quemadmodum sequens sermo declarat. Ignis undique succenditur, ubi ipse Imperator cum sua Conjuge degebat; & sic arma tulerunt, & ibi cum grandi strepitu adierunt. Ille Imperator veniam postulabat, & inter hæc verba suam Conjugem cum magna ira injuriis afficiebat afferens*: Numquid dicebas, quia Beneventani minime se sciunt munire clypeis? Cerne nunc qualiter undique se communiunt? *Quapropter per jusjurandum juravit, ut citiùs una cum suis Beneventum linqueret, & sine mora Galliam properaret, & nulla damna, vel oppressionem in illorum amplius arva iniret; & statim cum suis omnibus exinde est motus, Galliamque properavit, licet aliquanto tempore eum in custodia habuissent* (1).

Restat Ludovicus, de cujus moribus, quum satis jam superiùs dictum sit, nunc de ejus in Beneventanum Principatum juribus, quæ vel ei deberentur, vel ipse sibi usurpabat, agendum erit; Utque in summam illa contraham, unumque sub aspectum statuam, quæ à secundo hujus Dissertationis Capite, ab ipsa nempe Beneventani Principatus institutione, servato dein temporum ordine, hactenus dicta sunt, constat, primum Arichim Principatus fundatorem, post varia belli discrimina, ita demum pacem a Carolo Magno impetrasse, ut tradito duntaxat obside Grimoaldo Filio, non solum invidiam omnem à suscepto Principis titulo exuerit, verum etiam supremum illud dominii jus, quod post extinctos naturales Dominos Longobardicos Reges sibi vindicaverat, amplius sibi confirmaverit. Traditas ab eodem Carolo ineundi Paterni Principatus Leges Grimoaldus *obses* suscepit, sed *Princeps* contemsit; suamque libertatem adversus frequentissimos Francorum exercitus victor sibi restituit, vel potius constabilivit. Ejus Thesaurarius olim, mox successor Grimoaldus alter foedera duntaxat cum

(1) Cap. CXVII. Inter Opp. Peregr. tom. II. p. 212.

cum Francis junxit, non ut Dominos agnoſceret, ſed ne hoſtes haberet. Tum Sico per nefariam Grimoaldi necem, Principatu potitus, legatione, ac muneribus non Francorum conſenſum, ſed gratiam, eoſq; ſceleris ſui veluti patronos comparavit; nam quum res ſuas apud Beneventanos in tuto poſitas conſpexiſſet, nullo Francorum nutu Sicardum filium Principatus conſortem, mox hæredem reliquit. Sicardum excepit Radelchis, qui Princeps omnibus Beneventanorum ſuffragiis ſalutatus cum Siconolfo Principatum dividere maluit, quàm bellis civilibus, ac Saracenorum depopulationibus diutius vaſtatum, in extremum interitum, ac cineres perducere. Fuit quidem ea diviſio, Ludovico præſente, celebrata, cui tamen nulli ſupremi Domini partes tum impletæ, nullum tum quæſitum jus, ſuperiùs demonſtravimus. Hinc neque Ludovici partes ullæ fuerunt, ut, Radelchi defuncto, Radelgarius filius, ac mox Adalgiſus frater in Principatus ſucceſſionem admitterentur: conſtans enim, ac perpetuum illud fuit ab ipſius Ducatus temporibus cœptum, inſtituto vero Principatu, quàm maxime obſervatum, ut Principatus Hæredem ſequeretur, nullius, niſi Beneventanorum adhibitis ſuffragiis, penes quos integrum jus manſit, ſummaque ſervabatur poteſtas probandi, eligendive Principes ſuos. Ineptiſſimum autem foret,& recentibus meritis Ludovici dominium in Beneventanum Principatum argumentari; An enim in collatæ opis mercedem Principatus ipſe tranſire debuiſſet? vel Adalgiſus, qui cum ſuis communem, ſtrenuamque operam in profligandis Saracenis conjunxit, ita auxiliarium Ludovicum voluerit, ut is nedum Victoris gloriam ſibi perciperet, verùm etiam integram Principis auctoritatem ambitioſiùs ſibi uſurparet?

Hùc igitur *Nummus* ille referendus procul dubio eſt, a quo huic Capiti exordium fecimus. Habemus in altera facie *Ludovicum* inſcriptum, in altera *Beneventum*: Nihil de Adalgiſo Principe; nihil de Principatu; ut certum illud conſtet, non tam quandam ſupremi juris auctoritatem, quàm pleniſſimam ipſius Principatus adminiſtrationem, dominiumque Ludovicum exercuiſſe. Atque utinam Princeps tantum Ludovicus, non etiam Tyrannus: quanquam & illud dicere fas erit, utinam uno modo Tyrannus, quod in alienum Principatum duntaxat invaſerit: ſed deterrimus adhuc Tyrannus, qui, uti ex pluribus indubiæ fidei monumentis ſuperiùs demonſtratum fuit, cum Conjuge ſua, ſuiſque Francis in Civium ſanguinem, honorem, fortunas debacchari numquam deſinens, legitimum, innoxiumque Principem, fortaſſe paullòpoſt trucidandum, interim in perpetuum exilium ejicere cogitarit.

Quæ quum ita ſint (neque enim ullus Scriptorum eſt, qui Ludovici Captivitatem, Beneventanorum crimini vertens, non etiam Ludovici in Beneventanos injurias plus minuſve, vel pro aliquo partium, vel pro ſolo veritatis ſtudio in medium proferat) dum Ludovicus diutiùs Beneventi moratus nullam pene diſcedendi ſpem faciebat, an ſub perpetuo Francorum jugo ingemere Beneventani debuiſſent? an diutius ferenda Adalgiſo Ludovici impotentia, qua & ſui Beneventani adeo miſerè divexabantur, & ſibi libertatis, ac vitæ diſcrimen jam propè immineret? Vociferabantur certè non ſolùm violata Hoſpitii jura, proculcata Juris Gentium placita, ſed ipſa quoque vociferabatur Naturæ Lex, quâ injurias propulſari, iniquam repelli vim, dum fas, juſque privatorum ſemper fuit, quàm maximè Principibus licebit, in quorum majeſtate, & ferendarum legum poteſtas, & Magiſtratuum omnium auctoritas continetur. Nihil verò mirum, Ludovico apud Senatum, Populumque Rom. cauſam ſuam agente, atque multa (uti Regino ajebat) *ſuper Adalgiſi tyrannide conquerente*, Tyrannum, atque hoſtem Reip. Adalgiſum *à Senatu declaratum*, *bellumque adverſus eum decretum*. Facile id fuit Ludovico cum militibus ſuis præſenti obtinuiſſe, neceſſarium Romanis, vel præteritorum malorum recordatione, vel etiam adulatione permotis, annuiſſe. Cauſſa denique, abſente, inauditoque Adalgiſo, peracta fuit; quæ nonniſi Poſteritatis judicio ſervata, neminem profecto inveniet, qui non Adalgiſum abſolvat, atque æquiore ſententia, & *Tyranni*, atque *Hoſtis* infamiam in Ludovici caput convertendam pronunciet. Quin etiam parum videri debet abſolviſſe tantummodo Adalgiſum; collaudaſſe opus erit: dum in illo extremo rerum omnium diſcrimine, nihil contra Ludovici vitam molitus fuit, nihil de illius, ejuſque Conjugis, Francorumque ſanguine, ac nece cogitavit, ſed ſingulari uſus moderatione id tantum permiſit, quo Beneventani non Francorum ſpoliis diteſcerent, ſed ablata ſibi a Francis repeterent, id denique fas ſibi duxit, quo Ludovicus cum ſuis diſcedere tandem compulſus, nunquam ut nec hoſtis, nec amicus rediret, juramento obſtrictus, Beneventanos, eorumque Principem à præſenti Tyrannide, futuriſque injuriis perpetuò liberaret.

Rediit tamen hoſtis Ludovicus, nec ſemel rediit, ſed irrito ſemper conatu; ut obiter videas,

videas, quid fine Adalgiso, Beneventanisque Ludovici vires contra Saracenos valuissent: Ludovici certè viribus solus cum suis Adalgisus restitit, iteratosque animi vindictæ ardore ferocientis bellicos conatus omnes facilè propulsavit: adeò ut neque illud demum Ludovicus, ne discessisse prorsus inultus videretur, efficere potuerit, ut scilicet Metropoliticum Jus Beneventanæ Urbis, Ecclesiæque ad Capuanos transferretur. Audi Erchempertum num. XXXVI. *Per idem tempus jam dictus Cæsar Landulfum in familiaritatem alliciens, tertium in Regno suo constituit. Qua electione indeptus, Archiepiscopatum totius Beneventi omni aviditate, & ut Capua Metropolis fieret, quæsivit, sed, non Domino sinente, ad perfectum minime pervenit. Lodovicus autem volens Beneventum acquirere, sed minime valuit, ad propria recessit.*

Habes denique ex his omnibus, quam pro Adalgiso statuere debeas, caussæ justitiam. Quod si manifestiora argumenta desideras, ex ipso totius rei exitu, ut in medium proferam, jam præsto erunt. Quid enim? jam tertius labebatur annus, quo Adalgisus furentis Augusti conatus eluserat, rumorque tum falsò percrebuit, etiam Græcos advenire Beneventanorum auxiliarios: Ludovicus igitur, *quoniam* (sic Annales Bertiniani ad Annum DCCCLXIII.) *aliter Adalgisum obtinere non poterat, mandavit Apostolico Joanni Compatri Adalgisi, ut ad eum ad Campaniam veniret, & sibi Adalgisum reconciliaret. Volens ostendere, quod, quasi intercedente Beati Petri Vicario, ipsum Adalgisum reciperet; de quo juraverat, quod nunquam de illis partibus rediturus esset, antequam illum caperet; quem revera virtute sua obtinere non posset.* Hæc ex Annalista Bertiniano, gente quidem, ac studio Ludovici partibus addicto: atque hæc demum justæ captivitatis injustam vindictam a Ludovico susceptam, vel ipso fatente Ludovico, demonstrant: Adalgiso verò (cujus cum Pontifice Joanne necessitudinem, proindeque summam erga Apostolicam Sedem observantiam ex eodem Annalista scimus) perpetuum laudis monumentum præstabunt; quandoquidem domesticum hostem Ludovicum summa moderatione depulerit, redeuntem ea fortitudine distinuerit, ut simulatione opus fuerit, quâ novæ Augusti, Francorumque ignominiæ parceretur; pacemque, *quasi intercedente B. Petri Vicario*, exorasse, impetrasseque Adalgisus fingeretur, quem Ludovicus *revera virtute sua obtinere*, ac debellare nequiret.

## CAPUT VII.

*Qui Gregorio olim Beneventano Duci falsò adjudicabatur, Georgio Græcorum Augustorum Duci Nummus restituitur, atque illustratur. Quo tempore, quave occasione Græci in Beneventanam Urbem invadentes, in suum dominium, regimenque redegerint. Ejectis Græcis, iterum Principes Longobardi restituti: Quorum series à Superiore Adalgiso usque ad Atenulfi initium, idest Sæculi IX. exitum, novis observationibus locupletata recensetur.*

POstremum locum huic Nummo damus, à quo, Beneventanorum Principum nummos Cl. Muratorius exhibens, exordium sibi fecit. An revera ad Beneventanos is Nummus pertineat, dum nihil Beneventanum ibidem appareat, vereor, ne quis suspicetur. Dubitare de ea re nefas mihi fuerit post Muratorii judicium, à quo libenter id excipiam, quo nummaria nostra penus lucupletior evadat, ægrè tamen id feram, ut ad antiquiora Beneventani Ducatus tempora referendus existimetur. En tibi Nummum, cui eadem simul omnia subjicere libuit, quæ ad illum Muratorius observavit.




*Dum stetit Longobardorum Regnum sub suis Regibus, nunquam induxissem animum ad credendum, licuisse Ducibus Beneventanis signare Nummos, nisi ex iis unum nobis in Stemmate Genealogico Regum*

*Regum Longobardorum servasset Angelus Breventanus, quem heic sisto sub numero* 1. *Visitur ibi effigies hominis cum Cruce, ac duabus stellis, & in postica altera Crux cum Monogrammate, idest cum literis* OGRE, *seu* GREO, *quæ idem Breventanus interpretatur*, Gregorius. *Anno revera* 731. *Beneventanæ Provinciæ præfuit Gregorius Dux, regnante tum Liutprando Rege. Et sane in eo Monogrammate non ego quidem alium legere potui, nisi* Gregorius. *Verum durum adhuc mihi videtur credere, tantum auctoritatis fuisse Ducibus Beneventanis, ut sub Rege Longobardo, quem uti supremum Dominum colebant, & à cujus Imperio pendebant, pecuniam cuderent, una sui effigie signatam, nullaque Regis facta mentione* (1). Hactenus Muratorius; qui licet dubitabundus, in Gregorio tamen Duce conquievit: atque aliis, ut vel ita rem esse crederent, vel potius verisimiliora perquirerent, integrum reliquisse videtur.

Ajo igitur (quod & alibi monui) de ejus Nummi possessione, in qua, Muratorio judice, hactenus stetit, dejiciendum Gregorium Ducem, Nummumque ipsum Gregorio, sive Georgio Græcorum Patritio, qui longè posteriore ævo Benevento præfuit, adjudicandum videri. Ac priori Gregorio non ea tantummodo obstabat Beneventani Ducatus conditio à Muratorio animadversa generatim, verum etiam angustior quædam ejusdem Gregorii auctoritas, qui (uti priore Capite hujus Dissertationis latiùs explicavimus) Gisulfo Ducis Romualdi filio, adhuc puero, atque in Ticinensi Aula educando, à Rege Liutprando suffectus, temporariam, ac veluti precariam, donec Gisulfus adolesceret, Ducatus administrationem suscepit. Ineptum igitur omnino fuerit de hoc Gregorio cogitare, ut is videlicet nullo aliorum Ducum exemplo, inferiore etiam ipse jure, pecuniam tamen cudere ausus fuerit. Contrà verò plura sunt, quæ Gregorio alteri, sive Georgio (cujus verè Græci hominis vocabulo Monogramma consentit) nummum tribuendum suadeant, quæ ut luculentiùs constent, æquum est, ut ab sua origine cognoscantur, explicenturque prius, & modus, & tempus, & auctoritas, quibus Beneventanus Principatus in Græcorum potestatem pervenerit.

Post extinctum Ravennatem Exerchatum, solius Ducatus Neapolitani, ac præterea Hydruntinæ Urbis, ejusque Regionis reliquum Græcis mansit dominium. Hydruntum per se ipsos, suosque Magistratus integro jure administrabant: Neapolim verò tanquam supremi Domini subditam retinebant, cui regendæ ex ipsis Græcis Duces aliquando adscitos novimus (2). Sed præclarissimum omnium ejus rei monumentum præstabit Epistola Augusti Ludovici II. ad Basilium Augustum, qua ad aliarum rerum probationem superiore Capite usi sumus. Conquerebantur Neapolitani apud Basilium de Ludovico, quod is post Barii expugnationem, Beneventi consistens, pleraque moliretur, quæ Græci Imperii dominium, ipsorumque Neapolitanorum libertatem læderent: Expostulanti Basilio respondet Ludovicus, se minus, quàm ex veteri jure deberetur, à Neapolitanis exegisse, id vero præcipuè curasse, ut quæ in Italiæ perniciem adhuc fovebatur, Neapolitanorum cum Saracenis societas discinderetur. *Postremò* (inquit) *de Neapoli nobis in Christo Fraternitas tua monuit, quasi miserimus populum nostrum ad incidendas arbores, & messes igne cremandas, & hanc ditioni nostræ subdendam. Cum licet ab olim nostra fuerit, & Parentibus nostris piis Imperatoribus tributa persolverit; verum nos ab ejus Civibus præter solitas functiones nihil exigimus, nisi salutem ipsorum, videlicet ut desererent contagia perfidorum, & plebem desisterent insequi Christianorum: nam Infidelibus arma, & alimenta, & cetera subsidia tribuentes, per totius Imperii nostri litora eos ducunt, & cum ipsis toties Beati Petri Apostolorum Principis fines furtim deprædari conantur; ita ut facta videatur* Neapolis Panormus, vel Africa *sedes Saracenorum* (3). Pergit tum Ludovicus ea Basilio subnectere, quæ propiùs ad rem nostram accedunt: nam satis sibi virium suppetere inquit, quibus Saracenorum reliquias in Apulia, & Calabria superstites conterat, sed Saracenorum copias nunquam defuturas, nisi ex Sicilia, & Africa ad Italiæ oras appellere prohibeantur: huic malo facile occurri posse, si Basilius Classem in eam rem mittat; *nam* (inquit) *ipse Stratigus Georgius* (qui Hydrunto scilicet præerat, Gregorius alibi appellatus) *licet solerter invigilet, & strenuè pro suo posse decertet, non tamen sufficiet obviare, si plures inimicorum naves ex parte qualibet apparuerint* (4). Quid rerum post hæc Ludovicus gesserit, superiore Capite, ubi de ejus Capti-

(1) Antiq. med. ævi. tom. II. Differt. XXVII. p. 617.

(2) Johannis Diaconi, domestici scilicet Scriptoris, insigne ejus rei extat testimonium: nam in Episcopo Paullo post Anthimi Consulis obitum, ut in Successore deligendo nullus esset ambitioni locus, subortaque discordia amputaretur, *Neapolitani*, inquit, *miserunt Siciliam* (quæ tum Græcis Augustis parebat) *& inde advectum quendam Theoctistum sibi Magistrum militum statuerunt: Cui, aliquantis decursis temporibus (ut Græcorum moris est), successit Theodorus Protospatharius.* Scriptor. Ital. tom. I. part. II. pag. 312.

(3) Apud Anonymum Salernitan. cap. CXIV., & apud Baronium ad An. 871. num. 69.

(4) Apud d. Anonym. Salern. cap. CXV.

Captivitate distulimus, jam dictum est: Quæ deinceps Saracenorum molimina, quomodo ex his Græci profecerint, nunc erit observandi locus.

Si quid mali Ludovici captivitas tulit, id certè fuit, audaciores, quàm hactenus, Saracenos effecisse, qui post ejus discessum à Francorum armis jam tuti, Beneventanorum vires haud sibi formidabant, quæ in novi Hostis acceptam injuriam atrociùs vindicaturi repellendos conatus distinendæ erant. Innumera igitur ex Africa, Siciliaque Saracenorum agmina mox in Apuliæ, Calabriæque oras, *Imano* Duce, inundarunt; ipseque Imanus, Tarento iterum recepta, Rex ibi à suis salutatus est. Ne nova isthæc malorum colluvies latiùs effunderetur, quammaximè laboravit Beneventanus Princeps Adalgisus, ter Saracenos cum suis aggressus, sed adversam belli fortunam expertus, illud etiam durissimum subire debuit, ut *Saugdanum*, seù *Seodanum*, quem in expugnatione Barensi receptum, adhuc Beneventi Captivum servabat, Imano petenti liberum dimitteret. Perculit ea res Barensium Civium animos, qui in communi metu, illud ex Seodani libertate discrimen sibi incumbere verebantur, ne is Barium recuperare, ibique pristinam tyrannidem instaurare moliretur: Infelix Principis sui Adalgisi rerum exitus in id consilii eos perduxit, ut cum illius viribus Græcorum auxilia sibi adsciscerent. Audivimus paullò ante Ludovicum in sua ad Basilium Epistola exhortantem, ut is Classem mitteret, novas Saracenorum irruptiones facilè cohibituram. Præstitit id Basilius diverso tamen consilio, ut rerum exitus probavit, aliquam Italiæ partem ea occasione sibi facile recuperandam ratus. Classis Præfectus Gregorius fuit, ad quem extat Pontificis Johannis VIII. Epistola data x. Kal. Maii Indict. x., idest anno 877., qua de collato munere, felicique adventu cum eo gratulatus, auxilium petit adversus Saracenos Romana litora incursantes. *Gratulati* (inquit) *sumus, audientes gloriam tuam directam cum Deo conservandis exercitibus à prædicto divinitus protegendo Imperatore* (Basilio) *in partem Beneventanorum venisse, tum quia* (*gratias Deo*) *ipsius divinitùs provectum Imperium in defensionem Christianitatis pio Zelo succensum, classem, & militarem validam manum contra inimicos Crucis Christi mittere procuravit; quàm quod Te præ cæteris ad tantum opus cum Dei auxilio peragendum elegit, quem audivimus in omnibus strenuum, & Dei cultorem industrium ....... Quapropter bene visum est, nobis literas nostras tibi transmittere, ut vel decem bona, & expedita Achelandia* (Navigiorum genus) *ad portum nostrum transmittas, ad litora nostra de illis furibus, & piratis Arabibus expugnanda &c.* (1). An Gregorius obsequutus Pontifici fuerit, ignoramus: atque Barenses Gregorium, cum ejus milite in suam Urbem recipientes, ejus tutelæ se commiserunt: Gregorius autem Barium ingressus, Græca fide usus est, nam spreta juris-jurandi religione, Beneventani Principis Gastaldeum, Urbisque Primores vinculis mancipatos, Constantinopolim misit, Urbemque universam in Græci Imperii potestatem redegit (2). Sic Græci eodem, quo olim Saraceni, exemplo, eadem fide, ex auxiliaribus hostes eandem Urbem Barium occuparunt; quæ res, utpote novitate sua insignis, non solum ab Erchemperto, & Anonymo Salernitano, literarum monumentis consignata fuit, verum etiam ab omnibus ejus ævi Chronologis celebrata, quorum alii ad annum DCCCLXXV., alii ad sequentem annum evenisse tradunt (3): insignior verò res eadem evasit, quæ paullò post Græcis ipsis ad expugnandam, sibique subdendam totius Principatus Caput Beneventanam Urbem promptam occasionem, facilioremque aditum præbuit. Id accidit anno DCCCXCI. sub Principe *Urso*, ad quem ab Adalgiso, in quo substitimus, deductâ aliorum Principum serie, citò perveniemus.

Adal-

(1) Inter Epistolas Johannis VIII. num. XLVI. apud Labbeum tom. XI. Concil. p. 38. edit. Venet. Titulum *Pædagogi* Gregorio tribuit Pontifex, qui postea in Epist. 169. & 178. *Primicerium* appellat. Fortasse, quum in Italiam ablegatus fuerit Gregorius, *Pædagogi* munere in Aula Constantinopolitana fungebatur, cui scilicet educandi *Pueros honorarios* cura esset, qui in Palatio ministerio Principis militantes, *Pædagogiani* appellantur ab Ammiano lib. 26. & 29. & in Notitia Imp. Orient. cap. 91.: Post verò Italicam expeditionem feliciter cœptam mox ab Imperatoribus ampliori *Primicerii* munere decoratum Gregorium putabimus.

(2) Erchempertus cap. XXXVIII. Anonymus Salernitanus cap. CXXXI. Ita certè utriusque corruptus locus intelligendus est. *Hoc audientes, qui Bari residebant, Gregorium Bajulum Imperialem Græcorum, qui tunc in Odronto degebat, cum multis exercitibus adsciverunt, & Barim introduxerunt ob Saracenorum metum. Qui statim Appochensum Gast., illiusque Primores Constantinopolim misit, ut quibus jurejurando fidem dederat.*

(3) Lupus Protospata ad an. 875. ita habet: *Intraverunt Græci Barum mense Decembri die Natalis Domini fer. 3., & Gregorius Stratigo, qui & Bajulus dicebatur.* Tom. IV. Opp. Peregr. pag. 18. Chronicon Ignoti Barensis l. l. pag. 315. DCCCLXXV. *Ind.* VIII. *Intravit in Baru Bajulo Stratigo.* Chronicon S. Sophiæ ad eundem annum l. l. pag. 362. *Græci ingressi sunt Varum.* Chronicon denique Cavense l. l. pag. 399. ad an. DCCCLXXVI. hæc inter alia scribit. *Gregorius Bajulus cum Græcis in Barim Urbem introgressus est.*

Adalgisus igitur, Anonymi Salernitani elogio, *Vir audax, & sagacissimus, nec non mitissimus* appellatus (1), qui certè se ipso, suisque viribus, ac adversâ semper fortunâ major, ruentem Principatum æquè adversus Saracenorum, ac Francorum furorem sustinuit, post diuturnam Annorum XXIV., ac mensium sex illius administrationem, deteriores Saracenis, Francisque domesticos hostes expertus tandem fuit. Ipsum Radelgario fratri, omnium suffragiis successorem datum superiore Capite diximus: sed ex Radelgario Gayderius filius tum aderat, qui à paterna successione ob ætatem exclusus, Principatum demum nefaria Patrui cæde anno DCCCLXXVIII. sibi vindicavit (2). Hunc fuisse emortualem Adalgisi annum, manifestè evincit Pontificis Johannis VIII. consolatoria ad Ajonem Episcopum Beneventanum Adalgisi fratrem Epistola, data Indictione XI., quæ dicto anno respondet (3), ut videas ipsius Pontificis mœrorem de impiissimâ cæde Adalgisi, cui Compater erat, uti superiore Capite observavimus: Parricidii infamiam auxit Saracenorum consilium, & opera, quibus Gayderius usus est (4), cui tamen haud diù patratum facinus impune cessit; quamvis enim Galionem, & Dauferium Adalgisi necessarios, ac plerosque alios Primores Beneventanos cum suis familiis ex Urbe ejecerit, ne novi aliquid molirentur (5); vix ipse tamen tertium Principatus sui attigit annum, mense Januario anni DCCCLXXXI. ab ipsis Beneventanis expulsus: qui mox in ejus locum Radelchim Adalgisi filium, paternam cædem, ac legitimam successionem vindicantes, elegerunt. Sic Chronicon S. Sophiæ DCCCLXXXI. *Ejectus est de Benevento Gayderis Princeps mense Januario, & electus est Radelchis junior* (6). Gayderii ejectionem paullò post, ne ex ejus ambitione sceleribus assuetâ, Reip. status perturbaretur, captivitas subsequuta est; atque *Gayderis* (ut narrat Erchempertus) *Franchis traditus in custodia, fuga lapsus, pervenit Urbem Barensem, qua morabantur Græci, à quibus missus est ad Urbem Regiam Basilio pio Augusto, à quo honoratus, ditatusque donis Imperialibus Oriam Urbem accepit ad connivendum* (7). Sic Gayderius rebus suis consuluit: Sed vides simul, Græcos Barii dominos paullatim in finitimam Regionem, ubi Urbs Oria erat, dominationem protulisse: vides quoque Græcorum astutiam, qui Gayderium à Beneventanis ejectum in suam tutelam recipere, honoribusque afficere studuerunt, ut ejus ambitionem, odiumque in Beneventanos in emolumenta sua derivarent.

Sed Radelchim Gayderii loco electum, neque diù Beneventani sustinuerunt, quod is in administrando Principatu eorum opinionem fefellisset; In Radelchis igitur locum Ajonem ejus fratrem, atque itidem Adalgisi filium, Principem Beneventani salutarunt; quod Anno DCCCLXXXV. prædictum Chronicon Sophianum contigisse narrat (8). Variam expertus fuit Ajo belli fortunam, pro suæ virtutis varietate, nam, ut Erchemperti verbis utar, & *ante Principatum, & postea, partim imbecillis, partim roboreus extitit* (9). A Guidone Spoletino Duce, qui in Capuanorum auxilium advenerat, per fraudem, immo per summam Capuanorum perfidiam, Capuam amicus, & Princeps veniens, captivus factus fuit; unde & Guidoni Beneventum ingredi, atque occupare facilè contigit, sed facili æque negotio Ajo

(1) Cap. CXXXIV.

(2) Chronicon S. Sophiæ l. l. pag. 363. ad ann. DCCCLXXVIII. electus est Princeps Gayderius filius Radelchis (ideſt Radelgarii) & occisus est Adelchis Princeps frater ejus, ideſt ejusdem Radelgarii. Chronicon Cavense annum more suo antevertit.

(3) Apud d. Labbe l. l. pag. 102.

(4) Anonymus Salernit. cap. CXXXIV. *Adelchis vero cum Castrum Trevetense obsidere cuperet, & dum voluisset, & dum maluisset propriam Urbem* (Beneventum) *adire, à longe conspexit suos contra se properare....... nequaquam ab eorum conspectibus declinavit, sed ut eis approximavit, dubia verba depromit & illi salutaverunt eum. Sed dum paulisper simul ambularent, ab Agarenis simul, & Nepotibus extinctus est.*

(5) Extat ad Dauferium, seù Daferium ejusdem Johannis PP. VIII. Epistola num. CLVIII., qua *Comitis* Titulum ei tribuit, ac Principis Gayderii *consanguineum* appellat. Certè Dauferius si Adalgisi, etiam Gayderii consanguinitate junctus esse debuit. At quum Pontifex in ea Epistola, utrumque ideſt Gayderium, & Dauferium pari laude, & amore prosequatur, videtur plane Gayderius, loco Adalgisi, in ea Epistola mendosè irrepsisse: par judicium de Epistola CLVI. ferendum est, Gayderio inscripta, ubi Pontifex illum consolatur de damnis ab Agarenis illatis, auxilium pollicetur, seque in ejus partes venturum: nam mox altera sequitur, cujus superiùs meminimus, *consolatoria* ad Ajonem Episcopum de obitu *Adalgisi* fratris, ad quem propterea præcedens Epistola pertinere debet.

(6) Apud Murat. Antiq. med. ævi tom. I. pag. 254., & inter Opp. Peregr. tom. IV. pag. 362. Chronicon Principum Salerni apud eundem Peregr. tom. V. pag. 22. Gayderio annos V. mens. VI. dies XIX. perperam attribuit.

(7) Erchempertus cap. XLVIII., Anonymus Salernit. cap. CXXXIX. Chronographus Cavensis inter Opp. Peregr. tom. IV. pag. 401. ad an. 882. *Gauderisius Princeps Beneventanus carceribus mancipatur a suis, & Ratelchisus est elevatus.*

(8) Radelchis ejectionem, Ajonisque fratris electionem tradunt etiam laudati Erchempertus, & Anonymus l. l.

(9) Cap. LIV. Eadem repetit Anonymus Salernitanus cap. CXLII.

Ajo reſtitutus fuit, Sipontinis fidem erga Principem ſuum præclariſſimo opere, ac inopinato exhibentibus; nam cum Sipontum ingreſſus eſſet Guido, & Ajonem, quem ſecum captivum ducebat, foris reliquiſſet in Caſtris, Sipontini, re cognita, *ſupra dictum Ducem unanimiter irruentes, clauſere in quodam Templo, captis ejus Optimatibus. Hac, illacque tunc miſſum eſt, & abductus eſt Ajo, redditusque eſt ſuis: alio verò die Sacramento dato, vix cum dedecore* (Guido) *elapſus eſt* (1). Interea Theophylactus, qui in Barii regimine Gregorio ſucceſſerat, manifeſtum ſe Ajonis, Beneventanorumque hoſtem prodens, poſt acceptum in ſuam tutelam Marinum Gaſtaldum Caſtri S. Agathæ, Ajonis rebellem, multa Apuliæ oppida vi ſibi ſubegit (2). Sed Theophylacti audaciam non ſolum Ajo cohibuit, ſed Græcos etiam Barenſi ex Urbe expulit, quam iterum Beneventano Principatui reſtituit (3). Quotidiana deinceps inter Ajonem, ac Græcos certamina (4). Miſſus poſt Theophylactum Conſtantinus Auguſtorum *Aulicus, & Patricius*, Barium obſedit, adverſus quem Ajo primo certamine victor; dein victus Urbem ingreſſus eſt, quam tandem, Atenulfi Comitis Capuani, qui ad Græcos deſcivit, perfidiâ, Græco Duci conceſſit (5). Sed Barii amiſſionem gravior Beneventano Principatui ſubſequuta eſt calamitas, ipſa videlicet Principis mors, qui poſt ſex Principatus annos vix exactos Urſum filium ſatis puerum ſibi ſucceſſorem reliquit (6). Erecti hinc animis, & viribus Græci, novo Duce Symbaticio Patricio anno DCCCXCI. ad ipſius Beneventanæ Urbis expugnationem magno impetu properarunt. Incepta III. Id. Iulii obſidio, ad XV. Kalend. Novembris perduravit, accerrimos hoſtium conatus *ſagaciſſimis, ac robuſtiſſimis* Beneventanis propulſantibus, qui tandem externa ope deſtituti, ſe Symbaticio, fauſta Urbi quælibet à Græcis futura pollicenti, pacificè dediderunt. Fidem Beneventanis Symbaticius contra ſuæ gentis morem ſervavit, nihil in eorum detrimentum molitus, quos etiam, ut ſibi, ac Græco Imperio obſequentiores efficeret, donis cumulare ſtuduit. Eâdem moderatione, eâdem liberalitate Symbaticii ſucceſſor Gregorius, ſive Georgius uſus fuit, ut ſubditorum Longobardorum animos, quos Græcorum regimini, ac moribus non omnino pronos animadvertebat, ſibi conciliaret (7).

Ad Georgium igitur Græcorum Ducem, ac Beneventi Dominum ventum eſt: cui quidem,

(1) Erchempertus cap. LIX., Anonymus cap. CXLIII.

(2) Erchempertus cap. LXVI.

(3) Meminit Chronicon S. Sophiæ tom. IV. Peregr. pag. 362. his verbis: DCCCLXXXVIII. *Perditio fuit facta in Varo* (Bario) *per Græcos*. Biennio ante ſtatuit Lupus Protoſpata in ſuo Chronico l. l. pag. 19. his verbis. *Anno 886. facta fuit proditio in Baro menſe Junii, quando Princeps* (Ajo) *fecit prælium cum Stratigo Trapezi, & Græcis*.

(4) Erchempertus cap. LXXI. *Ajo autem tunc Bari degens impugnabat Græcos impugnantes ſe*.

(5) Erchempertus cap. LXXVI. & cap. LXXX. *Interea Ajone obſeſſo intra Urbem Barim à Græcis, atque auxilium efflagitante à Gallis, & ſuis, Atenulfus titubans Athanaſii* (Ducis Neapolitani) *minas, legatos ſuos ad Conſtantinum Patricium deſtinavit, qui reſidebat ſuper dictam Urbem, & foedus cum ipſo ſtatuens pacis, vires reſiſtendi Ajonis, aſtu doloſo avertit. His, & hujuſcemodi argumentorum decibulis dictus Ajo cernens ſe deluſum, doluit, tandem neceſſitate coarctatus cum memorato Patricio pacem faciens, Urbem remiſit, & ad propria remeavit*. Vid. etiam Chronicon Cavenſe ad An. 888.

(6) Lupus Protoſpata l. l. Ajonis mortem anno 890. aſſignat, eique Urſum *fratrem* mendosè ſucceſſorem tribuit, qui revera fuit *filius*; ſequenti verò anno Græcorum ingreſſum Beneventum menſe Octobris accidiſſe ſubdit; qua in re cum Anonymo Salernitano concordat. Protoſpatæ hæc ſunt: *Anno 890. obiit Ajo Princeps, & ſurrexit Urſus Frater ejus. Anno 891. intraverunt Græci Beneventum menſe Octobris, & Stratigo Sabbatichi in Siponto menſe Junii*. Chronicon S. Sophiæ l. l. pag. 363. mortem Ajonis ad An. 891. Græcorum ingreſſum ad ſequentem refert ſic: *An.* DCCCXCI. *Ind.* IX. *obiit Ajo Princeps menſe Octobris, & electus eſt Urſus puer filius ejus an.* DCCCXCII. *Ind.* X. *Intravit Sybbaticius Stratigo cum Græcis in Benevento menſe Octobris &c.* Septennem puerum Urſum tradit *Catalogus*, ſeù *Appendicula* Ducum, Principumque Beneventanorum apud Peregrinium tom. V. pag. 27., at decennem fuiſſe ſtatuit aliud Chronicon l. l. pag. 34. ubi ſic legitur: *Urſus filius Ajoni puer decimus anno uno. Decimus* autem pro *decennis*, ſcriptum eſt: Chronicon Principum Salerni l. l. pag. 22. *Urſus filius ejus puer decennis ſedit an. I. menſ. VI., cujus temporibus Symbaticius &c.*

(7) Libet, quæ ſummatim tradidimus, quibus narrantur verbis, ex Anonymo Salernitano diſtinctiùs noſſe cap. 248. & ſeq. *Sabbaticius Stratigo per idem tempus cum valida manu Beneventum venit . . . . . ſed dum à* III. *Id. Julii prædictam Urbem diverſis machinis* (Græci) *expugnaſſent, & Beneventani fortiter reſtitiſſent, præſertim, quod jam multos Græcos laniaſſent, callidus ille Stratigo cernens Longobardorum duram cervicem, mollia verba promere eſt exorſus, quatenus per pacem Urbem ingredi mereretur. Beneventani namque, qui ſemper fuerunt* ſagaciſſimi, & robuſtiſſimi, *dum viderent tempus non eſſe, quatenus Græcis reſiſterent, & copias non haberent, unde exercitus coadunarent, ut palam cum Græcis certamen inirent, inter ſe conſilio habito, Græcorum Phalangem pacificè Beneventum introduxerunt, quia jam eam undique obſederant, ut diximus à* III. *Id. Julii uſque ad* XV. *Kal. Novembris. Sed dum prædictam Urbem Græci dominarentur, & licet dona plurima Longobardi haberent, illi tamen valde etenim durum gerebant de moribus Græcorum . . . . . Cumque duobus annis Sabbaticius degeret Beneventum per ſubjectionem Auguſtorum, Beneventum deſeruit, Regiamque adeptus eſt Urbem; & quidam* Georgius *Beneventum directus eſt: Sed dum, & ille Longobardos donis augeret, atque nimirum omnimodo altrinſecus honoraret, illi verò omnia pro nihilo ducebant*.

dem, veri magis similius, quàm Gregorio olim Beneventano Duci, adjudicandum Nummum initio hujus Capitis exhibitum, jam diximus. Indubitatum id profectò erit, si, dum nummus Beneventanus sit, ex ipso Monogrammate, qui quatuor hisce Literis GREO, vel OGRE constat, ferenda sententia erit. Nomen Gregorii ex ipsis extundit Breventanus, & *janè* (subdit Muratorius) *in eo Monogrammate ne ego quidem alium legere potui, nisi* Gregorius. Sed dabit uterque veniam, si ambos perperam legisse dixero: Fateor in Monogrammatibus nullum servari literarum ordinem, quas vel simul nexas, vel ad Crucis signum, angulosque affixas, ità colligimus, ut vel integrum nomen, vel anteriores Nominis Syllabas nobis referant. An igitur ex dicti Monogrammatis literis, in queis secunda G desideratur, legerit quis *Gregorium*? aut *Greorium* pro *Gregorium* rectè scriptum putaverit? Nihil igitur tutius, nihil præclarius, quàm ut pro GREOrio GEORgium excipiamus, qui in ejus nummi Monogrammate, & in Beneventani Principatus administratione æquè conspicuum se prodit.

Illud fortasse durum alicui videbitur, Georgium Patricium, qui non suo, sed suorum Augustorum jure, ac nomine Beneventanis dominabatur, eam sibi supremæ veluti majestatis auctoritatem arripuisse, ut & nummos cuderet, & in ipsis effigiem, nomenque suum duntaxat exprimeret. Ad nummum quod attinet, nihil insolens nobis offertur; arrogantius aliquid in effigie animadverti potest, quum suam Gregorius, quàm Augustorum suorum repræsentandam maluisset: at nihil eâ effigie modestius, in cujus dextrâ sola *Crux*, quæ etiam Capiti nullo Diademate ornato insidet, in qua demum nulla majestatis insignia spectantur. Quid si *Stellæ* illæ, quæ hinc inde ad Georgii vultum radiantes spectantur, Augustos Leonem, Alexandrumque Basilii filios, ac successores repræsentasse dicantur? Id verò certum, tum Symbaticii, tum Georgii, eodem, quo Benevento dominarentur, tempore, Diplomata haberi, quibus non Augustorum, sed sua uterque nomina, honorumque titulos duntaxat præfixos, atque inscriptos esse voluit. De Symbaticii Diplomate locuples testis est Leo Ostiensis: *Hic Symbaticius* (inquit) *cùm esset Imperialis Protospatarius, & Stratigo Macedoniæ, Thraciæ, Cephaloniæ, atque Longobardiæ* (quo nomine Italia Cistiberina, sive Principatus Beneventanus, cui Longobardi præerant, à Græcis appellari consuebat) *Entilma*, ideft Mandatum, seù Privilegium, *fecit prædicto Abbati Ragemprando* (Casinensi) de *Monasterio S. Sophiæ de Benevento, & S. Mariæ de Cingla &c.* (1). Quemadmodum pro Casinensi Symbaticius, ita pro Vulturnensi Monasterio Georgius Diploma suum promulgavit, quo privilegia, & immunitates confirmat, tum ipsi, tum cæteris ei subjectis, inter quæ Monasterium Beati Petri Apostoli præcipuè recensetur, *quod ædificatum est foras Beneventum erga fluvio Sabbati*. Ejus Diplomatis exemplar à Joanne Chronographo Vulturnensi nobis servatum, ita exorditur. *In nomine Domini. Ego Georgius Patritius, Imperialis Protospatarius, & Stratigos Cephaloniæ, atque Longobardiæ, dum residerem in Dei nomine intus Palatio Beneventi, Entilma facio tibi Majoni Venerabili Abbati Monasterii S. Vincentii &c.*: in fine verò hæc habet: *Quam vero Entilmam nostram bullavimus cum Bulla nostra plumbea Mense Augusti. Decima Indictione* (2): mendum fortasse in Indictionis numero vel à Chronographo, vel ab amanuense admissum fuit, nam, etsi mense Augusti anni 893. Indictio x. à Septembri anni præcedentis, more Græcorum incœpta, adhuc decurreret, nondum tamen Georgio locum cesserat Symbaticius, qui ab Octobri anni 891. binis, & amplius annis Benevento præfuit: quapropter numeralem notam I. post x. excidisse, ac *Decima* pro *Undecima* scriptum fuisse videtur: At de his paullò inferiùs. Quod nunc attinet, vides Georgium nomine suo, suorumque honorum titulis omnimodam Diplomati auctoritatem tribuisse; & quod magis est, vides ad illius fidem probandam, observantiamque demerendam, *Bullam suam plumbeam* appendisse: qua quidem in plumbea Bulla, tum Georgii nomen, tum ipsius vel effigies, vel peculiare aliud signum insculptum



(1) Chron. Casin. lib. I. cap. XLIX. Hoc Symbaticii Entelma, seù Diploma ex Originali in Archivo Casinensi extante edidit Cl. Gattula in Hist. Casin. tom. I.

(2) Chronicon Vulturnense inter Scriptor. Ital. t. I. part. II. pag. 413. Præter superiùs dicta Symbaticii, & Georgii Diplomata, tertium adhuc Græcorum Diploma, seù *Entelma* ex nostra Bibliotheca prodidit Ughellus tom. VIII. pag. 68., ubi à *Cosma Anthio* Protopatricio, aliisque Græcis Magistratibus Beneventi residentibus *juratum* fuit *Conservato* Episcopo Beneventano de libertate, & tuitione omnium jurium, & bonorum Ecclesiæ Beneventanæ *absque Ecclesia S. Angeli, quam in potestate Dominorum Imperatorum reservant*. Diploma signatur mense *Januario* indict. XI., ideft an. 893. quo tempore reverà Græcis Beneventum suberat: At plura sunt, quæ falsitatis hanc chartam suspectam reddant, quæ, quum de Ecclesia Beneventana agemus, opportuniùs animadvertenda servamus.

esse debuit. Eodem itaque modo, exemploque potuit Georgius, citra ullam Augustorum suorum injuriam, Nummum cudere, quo novum Græcorum Dominium in Beneventana Urbe confirmaretur, quo etiam Nummo is fortasse uteretur, vel in plebem missili, vel inter ea dona præcipuo, quæ, uti superiùs diximus, ad conciliandos sibi Beneventanorum animos largiter adhibebat. Atque hæc ad Græco-Beneventani Nummi illustrationem sint satis. Sed Longobardis nostris injurius videbor, si Græcos, quos ferebant, Beneventi Dominos heic reliquerim: antequàm de tabula manum auferam, illorum quantociùs sequutam expulsionem subjiciemus.

De temporis intervallo, quo Græci Benevento dominati fuere, primus omnium controversiam nuper movit Cl. P. Mansius. Occasionem sibi fecit ex Ostiensis loco, qui ejusmodi est: *His temporibus Symbaticius Patricius Constantinopoli profectus obsedit Beneventum menses fermè tres, cepitque illam* XV. *Kalend. Novembris, Anno Domini* DCCCXCI., *expletis à Zottone primo Beneventi Duce annis* CCCXXX., *quo toto tempore Longobardorum Duces, ac Principes eandem Urbem tenuerant .... Post Symbaticium Benevento præfuit Georgius Patricius, qui cùm præfuisset in ea tribus annis, & mensibus novem, adveniens Guido Dux, & Marchio, pulsis inde Græcis, duos fermè ibi annos resedit* (1). Quid igitur Mansius?,, Non in assignandis (inquit) tantummodo annis Longobar-
,, dorum in Principatu Beneventano errat Ostiensis, sed & mancus est in Catalogo Principum
,, Græcorum, qui Benevento alter post alterum dominati sunt. Nam Gregorio Patricio successit
,, Barsacius Patricius, cui Guido Urbem eripuit. Insuper peccatum est etiam ab Ostiensi in
,, Chronologia; nam si Longobardi à Græcis pulsi sunt anno 891., & ex illis Sybbaticus Prin-
,, cipem egit annis tribus, mensibus novem, diebus 20., cui dein & Patricius succedens annis
,, tribus, & mensibus novem rerum potitus fuit, eundemque demum Barsacius excepit, si
,, inquam hæc vera sint, non potuerunt Græci à Widone expelli, qui anno 894. è vivis ex-
,, cessit. Porro tres annos, ac menses, diesque assignavi Sybbatico, quia totidem illi tri-
,, buit Chronicon Vulturnense. Melius igitur reputaremus, ante aliquot annos captum à Græ-
,, cis fuisse Beneventum, nec receptum, nisi hoc anno 891. à Widone nondum Imperatore coro-
,, nato. Namque in eodem Chronico, tum & a Leone, captum dicitur a Widone Duce, & Mar-
,, chione, non verò Imperatore: sed neque hoc postremum sustineri potest, cùm Indictio-
,, ne X. mense Augusto, idest anno 892. Gregorius Patricius adhuc Beneventi principare-
,, tur; ut ex Charta in eodem Chronico relata. Obscura sunt igitur omnia, & confusa.,,
At nihil obscurum, nihil confusum, nisi Mansio, qui in hac re statuenda unum Chronographum Vulturnensem, non satis fidum, ac diligentem Scriptorem consuluisse contentus, omnia perturbavit (2).

Nihil igitur magis constans, & omnium veterum Chronographorum consensu exploratum, comprobatumque, quàm ut Græci, tum sub Symbaticio, tum sub Georgio, tum etiam, si libet, sub Barsacio, non ultra Annos *tres*, *menses novem*, *diesque viginti* Beneventum tenuerint. Chronicon Principum Salerni. *Cujus* (Ursi) *temporibus Symbaticius Stratigos cum valida Græcorum manu venit Beneventum* III. *Id. Julii: & tenuerunt eam ann.* III. *mens.* IX., *& d.* XX. (3). Appendicula à Peregrinio edita. *Ursus filius Ajonis puer septennis an.* I., *cujus tempore Sibbaticius Straticus cum valida manu Græcorum venit Beneventum* III. *Id. Jul., obseditque eam usque ad* XV. *Kal. Novembriarum diem, quo Beneventanis paciscens in eam ipse ingressus est eodem die..... Tribus denique annis, novemque mensibus, & diebus* XX. *dominatio Græcorum tenuit Beneventum, Samniique Provinciam* (4). Iisdem ferè verbis habet Chronicon alterum ex Codice Cavensi apud eundem Peregrinium. *Tribus denique annis, novemque mensibus, & diebus vigintibus dominatio Græcorum tenuit Beneventum, Samniique Provincia* (5). Chronicon S. Sophiæ apud Muratorium

(1) Chron. Casinen. l. l.

(2) Mansius in notis ad Annales Baronii, & Criticem Pagii ad an. 891. tom. XV. pag. 453. edit. Lucen. Libet heic Chronographi Vulturnensis locum referre ex tom. I. Scriptor. Ital. part. II. pag. 408. (mendosè Mansius habet pag. 480.) ut quo solo teste usus sit Mansius, meliùs noscamus. *Gaiderio* (inquit Chronographus) *annis duobus, mensibus sex, diebus decem & novem Beneventi exactis, Radelchis filius Radelchis* (falsum; nam fuit filius Adalgisi Principis, ut supra dictum fuit) *successit. Et hic annis tribus, mensibus octo, diebus viginti & uno expletis, Ajoni Principatum reliquit*, (veriùs invitus concedere à Beneventanis coactus fuit). *Quo similiter decedente post annos septem* (haud completos) *Ursus Principatus sedem suscepit* (septennis, vel decennis Ajonis filius), *& hic non plus, quàm unius anni spatio* (& mensibus sex) *administrato, Sibbaticius Straticus cum valida Græcorum manu adveniens, Beneventum cepit. Cujus Dominium cum annis tribus, mensibus novem, diebus viginti exegisset, Georgius Patricius ei successor extitit. Post Georgium verò sequitur Barsacius Patricius; adveniente autem Guidone Duce, & Marchione in auxilium Beneventanis, Græci inde miserrimè sunt expulsi, & in Græcias redire compulsi.*

(3) Apud Peregr. tom. V. pag. 22.

(4) l. l. pag. 27.

(5) l. l. pag. 34.

rium anno uno ſeriùs rem protrahit,ſed quadriennium non excedit: DCCCXCIII.*Indict.x. Intravit Sybbaticius Stratigo cum Græcis in Benevento Menſe Octobris*: & mox: DCCCXCV. *Indict.XIII. Expulſi ſunt Græci de Benevento per Guidonem Marchionem* (1). Chronicon Cavenſe anno 891. Græcorum ingreſſum, ſed anno 896., ſive veriùs anno 895. (ut fidenter emendo) ipſorum ejectionem attribuit (2). Lupus denique Protoſpata ſic in ſuo Chronico habet: *Anno 891. intraverunt Græci Beneventum menſe Octobri*: & mox: *Anno 894. exierunt Græci de Benevento menſe Auguſti* (3). Ex quibus omnibus illud manifeſtum conſequitur, non ultra quadriennium, imo minus quadriennio Græcos Beneventi conſediſſe. Certum autem ejuſdem quadriennii tempus, illud par eſt, ut credamus, quod pleraque Chronica ſuperiùs relata, ſpeciatim nobis aperuerunt, ideſt annos tres, menſes novem, ac dies viginti. Adde nunc his diſertiſſimum Anonymi Salernitani teſtimonium, qui cap. 149. Symbaticio Beneventi degenti duos annos, Georgio verò ſucceſſori annum unum, menſes novem, & dies viginti attribuit cap. 152., ſub quo Georgio Græcos Benevento expulſos affirmat.

Nec alia certe fuit Oſtienſis ſententia, immo nec Chronographi Vulturnenſis. Meminit uterque annorum trium, menſium novem; ſed alter poſt Georgium, alter verò poſt Symbaticium. Putavit inde Manſius utrumque tempus utrique ſeparatim tribuendum, ac prætereа ſuum quoque tempus Barſacio addendum voluit; ſicque diuturniora Græcæ dominationis ſpatia, nunc antevertere, nunc protrahere, cogitavit: ſed omnino perperam. Oſtienſis certè, qui ex pleriſque ſupradictorum Chronographorum, Scriptorumque, ſibi ætate anterioribus Chronicon ſuum compegit, nec hilum ab iis, qui ſibi præibant, diſceſſit, ſed uno illo temporis ſpatio integram Græcorum Beneventi dominantium ſeriem concluſit. Nam poſt Georgium ſeparatâ Oratione ita ſubdit. *Qui* (ſcilicet Græci) *cùm præfuiſſent* (ita omnino legendum pro *præfuiſſet*) *in ea tribus annis, menſibus novem, diebus viginti, adveniens Guido &c.* Neque etiam Oſtienſis (ut omittam, quæ Manſius adverſus illius de Ducum, Principumque Beneventanorum annis Chronologiam notavit (4)) in Catalogo Ducum Græcorum, qui Beneventi alter poſt alterum dominati ſunt, eodem Manſio notante, *mancus* dicendus eſt, propterea quod Symbaticii, Georgiique mentionem faciens, Barſacium, qui tertio loco Benevento præfuit, ſilentio præterierit: Nam neque Barſacii meminit Anonymus Salernitanus, qui Græcorum expulſionem diſtincta narratione proſequutus, ſub ipſo Georgio eveniſſe affirmat.

Ac Beneventani quidem, qui Græcis aſſueſcere neſciebant, Græcæ tandem dominationis pertæſi, ut qui *præeſſe cæteris gentibus ſoliti erant, ad tempus quaſi ſubeſſe ſe videbantur*, Widonis Ducis Spoletini (exorante Guaimario Salerni Principe, cui Guidonis ſoror matrimonio juncta erat) opem ſibi compararunt. Georgius Beneventanorum conſilii ignarus illos in fide permanſuros exiſtimavit, quam hactenus donis, tunc verò laudibus ſibi conciliare ſtuduit, fortiſſima Majorum recolens exempla, quum ſcilicet Conſtantis Auguſti, Urbem obſidentis, conatus non modo eluſerint, ſed vires quoque fregerint. Adeſſe ſe iiſdem animis Beneventani affirmant, ſi tamen una ex Urbis Portis ſibi cuſtodienda tradatur, quâ furtim in hoſtes irruere, regredique in Urbem promptum eſſet. Annuit Georgius: At Beneventani Urbe egreſſi fugam ex hoſtium metu ſimulantes inſequentem Widonem, ejuſque exercitum ſecum redire in Urbem permiſerunt: Quamobrem Georgius *cernens ſe deluſum, veniam poſcebat, quam adeptus eſt: nam quinque millia aureos dedit, confuſus, & illæſus abſceſſit. Præfuit & ille Beneventanis anno uno, & menſibus novem, & diebus viginti* (5).



(1) Antiq. Med. ævi tom. I. pag. 254.

(2) Amanuenſis, ſive editoris oſcitantiâ factum apparet, ut in hoc Chronico ad annum 896. Græcorum expulſio referatur. Non enim eo loco continuata annorum ſeries (ut in univerſo ipſo Chronico) ſervata habetur, ſed ab anno 894. ad annum 896. tranſilitur: quare quæ hoc anno narrantur, partim ad prætermiſſum annum 895., uti Græcorum expulſio, partim ad ſequentem referenda ſunt. Vid. id. Chronic. tom. IV. Peregr. pag. 404.

(3) l. l. pag. 19., & apud Murator. Scriptor. Ital. t. V. pag. 38.

(4) Modeſtiùs certe Manſio Pagius ſe habuit, qui ad eundem annum 891. num. IV. haud quidem Oſtienſem erroris, ſed amanuenſem mendoſæ ſcriptionis redarguit. Quum enim Oſtienſis exemplar à primo Duce Zottone ad Græcorum ingreſſum annos effluxiſſe CCCXXX. præſeferat; nihil veri magis ſimile, quàm ut tertia nota X. oſcitanter in illum annorum numerum irrepſerit; ab Oſtienſi verò CCCXX. ſcriptum tantummodo fuerit: Quo fit, ut ab eo tradita Ducum, Principumque Beneventanorum Chronologia rectiſſimè conſtet, dum ab anno 671., quo primum Beneventanus Ducatus inſtitutus, ad annum 891. quo ad Græcos pervenit, anni CCCXX. numerantur. Sed de hac re vid. Caracciolum in *Propyl. ad IV. Chronol.*, Peregrinium in Diſſert. *Quando Ducatus Benev. inſtit.* ſed & jam plura à me in Diſſert. I. hujus libri in eandem rem obſervata habebis.

(5) Anonymus Salernitanus in Chron. cap. CLI. & CLII.

Nihil de Græcis Beneventi dominis Erchempertus nobis reliquit, Hiſtoriam ſuam, ſive Hiſtoriæ Epitomen non ultra annum DCCCLXXXVIII. profequutus: id tamen eodem anno de Græcis, veluti pro ſui Operis coronide reliquit, quod æternam Græco nomini infamiam creare poſſit; nam poſt narratam cladem, quam illorum Claſſis in Siculo freto à Saracenis eodem anno accepit, *talia Divinam æquitatem permiſiſſe illi belluinæ Genti*, arbitratur, cujus Gentis mores deſcribens, *Achivi* (ſubdit) *ut habitudine ſimiles ſunt, ita animo æquales ſunt beſtiis; vocabulo Chriſtiani, ſed moribus triſtiores Agarenis. Hi videlicet per ſe fidelium omnes prædabant, & à Saracenis emebant, & ex his alios venales Oceani litora ſarciebant, alios verò in famulos, & famulas reſervabant* (1). Hæc ex Erchemperto haud fruſtra præmiſimus, ut vera illa eſſe exiſtimemus, quæ Anonymus Beneventanus ipſius Erchemperti continuator de poſtremo ſaltem tempore, quo Græci Beneventi perſtitere, ſincerius certè, ac diligentius Anonymo Salernitano memoriæ mandavit. Extat Hiſtoriæ ab Anonymo Beneventano conſcriptæ fragmentum, à Peregrinio editum, ac præ Erchemperto ipſo, Anonymoque Salernitano laudatum, de quo pluribus in *de Re Litteraria* noſtratium agemus. Noſter itaque Anonymus pluribus à Salernitano diſcrepat, plura etiam ab illo prætermiſſa commemorat. Ac primùm poſt narratum ſub Principe Urſo *puero decenni* Græcorum ingreſſum ſub Duce Symbaticio, Georgium Patricium huic tribuit ſucceſſorem, ſub quo Beneventanam Urbem conflagraſſe, eoque incendio dimidiam penè abſumptam tradit n. IV. *Denique hinc factus eſt eiſdem diebus fere per omnem Samnium, & Apuliam terræmotus ingens: ſubſequuta eſt inde ſub præfato Patricio* (Georgio) *concrematio fermè mediæ Civitatis Beneventanæ ab Eccleſia S. Renati ſurſum uſque ad Portam Auream eodem die, jam tertio anno completo, poſtquam obſideri coepta fuerat Civitas*. Accidit igitur ejuſmodi incendium III. Id. Julii anno 894., dum ante triennium eodem die Græcos Benevento obſidionem admoviſſe ſuperiùs obſervavimus: ac tum annus jam effluxerat, quo Symbaticius biennio dominatus, locum Georgio reliquerat: *Modico autem tempore elapſo* (ſubdit poſt pauca Anonymus) *Georgius Patricius moleſtia tactus eſt corporali; paralyſia enim ſubitò diſſolutus, diù jacuit mutus, & infeliciter diem clauſit extremum*. Obiit igitur Georgius paullo ante gentis ſuæ expulſionem, cui propterea haud integri novem menſes, ac viginti dies quarti anni tribuendi ſunt; ſed ex his ſpatium aliquod, breve tamen, Theodoro Turmachæ aſſignandum eſt, qui poſt Georgii obitum Benevento præfuit. *Theodorus autem* (ut Anonymus pergit) de Widonis adventu admonitus, *Barſatum*, Copiarum ducem, qui hoſtibus occurrens, manus conſerere pertimuerat, in Urbem revocat, *ad Beneventi moenia conſervanda, ſeù Longobardos capiendos ſecum morantes, quos valdè pavebat* (2).

Juſtam Longobardos pavendi cauſſam Theodorus habebat, qui Symbaticii, ac Georgii deceſſorum ſuorum moderationem, ſive ſimulationem contemnens, torrentis inſtar, diuturno obice magis turgeſcentis, in Beneventanæ Urbis exitium irruere cœpit. Audi Anonymum de poſtremo Græcorum dominantium tempore, ac Theodori moribus. *Beneventi quidem Cives, veluti proprios ſervulos captabat, minis, verberibus, angariis diverſis, terroribus aſſiduis, nulli honorem, reverentiamque ſervando, nulli unquam veritatem dicendo, nullique fidem cuſtodiendo, perjuria quoque, ſeù adulteria publica, vel privata, & diverſas fornicationes; & multimoda furta pro ludo habebat. Si quando verò aliquis violentatus ad eos proclamare præſumpſerat, pugnis, alapis, taureis, fuſtibuſque cæſus recedebat; ut clarum fieret, nihil in eis eſſe boni, quos Chriſtus odit, quos Sathanas diligit, cujus diſcipuli ſermone, & opere comprobantur*. Hæc de Græcis Beneventi dominantibus Synchronus, ac Beneventanus Scriptor Anonymus: in cujus Hiſtoriæ fragmento, ſeù potius laciniis Græcorum ejectionem mox ſubſequutam deſideramus: At Græcos tandem poſt annos tres, menſes novem, dieſque viginti ab eorum ingreſſu, Benevento expulſos, Widone Spoletino Duce opem conferente, aliorum teſtimonio ſatis

(1) Cap. 81. apud Peregr. tom. I. pag. 177., & apud Mutator. Scriptor. Ital. tom. II. part. I. pag. 237. repetita tom. V. pag. 30.

(2) Græcorum militum Ducem dixi Barſatum ſub Theodoro *Turmacha*, qui Benevento præerat, ut diſertè dicit Anonymus. Non tunc primum Barſati meminit Anonymus, quem *prædictum* ibi ſcribit. Plura itaque deſiderantur, quæ Anonymus ſcripſerat; quæ verò pauca ad nos pervaſerunt, eâdem temporum injuriâ, haud continuatâ ſerie ſunt perducta. In loco autem ſuperiùs recitato *Turmacha* cognomen, quod Theodoro tribuitur. *Turmarcha*, vel *Turmarchus* ſcribi debet. Sic certè hunc Anonymi noſtri locum emendat Cangius in Gloſſario verb. *Turmarcha* ubi hæc ait. Turmarcha Turmæ, ſeù Regionis Præfectus. Theophylactus *Turmarchus* apud Johannem VIII. PP. epiſt. 240. Fragmentum Hiſt. Longobard. editum à Cam. Peregrinio pag. 146. *His diebus Theodorus Turmacha Benevento præerat*. Legendum ibi indubiè *Turmarcha* ex Græco-Barbaro τουρμάρχης. Ita etiam emendandum apud Ughellum tom. I. pag. 995., ubi pro *Turmarchis* legitur *Curmarchis*. Porro *Turmarchæ* meminerunt Conſtantinus Porphyrog. De Themat. lib. I. part. II., & Leo Imp. in Tacticis cap. 4. §. 8.

ſatis probavimus; unde eorum ejectio, ſi à menſe Julii, quo obſidio cœpta fuit, numeretur, in menſem Maii incidit anni 895., ſi verò ab Octobri, quo Urbis deditio facta eſt, ad menſem Auguſti cum Lupo Protoſpata veriùs referemus, qui tamen falsò annum 894. pro anno 895. inſcriptum habet.

Ejectis Græcis, rerum Wido potitus eſt. De Urſo nihil cogitatum, quem nemini Scriptorum deinceps memoratum, veri ſatis ſimile eſt, circa ea tempora defunctum opinari: ut propterea cum altero Urſo confundendus non ſit, Radelchis prioris filio, ac ipſius poſterioris Urſi patruo, cujus meminit Erchempertus n. XVI., extatque adhuc ad noſtram Majorem Eccleſiam Sepulchralis Titulus (1). Sed ut ad Widonem redeam, ut Principatu Beneventano potiretur, non unam is ſibi ex ejectis ſua ope Græcis occaſionem fecit, verum etiam ex Ageltruda, ſeù Recheltruda Conjuge, Adalgiſi Principis filia, cui (Radelchi fratre ejecto, ceteris extinctis) Principatus ſucceſſio deberi videbatur. Ageltruda Widonis viri ſui variâ fortunâ, poſt illius quoque mortem ſuâ virtute illuſtris eorum temporum fœmina fuit. Regina Italiæ, atque Imperatrix, ut eam dignitatem, quam Wido adeptus fuerat, tueretur, plura virili animo geſſit; poſt illius mortem, ut Lamberto filio vindicaret, nonnihil molita fuit (2): ſed ex eo illuſtrior, quod poſt annum unum, & octo menſes Principatum Beneventanum non in Viri ſui Widonis ad Italicum Regnum properantis poteſtate remanere, neque Guaimario Salernitano Principi, quem Wido malebat, tradi paſſa ſit; ſed Radelchi fratri olim ejecto, jure debitum, re ipſa reſtituendum curavit. In hoc præclaro Ageltrudæ facto Anonymi noſtri fragmentum explicit, cujus poſtrema verba libentiùs audiemus: *Poſtea vero præfata Ageltruda Imperatrix, anno uno, & octo menſibus elapſis, poſtquam Graii Benevento fuerunt expulſi, in eadem ingreſſa eſt pridie Kal. Aprilis, & paullo poſt longè ſuperiùs nominatum Radelchis fratrem ſuum Beneventano Principatui reſtituit, qui ferè* XII. *annis ab eo fuerat expulſus* (3): Eadem habet Chronographus Cavenſis ad annum 897. (4): Eadem Sanſophianus ad annum 898. (5): Eadem denique Anonymus Salernitanus, qui Radelchim, *Auguſta* Sorore agente, & quod magis intererat, *cum conſenſu Beneventanorum, pro ſua ſimplicitate à Beneventanis terque quaterque expulſum, ad dignitatem priſtinam revocatum* affirmat (6). Sed nihilo melior Radelchis, adhuc etiam Virialdi ſceleſti hominis conſilio, operaque in aminiſtrando Principatu uſus, graviùs, quàm olim apud Beneventanos offendit, qui tandem Anno CM. ejus loco Atenulfum ſibi Principem elegerunt (7).

Atenulfus Capuæ Gaſtaldus, dein Comes, Beneventanus denique Princeps Sæculum nonum, noſtramque Diſſertationem ſimul claudet. Nova exinde Principum proſapia, nova Principatus forma, novum differendi argumentum præſtabunt, tum quum *de Beneventani Principatus Occaſu* agendum erit; ad quam poſtremam noſtri Operis partem, reliquam, quæ ad ſeſquiſæculum adhuc perduravit, illius Principatus ætatem illuſtrandam ſepoſuimus. Interim nobis ſolatio erit, legentibus voluptati, Longobardos noſtros, quos hactenus ex ſuis Nummis illuſtres effecimus, ſuis etiam Legibus (quod ſequentis Diſſertationis argumentum erit) ad poſteritatis memoriam, atque etiam fortaſſe emolumentum, adhuc florentes, ſaltem redivivos intueri.

CAPUT

(1) Habebis inter alios Principum Longobardorum Tumulos in Appendice hujus Tomi, etiam prioris Urſi Tumulum, ubi is non Ajonis, ut poſterior Urſus, ſed Radelchis filius dicitur.

*Hunc genuit Princeps Bardorum Stemmate clarus*
*Radelchis, Patriæ vita ſaluſque ſuæ.*

annis verò XXXIV., & menſe uno vixiſſe dicitur.

*Ter denos complevit hic, ſeù quatuor annos,*
*Ter denos pariter vixit & iſte dies.*

(2) Præter noſtros Scriptores agunt de Auguſta Ageltruda Liutprandus Ticinenſis *in Hiſt. lib.* I. *cap.* IX. *&* X. *Scriptor. Ital. tom.* II. *pag.* 431. Annaliſta Bertinianus ad an. 896. (quem annum cum anno præcedente ab editoribus perperam conjunctum Pagius animadvertit) ubi inter alia tradit Ageltrudam adverſus Arnulfum Francorum Regem Româ potitam, ipſam Urbem ſub ſua cuſtodia tenuiſſe, ſed Arnulfo demum Imperium adepto, à ſingulis Romanis juramentum præſtitum, in quo id ſignanter juratum. *Lamberto filio Ageltrudæ, & Matri ſuæ ad ſæcularem honorem nunquam adjutorium præbebo, & hanc Civitatem Romam ipſi Lamberto, & Matri ſuæ Ageltrudæ, & eorum hominibus per aliquod ingenium, aut argumentum non tradam.*

(3) Anonymi Beneventani Fragmentum extat inter Script. Ital. Muratorii tom: II. part: I. pag. 279., & inter opera Peregr. tom. III. pag. 293.

(4) An. 897. *Rachetrudis Auguſta poſt Widonis diſceſſum Ratelchiſi* (ideſt Radelchim) *fratrem ſuum ad Beneventum regredi fecit Principem poſt ann.* XI. *cum conſenſu Ben. Procerum.*

(5) Apud Murat. Antiq. Med. Ævi tom. I. pag. 254. *Ann.* DCCCXCVIII. *Ind.* I. *Radelchis Princeps junior recuperatus in Principem.*


(6) Anonym. Salern. cap. CLIII.

(7) Idem Anonymus cap. CLVII. & ſeq.. Chronicon S. Sophiæ ſuperiùs citatum an. DCCCC. Ind. III. *Beneventani ejecerunt Radelchim Principem de Principatu, & electus eſt Atenulfus cognatus ejus à Capua.*

## CAPUT VIII.

*Nummorum Longobardicorum Series altero Principis Sicardi Nummo augetur: Omnium Nummorum superiùs editorum fides constabilitur. His adduntur Nummi argentei duo, nunc primùm in lucem prodeuntes, post Longobardici Principatus occasum Beneventi percussi; quorum ætas, caussa, characteres explicantur: Præclariora denique ad Rem Nummariam Beneventanorum infimæ ætatis illustrandam afferuntur.*

HActenus longum, difficillimumque iter feliciter evasimus, quo nostrorum Longobardorum Principum Nummos, horumque occasione, ac subsidio Res illorum præclarè gestas, Prosapias, Successionesque, qua potuimus, accuratiore operâ, sinceriori fide, meliori luce illustravimus. Quumque ab ejusmodi argumento, quod pro viribus absolutum videbatur, jam mihi quiescendum esset, ejusdem mox repetendi non una accessit occasio. Prima illa fuit, ut novum Principis Sicardi Nummum publica luce donarem. Ejusdem Principis aureum Nummum superiore Capite IV. pag. 183. evulgavi; cui nunc hic alter argenteus addendus est, metalli quidem pretio inferior, sed longè illo præstantior ex ipsius Sicardi Monogrammate, quod nunc primùm nobis spectandum exhibet.




Novum dixi, sive hactenus ignoratum hunc posteriorem Sicardi Nummum, quem Vir Summus, ac Neapolitanarum Antiquitatum consultissimus Johannes Carrafa, illustris Dux Nojæ in suo locupletissimo Museo reconditum habet cum aliis sane pluribus ingentis pretii Cimeliis quamprimùm evulgandum: Sed non ego novus, sive primus editor videri volo, ut vel Viro summo, qui ejus nummi exemplar perhumaniter largitus fuit, vel alteri æquè summo, doctissimoque Viro, Beneventanas inferioris ævi Antiquitates in præsentiarum illustranti, qui eundem Nummum nuperrimè edidit, debitam utrique laudem mihi præripiam: Id enim operis mei ratio, institutumque postulabat, ut quum de nostrorum Principum Nummis tàm copiosè differuissem, si qui erunt, quibus nostra vel placere continget, vel saltem probanda videantur, non illis certè hunc alterum Sicardi Nummum, vel alibi exquirendum, vel omninò desiderandum relinquerem. Nam dum mea isthæc de Nummis Dissertatio sub prælo esset, prodiit Illustrissimi, eruditissimique Præsulis Stephani Borgia Pontificii Gubernatoris Tomus I. ejus Operis, vulgari, seu Italicâ linguâ conscripti, quo is *Memorias Historicas Civitatis Beneventanæ ab* VIII. *ad* XVIII. *Sæculum*, in alios continenter Tomos duos recensendas complecti, atque illustrare sibi proposuit. Is itaque inter alias notas, quibus eum Tomum locupletavit, illam quoque adjecit pag. 50., ubi Nummos omnes nostrorum Principum hactenùs compertos, æreâ Tabulâ uno obtutu conspiciendas exhibens, sic de ipsis præfatur: *Nella seguente Tavola vedrà il Lettore due serie di monete Beneventane. La prima è di quelle, che abbiamo noi acquistato, e queste disegnate sono, o si riguardi la grandezza, o la forma delle lettere, con tutta la dovuta diligenza, e fedeltà corrispondente agli originali: il che finora, che noi sappiamo, non è stato fatto da altri, perchè quelle pubblicate dal Muratori* Diss. 27. Antiqu. Ital., *e ristampate poscia di bel nuovo dal Canonico De Vita* in Præloqu. ad Thesaur. Benevent. Antiqu. *non hanno tutta la somiglianza colle monete originali. L'altra serie è di quelle, che noi non abbiamo, e perciò i disegni non sono simili dell'intutto alle stesse monete per rapporto alla loro grandezza. Brevemente di ciascuna daremo ora la spiegazione &c.* Tum præcipuum (uti par erat) ei aureo Nummo locum tribuit, quem Princeps Grimoaldus Primus percussit cum epigraphe

graphe DOMS. CAR. RX., nosque superiùs Cap. II. pag. 159. edidimus, atque uberrimo commentario illustravimus. At tunc quidem, quum priorem Librum, seù Thesaurum Antiquitatum Beneventanarum ederem, Nummus ipse originalis apud me extabat, extatque hodiedum cum altero, æquè aureo, quem simul in eadem pag. 159. hujus Libri edidisse ideò consilium fuit, quod etsi eandem causam, ac formam, diversum tamen percussionis tempus præseferre videretur. Non igitur in eo Nummo recudendo, qui originalis, seù archetypus præ manibus mihi esset, solam Muratorii fidem, sive Muratorianum exemplar sectatus sum; uti in ipso *Præloquio* præclarè monitum Lectorem tunc volui. At Muratorius quidem, reprobato ejusdem Nummi Ectypo, quem olim tum Angelus Breventanus, tum Le-Blancus ediderant, alterum exhibet, quem sinceriorem pronunciat, à Cl. Garellio Cæsareæ Bibliothecæ Præfecto sibi transmissum; ex qua postea Cæsarea Bibliotheca, seù Museo eundem ipsum Nummum evulgatum reperio à Petro Jannonio, qui Operi suo novum veluti pretium facturus, in ejus additionibus quasi tunc primum, post aliorum, quos asserit, errores, ab se uno ritè, rectèque explicatum jactitavit (1). Sed quod ad Muratorium attinet, post recitata ipsius verba, sic ego in eodem Præloquio ajebam pag. 10. *Quod ejus Nummi exactiorem formam spectat, tot gravissimis testibus, repetitisque ex ejus Ectypo descriptionibus comprobatam, quis fidem Muratorio negare unquam ausit? Immò post Muratorii solertiam, nullam ampliùs de Le-Blanci Nummo rationem habendam eruditi omnes pronunciabunt. At Le Blancum eum esse ego ajo, qui suam Nummo fidem servavit. Unde sciam, quæris? Ex ipso aureo Nummo originali, quem ego nactus, penes me servatum, atque exactissimè expressum heic conspiciendum exhibeo.* Non igitur, inquam, uni Muratorio debitor sum, ut quos, qualesque ipse prodidit nostrorum Longobardorum Principum Nummos, in meum opus tunc derivarem: immò potiùs à Muratorio exhibitos ad sinceriorem fidem, originalium, qui tunc mihi præsto erant, ope, restitutos curavi. Quemadmodum id modò mihi Præsul doctissimus debet, ut secundam Nummorum seriem in eadem sua Tabula expositam, duobus Nummis locupletiorem, atque illustriorem efficeret; altero nempè (qui ordine primus est) ad Grimoaldum II. spectante cum *Monogrammate*: *La prima moneta* (sic ipse satis ingenuè, ac liberaliter) *l' abbiamo veduta presso il Canonico De Vita* (2): Altero verò nondum ab aliis edito, atque omnibus,

(1) In nova edit. Histor. Civil. Neapol. Hagæ 1753. lib. VI. cap. IV. tom. I. pag 392. ex ipsius Jannonii additione hæc leguntur. *Questo articolo di pace* (inter Carolum, & Grimoaldum) *riceve maggior fermezza, e lume, e nello stesso tempo spiega nettamente quella moneta di oro di Carlo M. rapportata da Monsieur Le-Blanc, che diede a più di uno de' nostri Antiquarj gran travaglio per intendere le iscrizioni; perchè portando da una parte il nome di Carlo M., e dall' altra quello di Grimoaldo, credendo, che si volesse dinotare Grimoaldo Re de' Longobardi, ed i tempi non concordando, si viddero in maggiori inviluppi. Queste monete si coniarono così in esecuzione di questa Pace; ed il nome di Grimoaldo dinota questo Principe di Benevento, e non già Re alcuno de' Longobardi. Nel Museo Cesareo di Vienna fra le altre monete di oro, che conserva, si vede ancor questa d' indubitata fede, ed antichità.* Tum Nummum ipsum spectandum subjicit, nec ipsum quoque exactè expressum; quod descriptoris, vel chalcographi incuriâ factum videri debet.

(2) Pag. 61. Ex hoc Monogrammate in Grimoaldi Nummo insculpto, occasionem sibi aperit Vir eruditissimus agendi tum de aliis nostrorum Principum Monogrammatibus (de quibus jam hujus Dissertationis cap. III. peracta à me tractatio est), tum de antiquo eorumdem Monogrammatum universim recepto usu. In eandem, quam ego statueram, sententiam is descendit, a Caroli M. scilicet ævo, hujusque exemplo, invaluisse potiùs, quàm cœpisse morem: Fallitur is verò, dum in ea re Caroli potiùs voluntatem, arbitriumque, quàm ex scribendi imperitia factam necessitatem agnoscere voluit: *Eginardo* (inquit) *scrive, che Carlo M. fu il primo fra i Re di Francia, il quale,* ut imperitiam hanc (*cioè di scrivere*) honesto ritu suppleret, Monogrammatis usum loco proprii signi invexit: *lo che vuol dire, secondo a me sembra, che Carlo per ricoprire, non già che esso non sapesse scrivere, ma sì bene l' imperizia sua in formare buon carattere, introducesse nella Corte di Francia la pratica di munire le Carte col Monogramma, essendo ben noto agli Eruditi, che Carlo M. oltre essere stato fautore, e propagatore delle Arti liberali nella Francia, nella Germania, e nell' Italia, egli medesimo le coltivò, e le apprese sotto la Scuola di Pietro Diacono Pisano, Maestro di Grammatica da lui creato Presidente delle Scuole del suo Palazzo in Francia, e poscia sotto la direzione del celebre Alcuino, Presidente delle medesime Scuole, e ristauratore delle lettere nella Gallia, studiò Rettorica, Dialettica, ed Astronomìa, e ne fece del profitto, locchè può ben congetturarsi per averlo lo stesso Alcuino scelto per uno degl interlocutori de i due Dialogi, che compose* de Rhetorica, & Dialectica, *ma anche dalle lettere, che scrisse in versi a Paolo Diacono, dall' Epitaffio, che compose per il Sepolcro di Adriano I. &c.* At contraria prorsus de hac re prolata a me sententia fuit d. Cap. III. cui nihil certè ista oberit ingeniosa Eginardi verbis facta interpretatio. Quæ enim ratio, aut caussa esse debuit, cur Carolus, si scribere unquam nosset, in exarando tamen suo Monogrammate, elegantiorem Characterum formam novo studio, ac labore addiscendam, adhibendamque sibi necessariam duceret? Adde, quod nullis literarum nexibus, compendiisque Caroli Monogramma constiterit, sed ipsasmet simplices, genuinasque ipsius nominis literas præsetulerit, in Crucis formam dispositas, atque distributas, quemadmodum ex exemplis a Cangio vulgatis in suo Glossario, & ejusdem Caroli Diplomate, Beneventano Episcopo Davidi concesso apud Ughellum, satis liquet. Invitum etiam, ac traditæ sibi inter-

bus fortasse ignorato, Principis Radelchis, de quo sic etiam ipse: *La terza moneta si possiede dal Canonico De Vita: In una facciata vi è impressa una spiga di grano, o d' altro frutto, aperta, e divisa in due rami colle lettere nel contorno* RADELHHS PRINCEPS (1). Quos Nummos quum ipse originales non modò vidisset, verùm & manibus contrectasset, descripsissetque, non video, cur exemplaria, quæ in eadem Tabula exprimenda curavit, originalibus *non omninò similia* se prodere profiteatur: Fortasse id in mente habuit, non integram eorum Nummorum fidem præstitam videri, qui paullò amplioris formæ, quàm quæ originalium est, conspiciendi exhibeantur; tametsi id non innocuè tantum, sed etiam consultò, ac necessariò quandoque ad integriorem, certioremque Nummorum notionem Viri quique doctissimi, Nummariæ rei Scriptores faciendum exemplo suo passim docuerunt: Vel potiùs vadem se præstare noluerit ejus diligentiæ, fideive, quam Chalcographus fortasse in iis effingendis oscitantiùs adhibuisset. Quam certè Chalcographi negligentiam non ipse evitasse videtur in illis ipsis Nummis apud se extantibus, quos certo certius spondet *essere disegnati, o si riguardi la grandezza, o la forma delle lettere, con tutta la dovuta diligenza, e fedeltà corrispondente agli originali.* Nam in eodem ipso omnium principe Principis Grimoaldi I. Nummo aureo, elegantiorem videas in utraque facie expressam literarum formam, quæ satis rudis, ac barbarica in originali spectatur. Quid quod in altera facie DOMS pro DONS. insculptum legitur? In altera verò Grimoaldus juvenili, venustoque, & quod magis est, imberbi, sive in quo vix primam agnoscas lanuginem, vultu, effingitur? (quam ementitam vultus, literarumque formam sequens ejusdem Grimoaldi aureus item Nummus ostentat); qui tamen Grimoaldus in utroque Nummo (typi, quod nunc *Conio* vulgò dicimus, barbaricâ ruditate naturalem formam deteriùs fortasse repræsentante) non ipso tantum vultu, sed etiam barbâ horrentem propè se spectantibus offert. Desiderabis denique Crucem intueri, quam vulgò dicimus *recruciatam*, Cangio memoratam in *Dissert. De Num. infer. ævi num.* XXXIII. *in fin.*; scilicet extremo vertice, extremisque brachiis ex transversis lignis, sive transtulis in globulos desinentibus conclusam, qualem originalis Nummus exhibet, & nostra exemplaria repræsentant. At hæc, ut dixi, Chalcographorum oscitantiæ, qui nostram diligentiam fallere nonnunquam solent, tribuenda sunt. Hæc autem simul omnia breviter animadvertenda mihi fuerunt, non quod Illustrissimi Præsulis vel nomini, vel eruditioni detractatum vellem, cui potiùs plurima me, lucubrandarum Beneventanarum infimæ ætatis Antiquitatum labore relevatum, plurima Beneventanam Urbem eâ postremâ temporum parte satis egregiè, præclarissimèque illustratam, pari observantiâ debere pro-

interpretationi omnino repugnantem dixi Eginardum, qui non scribendi *Ruditatem* (quæ nulli unquam vitio, mori etiam, immò fastui Principibus quandoque esse solet), sed *imperitiam* disertissimè affirmavit; quæ neque (uti ex ipso Eginardo opportunè observat Cl. Mabillonius in de Re Diplom. pag. 164.) *maximo Principi vitio verti debet; quandoquidem tentabat & scribere, tabulasque, & codicillos ad hoc in lectulo in cervicalibus circumferre solebat, ut, quum vacuum tempus esset, manum effingendis literis assuefaceret: Sed parum prosperè successit labor præposterus, & serò inchoatus &c.* Cur verò Caroli ad Paolum Diaconum epistola? de Hadriano PP. I. Epitaphium? aliaque literaria ipsius monumenta? De his jam superiùs dixi in cap. III. Nam de Hadriani Epitaphio (quod legimus inter opera Alcuini edit. Paris. 1617.) re post alios clarissimos Scriptores diligentissimè perpensâ, Cl. P. Janningus in *de Basilica S. Petri tom.* VII *Junii Operis Bollandiani pag.* 129. *seq.* id tutò pronunciat, quod de quibusque monumentis aliis literariis Carolum auctorem præferentibus statuendum censet, ejus scilicet jussu, auctoritateque, non item ingenio parto, calamoque conscripto. *Sic enim* (post plurima concludit Janningus) *& nos quæ fieri jubemus eadem censemur fecisse: & Ministri Principum multa scribunt, componuntque in persona Dominorum suorum, quæ hisce adscribuntur, quanquam ab his nec scripta, nec composita sint.* Ex Caroli denique in literas propagandas, excolendasque studio, & providentia non necessariò consequitur Hominem literatum fuisse, sed Optimum Principem, qui quantum emolumenti ex literis in Remp. dimanaret, animadvertens, easdem vehementi, neque infelici conatu excitandas ubique curavit.

Illud quoque observare fas mihi sit, in quinto Nummo ejusdem secundæ Classis, seù Seriei, haud rectè Illustrissimum Præsulem illius Scriptoris cognomen prodidisse, a quo Muratorius, & a Muratorio ambo nos eundem Nummum accepimus. Ita enim habet pag. 68. *Nel Rovescio si osserva un Monogramma contenente quattro lettere, che noi disponiamo a questo modo* GEOR. *Il Muratori seguendo l' opinione* di Angelo Beneventano, *le ordina così* GREO, *e quindi le spiega per* GREGORIUS, *sospettando, che questa Moneta possa appartenere à Gregorio eletto Duca di Benevento circa l' anno* 722. Veri tamen similius in eo Nummo GEORGEUM legendum arbitratus ipse est, qui Georgeus post occupatam a Græcis anno 891. Beneventanam Urbem, Byzantinorum Augustorum nomine Principatum post Symbaticium administravit: Quam perspicacissimi Viri sententiam mihi communicatam olim collaudavi, ac dein confirmatam mihi volui cap. VI. Sed quod ad Angelum *Beneventanum* attinet, qui eum Nummum nobis servavit, quæsivit & olim a me Vir Summus de hocce Scriptore, quem frustra inter nostrates quærendum respondi: nam is non domo *Beneventanus* (uti etiamnum se falsò prodit) sed cognomine *Breventanus* (uti ab ipsomet Muratorio rectè scribitur) Civisque Papiensis fuit, qui eum Nummum edidit in *Stemmate Genealogico Regum Longobardorum*. Præter Muratorium Clarissimus quoque Præsul Johannes Ciampinus Angelum Breventanum laudavit, nummum Regis Agilulphi ex illius *Longobardorum Regum gentilitia arbore* num. 4. mutuatus in sua part. II. Veter. Monum. c. IV. pag. 14. edit. Rom. 1699.

(1) Pag. 65.

profiteor; ſed ne mea in evulgandis noſtrorum Principum Nummis fides, induſtria, labor, apud eos, qui Viri ſummi verba non, ut æquum ſit, accepturi eſſent, periclitari videretur. Stabit itaque noſtrorum Nummorum hactenus editorum fides, quæ ipſorum Archetypis, ſive originalibus ex noſtro Muſeolo in Bibliothecam Eccleſiæ Beneventanæ transferendis, recondendiſque, ſicque publici juris faciendis, omnibus, quibus libebit, comperta, comprobataque erit, ac perpetuò conſtabit.

Alteram utiliorem ſane, ac jucundiorem huic adlucubrando Capiti occaſionem fecerunt Beneventani Nummi duo argentei, nuper in lucem hominum eruti, quos nunc etiam primùm evulgamus. Utrumque Nummum ab antica ſolùm parte ſpectandum exhibeo; neque enim poſticam repræſentare opus fuit, quæ eadem ipſa cum antica eſt, niſi quod ipſum illud, quod incuſum poſticæ apparet, hoc eſt cavâ ſculpturâ impreſſum, in antica redeat prominenter repræſentatum.






Veteres Nummos *incuſos*, ſive cavis literis inſculptos, raròquidem, ſed invenire tamen nobis continget. Extat apud me Nummus argenteus, binis denariis pendens, in cujus antica parte *Janus biceps* conſpicitur, conſueta ſcilicet nummorum nota, qui in veterum Romanorum commercio fuerunt, in altera vero *Quadriga* viſitur, quam ſubtus, ROMA legitur, literis tamen ab ipſa nummi ſuperficie in cavitatem recedentibus. Sed ut ad ſequiorem, ſeù infimam, ad quam noſtri Nummi pertinent, ætatem ſtatim deſcendamus, nullius, quem ſciam (ac ſciſse quidem conſilium, ſed inanis hactenus labor fuit) nullius inveni numiſmatis exemplum, cujus literæ, ceteraque omnia, uti in noſtris, cava ſint ex parte una, eademque ipſa ex parte altera prominenter reſpondeant. In Sepulchro S. Cyriaci nuper Anconæ detecto tres argenteos nummos Sæculi XII. ad Imp. Henricum IV., aut V. pertinentes, inventos refert Cl. P Corſinius, atque ita deſcribit. *Queſte tre monete fino al giro, o contorno del Conio ſono di grandezza uguale a quella de i mezzi groſſi Romani di argento, ma vi rimane però d'intorno una porzione di lamina tagliata, e ritondata rozzamente, e quaſi con forbice, e tutte tre ſono* incavate per la percoſſa del conio, *e ciaſcuna di queſte è di grani* 17. (1). Ediderat olim eundem Nummum Lirutius, a cujus errore haud ſibi cavit Cl. Zanettius, qui pro ENRICUS IMPERA, legit KNDNVS, quod explicat: *Chriſtus Dominus Noſter Imperat*. Sed ex ipſo demum Zanettio aliquid, quod ad noſtros Nummos propiùs accedat, libentiùs mutuabimur: De origine enim, antiquitateque Monetæ Venetæ ſermonem is inſtituens, vetuſtiſſimum ante alios nummum exhibet, de quo ſic ait. *La prima moneta è di argento di baſſa lega; il peſo è di carati cinque; ſicchè conſiderato il ſuo intrinſeco valore, verrebbe a valere intorno a cinque de' noſtri ſoldi correnti. E' ſottile, alquanto* Concava, *e di quel conio, che appunto per* la ſua Concavità *da' Greci de' baſſi tempi chiamavaſi* κκυκίος. *Nel campo del dritto avvi una Croce entro a un circolo, e la leggenda intorno* † *Chriſtus imperat. Nel roveſcio poi entro al fronteſpicio di un mal rappreſentato Tempietto leggeſi VENECI, e più ſotto A. cioè* Venetia (2). Sed eos Nummos tum a Corſinio, tum a Zanettio editos, incuſos quidem, ſivè percuſſione cavitatem faciente, conditos agnoſces; in utraque tamen facie, etſi noſtris tenuiores ſint, diverſam ex formæ diverſitate percuſſionem præferentes reperies. In Corſiniano enim antica pars S. Marci effigiem, atque in circulo: *S. Marcus. Venecia*: poſtica Crucem, & in circulo *Enricus Imper.* repræſentat. Zannettianus item nummus in una Crucem, in altera Ædiculam cum ſuis epigraphis ſuperiùs memoratis ſpectandam offert. Contrà verò in noſtris Nummis una, eademque utriuſque faciei repræſentatio eſt; nam quicquid in una incuſum, cavumque extat, ob laminæ tenuitatem in altera ſeſe rurſus ſpectandum prodit, aliorum nummorum more, prominenter inſculptum.



(1) Relazione dello Scuoprimento, e Ricognizione fatta in Ancona dei Corpi di S. Ciriaco &c. Roma 1756. De eodem Nummo poſt Paſqualigum, adhuc Cornelius ampliſſimus Senator Eccl. Venet. Decad. XIII. part. 1. pag. 76. & Cl. Carlius Delle Zecche d'Italia &c. diſſeruerunt.

(2) Ragionamento dell' Origine, e Antichità della Moneta Veneziana pag. 32. Typis Albriziorum an. 1750.

Dum igitur in nostrorum Nummorum percussione, atque forma nonnihil insuetum occurrit, suboriri fortasse cuique suspicio possit, an verè inter Nummos censeri eos fas sit. Sed nihil in ea re dubii supererit, si, quemadmodum in lucem hominum prodierint, speciatim aperiam. Quatuor ab hinc annis rusticus homo inter agelli sui rudera vasculum testaceum reperiit, argenteis nummis, variæ ætatis, oppletum: antiquiores ad Augustos Ottones pertinere ipsa epigraphe T $\overset{O}{O}$ T ostendit, quales a Muratorio exhibentur: tum denarii Papienses cum epigraphe P $\overset{A}{\underset{A}{I}}$ P, quos etiam apud eundem Muratorium invenias (1): aderant etiam permixtæ laminæ aliquot tenuissimæ, rotundæ, sed aliis nummis duplo majores, argenteæ, atque auro obductæ, in quibus nullæ literæ, sed characteres quidam Arabicorum instar, qui in Siculis inferioris ævi nummis spectari solent: maximus vero eorum Nummorum numerus fuit, quos heic conspiciendos dedimus; in quorum altero, concavus a postica, prominens ab antica parte idem *Orbiculus*, duas veluti erectas *Claves* repræsentat, atque in circulo BENEVENTVS; in altero vero Nummo quædam veluti *Facies radiata* visitur sine ulla epigraphe. Totus is thesaurus vix Ducatorum Neapolitanorum septem lucrum rustico retulit apud Aurificem, qui mox (uti ejusmodi hominum mos, sive vitium est) comparatos nummos conflavit, paucis aliquot apud Proxenetam (qui ad me rem gestam omnem, nummosque superstites multò post detulit) adhuc servatis, idest Ottonianis, ac Papiensibus senis, una lamina argentea sub auro, ac duobus tum ex primo, tum ex secundo nummo, quos heic edidimus; ex quibus alterum, atque alterum præfato illustrissimo Stephano Borgiæ possidendos concessimus, non solùm meæ erga illum observantiæ, verùm etiam integræ in iis nummis evulgandis fidei meæ testes. Itaque si Nummos alios, quibus nostri permixti erant, in commercio olim fuisse nemo dubitaverit, neque alii usui nostros fuisse fateri debebit: quisquis enim (cui profectò satis curta supellex fuit) eam promiscuæ pecuniæ quantitatem in eodem vasculo recondidit, haud certè alios, nisi nummos commiscuisset in commercio receptos; quorum etiam major copia in eodem vasculo inventa id magis suadet. Sed manifestam magis rem ipsam adhuc illa efficient, quæ de hisce illustrandis nostris Nummis modò edisseremus.

Jus cudendæ Monetæ inter Regalia præcipuum fuisse, hodieque haberi, ab universa quantumvis remotissima Antiquitate, notius est, quam ut heic probemus. Qui veteres diversarum singularium Urbium, Populorumque nummi ad nos pervenerunt, atque magnorum, doctorumve Virorum vel Musea, vel Volumina exornant, id solum, certumque probare queunt, illos aliquando Autocratiâ gavisos, aut supremi Principis, cujus majestati obnoxii essent, permissu, cudendæ monetæ facultatem adeptos: Hæc omnino certa, dum Romanum staret Imperium; quo postea collapso, nihil admodum ejus rei immutatum per mediam ætatem videtur: ex qua quidem ætate Nummos, qui ad Augustos, aliosque Reges, seù Principes pertinent, excipere quamplurimos promptum erit, nullos tamen privatarum Civitatum contrectare suppetit. Vulgata satis, atque in hujus Dissertationis Proœmio explicata a nobis Regis Rotharis lex est, qua, sancitâ *manus incisione, cuique aureum signare, aut monetam confingere, sine jussione Regis*, interdictum fuit. Inclytæ Venetorum Reip., quamvis a longiore ævo nobilissimam originem suam repetenti, non antè tamen Sæculi x medium, cudendorum nummorum initium attribuunt ipsi Veneti Scriptores Sanutus, Sansovinus, aliique, qui id demum, Imperatore Berengario II. largiente, cœptum affirmant. Sed Cl. Zanettius nobis superiùs laudatus post recentiores alios ejusdem Gentis Scriptores ad tempora altiora, necnon ad propriam, qua omni ævo prædita Resp. fuit, Autocratiam, supremamque potestatem, rem ipsam extollere conatus est (2); cui sententiæ non leve adminiculum præstitit Cl. Muratorius occasione *Denariorum Veneticorum*, quos a Rothario Episcopo Veronensi, Imperatoris Berengarii coævo, memoratos legit; Muratorii autem verba libentiùs recitabimus, qui a Beneventanorum Principum exemplo Venetorum Ducum singularem eam fuisse prærogativam confirmat. *Quæ sanè* (inquit) *prærogativa prodit, quanta jam tum foret eorum Ducum* (Venetorum) *dignitas, atque præstantia. Si enim Beneventanos excipias, qui ut supremi Domini agebant, & Principes appellari maluerunt: Si Neapolitanos quoque excipias, quibus id juris concesserunt Græci Imperatores; nulli alii in Italia Duci antiquis temporibus licuisse puto signare suo nomine Nummos* (3).

Sed post Sæculum x. diversa sane ejus rei condito esse cœpit; quandoquidem Civitatibus

(1) Antiq. med. Ævi Dissert. XXVII. t. II. pag. 557.
(2) Zanettius l. l. pag. 22.
(3) Muratorius d. Dissert. XXVII. pag. 648.

tibus quampluribus Italicis, five novam prærogativam, five libertatem affectantibus, immo & præclariorum quarundam Sedium Epifcopis temporalem dominationem adeptis (1), officinas monetarias aperire, Nummofque fuo nomine fignatos in commercium effundere, folemne fuit. Ad eam poteftatem liberiùs, atque impunè arripiendam accedebat illa obtinendi Privilegii facilitas, qua Augufti rogantes vix Civitates alias eodem jure, ac prærogativa donabant. Sic Aquilejæ Conradus II. Anno MXXVIII., Ravennæ Henricus IV. An. MLXIII., Genuæ Conradus II. An. MCXXXIX., Patavio Henricus III. An. MXLIX., Bononiæ Henricus VI. An. MCLXXXXI., Cremonæ Fridericus I. An. MCLV., Bergomo idem Fridericus An. MCLVI. id jus contulerunt (2). Neque in eo concedendo jure Romani Pontifices difficiles fuiffe videntur; cujus rei fatis luculentum, ac vice omnium exemplum illud eft, quod de Honorio III. prodidit Odoricus Raynaldus in fuis Annalibus; a quo quidem Pontifice cudendæ monetæ Firmanæ Urbi poteftas facta fuit hoc brevi Diplomate. *Honorius &c. Univerfitatis veftræ devotis precibus inclinati, habendi proprium coneum ad cudendam monetam citra valorem Imperialium, liberam vobis, auctoritate præfentium, concedimus facultatem. Datum Laterani VI. Idus Decembris, Pontificatus noftri anno* V., hoc eft Anno MCCXX.

Quæ quum ita fint, nihil certè infueti, aut fingularis exempli fuerit, fi Beneventanæ Urbis Nummos, antehac ignoratos, ac per ea tempora percuffos, in lucem nunc prodiiffe demum contigerit. Etfi enim Nummis ipfis, quos modo contrectare licet, adhuc caruiffemus, plura funt argumenta, quæ non id tantùm conjectare finunt, verùm etiam fieri potuiffe, debuiffeque, fuadere planè videntur. Eadem fiquidem prærogativa Beneventanæ Urbi poft Sæculum XI. delata, immo potius fervata eft, qua retroactis temporibus potita fuit; quandoquidem totius olim Principatus Caput, atque Sedes officinam monetariam fub Principibus fuis habere confueverat, ex qua præcipuæ Italicæ monetæ, quæ ubique in commercio effet, perennis copia potiffimùm proferebatur. Non inviti autem Romani Pontifices, dum eam Urbem fibi fubditam habere cœpiffent, eandem ei prærogativam, vel tacito confenfu, vel privilegio facto, confirmaffe dicendi funt; dum ea res non folum Urbis nobilitati congrueret, fed in commercii quoque commodum, utilitatemque redundaret. Vix enim Pontificia moneta fufficere, vel non fatis promptè, opportunèque Beneventanis fuppeditari poterat, qui a reliquarum regionum, five Provinciarum Sedi Apoftolicæ fubditarum finibus longiùs pofiti, alieni etiam dominii interjacentibus fpatiis tunc fejungebantur. Adde nunc, quod a Vignolio, Floravante, Muratorio obfervatum eft, a tempore Pafchalis PP. II., a Sæculo fcilicet XI. nullos per tria fermè Sæcula in pofterum ab ipfis Romanis Pontificibus cufos apparere Nummos; eam fcilicet auctoritatem Populo Romano fibi vindicante, qui Arnaldi Brixiani verbis feductus, rebellionem adverfus Petri fucceffores, legitimos Urbis Dominos, primùm inftituit, Remp. nempe, atque Senatum in antiqua jura reftituere aufus, inter eas turbas monetæ quoque Romanæ jus, atque ufum arripuit. Potuerunt igitur Beneventani per eadem tempora, fed non eodem perduellium Romanorum exemplo ducti, ad fupplendam Monetæ Romanæ penuriam, atque ad commercii fui utilitatem, proprios fibi Nummos cudiffe, falvâ erga Romanos Pontifices non fuâ tantum reverentiâ, fed fervatâ etiam fubjectonis notâ, quam in iifdem nummis infculptam voluerunt.

Neminem itaque dubitaturum reor, quin, quæ in media area, feù orbiculo, aut globulo prioris nummi infculptæ fpectantur, *Claves* illæ fint, rudi quidem (ut ætas illa ferebat) formâ expreffæ, fed quæ non aliam, quam Clavium effigiem nobis exhibere queat. Nihil enim turbare debet, quod eædem claves non fint *decuffatæ*, quales in antiquis plerifque Romanorum Pontificum Nummis adhibitas, hodieque intuemur. Nam de Clavium infigni, atque forma, ad Pontificios Nummos quod attinet, diftinguenda temporum conditio eft: Nullus profectò ante Sæculum XI. Pontificum Romanorum Nummus infpiciendas nobis Claves offert (3). Nullum igitur Beneventanis exemplum præiverat, quo ipfi, ut *decuffatas* potiùs, quàm *erectas* claves in fuis Nummis infculperent, commonefierent. Poftea verò quàm Sæculo XIV. Romani Pontifices monetæ jus (uti par erat) fibi revocarunt, jam primus, qui ad nos pervafit, Benedicti XII. nummus Claves ipfas nonnifi *erectas* exhibet: Simillimâ formâ infculptas refert alius Nummus Johannis XXII., cujus tamen Pontificis alius nummus *decuffatas* oftendit; quam deinceps formam pofteriores omnes Pontificii Nummi fervaffe



(1) De Epifcopis jus cudendæ monetæ olim habentibus vid. Thomaffinum Eccl. Difcipl. part. III. lib. I. Hos autem plerorumque Epifcoporum Nummos protulerunt Le-Blancus, Cangius in Gloffario, aliique.

(2) Zanettius l. I. pag. 22.

(3) Vid. Pontificiorum Nummorum priorem Claffem apud Murator. l. I. pag. 556.

vasse videntur (1): Quare quum noster Nummus intra Sæculi XII. spatia (ut mox videbimus) percussus sit, si non ipse exemplo aliis factus est, ut Claves, atque illas initio *erectas*, in Pontificii dominii argumentum, adhibere cœperit, saltem ex dictis Benedicti XII., Johannisque XXII. posterioribus Nummis, eum communem, receptumque in *erectis* Clavibus efformandis morem viguisse ostendit.

Præclarissimum autem Pontificiæ tum Dignitatis, tum Potestatis, Dominationisque Insigne, aut Symbolum fuisse tum unam, tum quandoque tres (ut alibi observavi), usitatiùs verò binas claves, explorata satis res est: idque tum in aliis publicis monumentis, tum præsertim in Nummis signandis obtinuisse satis constat. Perusinæ Urbis Nummos exhibens, explicansque Muratorius, quum in postremo, seù quinto argenteo (cujus antica facies Gryphum alatum, Perusinorum insigne, refert, postica verò S. Herculani Perusinorum Patroni inscriptum nomen cum duabus clavibus superiori parte insculptis) ex dictis profectò clavibus, quæ in antecedentibus Nummis desunt, rectè is infert, *indicio illas esse*, eo tempore, quo Nummus ille post alios cusus fuit, *jam tunc Perusinos dominationi temporali Romani Pontificis subfuisse* (2): Sic in Anconitanæ Urbis Nummo tertio (3), atque in Asculanæ Nummo secundo, ac tertio (4) claves insculptæ spectantur, Pontificiæ Dominationis testes. Ex quibus illud jam conficitur, non uni Benevento, sed aliis plerisque Urbibus, Romano Pontifici subjectis, jus cudendæ monetæ olim expressum: at illæ vel proprium insigne, seù stemma, vel Sancti Patroni nomen, effigiemve (uti Ancona S. Quiriaci, seu Cyriaci, Asculum S. Emygdii), additis clavibus, insculpere consueverunt: Beneventani verò solum Urbis suæ nomen adhibendum maluere, qua epigraphe clavibus in medio insculptis circumscriptâ, subjectionem suam Sedi Apostolicæ luculentiùs testatam reddebant.

Quod autem ad percussi nostri Nummi tempus attinet, veri mihi simillimum videtur, Sæculi XIII. spatio non illum excessisse. Hoc ut ita statuam, ipse paullò ante mihi commemoratus Pontifex Honorius in caussa est, non ullo quidem, quod Beneventanis concesserit, quemadmodum *Firmanis*, cudendæ monetæ Diplomate, sed illo quidem satis celebrato Libro Censuum Romanæ Ecclesiæ, quem is nondum Pontifex, sed ejusdem Ecclesiæ Camerarius nomine Cencius conscripsit ann. MCXCV. In hoc itaque Libro Regalia omnia singillatim recenset, quæ Sedes Apostolica in Urbe Beneventana sibi servavit in hunc modum.

*Proprietas, quæ remansit Curiæ de Regalibus Beneventanis.*

*Hæc sunt Regalia, quæ in dominicatu Papæ remanserunt. Quatuor molendina de Donno: Duo Molendina de S. Barbara: & Molendina de Burgo: Turres, & Plateaticum Portæ summæ: Hortos, & de Turre Ceruola: Plaza de Ponte Majori: & omnes Plancas cum Plateatico Piscium, & Foliorum: Tignta Judæorum* (5): *Plateaticùm de Ponticello, & Pontili: Domos, quæ sunt circa Palatium: Alanatum totum, & Salicetum de Ponte leproso, & Vineas Scultais, & Vineas de Nardia, & Vineas de Cirlo, & Vineas Principis: Iscla de Cellarulo* (6): *Cumposta: Pratum Dominicum: Viridarium: Balneum: & Furnum: Planca Piscium: & Curatura de Brudo Portæ Rufinæ: Vineam de Cantaro: Terra de vinea Veterana: Ecclesias omnes: Vineas de Cellarulo mediatam: Domum Christiani de Burgo Portæ Aureæ: MONETAM: & Electam, ideſt Bannum: Medietas redituum de Placitis, de Forfaturis, & Scadentiis Peregrinorum, & Extraneorum: Scadentia Beneven-*

(1) Murat. l. l. pag. 576. num. I. VII. & VIII.

(2) D. Differt. XXVII. pag. 715. & pag. 720. in Nummis Perusiæ num. VI.

(3) Ibidem pag. 654.

(4) Ibidem pag. 860.

(5) Fortasse scriptum erat: *Tributa*, aut *Tinctura*, aut *Tincta*; quod nunc etiam dicimus a verbo *tingere*: quum scilicet Judæi tunc Beneventum incolentes, ex ea, quam callerent, exercerentque, pannos, telas, aliaque ejusmodi tingendi arte, tributum pendere tenerentur. Sic in Diplomate Imp. Friderici II. an. 1210. apud Rochum Pirrum in Archiep. Panormit. *Donamus totam tinctam nostram ipsius Civitatis ..... cum fundico &c.* & infra: *Omnia jura ipsorum Judæorum, & reditus ipsius tinctæ &c.* Judæi autem Beneventum incoluere usque ad annum MDXL. quo anno a Neapoli, atque universo Regno expulsi sunt. Vid. Summontium Istor. tom. IV. pag. 85.

(6) Quam sint antiqua hæc tum *Isclæ*, tum *Cellaruli* vocabula ex hoc loco discimus: Ac *Cellaruli* quidem loco proprium ad ripam Caloris, (quà Sabbatus in illum influit) ita fortasse dictum a Cellulis, sive Ædiculis antiquitus ibidem constructis, quarum rudera, ac vestigia passim apparent; inter quæ paucis ante annis Ruri Dominorum de Mariella Pavimentum palmorum XX. quaquaversum detectum fuit, musivo opere varia animalia, aliosque ornatus eleganter elaboratos repræsentans; sed effodiendi imperitiâ (cui subsidium præbuit eruditissimus, ac postea Eminentissimus Furiettus in suo præclaro Opere *de Musivis* cap. II. pag. 32.) partim in suos primigenios lapillos dissolutum evanuit, partim congesta rursu humo, obrutus jacet. Ad vocabulum *Isclæ* quod attinet, nullum ipsius in Cangiano Glossario vestigium. Nos adhuc eam terram, seu agrum vocamus *Iscam*, quæ plana sit, & flumine alluatur; uti de *Iscla Cellaruli* satis constat.

*neventanorum tota* (1). Gratum fortaffe hæc audiffe fuerit, ut certò fciremus, quæ olim in fubdita Urbe Benevento Apoftolicæ Sedis Regalia fuerint (2). Quod præfentis argumenti caput eft, habemus MONETAM, cujus *proprietas Curiæ* (ideft Pontificiæ Poteftati) *relicta* fuit: Opinari igitur æquum eft, ante Sæculi XII. exitum jus monetæ cudendæ vel folam penes Civitatem omnimode conftitiffe, vel pari, communique poteftate cum ipfa *Curia*, feù *Camera* Apoftolica conjunctim Beneventanos exercuiffe: Deinceps verò, uti ex dicto Cenfuali libro rectè liquet, id jus, inter alia Regalia, folis Romanis Pontificibus Dominis adjudicari, fervarique cœpit.

Sed illud modo perfcrutari opus erit, quo nomine, qua etiam æftimatione is Nummus apud Beneventanos olim conftiterit: Quod ut faciliùs affequamur, id primò noffe proderit, quo fcilicet, quotuplicique monetæ genere per eadem tempora Beneventani uterentur. Tutiffimam profectò, etfi non undequaque manifeftam viam nobis fternet Beneventanus ipfe Chronographus Falco, qui Sæculo ineunte XII. floruit. Quatuor igitur monetæ fpecies a Falcone, dum is rerum geftarum narrationes exequitur, obiter commemoratas invenio: fcilicet *Romanatos*, *Follares æreos*, *Romefinas*, *Denarios*.

De Romanatis (quorum anno 1130., & 1131. mentio eft occafione *Horti* Rolpotonis perduellis jure Fifci divenditi *pro fexaginta Romanatis*, quam pecuniam Pfeudopontifex Anacletus II. Beneventi tunc degens in fuam mox crumenam induxit) præclara res eft, eum nummum aureum CPolitanum fuiffe, ab Imp. Romano Diogene percuffum: ut jam videas Auguftorum Orientalium nummos etiamtum in Italico commercio, atque apud Beneventanos diù etiam poft, fuiffe ufitatos. In vetuftis Conftitutionibus Beneventanæ Ecclefiæ ab Archiepifcopo Hugone II. anno 1371. promulgatis, Archidiacono *affignantur in confirmatione Epifcopi* duo Romanati: *item in confecratione Epifcopi*, tantundem. *In confirmatione Abbatis* unus Romanatus: *Item in benedictione ejufdem*, tantundem: Sic Archipresbytero *unus Romanatus*; ac fubinde aliis ejufdem Ecclefiæ Dignitatibus certa pecuniæ quantitas, feù merces ftatuitur, uti fuo loco dicam, quum de Beneventana Ecclefia differendum erit. Sed & Occidentalium Imperatorum Nummos Beneventi potiffimùm receptos fatis ille probat, *Auguftalis* appellatus, cujus non modò in noftris antiquis Chartis, verùm etiam in noftris recentioribus *Statutis*, anno 1588. conditis mentio fervata eft; pluribus enim in locis, quod multæ nomine folvendum ftatuitur, non aliud pecuniæ genus, quàm ipfius *Auguftalis*, expreffum legitur; tranfducto quidem ex vetuftioribus Statutis, ac exinde recepto vocabulo, quando fcilicet ea mone-

(1) Hunc locum integrum dicti Libri Cenfuum Rom. Ecclefiæ a Cencio Camerario compofiti edidit Cl. Muratorius in Antiq. Med. Ævi Differtat. XI. tom. II. pag. 13.

(2) Dixi fuperiùs ex Cenfuali libro Cencii prodita nobis, quæ olim fuerint in Beneventana Urbe Romanæ Sedis Regalia; nam, aliis poftea inftitutis, non eadem nunc effe fanè conftat. Molendina omnia in privatorum dominium obvenere, quorum unum, vel alterum leviffima annui cenfus penfione Sedem Apoftolicam Dominam agnofcit. Plateaticum, & alia quævis Vectigalia, Dationefque, vulgò *Dazii*, in ipfius Civitatis, feù Communitatis jus, dominiumque cefferunt: cui etiam Communitati attributum eft emolumentum omne utriufque Cancellariæ, tum Civilis, tum Criminalis Tribunalium tam Pontificii Gubernatoris, quàm Judicis Civilis, qui Vicarii nomine ab eadem Sede juridicundo præficitur. Qua hæc de caufa, quo tempore facta fint, non eft hujus loci longiùs explicare: quin Pontificia auctoritate gefta fint, nulli dubium eft. Longè ante hujus libri Cenfualis tempus, Pfeudopontificis Anacleti II. Diplomate Plateaticum, quod ex Paradifo, feù Atrio, ac Foro Beneventanæ Ecclefiæ Apoftolica Sedes percipiebat, Archiepifcopo Roffimando, ac Succefforibus adjudicatum fuit. Interim ad Pontificium jus, ejufque Regaliæ nunc pertinent Vectigalia illa, quæ Veteres Portoria vocabant, ac *Doganæ* nobis nomine appellantur, quæ nuper ipfa Pontificia Sedes eidem Communitati fub certo annui cenfus onere in Emphyteufim conceffit: Sunt etiam, præter rufticum Feudum Villæ Francæ, ruftica alia, urbanaque prædia, ex quibus eadem Sedes directi dominii jure annuos reditus percipit, diverfa quidem ab iis, quæ in Libro Cencii memorantur; fed ex eo ejufdem Libri Capite profecta, quo ipfa Sedes *medietatem de Forfaturis*, & *Scadentiis Peregrinorum*, & *extraneorum*; *Scadentiam verò Beneventanorum totam* fibi fervavit: Scadentiam, five *Excadentiam* Du-Cangius interpretatur, *Bona Caduca*, *quæ in Fifcum cadunt*, *feù ex commiffo*, *feù ex alia quavis ratione*. Verius videtur eo nomine fignificari duntaxat hæreditates hominum, five Civium, five Peregrinorum, Advenarumque, qui fine poftremis tabulis, & fine legitimis hæredibus deceffferint. In noftrorum Principum Diplomatibus in Chronico San-Sophiano collectis, plures ab iis donationes Ecclefiis factæ leguntur illorum bonorum, quæ ex inteftatis hæreditatibus nullos legitimos Succeffores habentibus *ad Sacrum Palatium* perveniffent: eadem non uno hujus libri loco recitavimus, atque illuftravimus: Quid ni igitur, quæ in eorundem Principum fuprema jura, dominiumque fuccefferat, hæc quoque antiqua Regalia fibi Pontificia Sedes ritè vindicaverit? Ceterum ad *Commiffa* quod attinet, hæc non ad *Scadentias* (ut Cangius putat) fed *ad reditus de Forfaturis* pertinere debent, quos eodem loco *Curiæ* Romanæ fpeciatim fervatos legimus; atque Bonorum publicationem, five etiam certam *Multam* indicant, quæ ex patrato delicto in Pontificium Fifcum inferebatur. Vocabulum autem *Forfaturæ*, five *Forisfacturæ* fatis obvium apud mediæ ætatis Scriptores ex verbo *Forisfacere* oritur (qua fignificatione vox *Forfante* hodie ufurpatum dimanaffe videtur); idque verbum Ugutioni *offendere* eft, five *nocere*, quafi *facere foris*, ideft *extra rationem*. Vid. eundem Cangium.

moneta vigebat; ut qui multæ reus esset, tantam pecuniæ quantitatem solvendam sibi sciret, quantam olim Augustalis pendebat. Non enim id novum, ut obsoletæ pecuniæ tum nomen, tum valor in commercio remaneat: nostrisque temporibus plures sunt veterum monetarum species, quæ cum ipso nomine usum quoque, etsi imaginarium, atque cum præsentium Nummorum valore æstimandum, retineant; uti de *Libra Sterlingorum* apud Britannos, de *Bononino*, seù *Bolognino* apud Lombardos, de *Ducato Aureo de Camera* apud Romanos, deque aliis satis constat. Fuit autem *Augustalis* Nummus aureus ab Imp. Friderico II. percussus, quem in Apuliæ, Siciliæque commercio, ejusdem Imperatoris jussu quàm frequentissimè positum testatur Richardus a S. Germano in Chronico ad annum MCCXX. hisce verbis. *Nummi aurei, qui* Augustales *vocantur, de mandato Imperatoris in utraque Sicilia Brundusii, & Messanæ cuduntur*: paullòque inferiùs: *Mense Junii quidam Thomas de Pando novam monetam auri, quæ* Augustalis *dicitur, ad S. Germanum detulit, distribuendam per totam Abbatiam..... & ipsa moneta utuntur homines in emptionibus, & venditionibus suis juxta valorem ei ab Imperiali providentia constitutum, ut quilibet Nummus aureus recipiatur, & expendatur pro quarta unciæ..... annotata figura Augustalis erat, habens ab uno latere caput hominis cum media facie* (idest obliqua, sive ex una parte apparente, cujus caput *laureatum*, & a collo ad pectus paludamento contectum), *& in alia Aquilam*, quæ scilicet obtorto collo alas expandit. Nihil Richardi testimonio sincerius, atque præclarius, ut non solùm otiosæ, sed importunæ videri debeant, quæ de ejus Nummi appellatione, ac valore plerisque observasse libuit (1). Sed ad Falconem redire præstat.

Alias tres simul monetas, dum Regis Rogerii res gestas prosequitur, ita Falco memorat. *Inter cetera suarum dispositionum Edictum terribile induxit, totius Italiæ partibus abhorrendum, & morti proximum, & egestati, scilicet ut nemo in toto ejus Regno viventium* Romesinas *accipiat, & in mercatibus distribuat; & mortali consilio accepto, monetam suam introduxit, unam verò, cui* Ducatus *nomen imposuit, octo* Romesinas *valentem, quæ magis magisque ærea, quàm argentea probata tenebatur: induxit etiam tres* Follares æreos, Romesinam *unam appretiatos; de quibus horribilibus monetis totus Italicus Populus paupertati, & miseriæ positus est, & oppressus; & de Regis illius actibus mortiferis mortem ejus, & depositionem Regni optabat*. Habemus igitur *Ducatum*, novum monetæ genus a Rogerio invectum, eo nomine propterea appellatum, quod ab eo fortasse tempore, quo Rogerius *Ducis* titulo præditus tantùm erat, cusus ab ipso fuerit; vel quia Rex inauguratus, pristinæ dignitatis memoriam servatam voluerit; vel demum eo vocabulo Nummi valorem, numerumque ipsum denarium indicaverit; atque ut Nummum ipsum a reliquis *Denariis* argenteis distingueret, *Ducatum* elegantiùs, quàm *Decatum* appellarit: Mansit enim ab eo tempore, hodieque inter alias Neapolitanas monetas viget Ducatus; qui Nummus decem denariorum argenteorum, quos *Carolenos*, sivè *Carolinos* dixerunt, valorem exæquat. Habemus præterea Follares æreos, in quibus id tantùm novi, iniquique Rogerius induxit, ut cum tribus ipsis *Romesina* una compararetur, seù appenderetur: antiquissimum autem *Follarium* nomen, usumque fuisse constat, tum ex ære, tum

(1) Hujus Nummi effigiem exhibet Cangius in suo Glossario v. *Augustalis*, quem etiam *Augustarium* olim dictum observat; nunquam verò *Agostalem*, ut mavult Muratorius in dicta *Dissert.* XXVII. *pag.*788. ex Joannis Villanei loco, qui *Hist. lib.* VI. *cap.* 21. hæc de illo fatur. *L' Agostaro d' oro valea l' uno d' un Fiorino, e quarto d' oro; e dall' uno lato dell' Agostaro era improntato el viso dello Imperatore, e dall' altro un' Aquila al modo de' Cesari antichi; ed era grosso di Carati venti a paragone*. Nam Villaneo, vernaculâ, seu *italica vulgari* linguâ scribenti nummus ipse *Agostaro* vocatus, derivatus fuit ex latino *Augustario*; sicuti ab *Augusto* latino, est italicus *Agosto*: Non itaque ex solo *Agostaro* Villanei (dum latina exempla omninò desunt) *Agostalem* latinum confingere sibi debuit Muratorius. Ita verò appellatos *Augustales*, quod ab *Augusto* Friderico cusi, ejusdem effigiem præseferrent, nonnisi hanc rudis vulgi opinionem esse, idem Muratorius censet; qui ejusdem Villanei verbis, atque Apostoli Zeni monitu, sic vocatos ait, non ab Augusto Friderico, sed *ab Augusto Cæsare, cujus vultum in numismate Fridericus expressit*. Unde verò id probari queat, prorsus ignoro. Ex ipso nummo, satis rudi formâ signato, sive Augusti Cæsaris, sive ipsius Augusti Friderici faciem aut agnoscere, aut distinguere nemo certè sciverit. Hanc verò fuisse Friderici mentem, aut consilium, dicere, non aliud, quàm divinasse erit; immo nulla ratio tunc suberat, cur alterum magis, quàm seipsum repræsentare Fridericus voluerit; quasi non & ipse, ut olim Cæsar, tum nomine, tum re *Augustus* tunc esset: Qua quidem ex Dignitate sua cum nummum *Augustalem* appellavit, quemadmodum *Imperiales* tunc etiam alii nummi dicebantur ab decessoribus Augustis cusi, quorum est mentio in Diplomate Honorii III. superiùs à nobis recitato, quo Firmanis officina monetaria conceditur: ad quorum certè *Imperialium* jamdiù extantium differentiam, novam, quam is cusit monetam, *Augustalem* vocari præcepit Fridericus; itaut ea vocabuli diversitas, etsi eandem significaret dignitatem, ipsum tamen Friderici Nummum speciatim indicaret.

tum ex argento, ut idcirco *Follares* æreos memoraſſe Falco noſter debuerit (1). Quod Beneventanos ſpectat, Apoſtolicæ Sedis ſubditos, qui fuerit ejus rei ſucceſſus, Falco idem poſt alia ſubtexuit: *delegatum* ſcilicet a Rogerio Johanni S. R. E. Subdiacono, ac Beneventano Rectori, ut *monetas illas intra Civitatem ſuſciperet*: tum Beneventanos Cives, ne contra jus, faſque Regiâ impotentiâ opprimerentur, Romani Pontificis opem, auctoritatemque interpellaſſe: Pontificem verò, *de factis Regis, ac Monetarum ſuarum inventionibus ne terrerentur, quoniam tranſitura ſunt, & citò poſſunt emendari*, ſeque non modò præſentibus avertendis calamitatibus, ſed in Beneventanorum quoque commoda univerſa ſedulò proſpecturum, reſpondiſſe. An *emendata* deindè res fuerit, ex Falcone haud noſſe datur, cujus Chronici, ad eam rem pertingentis, pars reliqua periit. Pronius eſt, ut affirmemus, gravioribus negotiis in illa temporum difficultate Pontificiam mentem, animumque aliò avocantibus, *inemendatam* rem tunc relictam, Beneventanoſque Cives in ejuſmodi Monetarum receptione, univerſi Italici populi fortunam ſubiiſſe.

*De Romeſinis* nunc dicendum, cujus pecuniæ genus Beneventi tunc uſitatiſſimum Falco demonſtrat: Et mirum quidem, nullibi ejus pecuniæ mentionem hactenus occurriſſe, quam niſi unus nobis Falco ſervaſſet, extitiſſe olim Romeſinas prorſus neſciremus. Non enim peculiaris quædam Beneventanorum pecunia fuiſſe illa exiſtimari debet, quam proprium nomen *Romæ* percuſſam, indeque in Italiæ Ciſtiberinæ commercio poſitam ſatis probat Rogerii interdictum, *ut nemo in toto ejus Regno viventium Romeſinas accipiat*. Ex ſolo itaque Falconis teſtimonio id pecuniæ vocabulum Gloſſario ſuo adtexuit Cangius, atque ex Cangio didiciſſe ſatis habuit Muratorius (2). Ac Muratorius quidem in ea ſententia eſt, ut ea pecunia inter nummos *vilis metalli* recenſeri debeat, propterea quod, eodem teſte Falcone, ad annum MCXXXIX. Barenſes obſidione preſſi ab eodem Rege Rogerio, *emerent panem unum ſex Romeſinis*. At ex ipſo recitato Falconis loco contrarium potiùs de ejus pecuniæ metallo, ac valore Vir doctus argumentari, ac definire debuiſſet: Si enim in ea obſidione Barenſes Cives (ut Falco commeminit) *famis aſperitatem, & ſitis ſuſtinentes, panem unum ſex Romeſinis emebant, & carnem equorum comedebant*, certiſſimum illud conſequitur, Romeſinas non ex ære, ſed argento conſtitiſſe; quid enim *aſperitatis* tuliſſent Barenſes, qui ad equinæ carnis comedendæ neceſſitatem redacti, ſex ſolis alioqui nummis æreis (quod in ea rerum anguſtia leve admodum, immo viliſſimum pretium reputandum erit) panem unum ſibi facile comparare potuiſſent? Adde nunc, *Ducatum* a Rogerio invectum, monetam ſcilicet argenteam, octo *Romeſinis* ab eo æſtimatam, & rurſus tres *Follares æreos ad unius Romeſinæ* valorem adauctos, ut jam certum, perſuaſumque nobis manere debeat, *Romeſinam* non ex *vili metallo* conſtitiſſe, ſed argentei nummi genus omnino fuiſſe, qui Denarii argentei loco eſſet, ſive decem obolorum valorem contineret.

Sed jamdemum de *Denario* ipſo agendum ſupereſt. Meminit ſpeciatim ejus Nummi idem Falco ad An. MCXXIV. quum ait: *Hoc anno tanta fuit fertilitas vini, quod nobis, & multis aliis videntibus, centum Saumæ pro triginta denariis vendebantur* (3). Errorem certè vel in *Saumarum*, vel in *Denariorum* numero admiſſum ab Amanuenſibus reor; ſi enim *Sauma*, ſeù *Sagma* (quæ nunc

(1) Aureos quoque Follares admiſit Gutherius de Offic. Dom. Aug. lib. III. cap. 17., quem tamen Eruditi omnes deceptum volunt. Ceterum *Follares* (quos *Folles* antiqui dicebant, uti apud S. Auguſtinum De Civ. Dei Lib. XXII. cap. 8., Ammianum Marcellinum in Chron. ad an. 498., & veterem Inſcriptionem Gruterianam pag. 810. num. I. alioſque) ſive *Follerales*, & *Follera*, uti ſequior ætas vocabat; ita a Sacculis, in quibus recondebantur, dictos affirmat Papias; non alios verò æreos, quàm ipſos obolos fuiſſe tradit Svidas. De Follium tum æreorum, tum argenteorum valore quædam adnotavit Sirmundus ad S. Auguſtini Sermonem XL.: Plurima verò obſervavit Petavius in Diatriba in S. Epiphanii opuſculum *De Menſuris, & Ponderibus*.

(2) In Diſſert. XXVIII. *De diverſis Pecuniæ generibus &c.* Antiq. Med. Ævi tom. II. pag. 826.

(3) Meminit quoque *Denariorum* Falco ad An. 1137. ſive potius Denarii memorantur in Privilegiis Regis Rogerii, qui (uti in exemplo a Falcone recitato legitur) Beneventanis *dimittit, & condonat fidantias ſubſcriptas, videlicet Denariorum redditus, ſalutes, angarias, terraticum, herbaticum, carnaticum, kalendaticum, vinum, olivas, relevium &c.* Sic eodem anno Comes Rogerius de Ariano, flagitante apud Imp. Lotharium tunc in Beneventanis finibus agentem Innocentio PP. II., ab eodem Auguſto juſſus jurejurando cum multis ſuis *Baronibus* pollicitus eſt, ſe a Beneventanis non ablaturum deinceps *fidantias, terraticum, olivas, vinum, ſalutes, nec ullam dationem .... nec mercatum Civitati diſturbaturum &c.* Ut videas, Beneventanos per ea tempora non ab ipſo tantùm Rogerio Rege, ſed a finitimis quoque Baronibus undique divexatos; qui ab ejuſmodi calamitatibus ut ſe relevarent, non Regis Rogerii ſubditos, uti a Neapolitanis anno 1140. factum refert idem Falco, ſed auxiliares ſe declaraſſe. Fuit ſiquidem hoc perpetuum Beneventanorum ſtudium, immortalis laus erit, a Sedis Apoſtolicæ fide ſemel præſtita numquam defeciſſe, futuros certè, quo nomine gloriantur, perpetuos B. Petri Fideles.

nunc nobis *Salma*, & *Soma*) onus erat, quæ equis, afinifque vehenda imponebatur (1), quis credat, tantum pro centum *Saumis* pecuniæ, feù pretii ab emptoribus perfolutum, quantum pro colligendis, exprimendifque uvis ad decem vini *Saumas* vix venditoribus fuffeciffent? Quamvis vero Denarius tum argenteus, tum æreus effet, immò pro minutiore moneta, feù minimo omnium nummo acceptus aliquando fuerit; quâ certè nomenclaturâ fimul, & æftimatione Johannes de Cabrofpino, Apoftolicæ Sedis Nuncius medio Sæculo XIV. Denarium reputaffe legitur, in illa fpeciali Nummorum omnium recenfione, quam *pro Regno Siciliæ citra Pharum*, evulgavit, fic aiens. *In Regno Siciliæ citra Pharum maximè, Libra eft* LX. *Carlenorum Liliatorum. Tarenus eft duorum Carlenorum. Carlenus valet* X. *grana. Granum valet fex Denarios* (2): atque hæc etiamnum Denarii fpecies in ufu fit, minimus videlicet æreus Nummus, fextam oboli, feù affis ærei, ideft Neapolitani *Grani* partem duntaxat attingens; haud quidem veteribus ignotus, aut infuetus; dum apud Macrobium *Denarii* in puerorum lufu ponuntur, & quæ in Marci Evangelio cap. XII. λεπτὰ δύο, in Lucæ X. δύο δηνάρια, *duo Denaria* fcribuntur, eadem a S. Ambrofio *duo æra* appellantur: Certum tamen nobis effe debet, Denarios a Falcone memoratos, nulla metalli mentione adjecta, uti de Follaribus fecit, nonnifi argenteos fuiffe; fervatâ fcilicet ufitatiore ejufdem Nummi fignificatione, quam inferior ætas a prifcis Romanis excepit; apud quos *Denarium* fuomet nomine *argenteum* Nummum, primò decem affibus æftimatum, fuiffe fatis conftat (3).

An igitur, qui nuper in lucem prodiit, eftque a me nuncprimùm vulgatus argenteus Nummus, BENEVENTI nomine, ac *Clavium* effigie fignatus, ipfe fortaffe *Denarius* fuerit, ufitatior olim Beneventanorum Nummus, quem in fua officina percuffum, atque a Pontificiis *Romefinis* omnino diverfum, folo *Denarii* nomine in proprio commercio ipfi aliquando adhibuerint? Non id certè, nifi conjecturæ loco præftitum a me velim; illud interea certum, talem nobis præftò effe, manibufque contrectari Nummum, qui non modò fuomet afpectu ad veteres Beneventanos, Sedis Apoftolicæ fubditos, omnino referri, verùm etiam propriâ, quâ percuffus fuit, formâ, pluris apud Eruditos æftimari debeat. Nihil tandem eo Nummo jucundius, nihil opportunius ad manus perveniffe potuit; quandoquidem mihi in illuftrandis Longobardici ævi, Principatufque Nummis longo labore anteà perfuncto, hanc novam occafionem attulit, ut in inferiorem ætatem, feù Pontificium ævum progreffus, abfolutiffimam univerfæ Rei Nummariæ ad Beneventanam Urbem pertinentis tractationem cumulatiùs exequerer.

DISSER-

(1) Vide exempla apud Cangium in d. vocabulo *Sauma*.

(2) In charta ex MS. codice Jacobi Grimaldi defcripta a Muratorio d. Differt. XXVIII. p. 784.

(3) Sic Varro de ævo fuo fcribens Lib. IV. De L. L. *Denarii, quod denos æres valebant*. Sic etiam Charifius Lib. I. *Seftertius unde appelletur, folet quæri, quod manifeftum erit, fi fciamus, apud antiquos Denarium decem affes habuiffe: ideoque in rationibus faciendis Denarium decuffi* X. *inductum notamus, cujus quarta pars dupondius femis, fextertius dicitur, quod de tribus affibus femis deficiat*. Quamvis vero ad affes fexdecim Denarii valor adauctus deinde fuerit, primævam tamen, uti etiam feftertius, retinuit appellationem. Vid. Voffium *in Etymol.*



# DISSERTATIO IV.

## De Legibus Longobardorum.

### CAPUT I.

*Longobardis Italicarum Rerum potitis, Romanum Jus silere coepit: Illorum Leges, seù Consuetudines longo tempore, ac sola traditione, memoriaque servatæ, scriptis denique à Rege Rothari traditæ, ab eoque, aliisque Regibus, subinde à Francis, Germanisque auctæ, Juris Longobardici Codicem pepererunt. Ejusdem Juris, pro temporum ratione, præstantia ostenditur; cujus etiam apud volentes Italos diutina ad quinque ampliusque Sæcula, præ Jure Romano, observantia viguit. Quæ de Duelli permissu, Poenisque pro quovis crimine pecuniariis objici solent, diluuntur. De Legislationis Ritu apud Longobardos servato, Virorum doctorum judicium, atque laudes. Idem Ritus, atque auctoritas post Reges Longobardicos ad Beneventanos Principes translata: Horum, sicut decessorum Regum, Leges ad Religionem pertinentes illustrantur.*



ROMANI Juris fata, Romanis declinantibus Rebus, nil opus est, heic longo sermone edisserere post Viros doctissimos, quorum operâ satis de ea re, præclarissimèque est tractatio instituta. Id modò observandum accuratiùs erit, quid tandem de Romanis Legibus actum sit, tum quum post aliarum Gentium Barbararum incursiones Longobardi in media Italia Lares sibi, atque Imperium constituerint. Quo in argumento erunt fortasse, qui me non satis providè, immo temerè, imprudenterque ejusmodi operam suscepisse judicabunt, qua Longobardorum nomini invidiam magis, quàm laudem ullam conquisisse laborarim. Quid enim? Quotquot ante Gothicum ævum Barbari in Italiam invaserunt, eos quidem universos, si rerum gestarum monumenta penitiùs spectare velimus, solo Romano Jure incolumi, cæteris rebus omnibus vastationes, clades, interitum attulisse reperiemus; non quòd ejus Juris dignitati, sivè sanctitati parcendum sibi existimarint; sed quòd crebri illorum adventus, discessusque, ac succedentes sibi veluti inundationes, barbaricas simul Leges in Italiam invehere, aut constabilire nequiverint. Ad Gothos verò quum ventum est, nihil felicius, aut certè commodius Romano Juri contigisse visum fuit; cui Juri illa Gens non solùm derogandum noluit, sed quò magis fieri potuit, vetustos Romanorum Magistratuum titulos, munera, dignitatem, servanda curavit. Id certè sub elegantioris ingenii, animique cultioris viro, Theodorico Rege, quàm maximè obtinuit: Is enim in Edicti sui Prooemio, *querelas ad se plurimas pervenisse* præfatur, *quod intra Provincias nonnulli Legum præcepta calcarent*, atque pleraque pro eorum temporum, rerumque publicarum subortis rationibus speciatim, appositèque adjicere aggressus, eadem non, *nisi salva Juris Publici reverentia, & Legibus omnibus cunctorum devotione servandis*, edicere profitetur (1). Præcipuam itaque, integramque *Juri publico*, hoc est *Romano* auctoritatem servandam, *devotionem* præterea *Romanis Legibus* ab universis Populis præstandam jubebat Theodoricus ineunte Sæculo VI.; quo quidem Sæculo longiùs progresso, major eidem Juri accessisse vis, atque dignitas videbatur Imperatoris Justiniani operâ, qui pluribus ex fontibus ad id tempus copiosiùs quidem, sed turbulentiùs effusum, intra certos limites, statutumque veluti sinum coercuit, selectisque, atque simul digestis potioribus, opportunioribusque Legibus, in unum Corpus redegit: Variam ea de re nominis famam Justinianus apud posteros nactus est, quorum alii ex eo reprehendunt, quod ingentia illa Juris universi volumina, quibus genuina veteris Jurisprudentiæ facies repræsentabatur, multaque alia eruditionis Capita continebantur, exin neglecta, ac magna ex parte deperdita, nobis desideranda reliquerit: Alii verò probandum consilium, atque in opere difficillimo, ac Fori,



1) Edictum Regis Theodorici apud Cassiodorum pag. 651. edit. Coloniæ 1656.

Reique publicæ commodis maximè consentaneo laudandam Justiniani diligentiam jure meritò arbitrantur. Sed qui Gothos Romani Juris cultores in Italia delendos voluit Justinianus, nolens ipse tùm Italiam, tùm Jus Romanum in æquum discrimen adduxit; utrique enim irruentes paullò post Longobardi extremum interitum attulerunt.

Longobardi igitur postquam rerum potiti fuerunt, sive quòd, primo Rege Alboino defuncto, in decem illis subsequutæ Anarchiæ annis, effræni suorum Ducum impotentiâ ad ceteras Italiæ calamitates, non quievisse tantum, sed omnes planè Leges intercidisse debuerint; sive quòd superstitem earum memoriam, atque auctoritatem odio, ac contemptui habuerint, partim ex rudi tum, agrestique ingenio, partim ex suscepta in illarum auctores simultate, ne scilicet cum Romani Juris observantia adhuc Costantinopolitani Imperatores suis Legibus Italiæ dominari viderentur; satiùs sibi duxerunt novas condere Leges, quæ post confirmatum sibi Italicum Regnum, subditis Populis servandæ proponerentur. Id certè Rotharis consilium fuisse videtur; qui Anno DCXXXVI. Rex à Longobardis salutatus, octennio post, idest Anno DCXLIII. novi omnino Juris auctor esse voluit, quod plurimis Legibus compositum, *Edicti* nomine promulgavit: Nulla quidem in ejus Edicti procemio Romanarum Legum, quarum apud Italos vel observantia aliqua, vel saltem recordatio vigebat, mentio à Rothari facta est; nulla, inquam, Romani Juris ratio, atque dignitas apud Rotharim valuit, quem potiùs mireris, in id unum, animum, auctoritatemque suam contulisse, ut ex propriæ Gentis moribus, ac consuetudinibus Jus scriptum constitueret: *Necessarium esse prospeximus* (ait) *præsentem corrigere, & componere Legem, quæ priores omnes & removeat, & emendet, & quod deest, adjiciat, & quod est superfluum, abscindat, & in unum providimus volumen complectendam, quatenus liceat cuique, salva lege, & justitia, quietè vivere, & propter operationem contra inimicos laborare* (fortasse *liberari*), *seque, suosque defendere fines* (1). Removendas, emendandasque priores Leges omnes primo loco jubet Rotharis, earumque vitio vertit, quòd partim deficientes essent, partim superfluæ: Jamverò de Romanis Legibus (præsertim post Justinianæi Juris Corpus, quod jamdudum in Italia percrebuisse debuerat) non ipse loquutus Rotharis dicendus est, quippe quæ ob rationes superiùs observatas, ubique fermè obsoletæ jam suo ævo haberentur: Patrias igitur respexit Leges, quibus ad id tempus, ex quo in Italia consedissent, Longobardi utebantur: Longobardis autem Legum vice erant antiquæ Consuetudines quædam, à Majoribus invectæ, & solà traditione servatæ, quibus Judicia omnia tum Civilia, tum Criminalia, satis celeri, quandoque tumultuaria cognitione expediebantur, Contractus quoque omnes, Testamentaque celebrabantur secundum Jura naturæ, & Gentium, Avorumque exempla: quæ tamen omnia ex illiteratæ Gentis ruditate, non dum ad cultiores mores, disciplinasque composita, potentiorum violentiis, privatorum fraudibus, Judicum arbitrio subdebantur. Heinc, uti diximus, Rotharis Longobardorum Remp. certis, conscriptisque Legibus utiliùs regendam animadvertens, non solùm *Leges* (uti Paullus Diaconus de eo tradit), *quas sola memoria, & usu retinebant, scriptorum serie composuit, Codicemque ipsum Edictum appellari fecit* (2); verùm etiam, eodem ipso Rothari testante, plurimis remotis, emendatis, rescissis, aliisque adjectis, atque promulgatis, novi, ac scripti Juris auctorem, ac conditorem se præstitit.

At, inquies, post septuaginta propè Italici Regni annos adhuc illiterati, scribendique ignari Longobardi, ut ipsas Leges, quibus viverent, referre in tabulas vel nescirent, vel etiam negligerent? Ita quidem: Non eam rem Paullus (uti paullò ante audivimus) dissimulavit: sed nec manifestam prodidisse puduit Legislatorem ipsum Rotharim, qui in Edicti fine sic loquitur: *Leges Patrum nostrorum, quæ scriptæ non erant, condidimus... augentes constituimus, & in hoc membranum scribere constituimus*. Quin etiam Rotharis ipse, post traditas in Prologo Edicti ejusdem promulgandi rationes, alterum (quod æquè miremur) de Gentis suæ ruditate testimonium prodit, parem necessariæ item rei providentiam conferre conatus. Nihil ad ea usque tempora apud Longobardos aut Codicum, aut Membranarum erat, quibus Originis, Regum, rerumque suarum fides, ac memoria conscripta constaret: omnia majorum ore tradita, auribusque excepta posteris demandabantur: Heinc Rotharis à Legibus jam exorsus, id prætereà negotii sibi fecit, ut in eodem Prologo decessorum Regum nomina, seriemque contexeret: *Utile perspeximus pro futuri temporis memoria nomina Regum antecessorum nostrorum, ex quo in Gente nostra Longobardorum Reges nominati cœperunt esse,*

(1) Ex Codice Legum Longobardicarum. Inter Scriptor. Ital. Muratorii tom. I. part. II. pag. 17.

(2) Paul. Diac. De Gest. Longob. lib. IV. cap. XLIV.

*esse, memorari, in quantum per antiquos homines didicimus, & in hac membrana adnotari jussimus.* Atque ex hoc fonte eorundem Regum nomina, successionesque Paullus Diaconus in Historiam suam derivasse affirmat Lib. I. Cap. XXI., plurima & ipse attexens ad Longobardorum suorum origines, priorumque temporum eventus, gestasque res pertinentia, quæ tamen ex sola fama, sive antiquorum traditionibus se enarrare, ac scribere passim testatur (1). Interim vides Regem Rotharim adeò Scriptorum, immo & membranarum inopem, ut in altera ipsa re paris utilitatis, atque nobilitatis, literis consignanda, eodem sui Edicti Prologo, eâdemque membranâ uti debuerit. Sed ea tum temporum erat infelicitas: Quæ tamen nihil obfuit, quin felicibus auspiciis jacta Juris Longobardici fundamenta haberentur.

Regis itaque Rotharis Edicto Grimoaldus è Beneventano Ducatu ad Italicum Regnum evectus, plures Anno DCLXVIII. adstruxit Leges, ajens, pleraque in eo Edicto occurrere, quæ *dura, & iniqua videbantur*, proindeque in id consilii devenisse, ut *ad meliorem statum*, quem sequuta temporum ratio, cultioresque mores postularent, *corrigeret, atque revocaret* (2). Grimoaldi exemplum, sive, ut ait, *normam* sectatus Rex Liutprandus An. DCCXIII. supremam Juri Longobardico imponere manum conatus est: nam quæ postea à Rege Rachisio Anno DCCXLVI., ac postremò à Rege Aistulpho An. DCCLIV. eidem Codici, sive Edicto adjectæ sunt Leges, exiguæ numero, rebusque ipsis leves, vix appendicis loco haberi merentur: Cœptum à Liutprando Opus dicto Anno DCCXIII., qui & primus ejus Regni fuit; tum deinceps quinto, octavo, nono, decimo, ac duodecimo, sexies videlicet, totidem, idest sex Libros Legum promulgavit (3): His itaque gradibus, sive additamentis Jus Longobardicum ita adolevit, ut jam Corpore suo præstans, validissimas vires in Italico solo, altasque veluti radices sibi figeret; quibus factum est, ut melioribus, quàm quæ Juri Romano contigerant, fatis, partim subjectionis necessitate, partim recepti usus successione, partim denique utilitate illa, quam temporum rationes ferebant, diutissimam sibi auctoritatem compararit; Populusque Italicus, etsi Longobardica dominatione solutus, legibus tamen obnoxius, ad plura dein Sæcula Longobardicum se adhuc profiteri gavisus sit.

Ac mirum illud profectò, ut post Longobardici Regni interitum, Longobardicæ nihilominus Leges dominari deinceps in Italia sinerentur. Et Carolus quidem Magnus postquam rerum potitus est, nihil in ipsa Italia, quod ad Leges pertinebat, immutandum sibi duxit. Credidisset quis, cum suis auctoribus conterendas simul Longobardicarum Legum tabulas, ac restitutam optasset, dignam Italico populo, atque olim consuetam, Romani Juris observantiam: nihil quippe dignius Carolo, nihil tunc agi à Carolo facilius poterat; cui tamen diversa omnino sententia fuit; sive quòd non id è re sua fore animadvertisset, sive quòd Longobardicis Legibus ubique obtinentibus, tenuia tantùm, atque exigua repererit Romani Juris vestigia; sive demum, quòd ipse Romani Juris ignarus, non ipsum pluris æstimarit, quàm peculiares illas Leges alias, quæ cum ipsis novis Dominis, idest Francis, colluviem veluti quandam in Italiam fecisse videbantur. Et sanè Carolus non Longobardicum Jus solùm, quod commune Italis, ac velut patrium jam evaserat, in Italia perstitisse, verùm etiam plures alias peregrinas Leges eò confluxisse permisit, quas ipsi scilicet Franci, Germani, aliique Populi, qui vel militiæ, vel munerum, vel mercimonii caussa in Italia lares suos statuere cœperunt, secum invexerant. Heinc Leges, *Salica, Ribuaria*, sive *Ripuaria, Bajoarica*, sive *Bavarica, & Alamannica*, quas singularum ejusmodi Gentium homines in media Italia seorsum profitebantur. Tantum præterea abest, ut inter hæc Carolus de Romanis Legibus in usum revocandis cogitaverit, ut, quemadmodum suis Francis proprias edixit Leges, *Capitularium* nomine satis notas, ita Rex Italiæ, sive (uti se inscribebat) Rex Longobardorum constitutus, alias ipse leges Italis dictaverit, alias deinceps dictandi exemplum Pippino, & Ludovico successoribus Italiæ Regibus reliquerit; quibus Legibus in eundem Longobardici Juris Codicem relatis, maxima eidem Juri accessio facta est, simulque auctoritas confirmata.

Ad Jus verò Romanum quod attinet, æquius denique de ipso judicari cœptum est, postquam inter alias supradictas Leges id saltem promeruit, ut parem cum illis locum, suos scilicet cultores, sive sectatores obtineret. Id primùm sub Pippino factum videtur, qui pa-



(1) Quid inter Rotharis Catalogum, Paullique Diaconi narrationes de priorum Regum Longobardorum nominibus, ac successionibus, discordiæ sit, diligenter observavit Cl. Blancus in Commentar. ad lib. I. c. XIV. not. 99. Tom. I. part. I. Scriptorum Italic. pag. 413.

(2) Ex Prologo ejusdem Regis Grimoaldi suis legibus præmisso, in d. Codice LL. Long. pag. 89.

(3) In eodem Codice à pag. 55. ad pag. 88.

terni Italici Regni successor, Patrisque exemplo *excellentissimum Gentis Longobardorum Regem* se appellare, atque inscribere gaudens, plurimas tulit Leges, in quibus illa est Romani Juris instauratrix, his verbis concepta. *Sicut Consuetudo nostra est, ut Longobardus, aut Romanus, si evenerit, quod causam inter se habeant, observamus, ut Romani successores juxta illorum Legem habeant; similiter & omnes scriptiones secundum Legem suam faciant; & quando jurant, juxta legem suam jurent: Et alii similiter: & quando componunt, juxta Legem ipsius, cujus malum fecerint, componant. Et Longobardos, illos convenit similiter componere* (1). Illam igitur, quæ obtinere cœperat, Consuetudinem scriptâ Lege roborandam voluit Pippinus, ut Romani scilicet, quo vocabulo Itali omnes originarii intelligendi sunt, *Romanis* Legibus *Successores habere*, idest testatas, intestatasve hæreditates capere, contractus, juramenta, ceterosque publicos, privatosque actus celebrare permitterentur: idque non inter sese duntaxat servandum; sed etiam, si inter Romanos, Longobardosque lis agitaretur, Romanis Legibus judicandum tunc esset; excepto criminali judicio, in quo non ipsius Rei, sed accusatoris Lex quoad pœnæ, damnique præstationem servanda erat. Prædicta omnia tum de Longobardis, tum *de aliis similiter*, qui suis Legibus vivebant, æquo jure constituta declarantur; quin & ipse Pippinus aliam subdidit Legem, prioris caput illud ad delicta pertinens ita confirmantem: *De diversis generationibus hominum, quæ in Italia commanent, volumus, ut ubicunque culpa contigerit, unde fayda crescere poterit, pro satisfactione hominis illius, contra quem culpaverint, secundum Legem ipsius, cui negligentiam commiserint, emendent.*

Dum verò ex hac multiplici Populorum, ac Legum diversitate, sive (uti Pippinus paullò ante ajebat) *diversis generationibus hominum, quæ in Italia commanebant*, omnia fraudibus implerentur, ex eo præsertim, quod cuique mos, atque fas esse cœperit, non sui Populi, sed cujus vellet, Legem profiteri, ac mox, si sua interesset, arbitratu suo ad aliam Legem transire; huic tandem malo Imperator Lotharius, uti Rex Italiæ, occurrendum existimavit; quamobrem anno DCCCXXIV. dum Romæ consisteret, hanc saluberrimam Legem, quæ inter ipsius Leges Longobardicas adhuc legitur, promulgavit: *Volumus, ut cunctus Populus Romanus* (cui vocabulo latiorem significationem dedisse videtur, ut scilicet universos homines intelligeret, ex quibus tunc Italicus Populus coalescebat) *interrogetur, quali lege vult vivere, ut tali, quam professi fuerint vivere velle, vivant. Quod si offensionem contra eandem Legem fecerint, eidem Legi, quam profitentur, subjaceant* (2). Ut ergo palam omnibus fieret, qua quisque Lege viveret, idest cui Legi in Hæreditatibus, Contractibus, Judiciis, Delictis, aliisque legitimis actibus obnoxius haberetur; & ne cui deinceps suppeteret, simulatâ, vel variatâ Lege, aliis fraudem parare, jam opus singulis Italiæ Civibus, incolisque fuit, certam, quam semel maluissent, Legem apud suæ Urbis Magistratum profiteri: Heinc in Contractibus à Sæculo IX., ac deinceps in Italia celebratis solemnis illa formula adhiberi cœpit, quum scilicet contrahentes post proprium nomen, propriam etiam, quam sequerentur, Legem adjicerent, præclarèque commemorarent his omnino verbis: *Ego N. N. vivens*, vel *qui professus sum vivere Lege Romanorum*, vel *Longobardorum*, vel *Salica &c.* Quorum Contractuum exemplis, sive Chartis suam *De Legibus Medii Ævi* Dissertationem conflavit Muratorius (3).

Prædicta verò apud alios quosvis, minimè apud Ecclesiastici Ordinis Viros obtinebant. Servata his enim quædam veluti prærogativa fuit, ut non aliis Legibus, quàm Romanis vivendum sibi esset, quibus etiam legibus Ecclesiarum res, atque jura administrari debebant. Id Ludovicus Pius statuit inter suas Longobardicas Leges cap. LV. hisce verbis: *Ut omnis Ordo Ecclesiasticus secundum Legem Romanam vivat: & sic inquirantur, & defendantur res Ecclesiasticæ* (4): Nihil & Ecclesiastico Ordine, & Romanis Legibus dignius excogitari, decernique à Ludovico potuit: Cujus tamen Constitutio (quis credat?) non ab omnibus Ecclesiasticis, neque in universis Ecclesiis recepta fuit. Extant adhuc quamplurimæ Chartæ, Ludovico æquales, ac suppares, in quibus tum Episcopi, tum alii inferioris Ordinis Clerici, se Lege Longobardorum vivere in suis contractibus disertè profitentur (5). Repe-

(1) In d. Cod. Leg. Longobard. Inter Leges Pippini cap. XXVIII. & XLVI. pag. 124.

(2) Ibidem inter Leges Lotharii cap. XXXVII. p. 140.

(3) Antiq. Med. Ævi Differt. XXII. tom. II. pag. 234.

(4) In d. Cod. Leg. Longob. pag. 135.

(5) Sic Andreas *humilis Sanctæ Derthonensis Ecclesiæ Episcopus filius bonæ memoriæ Ariprandi de loco Raele, Lege vivens Longobardorum*, in suo Testamento Anni 833. Item Wido *Episcopus Sanctæ Ticinensis Ecclesiæ, nec non & Johannes Presbyter filius quondam Andreæ, qui professus ex natione sua Lege vivere Longobardorum*, in permutatione Anni 1007. Aldebrandus Diaconus,

Reperias etiam ( quod magis miraberis ) celebris Monasterii Farfensis Monachos , qui se non Legibus Romanorum , sed Longobardorum regendos , judicandosque acerrimè contendebant : nam quum Presbyteri Romanæ Ecclesiæ S. Eustachii à præfati Monasterii subjectione quasdam Ecclesias avellere conarentur , datusque esset Monachis Advocatus Romanus , qui ipsorum jura tueretur , restitit Abbas , exclamans : *Res nostri Monasterii sub Longobardorum Lege vigent ; propterea nolo Advocatum Romanum* : ad quæ Presbyteri : *Velis , nolis , Legem Romanorum facere habebis* . Quod quum Imp. Otto III. tunc Romæ degens , caussam ipsam judicaturus audisset , suâ , qua hactenus vixerat , Lege , Monasterium judicandum pronunciavit : *Si ipsum* ( inquit ) *Monasterium per Legem Longobardorum fuit defensatum , à sua Lege nullatenus illud subtraho* (1) .

Si quis nunc quærat , cur Farfenses Monachi , aliique passim Viri Ecclesiastici adeò amarint legibus vivere Longobardicis , ut Romanas non modò despiciendas , verùm etiam , si cogerentur , detrectandas sibi ducerent ; respondeo , rei hujus caussam non omnino repetendam esse à naturali illo , sed inconsulto plerumque studio , quod homines cum patriis moribus imbibere, suisque animis infigere solent erga Gentis suæ leges : Ex ipsis namque legibus Longobardicis justa tunc caussa emergebat, quamobrem Romanis anteferendæ viderentur . Si Longobardicas Leges cum Romanis generatim conferamus , longo istæ intervallo illarum dignitatem superabunt ; quin indignæ prorsus Longobardicæ erunt , ut in ejusmodi comparationem extollantur : At si Romani Juris statum non ex eo tempore , quo , Pandectis repertis , reflorere cœpit , spectemus ; sed ad retroactam illam , quam *mediam* vocamus , ætatem revertamus , quando apud Italos ex Justinianæo Codice , nec satis obvio , notum tantummodo Jus Romanum erat , atque *Novellæ* ejusdem Justiniani , aliorumque Augustorum Constitutiones illæ circumferrentur , quæ non magnoperè Italorum personis , rebus , moribus prospiciebant , aut congruebant : immo verbositatis plenæ , pristinam legum gravitatem amisisse videbantur ; haud temerè , aut pervicaciter , sed satis scitè , prudenterque ab illius ætatis hominibus factum censebimus , quod præ ipso Jure Romano Longobardicas sequi leges , hisque potissimùm regi , judicarique maluissent .

Spectatis igitur temporum rationibus , illud affirmare ausim , Longobardicum jus meritò primas sibi aliquando vindicasse : dum verò universim , sive generatim attendatur , plura nobis facilè occurrent , quibus , quod olim sibi promeruit , idem , nec mediocre pretium etiamnum Juri Longobardico tutò statuamus . Ac primùm si verborum brevitatem quæras, qualem in legibus ferendis vetustior, sanctiorque Jurisprudentia adhibendam demonstrat , non illam certè in Jure Longobardico desideraveris , immò ubique , ac veluti more suo ita servatam intueberis , ut facilè , si quid ruditatis occurret , ætatis vitio , seù potiùs necessitati tribuendum censeas . Sed nec à ruditate ipsa verborum proprietas abest , qua ceteris barbarici ævi monumentis ipsæ Leges præcellere , ac veluti præfulgere probantur . Sunt quidem vocabula aliquot , à quibus Latiaris lingua prorsùs abhorret , sed illa necessariò adhibenda fuerunt , ut , quandoquidem in loquendi communi tunc usu haberentur , sic quoque Populis servandarum Legum notitiam magis perspicuam efficerent . Ejusdem Vocabulorum syllabum , explicationemque ad suam Historiam Gothicam adnexuit Grotius , qui morte præreptus dignos adhuc , quos meditabatur , Legibus Longobardicis Commentarios nobis desiderandos reliquit . Falli autem eos constat , qui quæcumque vocabula peregrinum aliquid , asperumque personantia audiunt , ipsorum originem ab ipsa Barbarie repetentes , ingeniosas quasdam , ac plerumque inanes , ridiculasque etymologias ex variis Populorum linquis extundere enituntur . Perspicua satis , ac meditata eruditissimi Cujacii sententia est , in Legibus Longobardicis *pleraque esse , quæ barbara multis esse videntur , quum tamen originem suam repetant à Græca , vel Latina lingua* (2) .

At

conus de Ordine Sanctæ Placentinæ Ecclesiæ, *qui profiteor ex natione mea Lege vivere Longobardorum* ; Anno 949. In charta autem Anni 988. occurrit Sigulfus Episcopus Sanctæ Placentinæ Ecclesiæ , *qui professus sum ex natione mea Lege vivere Salica* . Videsis laudatum Muratorium l. l. pag. 264. & seq.

(1) Ex Charta *Judicati* , quam ex Chartario Monasterii Farfensis deprompsit V. C. Mabillonius , in suosque Annales Benedictinos retulit ad An. 998. Qua ex Charta ejusdem Judicati historiolam contexuit Chronographus Farfensis in suo Chronico tom. II. part. II. Scriptor. Ital. pag. 503. & seq.

(2) Cujacius in Commentariis ad lib. De Feudis lib. I. tit. II. Tom. II. opp. edit. Neap. 1722. Exempli caussâ, quod in leg. 6. *De Malef. & pub. crim.* dicitur *Astalium facere* , idem illud est , ac *frustrari* , & *decipere* ; uti in leg. 4. *De Furtis* . Leg. 15. *Qualiter quis se defendere debeat &c.* quod dicitur *asto animo* fieri , idem est , ac animo

At potiora observemus: quid enim eo Jure æquius, atque utilius, cui condendo id veluti sollemne fuit, ut quicquid ad publicas, privatasque rerum, ac personarum rationes pertinere videretur, non solùm ex Juris naturæ, Gentiumque fontibus, verùm etiam ex Divinis, Ecclesiasticisque sanctionibus passim repeteretur? Id certè in suarum Legum Procemiis Reges Longobardici testatum voluerunt. Ac primus omnium Rotharis, se ad suum componendum, promulgandumque Edictum, animum, ac regiam auctoritatem applicuisse ait, *præcipuè tam propter assiduas fatigationes pauperum, tam etiam propter superfluas exactiones ab his, qui minorem virtutem habent, quos etiam vim pati cognovimus; & ob hoc considerantes Dei misericordiam, necessarium esse prospeximus præsentem corrigere, & componere Legem &c.* Quum sextum Legum suarum Librum ederet Liutprandus, ita præfatur: *Si pro Gentis nostræ salvatione, aut pauperum fatigatione aliquid posuimus, quod in Edicti corpore adjungamus, quàm quæ in quinque Voluminibus adjunximus, credimus, quod Dei misericordia nobis retribuat eam causam, quod pro solo Dei timore, & in eleemosyna hoc faciamus, ut omnis caussa per rationem, & justitiam terminetur, nec sit aliquis error, sed magis in nobis justitia, unde sine intermissione nomen Domini benedicat.* Audiri adhuc Rachis meretur, qui hoc suis legibus exordium facit: *Christi Jesu Domini nostri, & Salvatoris assiduè nos convenit pracepta complere, cujus providentia ad regiminis culmen pervenimus, & ipsius auxiliante misericordia, quæ Genti nobis commissæ conveniunt, idest Genti Catholicæ, & dilectæ Deo Longobardorum statuendo prævidimus. Quoniam gloriosissimus pracessor Rotharis Rex, Longobardorum Princeps, sibi Deo inspirante, Leges inseruit, atque innovavit, ut omnes intentiones, ac dissensiones malorum Regali studio resecaret. Et quidem statuit, ut cuncti successores ejus, quando, sibi Deo inspirante, aspera, & dura cognoscerent, ad molliciem, & pietatis gratiam adducerent. Deinde successor ejus Grimoaldus, excellentissimus Rex, dum studiosè, ac vigilanter singulorum cognosceret necessitatem, ea, quæ illi meliùs complacuere, ad cultum salutis emendavit, & correxit, & plura etiam necessaria augendo in unum adjunxit. Post hunc verò gloriosissimus, & Orthodoxæ Fidei cultor, atque hujus Gentis Gubernator, & noster per misericordiam Dei omnipotentis nutritor Liutprandus, eximius, & praexcelsus, ac sacratissimus Princeps persistens in Dei operibus quotidianis, vigiliis, omni pudi-*

animo *doloso*, ac *callido*. Heinc Plautus in Pœnulo. *Mea Soror ita stupida est, sive animo asto.* Et Accius apud Nonium: *Nisi ut asta ingenium lingua laudem.* Et quamvis Rex Rotharis in Lege CXLIX. *asto animo* pro *voluntario* explicuerit his verbis: *Si quis Molinum alterius* asto animo *incenderit, idest* voluntariè, *in triplum eum restituat &c.* nil certè ab ejus vocis significatione recessit, dum *calliditatem*, seù *dolum*, non à fortuito casu, sed *voluntate* criminis labem, ac pœnam suscipere declarat. Hinc in Charta *Judicati* pro Monasterio Farfensi, nobis superiùs memorata, *Romani Judices una voce concorditer dixerunt, non debere Longobardum jurare sine hasto*: quæ iisdem verbis referuntur ab ejusdem Monasterii Chronographo, qui tamen ab eo vocabulo rectè aspirationem rejecit. Tom. II. part. II. Scriptor. Ital. pag. 505. Utque alia exempla ex multis hùc afferamus, jam quod in ejusdem Rotharis Lege CCCLXXXIV. occurrit vocabulum *Arga*, Nicolaus Boerius ridiculè *Cucurbitam* interpretatur, dum non aliud, quàm *ignavum*, & *inertem* significet, à Græco Αργὸς. Sic Didymus de Demosthene: 'ακινητὸς "ων περὶ τὰς συνεσίας, 'ελέγετο ἀργός. Id autem vocabulum, si cui quis objecisset, convicii tenebatur: uti apud Paullum Diaconum lib. IV. cap. XXIV. Argaidus Sculdasius de convicio ex proprio nomine sibi facto conqueritur hisce verbis: *Memineris, ut me inertem, ac inutilem dixeris, & vulgari verbo* Arga *vocaveris.* Ad hæc, pluries in Legibus Longobardicis *Strigæ* memorantur: quod vocabulum tum Plautus, tum Festus usurparunt, ut *lamias*, seù *maleficas* significaret: Vetus autem ab ipso Plauti tempore vulgi, seu Popelli persuasio fuit, Striges hasce vivorum hominum intestinis vesci consuetas: Sic enim ille: *Strigibus vivis convivis intestina quæ exedunt.* Perdurabat adhuc sequiore ætate error hic, quem confirmaverat Lex Salica tit. III. cap. 67. in qua sic legitur: *Si Stria hominem comederit, & convicta fuerit &c.* Factum inde, ut non modò impunè, sed bono publico consuluisse quis sibi duceret, si ejusmodi mulieres interficeret: Iniquissimam rem animadvertens Rex Rotharis, tum *injuriarum* teneri eum statuit, qui eo vocabulo mulierem compellasset, ut in Leg. 197., tum maximè in eum, si occidisset, velut homicidam animadverti jussit in Leg. 379.; atque ut falsam credulitatem, quæ ex lege Salica vehementiùs inoleverat, omninò submoveret, hanc rationem subdidit, *quia Christianis mentibus nullatenus est credendum, nec possibile est, ut hominem mulier vivum intrinsecùs possit comedere.* Denique (ut alia præteream) *Toleni*, seu *Tolenonis* vocabulum, atque usus, quem à Vegetio, Festo, Isidoro, aliisque discimus, occurrit inter leges Liutprandi lib. VI. cap. 83. eâdem significatione, ut scilicet sit trabs illa transversa, ac mobilis, imposita duabus rectis trabibus super puteum ad hauriendam aquam cum vase è fune pendente: *Annunciatum est nobis* (ait Liutprandus), *quod quidam habebat puteum in Curte sua, & secundum consuetudinem furcam, & Tolenum, ad hauriendam aquam: veniens autem homo stetit sub ipso* Toleno &c. Sed præter vocabulorum proprietatem, plura sunt in iisdem Legibus eruditionis vestigia, quæ satis opportunè ad controversias decidendas adhibebatur. In Rotharis Lege 328. & seq. sic sancitum legitur. *Si quis, peccatis imminentibus, homo rabiosus &c.* & mox: *Si quis Canis, aut Caballus, aut quodlibet Peculium* (idest Pecus) *rabiosum factum fuerit, & damnum fecerit in homine, aut in peculio* (idest pecude), *non requiratur à Domino; & qui ipsum occiderit, simili modo non requiratur: tantum est, ut sine culpa non occidatur.* Habes heic non solùm Canes, quos solos rabiei obnoxios asseveraverat Galenus, sed etiam Homines, ceterosque quosvis pecudes; quos ejusmodi morbo affici posse, Absyrtus, & Hierocles Mulo medici cum Porphyrio censuerunt.

*pudicitia, & sobrietate ornatus, sicut à Deo promeruit, per ipsius inspirationem omnia decenter exposuit, & in Edicti pagina cum suis Longobardis Judicibus confirmavit. Idcirco ego Divino auxilio Rachis Rex, dum .... quæ ab antecessoribus nostris statuta sunt, sollicitè consideraſſem, quædam ibi justa, & quædam purganda invenimus: Quia dum pravi homines ea, quæ ab inde pertinent, non considerant, magis hujus Sæculi lucrum, quàm animarum suarum remedium intendunt, & per humanam astutiam debiles, & egenos opprimere non desistunt &c.* Præclara denique, nec nobis prætereunda hæc Regis Aistulphi sunt: *Quoniam Prophetica nos vaticinatio admonet dicens*: Justa judicate Filii hominum: *Et alibi*: Justitiam dicite, qui habitatis Terram, quia justus Dominus justitiam diligit: *illa nos sedulò convenit scire, ut Gentes nobis commissæ in Judicio non graventur, & Omnipotenti Deo, cujus opitulatione regnamus, in omnibus placere valeamus ... Idcirco ... communi consilio in Edicti pagina affigi statuimus, quæ excellentiæ nostræ justa, & Deo grata comparuerunt, quatenus & justitia maneat, & nostrorum Judicum judicio omnis obscuritas illuminetur.*

Quæ autem fuere præfati, re quidem vera in suis condendis Legibus Reges Longobardos præstitisse multis probare possemus; sed, quæ præclariora sunt, atque præsertim ad necessariam fortasse nostrorum temporum disciplinam pertinent, indicasse præstat. Ac primùm mirum est, quantâ ipsi sollicitudine prospexerint, ut à Testibus, qui in omnibus penè Judiciis adhiberi solebant, quodcumque abesset partis studium, aut falsitatis suspicio. *Testes* (ait Liutprandus) *tales sint, quorum opinio in bonis præcellat operibus, & quorum fides admittitur, vel quibus Princeps, aut Judex credere possit* (1). Extat inter Longobardicas Leges Caroli M. Sanctio his verbis concepta. *Non admittantur Testes ad juramentum, antequam discutiantur, si aliter discuti non possunt, separentur ad invicem, & singulariter inquirantur, & non soli accusatori liceat Testes eligere, absente suo accusatore. Et omnino nullus, nisi jejunus, ad juramentum, vel testimonium admittatur: Et ille, qui in testimonium adductus fuerit, si refutatur, dicat ille, qui eum refutat, & probet, quare eum recipere nolit: Et ut de ipso pago, non de altero Testes eligantur, nisi facta extra Comitatum caussa sit longiùs quærenda: Et si quis convictus fuerit de perjurio manum perdat, aut redimat* (2). Desideraveris profectò hæc omnia in nostrorum temporum usum, seù praxim revocanda; quamvis enim frequentissimum sit, ac quotidianum hujusmodi judicialis probationis genus, eademque, ut olim, ratio, atque vis, ex qua scilicet privatorum sæpè fortunæ omnes, ac Capita pendeant, multaque proinde in eam rem ritè gerendam Juribus novissimis sint sapienter constituta: sæpe tamen sæpiùs, quæ ex ore testium in lucem prodire debet, vel ipsorum improbitate enecari, vel Causidicorum, Rabularumque forensium cavillationibus, tenebris offundi veritas solet.

Sed sapientissimi Legislatoris eximium munus est, ut non solùm dignas, ac pares patrato crimini statuat pœnas, verùm etiam, quo fieri cumque possit modo, patrandum impediat: non enim pœnæ formido homines magnopere deterret, quibus alioqui parata delinquendi occasio relinquatur. Pœnas igitur adversus Testes perjuros sancitas audivimus; sed ne homines ejusmodi scelere polluerentur, res adhuc erat legibus statuenda: statutam autem habemus à Rege Rachi, qui perjuriis non solùm modum imponere, sed occasionem quoque ipsam amputandam ratus, dignam rem existimavit, quæ Edicto suo luculentum hoc exordium faceret: *Quoniam peccatis facientibus, multos homines negligentes, & humana cupiditate compulsos in Perjurium cadere cognovimus, eò quia gloriosus Rex Rotharis in Edicti pagina statuerat, inter creditorem, & debitorem, seù fidejussorem contentione orta, quod in eo tenore Vadia dedisset, & debitor statutæ caussæ tenorem negaret, licentiam ei esse, aut per Sacramentum, aut per Arma sacrata ipsum tenorem negare: sed nobis, & nostris Judicibus, atque Longobardis adstantibus justum apparuit, ut Perjurium fieret resecatum* (3). Vides heic quàm sapienter, providentissimèque cautum sit, ne ab his, qui facilè pejuraturi essent, juramentum exigeretur: edoctum Rex Rotharis se ostendit à S. Augustino, cujus illa sunt: *Qui provocat hominem ad jurationem, & scit falsum juraturum, vincit homicidam, quia hic corpus occisurus est, ille animam* (4). Præisse verò Rachis videtur Carolo Magno, qui in suis Longobardicis Legibus Decimarum fraudatores anathemate magis, quàm Juramento ad illarum solutionem adigendos constituit: *Qui Decimas* (inquit Carolus) *post crebras admonitiones dare neglexerint, excommunicentur: Jura-*

(1) In d. Cod. Leg. Longob. lib. II. Legum Liutprandi cap. II.
(2) Ibid. inter Leges Caroli M. cap. XXI.
(3) Ibidem pag. 85.
(4) S. Augustinus, relatus à Gratiano in Can. V. XXII. Q. V.

*Juramento verò eos constringi nolumus propter periculum perjurii* (1). Vides præterea, quanti habita à Longobardicis legislatoribus fuerit Juramenti religio; quandoquidem, ubi necessitas tantùm foret, tuncque non sine magna circumspectione præstandum permitteretur, potiusque probationem per *Sacramentum*, idest *Jusjurandum*, quàm per *Arma Sacrata*, idest *Duellum*, sive *Pugnam*, prohibendam vellent: rectè enim utrumque illud cogitabant, nihil scilicet Christiano homini supervacuum magis esse debere, quàm ut Juramento fidem suam, sive testimonii sui veritatem comprobet, quam sola Christianæ Legis professione sibi demereri apud alios debeat: maximum verò violatæ Religionis crimen illud esse, à Christianis admissum, ut, qui Veritas est, ad falsitatem prætexendam præsens Deus, ac præcipuus veluti testis advocetur.

Sed quum in *Arma Sacrata* noster incidit sermo, ac *Duelli* mentionem recitata superiùs Regis Rachis Lex heic injecerit, antequàm ad luculentiora alia exempla progrediar, quæ Longobardicarum Legum præstantiam comprobent, id nunc exequar, ut quæ illarum vitio verti solent, non modò non dissimulata, sed planè exposita, opportunisque observationibus pertractata mihi velim. Sunt igitur, qui iniquas, impiasque eas Leges pronunciant, quæ in Causis Juramenti religione dirimendis difficiles, faciles tamen (quod deterius videtur) in ipsis caussis *Duello*, idest humano sanguine, injustisque cædibus, belluarum magis, quàm hominum ritu, ac more decidendis, auctoritatem suam contulissent. Sed importunè omnino adversus Longobardorum Leges, Gentemque ea de re conclamatum reperio. Quicquid enim criminationis esse potest, non magis in Longobardos, quàm in reliquas nationes alias converti debet, quæ eàdem Christianæ Religionis professione, suis etiam moribus, atque institutis præclarissimæ, per eandem, quà Longobardi, ac posteriorem longè ætatem, fas, jusque sibi duxerunt, ut caussas omnes, quantumvis levissimas, singulari certamine, Martis magis arbitrio, quàm Magistratuum sententia, ac vi potiùs, quàm ratione deciderent. Et sanè Duellum more veterum Francorum, Germanorumque scuto, & fuste fieri consuevisse passim, non sine cruoris effusione, quandoque etiam cum cæde, observavit Cl. Mabillonius (2): Improbum morem, qui adhuc in Clericorum, Monachorumque animos pervasit, pii quidam homines, Sacrique aliquot Antistites detestabantur, dehortabantur, interdicebant aliquando: Atto Vercellensis id sui Sæculi vitium notat in Presbyteris, qui Duellum in causis dubiis subire, aut certè pugilem pro se exhibere cogebantur, hæc *De Pressuris Ecclesiæ* pag. 55. post multa Scripturarum testimonia subdens: *Hæc tamen omnia, & alia Scripturarum documenta maligni, & improbi parvipendentes, ad pugnam Sacerdotes impingere quærunt, nullam amplius reverentiam illis observantes, nisi quod non propriis manibus, sed per submissas personas illis in tali discrimine indicant dimicare: & quibus prohibitum est armatorum cuneis, vel etiam publicis spectaculis interesse, ad pugnam producere, heu, nostros compellimur Vicarios, ut vel istorum cæde victi, vel ipsorum quasi absoluti esse videamur, ne purgari à crimine, nisi perpatrato crimine valeamus*. Grande quidem malum Attoni videbatur, si vel inviti Clerici, nec per se ipsos, ad Duellum à Laicis traherentur: Quid si ab ipsis demum Clericis, immo & Monachis Laicos ad Duellum provocatos invenias? Insigne exemplum affert Cl. Sirmondus in caussa Haimerici Vicecomitis cum Theodorico S. Albini Abbate, à quo ille *pro relevatione equum unum centum solidorum, aut centum solidos* exigere volebat, quod Abbas denegabat: In hac igitur contentione Abbas Vicecomiti optionem dat, jus suum, aut calidi ferri judicio, secundum Legem Monachorum per suum hominem, probare, aut scuto, & baculo secundum Legem Sæcularium defendere; Duellum elegit Vicecomes, sed, ut erat vir pius, sanguinem, & cædem veritus *remisit pugnam, remisit & consuetudinem*, Monasterii Spirituali societate sibi in posterum concedenda contentus (3): Theodorico Abbati S Albini deteriore exemplo illustrior alter Abbas præcesserat, Hugo videlicet Monasterii Farfensis, qui in controversia, quam habuit coram Pontifice Gregorio V. cum Gregorio Abbate SS. Cosmæ, & Damiani de Urbe, Chartæ ab eo ostensæ falsitatem *per pugnam discernere* voluit, à qua re vix Pontificia auctoritate dèterreri potuit (4).

Nec

(1) Vide, quæ de hac re latiùs dixi in lib. De Orig. & Jur. Decimarum cap. v. pag. 147.

(2) In Præfat. ad Sæc. vi. Benedictin. ac Christi xi. num. 43.

(3) Sirmondus in notis ad Goffridum Vindocinensem Abbatem pag. 62.

(4) Chronicon Farfense inter Scriptor. Ital. tom. ii. part. ii.

Nec ſatis Clericis, Monachiſque viſum fuit, ſæcularem ejuſmodi morem æmulari, ſed quandam ea in re prærogativam agnoſcere cœperunt, à qua ne deciderent, hanc Duelli committendi facultatem ſibi à Principibus ſpeciatim confirmandam curarunt. Sic Gaufridus Carnotenſis Epiſcopus eo nomine ſecundus à Ludovico VI. Francorum Rege obtinuit, ut *adverſus omnes tam liberos, tam ſervos* in omnibus cauſis, placitis, & negotiis liberam, & perfectam haberet teſtificandi, & bellandi licentiam (1). Id etiam inter cetera Regalia à Rege Roberto in Concilio ad Caſam Anno MVIII. San-Dionyſiano Abbati confirmatum legitur, ut ſcilicet *Legem Duelli* ſibi propriam haberet: *Damus* (inquit Robertus) *quaſdam res Juris noſtri, hoc eſt, Bannum hominis vulnerati, vel interfecti, & infracturam intra, vel extra Caſtellum ipſius Cœnobii, & Legem Duelli, quod vulgò dicitur Campus, & totum procinctum, ſicut antiqui Reges ei dederunt* (2). Heinc alter in eam rem abuſus manavit, ut ad ejuſmodi Pugnas, tanquam ad ludicrum ſpectaculum Sæcularium promiſcuè, Clericorumque concurſus fieret, nec ipſos Epiſcopos adeſſe puderet; quod de ſeipſo teſtatur Hamelinus Epiſcopus Redonenſis in literis ab eodem Sirmundo relatis ſuper controverſia quadam, Duelloque in prato Epiſcopi commiſſo juxta flumen *Iſolam*, *præſentibus nobis*, inquit, *& Comite Corano, aliiſque*. Quid quod tempore S. Ludovici Regis Monomachiæ iſtæ adhuc vigerent? nam in controverſia quadam, quam ipſe Rex cum Epiſcopo Aurelianenſi habebat, commiſſa fuit pugna in quodam *allodio* Miciacenſis Monaſterii, cui Petrus de Eſcanvilla Balivus Domini Regis, & Adam de Monte regali Balivus Domini Epiſcopi, ne id in Monaſterii præjudicium verteret, fidejuſſorias literas dederunt Anno MCCXLVI. (3).

Dum verò Leges (quod in hac re præcipuè animadvertere cœpimus) nunc ſpectemus, plures certè ab aliis, quàm à Longobardicis Regibus, immo & hos temperandæ rei, ſeù abuſus minuendi ſtudioſos præ aliis invenire erit. Qui poſt deletum Longobardicum Regnum rerum potitus fuit, Carolus Magnus, haud religioni ſibi duxit, in ſuis legibus Duelli uſum, non permittere tantum, ſed diſertis verbis, regiâque auctoritate probare (4). Nec verò, ut Italici Regni recens tunc ſibi acquiſiti inſtitutis, ſeù Longobardorum moribus ſe accomodaret, Duellum probaſſe exiſtimandus eſt Carolus, qui illius uſum, legitimam videlicet in rebus dubiis probationem, apud ſuam Gentem, ſeù Francigenos præclarè teſtatur in Capitulari An. DCCCVI., ſive celebratiſſima illa Charta diviſionis Regni Francorum inter Karolum, Pippinum, & Ludovicum ejus Filios. Ita enim habet Cap. XIV. *Si cauſſa, vel intentio, ſive controverſia talis inter partes propter terminos, aut confinia Regnorum orta fuerit, quæ hominum teſtimonio declarari, vel definiri non poſſit, tunc volumus, ut ad declarationem rei dubiæ,* Judicio Crucis, *Dei voluntas, & rerum veritas inquiratur, nec unquam pro tali cauſa* cujuſmodi generis pugna, vel Campus *ad examinationem judicetur* (5). Ne igitur, quod inter alia Judicia Dei paſſim tunc obtinebat, Duellum inter Filios admitteretur, bellorum veluti inter ipſos excitandorum aut præſagium, aut incentivum fore veritus, ſpeciatim Carolus cavere debuit: Cæterùm ipſe Caroli digniſſimus filius, ſucceſſorque Ludovicus, cui etiam *Pii* cognomen propria virtus effecit, nihil impium in Duello agnovit, ſuâque lege uſum comprobavit. *Si quis* (inquit) *cum altero de qualibet cauſa contentionem habuerit, & teſtes contra eum per judicium producti fuerint, ſi illos falſos eſſe ſuſpicetur, liceat ei alios teſtes, quos meliores potuerit, contra eos opponere, ut veracium teſtimonio falſorum teſtium perverſitas ſuperetur; Quod ſi ambæ partes teſtium inter ſe ita diſſenſerint, ut nullatenus una pars alteri concedere voluerit, eligantur duo ex ipſis, ideſt ex utraque parte unus, qui cum ſcutis, & fuſtibus in campo decertent, utra pars falſitatem, vel veritatem ſuo teſtimonio conſequatur. Et Campio, qui convictus fuerit, propter perjurium, quod ante pugnam commiſerit, dextra manus amputetur* (6). Adde demum (ut alios prætercam) alterum æquè



(1) Mabillonius Veter. Analect. tom. II. pag. 561.

(2) Apud Thomaſſinum Eccl. Diſc. part. III. lib. I. cap. XXX. num. X.

(3) Eas literas refert Mabillonius in Præf. ad Sæc. VI. Benedictin. num. 44. pag. 467.

(4) Vid. ejuſdem Caroli Leges in Codice Legum Longobardicarum pag. 110., & 117. Sic ei, qui furtum paſſus eſt, poteſtatem Carolus tribuit, ut adverſus furem *Campo* (ideſt Duello), *vel Cruce contendat*.

(5) Ibidem poſt Leges ejuſdem Caroli M. pag. 115.

(6) Ibidem inter Leges Ludovici Pii cap. III. p. 126. Eam autem legem ſuperiùs recitavi tum ex editione Baluzii tom. I. col. 601. cap. X., tum ex editione Muratorii *Rerum*, ſeù *Scriptor.* Ital. tom. I. part. II. d. p. 126. At Cl. Mabillonius in Muſeo Italico tom. I. pag. 48. eandem Ludovici legem, ſeù capitulare ex veteri Codice ante annos ferme octingentos ſcripto Bibliothecæ Chiſianæ, olim Monaſterii S. Pauli ad Urbem pluribus ſupplet, quæ Muratorium latuerant, atque heic ſubnectenda cenſui, ut appareat, quàm fixum, ratumque fuerit eidem Auguſto, ut non ſolùm *pro qualibet cauſa* inter Laicos, ſed etiam in ipſis Cauſis Eccleſiaſticis, inter-

*Pium* cognomine, sed Ludovico multò præstantiorem, quem *Sanctum* prænomine inter Coelites veneramur, Henricum inter Augustos I., cujus de committendo Duello Lex, non modo verbis præclarissima habetur, verùm etiam solemni, quo promulgata fuit, modo summam celebritatem obtinuit. Parricidii scelus, Bonorum duntaxat publicatione, publicaque Parricidæ poenitentia puniendum statuit Henricus; *quod si ille* (inquit), *cui crimen mittitur, negare voluerit, per se Pugnam faciat, nec liceat Campionem pro se dare, nisi decrepita atas, aut juvenilis, aut infirmitas pugnare prohibuerit.* Vide, quàm levibus tunc poenis Parricidæ ipsi subderentur, quibus & poenas ipsas Duello elusisse promptum erat: & tamen eam Legem Henricus non solùm Comitum, Nobilium, Sapientum, Judicumque suorum consilio, verùm etiam *attestatione laudis quamplurium astantium Archiepiscoporum, & Episcoporum*, idest Archiepiscopis, Episcopisque quampluribus, in Procemio speciatim commemoratis, laudantibus, ac comprobantibus, se promulgasse ait (1): Scilicet persuasum tum erat non solum Principibus, aliisque laicis, verum etiam ipsis pænè universis Ecclesiæ Primoribus, reliquisque Clericis, Monachisque, nullum in ea re adversus Divinam Legem piaculum adesse, nullamque Religioni, ac pietati injuriam parari, sed potiùs solemnem quendam erga Deum humanæ fiduciæ actum exhiberi, ad virtutem referendum, dum videlicet *ad declarationem rei dubiæ* (ut Carolus M. ajebat) *Dei voluntas, & rerum veritas inquireretur*; sicque Deus tam Duello, quàm aliis diversis Judiciis pari more, usuque receptis rem quamlibet dubiam declarare omnino velle crederetur.

Apage verò noxium errorem, falsissimamque opinionem: ac gratulandum quidem nostris temporibus, quod Christianorum animi, post summorum Pontificum, ac Principum iteratas Constitutiones, sapientiùs, ac mitiùs in hoc negotio agere edocti, in melius profecerint, falsamque ejusmodi persuasionem, improbamque consuetudinem exuerint. Gratulandum etiam (dicere adhuc liceat) nostris Longobardis, qui tantum abest, ut vel suo exemplo, vel Legibus ejus rei auctores extiterint, ut (quod ab aliis Principibus nusquam factum superiùs novimus) potius, ne in improbum morem deteriores abusus irreperent, atque ipsum denique morem coercere, aut detestari Legibus suis sategerunt. Primus igitur, atque solus (quem sciam) Rex Rotharis, sortilegia illa, seù veneficia, quæ in hujusmodi Monomachiis ad aucupandam victoriam patrari solebant, speciali sanctione prohibuit. *Nullus* (inquit) *Campio præsumet, quando contra alium pugnando vadit, herbas, quæ ad maleficia pertinent, super se habere, nec alias tales, aut similes, nisi tantum arma sua, quæ conveniunt. Et si suspicio fuerit, quod eas occultè habeat, inquiratur à Judice, & si inventa fuerint, evellantur, & jactentur. Et post ipsam inquisitionem tradat manum ipse Campio in manu parentis, aut colliberti sui, ante Judicem satisfacere, & dicat, quod nullam talem rem, quæ ad maleficia pertinent, super se habeat, & tunc vadat ad certamen* (2). Præclariùs verò in ea re se gessit Rex Liutprandus; cui impia Lex non tantum visa, sed palam proclamata illa fuit, quæ Duellis peragendis favorem, auctoritatemque hactenus præstitisset, idest incerto eventui, dolis, violentiisque, armis denique, atque viribus, non rationi, atque justitiæ res dubias submisisset; *quia incerti sumus* (inquit) *de Judicio Dei; Et multos audivimus per pugnam sine justa causa suam causam perdere: sed propter consuetudinem Gentis nostræ Longobardorum Legem impiam vetare non possumus* (3): Vide igitur, in illa Sæculorum caligine sanioris doctrinæ lucem primo omnium Liutprando affulsisse, qui in ejusmodi probationibus Divini Judicii *incertitudinem* profitetur, optimè ratus, neque passim, neque ab omnibus, neque humano consilio, arbitratuque manifestam Dei voluntatem inquirendam, idest Deum tentari oportere. Quid verò, si pro neutra parte, anceps adhuc, victoria stetisset? Vide inferiùs pulchrum exem-

interque eosdem Clericos Monomachia adhibenda esset. *In Ecclesiasticis verò negotiis Crucis judicio rei veritas inquiratur: Hoc de timidis, sive infirmis, atque imbecillibus, qui pugnare non solent, ut nullatenus propter eos justitia sua careant, censemus faciendum.* Sed & hoc alterum (quod in aliis editionibus deest) ex eodem Codice eodem loco Mabillonius supplevit ad ejusdem Ludovici Capitularia: *Si duo testimonia de qualibet re fuerint, & inter se discordent, tunc Comes eligat unum ex una parte, & alium ex altera parte, & illi duo decertent cum scutis, & fustibus; nam si flebiliores* (fortassis *debiliores*) *fuerint ipsi testes, tunc ad Crucem examinentur: Quod si majoris ætatis sunt, & non possunt ad Crucem stare, tunc mittant aut filios, aut qualemcumque hominem, qui pro eis hoc contendat, & ille, qui de illa falsitate convictus fuerit, dexteram manum perdat.*

(1) Ibidem inter Leges Henrici I. Augusti pag. 175.

(2) Ibidem inter Leges Regis Rotharis cap. CCCLXXI. pag. 46. Qui autem in hac Lege, & alibi sæpe, dicitur *Campio*, is erat, qui pro alio pugnam suscipiebat, à *Campo* dictus, ubi certamen, seù Duellum committebatur, unde & ipse *Campus* Pugnæ, seù Duelli Synonymus aliquando legitur.

(3) Ibidem inter Leges Liutprandi lib. VI. cap. LXV. pag. 74.

exemplum (1): nunc enim oculos in Liutprandum adhuc ſiſtere, remque omnem cum Liutprando conficere præſtat, qui Pugnæ, ſeù Duelli Legem *impietatis* redarguit, ut ea ſaltem obteſtatione vires ſuas, ac veluti nervos ei conſuetudini ſuccideret, quam vetare omnino cupidus, tolerandam ſibi tamen, nonniſi ægrè, oſtendit; religioſior certè, ac in ſuis regendis Longobardis ſapientior, quàm qui, ex Francis, Germaniſque ſibi ſubditis majori ſcilicet auctoritate præditi, eidem Liutprando in Italiæ Regno ſucceſſores, *impiam* Duelli legem paſſim probarunt.

Latiùs fortaſſe, quàm par erat, excurriſſe in veterem Duelli morem videbor; à quo tamen argumento diligenter pertractando haud temperandum mihi duxi, ut quam hactenus Longobardicis Legibus infixam animadverterim, invidiam omnem penitus ſubmoverem. Libentiùs nunc ad earundem Legum præſtantiam aliis exemplis comprobandam redeam; ex quibus bina heic retuliſſe ſatius fuerit, ut quantum Legibus ſuis de Chriſtiana Religione, atque Eccleſia, ejuſque ſummis Antiſtitibus Longobardici Reges promereri ſtuduiſſent, exploratum habeamus. Quæ fuerit Regis Rotharis ſolicitudo, ut Monomachias omni Maleficiorum labe expurgaret, paullò ſuperiùs demonſtravimus: Memoranda nunc Regis Liutprandi lex illa eſt, quà is Longobardos ſuos (non ipſos certè aliis gentibus ea in re tunc deteriores) ad ſuperſtitiones varias pronos animadvertens, enixiùs proſpexit, atque ſancivit, ut ab ejuſmodi erroribus deterritos, atque alienatos, ad Chriſtianæ fidei, ac Pietatis puritatem adduceret. *Si quis* (inquit) *timoris Dei immemor ad ariolos, vel ariolas pro aruſpicibus, aut qualibuſcunque reſponſis accipiendis ambulaverit, componat in Sacro Palatio medium pretii ſui, ſicut appretiatus fuit, tamquam ſi eum aliquis occidiſſet: Et inſuper agat pœnitentiam ſecundum Canonum inſtituta. Simili modo, & qui ad Arborem, quem ruſtici Sanctum vocant, aut ad Fontanas adoraverit, aut Sacrilegium, aut incantationem fecerit, vel ſimiliter, medium pretii ſui componat in Sacro Palatio. Et ſi quiſcunque ſciens ariolum, vel ariolas, & non eas manifeſtaverit, aut ipſos celaverit, qui ad ipſos ariolos, vel ariolas vadunt, & non manifeſtaverit, ſupraſcriptæ poenæ ſubjaceat* (2). Omni quidem ævo, ubi Lex Chriſtiana cum ipſis Principibus regnare cœpit, Ariolos, Incantatores, cæteroſque divinationibus operam dantes, velut humani generis peſtem, ac Reip. hoſtes Leges Sæculares inſectatæ ſunt: Id planè oſtendit Titulus utriuſque Codicis *De Maleficis, & Mathematicis, & ceteris ſimilibus*, in quo Imperatorum Conſtantini, Conſtantii, Valentiniani, Theodoſii &c. Sanctiones digeſtæ ſunt. At nihil Liutprandi Lege ſanctius, atque conſultius; in qua non ſolùm Multâ adverſus nefarios ejuſmodi homines animadverſum fuit, ſed, quò ſincerior, conſtantiorque admiſſi criminis emendatio eſſet, illud quoque imperatum, ut ei pœnitentiæ, quam Sacri Canones ſtatuiſſent, ſubderentur: Ad hæc, ne latebris ſuis contectum crimen impunè ſerperet, non ſolùm, ut in aliis publicis criminibus, Popularis actio, ſeù accuſatio permiſſa fuit, ſed univerſi ad denunciationem æquâ pœnâ adacti: Illud præterea à Liutprando in Lege ſequenti de Magiſtratibus conſtitutum fuit, ut ſi ejuſmodi homines *inquirere, & invenire neglexiſſent*, aut inventos vel *præmii*, vel *pietatis* cauſſa condemnare deſtitiſſent, eidem pœnæ obnoxii manerent.

Memoratæ Legi inſigniorem alteram addemus, qua Liutprandus, quemadmodum in Maleficorum pœnitentiis, denunciationibuſque Sacrorum Canonum auctoritati obſequitur, ita nunc in Matrimonialibus Cauſis, Impedimentiſque non modò eorundem Canonum exequutorem ſe præſtat, verumetiam ſupremam Romanæ Eccleſiæ, ejuſque Pontificum poteſtatem luculentiſſimo elogio profitetur. Vetat igitur Liutprandus, ne quis *relictam de Conſobrino, aut ſobrino ſuo* uxorem ducat, indicta omnium bonorum amiſſione, ac filiis, qui ex ejuſmodi injuſtis nuptiis ſuſcepti fuerint, illegitimis, paternæque hæreditatis exortibus declaratis: Ferendæ autem ejus Legis hanc fuiſſe occaſionem, ſeù neceſſitatem ſubdit Liutprandus, quod, *Deo teſte, Papa Urbis Romæ, qui in omni Mundo toto Caput Eccleſiarum Dei, & Sacerdotum eſt, per ſuam Epiſtolam nos adhortatus fuit, ut tale conjugium fieri nullatenùs permitteremus* (3). Celeberrima in Annalibus Eccleſiaſticis quæſtio illa fuit, quam de *Oecumenici*, ſive *Univerſalis* titulo adverſus Romanos Pontifices CPolitani Patriarchæ per ſummam arro-



(1) Cl. Dacherius in ſui Spicilegii tom. III. pag. 336. ex veteri Charta Anni 961. exemplum vulgavit cauſſæ, quæ poſt Monomachiam adhuc incerta remanſit. Sic enim in illa Charta legitur. *Duello probatum eſt, Eccleſiam S. Saturnini Monaſterio Bellilocenſi debere attribui: nam contendentibus coram Raymundo Comite duobus bonorabilibus Viris, Bernardo, & Gerberto de dicta Eccleſia, & certamine indicto, quo Dominus manifeſtare dignaretur veritatem hujus rei, cum à ſecundia diei bora uſque ad occaſum nullus certantium viciſſet, judicaverunt memoratus Raymundus Comes, ceterique in circuitu ſiſtentes, cuique eorum, Bernardi, & Gerberti, nihil ad poſſidendum jure debere in uſus uſurpare; ſed potius Domino omnium Creatori, & S. Petro Bellilocenſi Apoſtolorum Principi in uſibus Monachorum inibi deſidentium expendi &c.*

(2) Inter Leges Liutprandi Lib. VI. cap. XXX. & ſeq. pag. 67.

(3) Ibidem lib. V. cap. IV. pag. 59.

arrogantiam excitarunt : Hunc certè Titulum Patriarcha Johannes, cognomento *Jejunator*, sibi arripuit sub Pontifice Gregorio Magno, qui primùm privatis cohortationibus, paternisque monitis illum ab ejusmodi insania revocare sategit, sed pervicaciorem expertus, hominis hypocrisim Imperatori Mauritio depingens, ejusdem superbiam, qua ob ambitiosum eum titulum Ecclesiam universam, venerandas Synodos, sanctissimas Leges, Christi denique ipsius mandata turbabat, Imperiali auctoritate confringendam, datâ prolixâ gravissimâque Epistolâ, postulavit; affirmans, se perpetuum Johannis, nisi nomen illud *blasphemiæ* deponeret, adversarium futurum, restiturumque imperterritè invictèque de ea re, in qua *non propriam causam* agere, nec *privatam* propulsare injuriam nitebatur, sed *causam Dei*, *causam universalis Ecclesiæ* tueri debebat (1). Sed neque Causæ justitiæ, neque Pontificis scribentis dignitati faciles aures præbuit Mauritius, apud quem Johannes plurimùm gratiâ pollebat: Ipsis autem omnibus diversa sorte defunctis, Bonifacius hujus nominis III. qui Gregorio post Sabinianum successit, sedente in Constantinopolitana Ecclesia Cyriaco, *obtinuit tandem apud Phocam Principem* ( Mauritii successorem ), *ut Sedes Apostolica B. Petri Apostolici Caput esset omnium Ecclesiarum, idest Ecclesia Romana, quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat*. Ita Anastasius in dicti Bonifacii Vita, cui Paullus Diaconus paribus verbis consentit (2): Sed ambitionis virus non omnino e Græcorum animis dispulsum; immo exæstuare mox cœpit, repetitis inter Phocam, & Cyriacum simultatibus; quamobrem nonnisi ex ejusdem Augusti in Patriarcham odio ab Constantinopolitana Ecclesia primatum abjudicatum se putare, idque palam affirmare, posterisque tradere ausus sit Theophanes (3). Malum ab Oriente, seù à Græca Ecclesia semel cœptum non heic restitit; sed sequuto mox Sæculo in deteriora erupit ob teterrimam, ac nefariam Iconomachorum hæresim, quâ factum est, ut Constantinopolitani Imperatores, Patriarchis eorum insanissimos errores probantibus, atque foventibus, asperrima quæque, atque impia tum in Catholicæ Fidei detrimentum, tum in Romanæ Ecclesiæ, ejusque Antistitum injuriam, atque perniciem moliti sunt: Quorum quum vehementiùs exardesceret furor, en tibi, quem mireris, irruentibus malis factum veluti à Deo obicem, en ejus, quæ Romanæ Ecclesiæ deberetur, prærogativæ assertorem, supremæque Romanorum Pontificum auctoritatis propugnatorem, Liutprandum videlicet Longobardorum Regem, Leges suas, propositis in media Italia Edictis, promulgantem. His certè Legibus utriusque CPolitanæ tum Ecclesiæ, tum Aulæ arrogantia refelli, errorque omnis, atque impotentia opportunè compesci, ac propulsari videbatur; quandoquidem Liutprandus non modò Criminum, quibus Christiana violaretur Pietas, vindicem se præstitit; verùm etiam Sacrorum Canonum, Romanique Pontificis obsequentissimum; cujus etiam Romani Pontificis illam esse singularem prærogativam palam pronunciavit, non humano quidem consilio, vel Principum indulgentiâ partam, sed Divino Judicio, ac Christi sententiâ attributam, ut scilicet *Papa Urbis Romæ in omni Mundo Caput Ecclesiarum Dei, & Sacerdotum sit*.

Hæc verò, aliaque multa ejusmodi, quæ Longobardicarum Legum præstantiam commendant, ex eo profecta non incongruè putabimus, quod Longobardorum Reges non anteà Leges suas vel condere, vel promulgare consueverint, quàm illas, advocatis ad Regni Comitia ex omnibus sibi subditis Provinciis, tum Magistratibus, tum Viris quibusque sapientioribus, ad Religionis, atque Æquitatis regulas, morumque, ac temporum præsentium rationes, communibus consiliis, suffragiisque examinassent. Is ritus, sive consuetudo ex ipsis Prooemiis, sive Prologis, quos quisque Rex Edicto suo præfixit, manifesta habetur. Sic primus scriptarum Legum conditor Rotharis præfatur. *Incipit Edictum, quod renovavi cum Primatibus meis Judicibus &c.* atque in fine: *Præsentes dispositiones Edicti, quæ, Deo jubente, atque propitio, & summis vigiliis ad coelestem favorem præstitis, inquirentes, & renovantes antiqua, Leges Patrum nostrorum, quæ scriptæ non erant, condidimus, & pro communi omnium Gentis nostræ utilitate expediunt, partem* ( leg. *pari* ) *consilio, parique consensu cum Primatos, Judices, cunctumque felicissimum Exercitum nostrum, augentes constituimus*. Sic Rex Grimoaldus *per suggestionem Judicum, omniumque consensum* ea, quæ in Rotharis Edicto temperanda, declaranda, addenda videbantur, proponere inquit. Sic Liutprandus, *unà cum omnibus Judicibus de Austria, & Neustriæ partibus, & de Tusciæ finibus, cum reliquis fidelibus meis Longobardis, & cuncto Populo assistente*, singulos Edicti sui Libros composuit, promulgavitque. Pari modo, iisdemque verbis Rex Rachis: tum denique Aistulphus, qui

(1) Lib. v. Epist. xx. alias xxxii. Vid. etiam alteram de eadem re sequentem Epistolam xxi. al. xxxiv. ad Constantinam Mauritii Conjugem.

(2) De Gestis Long. lib. iv. cap. 37. *Hic* ( Phocas), *rogante Papa Bonifacio, statuit, Sedem Romanæ, & Apostolicæ Ecclesiæ Caput esse omnium Ecclesiarum, quia Ecclesia CPolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat*.

(3) Apud Card. Baronium ad Ann. DCVI.

qui Leges suas, *convocatis ex diversis partibus Regni nostri Judicibus, communi Consilio in Edicti paginam affigi* statuisse se, ait.

Quantum ex hoc ipso Ritu Longobardicis Legibus accesserit pretii, atque utilitatis, quanta etiam apud præsentes, posterosque observantia, qualis denique apud gravissimos, eruditissimosque tum superioris, tum nostræ ætatis Viros æstimatio comparata sit, unius (qui nunc omnium vice nobis erit) Petri Jannonii testimonio, ac judicio probabimus; cujus etiam integrum locum recitasse intererit, ut quid in Jannonio probandum sit, quid (quod ad hoc argumentum pertinet) respuendum, opportunè animadvertamus: sic itaque ille: *Il modo, che tennero, e la somma prudenza, e maturità, che praticarono i Rè Longobardi, quando volevano stabilire le loro Leggi, merita ogni lode, e commendazione. Essi convocavano prima in Pavia gli Ordini del Regno, cioè i Nobili, e Magistrati;* poichè l'Ordine Ecclesiastico non era da essi conosciuto, nè aveva luogo nelle pubbliche deliberazioni; *e nemeno la Plebe, la quale, come disse Cesare parlando de' Galli,* nulli adhibebatur consilio. *Si esaminava quivi con maturità, e discussione ciò, che pareva più giusto, ed utile da stabilire; e quello poi stabilito era pubblicato da' loro Rè negli Editti. Maniera, secondo il sentimento di Ugon Grozio* (in Proleg. ad Hist. Goth.) *forse migliore di quella, che tennero gl' Imperadori stessi Romani, le di cui Leggi dipendendo dalla sola autorità loro, soggette a varj inganni, e suggestioni, cagionavano tanta incostanza, e variazioni, che del solo Giustiniano vediamo, di una stessa cosa aver trè, e quattro volte mutato, e variato parere, e sentenza. Presso i Longobardi prima di pubblicarsi le Leggi per mezzo de' loro Editti, erano dagli Ordini del Regno bene esaminate, e discusse, onde ne seguivano più commodi. Il primo, che non vi era timore di potersi stabilire cosa nociva al Ben pubblico, quando vi erano tanti occhi, e tanti savj, a' quali non poteva essere nascosto il danno, che ne avesse potuto nascere. Il secondo, che era da tutti con pronto animo osservato ciò, che piacque al comun sentimento di stabilire. E per ultimo, che non così facilmente erano soggette a variarsi, se non quando una Causa urgentissima il ricercasse* (1).

Rectè, sciteque Jannonius se habet, quum ex Grotii, aliorumque doctorum virorum sententiâ, Legum Longobardicarum præstantiam ex ipso condendarum, ac promulgandarum ritu, seù modo, sibi concelebrandam susceperit. At quæ virulento calamo interjectæ ab ipso observationes sunt, non adeo rerum gestarum gnarum, nec veritatis studiosum ostendunt. Jannonii itaque observatio est, in Longobardicis ferendis Legibus nullas fuisse Populi partes, cujus etiam suffragia, allato veterum Gallorum exemplo, nullimodè adhibenda existimavit. Sed ea de re manifesti mendacii Jannonium convincunt ipsimet Reges Longobardici; quorum primus Legislator Rotharis iterum erit audiendus, qui Edictum suum *pari consilio, parique consensu cum Primatos, Judices, cunctumque felicissimum Exercitum* (idest reliquum Populum) *constituisse* se, ait. Haud secus Grimoaldus *per suggestionem Judicum, omniumque consensum*, idest universæ Longobardorum Gentis suffragium, suas Rothariano Edicto Leges adjecit. Præclariùs se habet Liutprandus, qui semel, atque iterum Leges suas, non solùm *unà cum omnibus Judicibus*, verumetiam *cum omnibus fidelibus Longobardis, & cuncto Populo assistente*, constitutas præfatur. Puduisset certè Longobardos veterum Gallorum exemplum sectari, quod exemplum Jannonium non puduit, quasi præcipuum, ac venerandum universæ Antiquitatis monumentum, in eam rem protulisse. Et mirum quidem Jannonii oculis inter Alpium juga Gallos cernentibus, ipsos in media Italia dilapsos, neglectosque veteres Romanos, quorum celeberrimæ, optimèque institutæ Reipublicæ formam ipsi quoque spectasse, sibique eo in negotio æmulandam proposuisse Longobardi videntur. Nihil in Romana Republica solemnius, nihil sanctius, atque salutarius, nihil etiam in Romana Historia magis obvium, atque protritum formulâ illâ: *Consul Populum jure rogavit; Populus jure scivit*: quum scilicet Leges primùm *rogari, & ferri* ad Populum, dein, postquam à Populo probatæ accipiebantur, *perferri, & perrogari* deberent (2).

Sed iniquior altera Jannonii observatio est, quâ universum Ecclesiasticum Ordinem ita Populo exæquat, immò cum Populi fæce ita commiscet, ut veluti hominum genus, omnis sapientiæ, consilii, dignitatisque expers, à Longobardis flocci habitum, à Reip. negotiis repulsum (*l'Ordine Ecclesiastico non era da essi conosciuto, nè aveva luogo nelle pubbliche deliberazioni*) affirmare ausus fuerit. Fateor quidem, nullam in Longobardicorum Edictorum Procemiis factam Ecclesiastici Ordinis mentionem: sed ex solo ejusmodi silentio non illud veluti cer-

(1) Istoria Civile di Napoli lib. v. cap. v. pag. 350. edit. Hagæ 1753.
(2) Livius lib. II. cap. 57., & lib. IV. c. 49. & lib. XXX. cap. 19.: Cicero Orat. I. in Anton. cap. X.: Videsis Brissonium de Formulis Vet. Rom. lib. II. cap. XVII. & seq.

certum, neceſſariumque conſequitur, quod non ſine utriuſque partis, Eccleſiaſticorum videlicet, æquè ac Longobardorum pari injuriâ, à Jannonio ſtatutum audivimus: Jam obſervavimus, quantâ veneratione, quali etiam obſequio Longobardi Legiſlatores Eccleſiam proſequuti fuerint; ita ut & Canonicas Sanctiones, & Pontificias cohortationes, aut etiam juſſa, præcipuæ Legis inſtar, religioſiſſimè ſectarentur. Eccleſiaſtici autem Ordinis Viros ideo ſibi in Regni Comitiis aſſiſtentes, conſiliarioſque non adhibuerunt, quod ipſorum Leges ad ſæcularia potiſſimùm negotia, Reique publicæ ſtatum, atque œconomiam moderandam pertinerent. Quid verò, ſi ſilentio præteritos, re tamen ipſa in condendis, probandiſque Legibus accitos, conſultoſque dicemus? optimam ita affirmandi conjecturam præbebit luculentum, ac ſanè indubium Radelchis Beneventani Principis exemplum, qui Monaſterio Vulturnenſi poſt Saracenicam vaſtationem generale Privilegium facturus de antiquis juribus, rebuſque omnibus eidem recuperandis, ſeù revindicandis, non id, niſi Beneventano Epiſcopo, Abbatibus, Optimatibus, Judicibus aſſiſtentibus, promulgaſſe voluit: En illius verba. *Dum nos Vir Glorioſiſſimus Radelchis Dei Providentia Longobardorum Gentis Princeps in Sacro Palatio noſtro Beneventi habitator, conſediſſemus ad utilitatem Reipublicæ exhibendam, necnon & nobiſcum pariter aſſiſtentibus Petrus Epiſcopus, Abbatibus, Optimatibus, Judicibus, & ceteris Nobilibus Longobardorum &c.* Sed, ut ad ipſum, quem adhuc terimus, undeque ſua Jannonius confingere voluit, Longobardicarum Legum Codicem revertamur, quum ad ea tempora ventum eſt, in quibus Franci, Longobardici Regni adminiſtrationem adepti, ſe ſe Eccleſiæ, quò magis ejus ſtatus refloreſceret, non Dominos, ſed Patronos, Eccleſiaſticorumque Canonum non conditores, aut interpretes, ſed exequutores, & miniſtros præſtiterunt, agique tunc enixiùs, atque frequentiùs de Eccleſiaſticis negotiis opus fuerit, jam in ferendis Legibus ſervatus ille, quem à Longobardis acceperant, convocandorum Comitiorum ſaluberrimus Ritus, cum aliis Regni Ordinibus univerſos quoque Eccleſiaſtici Ordinis Primores admittere cœpit; quinimò his primas in ea re partes, primaque ſubſellia conceſſa fuiſſe conſtat; neque in ſolis tantummodo Eccleſiaſticis, ſed in Sæcularibus etiam negotiis quibuſque illorum perquiſita conſilia, atque admiſſa ſuffragia. Id certè ipſius Caroli Magni Leges pro Regno Longobardico promulgatæ nobis oſtendunt, quarum illud eſt exordium. *Factum eſt Capitulare, qualiter congregatis in Synodali Concilio Epiſcopis, Abbatibus, Viriſque illuſtribus unà cum piiſſimo Domino noſtro Carolo ſecundùm voluntatem Dei pro cauſis opportunis conſenſerunt decretum* (1): Paternum exemplum ſequutus Pippinus Rex Italiæ hoc Legibus ſuis initium fecit. *Audite, qualiter placuit mihi Pippino excellentiſſimo Regi Gentis Longobardorum, cùm adeſſent nobiſcum Epiſcopi, Abbates, & Comites, ſeù reliqui Fideles noſtri Franci, & Longobardi* (2). Si de Germanis quæras, qui in Italico, ſeù Longobardico Regno Francis ſucceſſerunt, en tibi ternos Auguſtos Ottones (3), Henricos quoque binos, quorum poſterior, *dum* (inquit) *in Regni univerſali conventu Longobardorum ſedebamus, hujuſmodi Legem Epiſcoporum, Marchionum, Comitum, aliorumque multorum fidelium conſenſu, & auctoritate probare ſancimus*; cujus etiam præclara illa ſunt de Canonum ſupra Leges præſtantia: *Omnia, quæ Sancti Canones, & Sacræ Leges noſtrorum Prædeceſſorum inſtituerunt, ſumma auctoritate confirmamus* (4). Hæc pro Hiſtorici munere ſciſſe, vel potius haud diſſimulaſſe debuit Jannonius; qui tamen nulla de re, atque ex quapiam ſibi quæſita occaſione nuſquam Eccleſiaſtico Ordini ſibi parcendum ratus, æquè eidem (ut dixi), ac ſupremis Legiſlatoribus injurioſum ſe prodit. Quid enim? illa ſcilicet Jannonii eſſe videtur ſententia, arcendos Eccleſiaſticos à Reip. negotiis, Legibuſque ſtatuendis, quarum rationes ii duntaxat, qui Sæcularis Prudentiæ, Juriſque Regii ſtudium profitentur, expendere, ac probare, ii denique dictare debeant, quibus illud, ab Ethnico Poeta uſque adeo reprobatum, placere ſolet, ut nempe

*Sit ſola utilitas juſti propè mater, & æqui* (5);

contrà verò Principes ipſi facto, exemploque ſuo nihil magis è Republica fore, nihil ſibi ſapientius, ac religioſius gerendum duxerunt, quàm ſi publicum ſtatum, publicaſque Leges, quibus omnes juſtitiæ partes erga ſubditos populos implere ſtudent, eorum præcipuè conſilio dirigant, qui Juris Divini, Eccleſiaſticique, ac Chriſtianæ Ethices documenta pro ſui Inſtituti ratione, atque Ordinis munere, nullo niſi publicæ ſalutis ſtudio, penitiùs, ac ſinceriùs cognoſſent.

Interea, ne cum unius Jannonii judicio de Longobardicarum Legum præſtantia rem confeciſſe

(1) In eod. Codice Legum Longobard. pag. 94.

(2) Ibidem pag. 118.

(3) Ibidem pag. 169., & 174.

(4) Ibidem pag. 178. cap. II. & III. Deſunt in d. Codice Procemia, ſeù Præfationes Legum Longobardicarum Ludovici Pii, Lotharii I., Ludovici II., & Guidonis Imperatorum, è quibus ſimilia hauſiſſemus, ſi incolumes cum ipſis Legibus ad noſtra tempora evaſiſſent.

(5) Horatius lib. II. *Serm.* V.

fecisse statim videamur, in ipso, quem hactenus expendimus, Ritu, ipsorum quoque Regum tum prudentiam, tum moderationem animadvertere licebit, dum hi Leges perpetuò duraturas, atque universo Regno imponendas non ab uno sui arbitrio, ac providentia, neque solius sui Concistorii sententiâ contenti, tum reliquorum Judicum, Procerumque, tum denique Populi, aliorumque ad Comitia confluentium consensione discussas, ac promulgatas voluerunt: Itaque *hunc honorem* (uti in hac re observat Muratorius) *Populo suo habebant Reges ii, quos nunc Barbaros tanta facilitate appellamus, & ego in primis* (1): Hunc etiam honorem (addere mihi liceat), hoc etiam Legibus suis decus, atque pretium Longobardi Reges pepererunt, ut tum ex Ritu ipso, tum ex aliis multis in eam rem studiosè collatis, non solùm diuturnam illis apud posteros observantiam, verùm & laudis immortalitatem compararint. Ac Posterorum quidem alii ad septem, & amplius sæcula Longobardicis Legibus sibi omnino vivendum, non modò honestissimum, verùm etiam commodissimum, ac saluberrimum existimarunt: Alii vero, post restitutum Romani Juris usum, non tantùm Longobardicum non despiciendum, proculcandumque, sed etiam, uti de Romano fieri cœperat, Longobardico pariter interpretando, atque illustrando ingenia, operasque suas conferendas censuerunt (2). Quorum literatæ Cohorti signiferum merito assignabimus Guntherum, Imp. Friderici I. à Secretis, suique ævi illustrem Poetam, qui Longobardos tum aliis pluribus animi virtutibus, tum præsertim Jurisprudentiæ studio, Legumque dignitate luculento hoc elogio commendavit.

*Gens astuta, sagax, prudens, industria, solers,*
*Provida Consilio, Legum, Jurisque perita.*

Fuit itaque Longobardici Juris hæc olim sivè dignitas, sivè felicitas, ut non solùm post extinctos Auctores, Dominosque, ideſt deletam Regiam Longobardicæ Gentis successionem, verùm etiam post Romanam restitutam Jurisprudentiam, diutiùs, quàm credere quis possit, viribus suis constans, Italiam universam subditam sibi agnoverit. Jam illud à nobis superiùs probatum est, eversis scilicet Longobardorum rebus, atque ad Francos translatis, nihil de eo Jure excidisse, tantumque tum abfuisse, ut Carolus Magnus de eo abrogando, vel rescindendo cogitarit, ut potius Longobardici adhuc Regni titulum, atque jura prosequutus alias ipse Leges adjiciens, aliasque addendi successoribus Italiæ Regibus tum Francis, tum denique Germanis exemplum relinquens, id certè effecerit, ut posteriores Leges cum veteri Corpore coalescentes validiorem Longobardico Juri auctoritatem compararint. Dum verò Cistiberinæ Italiæ regiones sub Northmannorum jugum, ac in peculiare Regnum, Siciliæ nomine primùm appellatum, concessissent, rata tunc etiam permansit ejusdem Juris auctoritas; immò tunc fortasse primùm ad eam prærogativam pervenisse videtur, ut non modò *Juris Communis* nomine, verùm etiam *Juri Romano*, dum alterum alteri adversaretur, antelatum à Rege Guilielmo legatur (3). Post Northmannos Fridericus II. eo Regno potitus, is scilicet, qui ejusdem Regni Constitutiones, intertextis, digestisque decessorum Regum Legibus, adauxit, atque in unum Corpus, seù Codicem, regia auctoritate promulgatum, redegit, Fridericus, inquam, Jus, sive Legem Francorum, quâ plerique, ex veteri facultate ab Imperat. Lothario olim facta, adhuc vivere malebant, omnino abolevit, veterem verò honorem, atque auctoritatem Juri Longobardico servavit, nisi recentioribus Constitutionibus antiquatum nosceretur (4): immo Grotii animadversio est, quod

(1) In d. Dissert. XXII. pag. 256.

(2) Jus Longobardicum commentari *Hugo Grotius* sibi statuerat, sed morte præventus, desiderandum id opus nobis reliquit. Præter antiquiores editiones prodierunt Leges Longobardicæ Venetiis anno 1537., tum etiam anno 1621. apud Junctas; quibus adjectæ sunt perpetuæ Glossæ, seù Commentarii antiquissimi Jurisconsulti *Caroli Cotti* Siculi, qui ante annos CCCC. floruerat; præterea scholia *Nicolai Boberii* Galli Jurisconsulti, tum Glossemata quædam ex vetere MS. excerpta; & denique *Andreæ de Barulo* Commentarii. Si paucos Legulejos exceperis, quibus præire cœpit *Lucas de Penna* in leg. un. Cod. De Gladiatoribus, affirmare ausus, *Leges Longobardicas factas fuisse à bestialibus, neque mereri appellari Leges, sed Fæces*; atque mox concinens *Andreas de Isernia* in cap. I. §. item sciendum. *In notis Feudorum*, Jus Longobardicum *asininum*, & sine ratione conditum criminatus; quibus potius cavendum fuisse inquit Muratorius in *Præfat. ad Cod. Leg. Longob.*, ne *asininam* ipsi judicandi rationem hac in re sequerentur: satis constat, Jus Longobardicum nostrâ ætate insignes habuisse patronos, Muratorium, Jannonium, Heineccium, aliosque diligentes rerum indagatores, justosque æstimatores.

(3) In Constitutionibus Regni Siciliæ lib. I. tit. LXIII. sive Cap. *Puritatem* pag. 88. edit. Venet. 1590.

(4) Ibidem lib. II. tit. XVII. sive Cap. *Speciale* p. 160. uti Glossa hæc habet. *Fridericus removet quasdam abusiones, & vult, ut omnes subditi indistinctè, non habita personarum discretione, eadem Lege vivant, Francus sit, sive Romanus, aut Longobardus. Multi enim in Regno semper vixerunt Jure Francorum, multi Jure Romano, & multi Jure Longobardo. Sed in aliis servarentur potius Jura Longobarda, quàm Romana: supra De Off. Mag. Cam. Leg. Præsenti, & Leg. Puritatem, & supra de Off. Judicis &c.*

quod illæ ipsæ, *quæ in Regno Neapolitano, Siculoque valent Constitutiones, à Friderico II. collectæ, ferè omnes à Legibus Longobardorum fluxisse videantur* (1). Adde nunc (uti ejusdem Grotii, ac Gothofredi pariter sententia est) *Feudale* Jus, quod hodieque nobiliorem, usitatioremque *Juris Communis* partem apud Nationes omnes obtinet, à Jure Longobardico originem suam ducere, eoque veluti sibi facto fundamento varias dein sibi consuetudines, edictionesque adstruxisse (2): Quo de argumento sequenti Capite, loco nempè suo, accuratiùs disseremus.

Illud modo instituti nostri operis ratio postulat, ut ex Jure *Communi* Longobardorum, seù *Regiis* Legibus, in eam quoque illustrandam Juris Longobardici partem properemus, quæ Beneventanos Principes auctores habet. Beneventanorum Principum Leges, quo tempore in Ticinensi Aula Longobardicum stetit Regnum, nullas reperisse erit. Ambitiosum enim, aut certè supervacuum sibi duxissent Beneventani Duces, nondum Principum titulo, ac majestate potiti, Leges ferre; dum satius eorum subditis fuisset, iis vivere Legibus, quas Regum auctoritate, ac providentiâ constitutas, cum universo Italiæ populo sibi servandas accepissent: quod si pro peculiari proprii Ducatus ratione statuendum quidquam contingeret, non id profectò solemni illo publicarum Legum ritu, neque *Edicti* nomine, sed temporaneis sanctionibus proponi debuit. Quemadmodum igitur de Nummis cudendis superioris Dissertationis Capite I. demonstratum fuit, ita de ferendis Legibus nunc affirmandum erit, nullatenus scilicet à Beneventanis Ducibus hanc supremi Dominii, idest Legislationis, vel arreptam, vel sibi vindicatam prærogativam: quamobrem, quum in vetustis illorum Chartis aliquid vel Multæ nomine, vel Contractuum, vel Hæreditatum occasione, *secundùm Legem* aut *secundùm Edicta* judicatum, memoratumve occurrit, non id ad Leges, Edictaque, quæ ipsimet, sed Longobardici Reges statuissent, referendum à nobis erit. Dum verò, Regibus sublatis, horum jura, ac majestatem Beneventani Duces, accepto Principum nomine, attribuere sibi cœpissent, jam demum ab ipsis, uti de Nummis factum constat, ita de publicis condendis Legibus explicatam pariter auctoritatem inveniemus. Ipse itaque Beneventani Principatus Fundator Arichis II. non tam seipsum Regiis Insignibus condecorare, quàm Regii muneris, Potestatisque partes omnes implere studens, recentem Reip. suæ statum non solùm armis, sed etiam Legibus constituendum, ac communiendum curavit: quare Edicto proposito, quod & *Capitulare* pro illius ætatis more appellatum est, plura sancivit, quæ in universo Principatu pro Jure communi dein haberentur, publicarumque Legum vim, atque auctoritatem obtinerent. Bina Arichis Capitularia ad nos pervenerunt: Alterum est, quod is cum finitimis Neapolitanis *Pactum* initurus, de Campo Liburiæ, aliisque rebus, juribusque ad Principatum pertinentibus constituit, diversum quidem ab alio, novissimoque *Pacto*, de quo (uti Peregrinius jam monuit) loquutus est Erchempertus num. II., inquiens *Neapolitibus Diaria in Liburia, & Coemeterio misericordiæ vice distributa* ab Arichi fuisse (3): Sed hoc Capitulare tantummodo indicasse nunc satis habemus, ex quo eas duntaxat Leges discimus, quæ de finibus regundis, oneribusque ferendis, Neapolitanis datæ sunt. Alterum verò, in quo non solùm publici Edicti, ab universis subditis servandi rationem, atque auctoritatem, verùm etiam Principis Legislatoris Religionem, Sapientiam, Prudentiam, Æquitatem manifestam habemus, diligentiùs observasse operæ nunc pretium erit. Capitibus, sive *Capitulis* XVII. id Capitulare Arichis conclusit; solis scilicet necessariis rebus prospiciens; ac faciliorem, promptioremque populis ex ipso brevi Legum numero observantiam reportaturus. Integrum Capitulare ipsum cum aliis nostrorum Principum Constitutionibus, in appendice hujus Libri, mendis expurgatum, notisque illustratum proferemus: interea, quæ Arichis ipsius, ejusque Successorum Leges extent, ad Religionem pertinentes, hoc Capite expendemus (4).

Primum locum habet Lex illa, num. IV. proposita, quâ Arichis, Ecclesiastici, ac Monastici Ordinis dignitati consulens, adversus Clericorum, Monachorumque occisores, quod hactenus nullibi factum legebatur, novas, asperioresque pro Criminis gravitate, pœnas sancivit.

(1) In Prolegom. ad Histor. Gothic. &c.

(2) Feudalis Juris librum secundum Obertus de Orto his verbis orditur. *Causarum, quarum cognitio nobis frequenter committitur, aliæ dirimentur Jure Romano, aliæ verò Legibus Longobardorum, aliæ autem secundum Regni consuetudinem &c.* ubi Dionysius Gothofredus hæc notat: *Causæ Feudales deciduntur, vel Jure Romano, vel Longobardo, vel consuetudine Regni. Longobardæ Legis Libros authenticos esse hinc colligunt.*

(3) Edidit hanc Chartam Peregrinius cum sua Præfatione, quam habes in nova edit. T. III. pag. 191.

(4) Hoc Principis Arichis Capitulare cum aliis Beneventanorum Principum Capitularibus idem Peregrinius edidit, ex quo recusit Muratorius Scriptor. Ital. t. II. p. I. p. 336. ac denique Pratillus t. III. p. 184.

vit. En verba: *Nonnulla flagitiorum veteres Jurisperiti, dum fieri posse non crederent, decernere præcaventes, posteritati erronea reliquere vestigia. Ad* ( at ) *nunc crevescentibus* ( crebrescentibus ) *malis, & fieri posse creduntur, & quod dictum nefas est, facta videntur. Hactenus Religiosorum homicidia, eo quodpote* ( utpote ) *aut inerme genus, aut in omnibus venerandum haberetur, nullus Compositionis & aperta Lex judicialia* ( judiciaria ) *calculo claruit: & si quondam forsitan contigisset, aut sub ostensu Legalis negligentiæ, vel oblitæ rationis obmittebatur, aut certe Censorum opinatione, aut illud, quod cuique libitum erat, decernebatur. Ideo, sicut omnibus simul equissime placuit, sancimus, id precepimus, ut si quis deinceps occiderit Monachum, vel Presbyterum, aut Diaconum primatum tenentem, componat soli.* ( solidos ) cc., *vel supra, ut Principi patriæ placuerit usque trecentos. De ceteris verò personis inferioris gradus, quæ in Palatio deserviunt, ducentorum Solidorum compositio proveniat: De reliquis autem Ecclesiasticis, qui extra Palatium degunt*, CL., *sicut de laicis, qui exercitalibus militant armis.* Quod igitur hoc Capitulo Arichis constituit, id *omnibus simul equissimè placuisse* ait; ut videas, eundem à Beneventanis Principibus ferendarum Legum servatum Ritum, quem sui olim Reges tenuerunt, ut scilicet quas promulgarent Leges perpetuò duraturas, atque universim observandas, Procerum antea Consultatio, ac Suffragium ad æquitatis, sive justitiæ, publicique boni normam examinaret, probaretque. Sed de Lege ipsa videamus.

Satis elegans huic Legi procemium apposuit Arichis, qui non solùm *veterum Jurisperitorum*, ideft Jurisprudentiæ inferioris ævi scientiâ imbutum, verùm etiam Antiquitatis universæ eruditum sese ostendere voluit: Id enim de Ecclesiasticorum, Monachorumque cæde evenisse innuit, quod olim de Parricidii crimine factum constat. Parricidii enim nomine Romulus ( ut inquit Plutarchus ) cujuscunque hominis cædem est complexus; nihil de Parentum cæde statuens; propterea quod neminem tam nefarium esse arbitraretur, qui tanto scelere se obstringeret: quin etiam serò admodum Romæ tale facinus est patratum; primusque post Hannibalis Bellum L. Hostius Patrem interfecit: qua flagitii novitate Romani admoniti dignam sceleri poenam sanciverunt (1). Quod ad Monachos, seù *Religiosos* igitur attinet, paullò iniquiùs de ipsis sequior ætas judicare cœpit: satis erit S. Hieronymum audisse, cujus in *De Laude Marcellæ*, illa sunt: *Nulla eo tempore nobilium Foeminarum noverat Romæ propositum Monachorum, neque audebat propter rei novitatem, ignominiosum* ( *ut tunc putabatur* ), *& vile in populis nomen assumere. Hæc . . . , non erubuit profiteri, quod Christo placere cognovit* (2). Ex ipso nomine, quod Solitarium indicat, horrori potiùs, quàm honori habebatur ejusmodi hominum genus, qui à ceteris hominibus se procul dissociassent: etsi enim ex illorum Secessione non mediocre commodum in Rempublicam promanabat, quod videlicet delecta ab ipsis, vel plerumque ipsis concessa ad habitandum loca, inhospita, inculta, latronum latibula, ac ferarum cubilia, sensim vel suarum labore manuum, vel adscitorum deinceps colonorum operâ, in frugiferos agros, amœnosque Campos evaserint: quin & ipsæ Insulæ ab hominum commercio prorsùs divulsæ, excoli, ac frequentari cœperint; uti de *Lirinensi* Galliarum, ac de *Tremitensi* nostrarum Regionum, satis constat: Nihil tamen ex Monachorum instituto, vel in Humanam Societatem, vel in commune Reip. emolumentum proficisci vulgo persuasum erat; proptereàquod sive ii ad pœnitentiam agendam, sive ad innocentiam contutandam, virtutesque excolendas ejusmodi vitæ institutum suscepissent, inertem plerumque vitam, quæ vix sibi unis prodesset, ducere putabantur: quam vulgarem illorum temporum persuasionem, nostra ætate non defuit, qui probaret, aliisque incautè legentibus adoptandam proponere ausus fuit (3): Ex his itaque factum fuit, ut qui Mona-



(1) Parricidii pœnam pulchrè describit Cicero in Orat. pro Sex. Roscio; dum enim Parricida culeo insutus in mare projici juberetur, *quid tam commune* ( inquit ), *quàm Spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus ejectis? Ita vivunt, dum possunt, ut ducere animam de Coelo non queant, ita moriuntur, ut eorum ossa terram non tangant, ita jactantur fluctibus, ut nunquam alluantur, ita postremò ejiciuntur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant.*

(2) Epist. Lib. III., ep. IX. pag. 393. edit. Rom. 1731.

(3) De primævo Monachorum instituto hæc scribit, docetque Van-Espen part. I. tit. XIV. cap. I. num. 4. *Patet insuper hanc Secessionem Monasticam non publicum, aut commune Ecclesiæ bonum ( nisi in quantum privatorum virtutes, & vitæ sanctitas totam Ecclesiam exornant, & juvant ) sed privatum ipsorum recedentium, seù eam vivendi normam amplectentium commodum, & emolumentum, sive salutem propriam principaliter spectasse; eumque in finem à primis illis Monachis fuisse arreptam; quod & manifestum est ex iis, quæ passim à Patribus de Monachis, & eorum vivendi instituto dicuntur. Basilius enim ait:* Monachorum vitæ ratio, unum sibi tantummodo propositum habet, animæ salutem, & quicquid prodesse ad eum finem potest. *S. Hieronymus de se, & Vincentio ad Johannem Constantinopolitanum loquens idem asserit:* Ob id & ego Antio-

sticam profiterentur vitam, non solùm inter Laicos recenserentur, verumetiam ipsis Laicis quodammodo deteriores, vel certè inferiores existimarentur: Quare haud major de Monachorum, quàm de Laici cujusque cæde ratio habebatur, mitioreque fortasse pœnâ Monachi, quàm Laici necem vindicandam non ipsius modò vulgi, sed & Magistratuum opinatio ferebat.

At longè diversa, uti sapientissimum, religiosissimumque Principem decebat, Arichis animo insidebat sententia. Quanto is studio in Res Divinas, Deique cultores flagraret, ex magnificentissima, opulentissimaque Ecclesia S. Sophiæ, adjectoque sacrarum Puellarum Monasterio, aliisque erga Religiosos viros, sive Monachos Pietatis, munificentiæque assiduis argumentis, in Differt. II. uberrimè demonstravimus. Liceat nunc ex ipsius Lege superiùs recitata luculentiùs id comprobare. Parricidii instar Monachorum cædem arbitratus est, cui vindicandæ, quòd nemo id crimen patraturus crederetur, nulla *aperta Lex* constituta habebatur: Quid enim tàm impium, atque nefarium, quàm in Monachorum sanguinem, ac vitam machinari, atque insævire, *utpotè inerme hominum genus*, quod denique *in omnibus venerandum haberetur*? Quibus rationibus satis verè, opportunèque ab Arichi traditis, jam demonstratam habes Monasticæ vitæ præstantiam, cui ad exactissimam Evangelicæ Legis normam, quum non alia debeant esse arma, quàm jejunia, vigiliæ, orationes, fletus, & quæ sibi Pœnitentiæ Virtus associare solet, cruenta plerumque voluntariæ castigationis instrumenta; atque illud præcipuè Monachis propositum sit, alienam vim non contrariâ vi, sed oblatâ patientiâ excipere, proque acceptis injuriis non odium, aut vindictam, sed amorem, ac beneficium rependere: inauditum profectò crudelitatis genus esset, quod ipsæ propè Belluæ, Monachos plerumque reveritæ, in eorumque obsequio nonnunquam concursantes, exhorruisse quodammodo videbantur, si Monachus quisquam injusta nece afficeretur. Id autem Crimen tantò atrocius reputandum declaratur, quantò venerabilior Monachorum Ordo, seù, ut loquitur Arichis, ejusmodi Religiosorum hominum genus *in omnibus venerandum* haberetur. Hoc igitur Monastico Ordini præstitit Arichis, ut primus omnium eam Sanctionem ferret, qua non modo vita, sed ipse quoque honos incolumis Monachorum esset; qua etiam Sanctione præisse videtur Carolo Magno, similia deinceps de Monachorum cædibus in suis Longobardicis Legibus statuenti (1): Id tandem, quod ex ipsius Arichis erga Mona-

Antiochiam, & ille Constantinopolim Urbes celeberrimas reliquimus, non ut te in populo prædicantem laudaremus, sed ut in agris, & solitudine adolescentiæ peccata deflentes, Christi in nos misericordiam *deflecteremus*. Hactenus Espenius; à quo libenter Basilii, Hieronymique loca excepimus, ut ex ipsis vera loquentibus, falsa nobis obtrusisse Espenius convincatur. Si enim *privatorum virtutes* (uti ipsèmet Espenius vel invitus fatetur) *& Vitæ Sanctitas totam Ecclesiam exornant, & juvant*, cur non secessio Monastica publicum & commune Ecclesiæ bonum spectasse dicenda est? Si cum privatis secedentium commodis, emolumentisque non ipsa quoque publici, communisque Ecclesiæ boni ratio conjuncta fuisset (quandoquidem illi suis exemplis, precibusque (etsi nil aliud præstent) tum Ecclesiæ, tum Reip. mirum in modum profuisse, prodesseque sciant, ac probentur) cur Patres de condendo, promovendoque Monachorum instituto tandiù, ac tam sedulò laborarunt? Ac Monachis quidem cavendum opportunè monet Monachorum, atque Ecclesiasticæ, Monasticæque eruditionis lumen Mabillonius in Præfatione Sæculi IV. Benedictini n. LXVI., ne à primario instituti sui proposito, atque scopo retrahantur, sive exemplo aliorum, qui alienæ saluti promovendæ sese totos addixerunt, sive querelis hominum Sæcularium, qui eos *quasi Reip. Christianæ inutiles* traducunt: Jamdudum adversus hunc scopulum Eugenius PP. III. præmunivit Cistercienses suos, sic illos in Capitulo generali congregatos Epistolà alloquutus: *Quoniam filii Sæculi hujus vos etiam renitentes ad regimen sui trahere moliuntur, & de quiete contemplationis, & deserti silentio volunt vos aliquoties ad occupationes, & negotia revocare; ad mentis oculos Patrum vestrorum instituta reducite: & propheticum habemus exemplum, eligite magis abjecti esse in domo Dei, quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* An verò desidiosum hominum genus instituissent Antonius, Pachomius, Basilius, laudasset Athanasius, defendisset Chrysostomus, sectati essent cum Basilio, & Chrysostomo, Gregorius Nazianzenus, Martinus, Hieronymus, Augustinus, Fulgentius, Cæsarius, & (ut innumeros alios prætercam) Gregorius Magnus? Itane otiosos approbaret Ecclesia, Concilia, Patresque laudarent, tanquam illustriorem Christi Gregis portionem, confirmarent, foverentque piissimi quique Principes, Reges, Imperatores? Audiat Espenius, audiant, qui tunc maximè sapientes, eruditique sibi esse, aliisque videri volunt, si in Monachos oblatrare sciant, audiant, inquam, quid de Monachorum instituto pronunciaverit Imp. Justinianus in Novell. CXXXIII. *Singularis vita, hujusque contemplatio res est sacra, & ex hoc evehens animos ad Deum; & non solùm juvans eos, qui ad hoc accedunt, sed etiam aliis omnibus pro ejus puritate, & supplicatione ad Deum præbens inspectam utilitatem: Unde & priscis Imperatoribus studii fuit, & à nobis non pauca sancita sunt de eorum honestate, & ornatu.* Hanc verò, quam Resp. à Monachis reportat, utilitatem his verbis Justinianus mox explicat: *Si enim alii puris manibus, & nudis animabus pro Republica supplicant Deo, manifestum, quod & Exercitus habebunt bene, & Civitates bene disponentur: Deo quoque placato, & propitio existente, quomodo non universa plena totius pacis, & devotionis? Sed & terra nobis feret fructus, & mare, quæ sua sunt, dabit, illorum oratione Providentiam Dei ad omnem rem publicam deducente.*

(1) Ita quidem: nam quæ habentur in Lege CI. Caroli M., ut pro Monachi cæde Solidi CCCC. persolverentur, recentiùs ab eo constituta fuisse constat.

Monachos veneratione proficiscebatur, ejusdem fuisse judicium videtur, ut (quod postea Ecclesiæ Legibus ritè, justèque definitum est) Monachi, etsi nullo Ecclesiastico Ordine insigniti tunc essent, inter Sacras tamen Personas censerentur, quippe qui illorum interfectores eâdem poenâ afficiendos statuit, ac si *Presbyterum, vel Diaconum primatum tenentem* interfecissent.

At mitiùs fortasse, quàm & ipsa Monastici Ordinis dignitas, & sua erga illum veneratio postulassent, Arichim in ea Sanctione se gessisse, quispiam existimabit. Quàm enim facile, aut etiam peccasse impune erit, si peccatum redimi pecunia queat? Quàm etiam leve, ac contemnendum planè illud, ut Monachi cædem, idest sacrilegum facinus, Parricidio proximum, vix una sequeretur, ac omnimode absolveret, dilueretque ducentorum solidorum poena? Adde quoque supremæ Potestati impositum modum, ac coercitam veluti Principis auctoritatem, ut scilicet *supra ducentos solidos, si Principi Patriæ placuerit*, poena augeretur, sed fas Principi nequaquam foret, *trecentos* excedere. Jamdiù à Viris doctis animadversum reperio, quod à pluribus etiam non sine admiratione audiri solet, nullum videlicet quantumvis gravissimum Crimen per sequiorem ætatem capitale fuisse. Certè si *Majestatis* crimen, à quo Rex Rotharis Legibus suis exordium fecit, si Domini, Maritive cædem excipias, cetera quævis atrocissima scelera non alio prorsùs, quàm pecuniæ solvendæ supplicio, seù veriùs indulgentiâ emendabantur, sive, uti ætas illa loqui consuebat, *componebantur*. Sic qui Episcopum occidisset DCCCC. solidis, qui Presbyterum DC., qui Diaconum CCCC., qui Subdiaconum CCC. solidis persolutis, aut fortasse minori pecunia (nam in utroque numero mendum ex nostri Arichis Capitulari suspicari liceat) liber, atque illæsus evadebat; uti habetur in Lege Longobardica CI. Caroli Magni, & in Legibus Ludovici Pii. Ita quoque homicidæ *Nobilis* Viri, aut uxoris *immerentis*, aut *Sculdascii*, sive *Actoris* Regii, idest Magistratus, incendiarii, fures, latronesque, ad *Compositionem*, leviorisque pecuniæ solutionem admittebantur, aut si contumaces essent, bonorum publicatione damnabantur. Hanc autem consuetudinem non Longobardis tantùm, sed omnibus fermè Populis à Septemtrionali in Meridionalem Plagam dilapsis placuisse demonstrant Leges omnes, Salica, Ripuaria, Bajoarica, aliæque: Adoptatam etiam ab Italicis Civitatibus invenias, quarum, quæ postmodum emerserunt Municipales Leges, sive Statuta, ad seram usque ætatem servarunt: immo ipsi quoque Romani Pontifices non solùm probarunt, sed etiam in Pontificii Fisci consueta emolumenta verterunt: Heinc Gregorius IX. in confirmandis consuetudinibus Castri Serronii servatos statuit *Curiæ* solidos *Provenienses* XX. pro *Homicidii* compositione solvi consuetos: ac præterea, *de Sanguine* (inquit) *debet solvere Curiæ* X. *solidos: Item si quis committit furtum intra Castrum de die, debet solvere Curiæ* V. *solidos; si de nocte*, X. *solidos: Si autem extra Castrum*, V. *solidos*; uti legitur in Pontificio Diplomate, quod Cencius Camerarius suo Regesto adnexuit (1). Quare id olim tam communi Principum, Populorumque consensu usuvenerit, plures afferri possunt causæ; quarum primam facilè repetendam dixerim ex summa illa tum bonorum egestate, tum pecuniarum inopiâ, quâ ex assiduis Barbarorum deprædationibus Italia laborabat, neque, dum agri adhuc inculti, artesque intermortuæ essent, relevare se poterat; Heinc pauperrimis populis satis aspera ea poena incumbebat, quæ pecuniam vitâ fortasse ipsâ cariorem, solvendam imperabat; neque enim novum tunc fuit, immo penè quotidianum (uti aliàs observavi), ut libertatem ipsam pro sola servanda vita à sese quisque abdicaret, ac perpetuæ servituti mancipatus, maximum beneficium consequutus videretur, si pactâ Domini tenuia alimenta tantum præbituri ope, laboriosam, ærumnosamque deinceps vitam transigere posset: Dum verò ex ipsa solutionis difficultate, gravior pecuniariæ poenæ evadebat conditio, exinde quoque Principes (quæ altera caussa est) Ærario, seù Fisco suo consulebant, cujus profectò Fisci necessitatibus pauperum subditorum pensiones, seù tributa nullatenus sufficere videbantur. Accedit denique assiduarum illarum Cædium caussa, quibus per ea tempora, perpetuo prope Bellorum motu, ac furore, Italicum solum humano sanguine redundavit: quare diminutus populorum numerus, ac fortasse diminuta etiam homicidiis criminis atrocitas, id efficere videbantur, ut Homicidarum, vel aliorum gravissima quæque crimina patrantium vitæ parcendum existimaretur, ne Respublica, si occisus, occisorque simul extinguerentur, duos simul Cives amitteret; itaut, quum majorem poenarum asperitatem Criminum frequentia postulare alioqui soleat, jam tunc temporis Civium infrequentia Legum indulgen-



(1) Integrum exemplar exhibet Muratorius Antiq. Med. Ævi tom. II. pag. 36.

tiam mereri debuerit. Utut verò de hac re judicare aliis libeat, nihil certè Arichi exprobrandum erit, cui satius visum fuit, ejusmodi pœnæ genus sequi, sancireque, quæ aliorum Legislatorum exemplis, temporumque rationibus congruebat; id verò ipse aliis Legislatoribus sectandum, nobis verò non sine laude commemorandum, exemplum præstitit, ut primus legem tulerit, quâ homines non solùm à Monachorum cædibus deterrerentur, sed in debitam Monastico Ordini venerationem perducerentur. Hactenus de Monachis, seù Religiosis viris. Quid adhuc de Religiosis fœminis Arichis edixerit, modo videamus: Utriusque enim Monachorum, Monialiumque Ordinis, sive Status commodis, decori, disciplinæ consulendum sibi duxit Arichis, qui *certè Florem quendam, & pretiosissimum lapidem inter Ecclesiastica ornamenta Monachorum, & Virginum Chorum esse*, ex S. Hieronymo rectè norat (1).

Christianæ Religionis perpetuum illud, ac singulare decus est, ab suis natalibus comparatum, ut Virginitatem, seù Castitatem Nuptiis anteferret: Fundamentum (inquit S. Epiphanius), *ac veluti crepido quædam in Ecclesia Virginitas est, quæ à plerisque colitur, & observatur, & in illustri quadam gloria, & prædicatione versatur* (2). Obstupuere certè Gentiles ipsi, qui quum ceteras Virtutes quodammodo sibi communes jactitarent, sibi tamen Religioni Christianæ concedendum fatebantur, cujus sanctimoniam in tam numerosis intaminatarum Virginum Choris, innatas cupiditates supra naturæ vires proculcantibus, radiantem animadverterent: Heinc S. Chrysostomus: *Inter Græcos sanè quidam, licet pauci, ita philosophati fuerunt, ut opum essent contemptores, & iram vicerent. Virginitatis autem Flos nullo modo apud illos stetit, in qua semper concesserunt nobis primam dignitatem, ingenuè fatentes rem supra naturam esse, & non humanam; & eapropter omnibus gentibus summæ admirationi fuimus* (3). Quod igitur insolens, ac pœnè inauditum, quod naturæ Legibus adversum, quod humanæ conditioni difficillimum, atque etiam impossibile reputaretur, quod denique Evangelii consilio, Apostolique suasione commendatum tantummodo fuit, id quidem tum, omnique deinceps ævo propositum Mulieres quælibet, divinâ favente ope, perlibenter amplexæ, ad eam profitendam virtutem, sive cœlibis vitæ professionem certatim convolarunt, inviolatèque excoluerunt. Frequentissimos *Ancillarum Dei*, seù Sanctimonialium Choros, S. Gregorii M. ævo, Urbs Roma, tanquam validissimum in præsenti discrimine præsidium fovebat, ac Romana Ecclesia, velut illustriorem gregis sui portionem, sedulò alebat: Nam illarum numerum ad tria millia constitisse, earundemque vitæ sanctimoniâ, atque precum assiduitate factum esse, ne publicis illorum temporum calamitatibus Roma penitus obrueretur, idem Pontifex testatur. Gregorii testimonium libenter audiemus, quo nihil luculentius, ut quæ illarum Virtus, quæ præterea ipsius erga illas fuerit paterna solicitudo, ac mira liberalitas, simul discamus: Quum enim Gregorius triginta auri libras à Theoctista Patricia CPolitana dono accepisset, in piam, quam is vellet, causam erogandas, medietatem quidem in Captivorum redemptionem absumpsit, de altera verò *medietate Ancillis Dei, quas vos* (inquit ad Theoctistam) *Græca lingua Monastrias dicitis, Lectisternia emere disposui, quia in lectis, sui gravi nuditate, in hujus hyemis vehementissimo frigore laborant; Quæ in hac Urbe multæ sunt; nam juxta notitiam, qua dispensantur, tria millia reperiuntur. Et quidem de S. Petri Apostolorum Principis rebus octoginta annuas libras accipiunt. Sed ad tantam multitudinem ista quid sunt, maximè in hac Urbe, ubi omnia gravi pretio emuntur? Harum verò talis vita est, atque in tantum lacrymis, & abstinentia districta, ut credamus, quia si ipsæ non essent, nullus nostrum jam per tot annos in loco hoc subsistere inter Longobardorum gladios potuisset* (4).

Virginitati Castitatem conjunxi, quam scilicet Fœminæ matrimonii lege solutæ, secundis posthabitis nuptiis, sibi servandam proposuissent. Ac Viduæ quidem à Sacris Asceteriis Virginum, communique cum illis castitatis professione, religiosæque vitæ instituto sicubi admitti, aggregarique postulassent, non excludebantur: Erant verò, quæ, si id ex aliquo justo impedimento obtinere nequirent, aut magis Apostoli consilium placeret, *in habitu sancto*, idest Religiosis vestibus indutæ, ac castitatem suam Deo devoventes, Domi suæ religiosam vitam ducebant. Viduarum, quæ in Sanctimonialium Claustra sese abdidissent, frequentissimum fuisse numerum Sæculo VII., ac sequenti ostendit Lex Regis Liutprandi, quâ cautum voluit, ne mulieri, nisi transacto viduitatis anno, liberum foret Monasticum habitum induere, optimam hanc ferendæ legis rationem adducens, quia post mortem viri sui, *dum dolor*

(1) Lib. II. epist. 7. pag. 122. edit. Rom. 1731.
(2) S. Epiphanius in exposit. Fid. Cathol. cap. 21.
(3) S. Jo. Chrysost. in. Tract. *Quod Canonicæ cum Viris cohabitare non debeant*.
(4) Lib. VII. Epistol. XXVI. al. XXIII.

*dolor recens est, in quamcumque partem voluerit, animum ejus inclinare potest: dolore autem refrigerato, facilè desideria carnis ita redeunt, ut nec Monacha esse inveniatur, nec Laica esse possit* (1): Sed eam postea Legem Carolus Magnus Longobardici Regni administrationem adeptus, Mulierum viduarum precibus, & querimoniis fatigatus abrogavit (2). Quod tamen non satis providè à Carolo Viduis concessum Lotharius nepos expertus, utramque tum Liutprandi, tum Caroli Legem temperandam sibi duxit, ut scilicet nec satis diuturna, nec omninò nulla, sed unius saltem mensis mora à Viri morte Viduis statueretur, qua demum transactâ, sibi monasticam vitam deligere, ac profiteri fas esset (3).

At tum in Virgines, tum in Viduas Deo Sacras, morum corruptelam sensim penetrasse, facilè is sibi persuaserit, qui non modò mollioris sexus conditionem, sed sequioris quoque ævi infelicitatem animadvertat: Heinc violatas ab earum pluribus castimoniæ leges ex alia ejusdem Liutprandi sanctione deprehendimus, qui statuit, ut *de persona ejusdem foeminæ, quæ tale malum commiserit, judicet Rex, qui pro tempore fuerit, qualiter illi placuerit, aut in Monasterium mittendo, aut qualiter secundum Deum meliùs providerit* (4). Ex qua Lege haud certè desides, incuriososque, sed providos potiùs, atque solicitos Reges Longobardos didicerimus, eaque, quæ Pontifex Hadrianus I. ad Carolum Regem Francorum scribit, non generatim, indistinctèque esse accipienda: conqueritur siquidem Pontifex, sugillatque *errorem illorum, qui in Gente Longobardorum callidè regnare in stupris, & spurcitiis diaboli non desinit: semel quippe se voventes, & veste fusca Monachico habitu induentes, iterum retrorsum revertentes, quod dici nefas est, sæculares vestes circumferentes, illicito copulari matrimonio perhibentur* (5): Non enim ex ipsa Epistola communis error ille fuisse videtur, quem unico exemplo comprobat Hadrianus, justè tamen veritus, ne facilè, ac passim imitatores haberet: *Raginaldus* (inquit) *& Raginbaldus nolentes acquiescere, filiam Ermenaldi monachico habitu circumdatam suo nepoti nomine Nazario diabolica versutia copulaverunt; & nostris Apostolicis adhortationibus assensum tribuere noluerunt, & eorum adimplentes iniquam præsumptionem ministri diaboli effecti sunt, & plures in Italia eorum invitari exemplo non desinunt*. Privatorum igitur hæc erant flagitia, non communi certè usu, sed aliquorum improbitate patrata; quæ tantum abest, ut Longobardi Reges dissimularent, ut gliscentia reprimere, atque opportunis sanctionibus coercere sategerint: quemadmodum ex dicta Liutprandi Lege manifestum est.

Ex eadem autem Liutprandi Lege haud rectè Muratorius deducendam putavit consuetudinem illam, barbaricis temporibus in Italia vigentem, mulieres Religiosas in adulterio, vel fornicatione deprehensas in *Gynæceum* detrudendi, locum videlicet, ubi pensiles Ancillæ ad nendum, telasque, ac pannos elaborandum reclusæ custodiebantur, majori propterea prostitutionis periculo, atque occasioni sub infidis custodibus expositæ (6). Ac Muratorius quidem,

(1) In Cod. Leg. Long. lib. VI. Legum Liutprandi cap. XLVI. pag. 70. Vocabulum *Monachæ* raro admodum occurrit; unum enim Cangius affert exemplum ex Anastasio, qui de S. Leone hæc habet: *Hic constituit, ut Monacha non acciperet velaminis Capitis benedictionem, nisi probata fuerit in virginitate sexaginta annorum*. Addere nunc liceat ex dicta Liutprandi Lege alterum exemplum: Itaque Mulieres, quæ Deo se devovissent, à primis usque sæculis, ac Persequutionibus adhuc ferventibus, non *Monachas*, sed *Sanctimoniales* Ecclesia appellare cœpit. Acta S. Saturnini, & Sociorum qui sub Diocletiano passi sunt, Mariam ejusdem Saturnini filiam *Sanctimonialem* fuisse tradunt; ajunt enim, à Stationario milite fuisse *apprehensum Saturninum Presbyterum cum Filiis quatuor, idest Saturnino juniore, & Felice* Lectoribus, *Maria* Sanctimoniali, *& Felice infante*. Idem *Sanctimonialis* vocabulum suo ævo passim usurpatum docet S. Augustinus, cujus hæc sunt in Serm. XXIII. *Nam mihi videtur hæc Parabola ad eas solas pertinere propria & excellentiore Sanctitate Virgines, quæ in Eccles. nominantur, quas etiam usitatiore vocabulo* Sanctimoniales dicere *consuevimus*.

(2) Ibidem inter Leges Caroli M. Leg. CXXX. p. 109., cujus hæc sunt verba: *De Foeminis, quas defunctis Viris Lex Longobardorum probibet ante anni spatium vestem Religionis mutare, Velumque suscipere, petunt nostram licentiam, ut mox, dum divina pietas Dei inspiraverit, eas indemnes liceat suscipere. Nos autem considerantes, quia præterito tempore pro ipsa dilatione multæ etiam captæ intra idem spatium ad aliam partem distractæ fuerunt, ideo petitionem earum, quam censemus esse justam, suscepimus, & eis fieri ita concessimus*.

(3) Ibidem inter Leges Lotharii I. Leg. LXVIII. pag. 145. ubi sic legitur: *De Foeminis, quæ Viros amittunt, placet nobis, ne se, sicut hactenus, indiscretè velent, sed ut per XXX. dies post decessum Viri sui expectent; & post tricesimum diem per consilium Episcopi sui, vel si Episcopus absens fuerit, cum consilio aliorum suorum Sacerdotum, suorumque parentum, atque amicorum, id quod eligere debent, eligant*. Hanc Legem non Lothario, sed Ludovico Pio tribuit Concilium Parisiense anni 829. lib. V. cap. I. illud etiam prudentiùs statuens, nihil, inconsulto Episcopo, ab ejusmodi Viduis de religioso statu deliberandum: *Statuimus, ut hujusmodi Viduæ amissis viris repentè non velentur; sed cum conniventia Episcopi sub triginta diebus, ut à glorioso Principe Domno Ludovico, cum consilio Sacerdotum jamdudum confirmatum est, expectent; quibus peractis, aut nubant, aut si potius Deo se sacrari expostulaverint, admoneantur, & instruantur, &c.*

(4) Ibidem inter Leges Liutprandi lib. V. cap. I.

(5) Inter Epist. Pontificias Codicis Carolini n. XCIV. Tom. III. part. II. Scriptor. Ital. pag. 268.

(6) Antiq. Med. Ævi tom. VI. Differt. LXVI.

quidem, quo præsertim tempore, quove auctore usus ille tradendi Gynæceo Sanctimoniales lapsas invectus sit, incompertum sibi ait; sed ex supradicta Liutprandi Lege, *de ipsis Legibus Longobardis dubitari posse* subdit. At, ne id ita temerè affirmaret, ipsa Liutprandi Lex satis commonere videbatur: id namque à Liutprando statutum præcipuè legitur, ut ejusmodi mulieres *in Monasterium mitterentur*, idest Sacrum locum, ac Sanctimonialium domicilium, ubi reclusæ eandem quidem Religiosæ vitæ rationem, sed nullam egrediendi libertatem deinceps haberent: neque verò qui *vel aliter* sibi, successoribusque suis de ejusmodi mulieribus *secundum Deum providendum* reliquerit, id postea aut ipse, aut successores providisse existimandi sunt, quod manifestè *contra Deum* commissum videretur, ut scilicet pro Monasteriis, virtutum domiciliis, Gynæcea substituerentur, ubi & ipsæ in deterius ruere, & aliis offendiculo esse possent. Heinc illud mihi verisimile fit, servatam aliquando Liutprandi Legem; sed quum postea Monasteriorum, in quibus Sacræ Virgines alerentur, detrimento ea res esse cœperit ob ejusmodi mulierum multitudinem, quæ eò mittebantur, statuta his propria Monasteria, seù Claustra postea fuerunt, intra quorum septa recluderentur; unde factum est, loca isthæc, quæ verè Monasteria essent, ob laxiorem vivendi disciplinam, Gynæceorum, quorum curruptelam præseferrent, etiam appellationem meruisse: Atque ita intelligendam arbitror illam Imperatoris Lotharii I. Legem, quæ inter Longobardicas extat cap. LXXXVIII., hisque verbis loquitur. *Statuimus, ut si Foemina vestem habens mutatam* (idest abjectis sæcularibus vestibus, Monasticas induerit) *moecha deprehensa fuerit, non tradatur Geniceo, sicut usque modo, ne forte quæ priùs cum uno, postmodum cum pluribus locum habeat mœchandi; sed ejus possessio* (idest facultates) *Fisco redigatur, & Episcopi ipsa subjaceat judicio* (1).

Fateor quidem sub Longobardis Regibus Gynæcea extitisse; uti ex Regis Rotharis Lege CCXXII. præclarè constat, in qua mulier libera, aut puella servo nubens, necessariis eam injuriam dissimulantibus, à Gastaldio Regis, aut Actore, aut Sculdasio *in Curtem Regis ducenda, ac inter pensiles ancillas constituenda* jubetur. At illud inficior, apud solos Longobardos Reges Gynæcea fuisse (2), eandemque Sanctimoniales lapsas subiisse pœnam; quæ uti ex Lotharii verbis omnino discimus, præteritam culpam non dilueret, sed faciliorem peccandi occasionem præberet: Quod si ejusdem Lotharii ævo id tandem obtinuisset, ut Sanctimoniales lapsæ Gynæceis traderentur, non Longobardicæ, sed posterioris ætatis, quæ a Regibus Longobardis extinctis ad Lotharium fluxit, vitium esse debuit. Certè nihil solicitioris providentiæ Longobardis Regibus prætermittebatur, uti Sanctimonialium castitas in tuto esset, vel si periclitaretur, arctiori custodiæ obnoxia maneret; quemadmodum ex dicta Lege Liutprandi satis liquet, qui non Gynæceis, sed Monasteriis tradendas mandavit: Sed & ipsum Liutprandum in eadem Lege adhuc de Sanctimonialibus præclarè loquentem libenter audiemus. *De his Foeminis, quæ velamen Religionis in se recipiunt, aut à Parentibus suis Deo voventur, aut ipsæ elegerunt Religionis habitum, aut vestem Monachicam induere videntur, quamquam à Sacerdote consecratæ non sint, sic nobis justum apparuit esse pro Dei amore, ut in ipso habitu in omnibus perseverent, nec sit excusatio malis hominibus, quod consecratæ non sint, & ideo si copulantur, culpam non habeant; sed, ut supra præmisimus, quæ tale signum supra se habeant, idest velamen, aut vestem Sanctæ Dei Genitricis Mariæ quocunque ingenio in se suscipiunt, postea ad Sæcularem vitam, vel habitum nullatenus transire præsumant. Quia considerare debet omnis Christianus, quod si quiscumque Sæcularis homo parentem nostram Sæcularem sponsat, cum solo anulo eam subbarrat, & suam facit, & si postea aliam uxorem duxerit, culpabilis invenitur solidis*

(1) In d. Cod. Leg. Longob. inter Leges Lotharii I. cap. LXXXVIII. pag. 148.

(2) In omnium Principum Aulis, Gynæcea, sive *Gynæcia*, aut *Gynaiceia* fuisse satis constat, loca videlicet, sive Conclavia ad conficiendas Principum vestes constituta. Celebre exemplum ex Aula Constantinopolitana habemus, cujus occasione Longobardos in Italiam à Narsete accitos vulgò ferunt, quod ei Sophia Imp. Justini conjux, *inter cetera, quòd Eunuchus esset, hoc fertur mandasse, ut cum Puellis in Gynæcio lanarum pensa divideret*, uti Paulli Diaconi rem ipsam narrantis verba describit Aimoinus Monachus De Gest. Franc. lib. III. cap. X. Heinc illos, qui Gynæceis præerant, *Regiis Textrinis præpositos* appellat Jul. Firmicus lib. III. cap. 7.; quamvis autem Gynæcei vocabulum ex sua derivatione Græcæ vocis γυνὴ ædes indicet secretiores, ubi solæ exstant fœminæ, habebant tamen Imperatores Gynæceorum suorum usibus deservientia utriusque sexus mancipia, uti apparet ex Leg. II. Cod. Theod. De *Murilegiis*. De Ancillis autem Gynæciariis testes habemus ipsosmet Principes in Leg. VI. ejusd. Cod. De Judæis. Quapropter ingenuæ mulieres, quæ se Gynæciariis junxissent, *Si conventæ denunciatione solemni, splendorem generis contubernii vilitate præferre vellent, suorum Maritorum condicione teneri* constituunt Impp. in Leg. III. Cod. Justin. lib. XI. *De Murilegiis, & Gynæciariis*.

*ſolidis* D.: *quanto magis debet cauſa Dei, & ſanctæ Mariæ amplior eſſe, ut quæ ipſum velamen, vel habitum ſuſcipiunt in ſe, in eodem debeant permanere?* Hæc ſi animadvertiſſet Muratorius, nullam certè *dubitandi* cauſſam ſibi effeciſſet, ne non Sanctimoniales in Gynæcea detrudendi mos à Regibus Longobardis promanarit: Neque Pontifici Hadriano apud Carolum Magnum conquerendi de Sanctimonialium nuptiis occaſio fuiſſe videtur; dum in Italico Regno eæ Leges à Longobardis Regibus ſancitæ haberentur, quæ non ſolùm id facinus coercuerunt, verùm etiam Sanctimonialium ſtatu digna, ac eximiæ pietatis, religioniſque plena, ad noſtrorum etiam tum temporum, tum ingeniorum eruditionem conducentia ſtatuiſſe probantur (1).

Adde nunc aſperrimas Legi ſuæ adjectas à Liutprando ſanctiones, quibus tum ipſis mulieribus, tum criminis ſociis patrati facinoris pœna erat ſubeunda; nam ipſi mulieri *omnis ſubſtantia* adimebatur, *poteſtati Palatii* adjudicanda; atque in Monaſterium detruſæ, *de victu, & veſtimento, qualiter ipſi Principi placuerit*, ſuppeditandum erat, parcè ſcilicet, anguſtèque, ut pœnitentiam agenti congruebat: Tum par multa ſolidorum DC. tam *in illum, ſub cujus mundio*, ideſt cura, ac regimine illa erat, *ſi malo conſentiens fuerit*, quàm in illum, *qui eam tollere præſumpſerit*, conſtituitur: Atque id totum, ſi de Nuptiis, ſive attentato matri-

(1) Plura in hac Liutprandi Lege obſervatione digna ſunt. Primum illud, nullum à Liutprando factum diſcrimen inter eas mulieres, quæ *aut à Parentibus ſuis Deo voventur, aut ipſæ elegerunt Religionis habitum*, impoſita utriſque pari neceſſitate Religioſam vitam perpetuò profitendi. Siquidem Liutprandus ætatis ſuæ morem, ſeù diſciplinam reſpexit, ex Regula S. Benedicti cap. LIX. invectam; nam antea ex S. Baſilii Regula integrum erat iis, qui à parentibus oblati Monaſterio eſſent, ad Sæculum redire. S. Benedicti inſtitutum probavit poſtea Eccleſia variis in Conciliis, & primùm quidem in Toletano IV. can. 49. & 57. Heinc Iſidorus in Regulæ cap. 1. *Quicumque à parentibus propriis in Monaſterio fuerit delegatus, noverit ſe ibi perpetuò permanſurum*; & quidem Samuelis, quod mox ſubdit, exemplo. Sic in Wormatienſi Synodo anni 866. can. 22. *Si Pater, vel Mater filium, filiamve infra ſepta Monaſterii in infantiæ annis ſub regulari tradidit diſciplina, non liceat eis, poſtquam ad poteſtatis annos perveniunt, egredi, & matrimonio copulari: Hoc ergo omnino devitandum eſt; quia nefas eſt, ut oblatis à Parentibus Deo filiis voluptatis fræna laxentur*: Quæ verba deſumpta ſunt ex Gregorii PP. II. Epiſtola ad Bonifacium. Ejuſmodi diſciplinæ Contradictores, temperamentumque in ea adhibitum qui noſſe cupit, adeat Mabillonium *Veter. Analect. pag.* 157. *edit. Pariſ.* 1725. Obſervandum illud quoque eſt, parem etiam conditionem à Liutprando habitam tum illarum mulierum, quæ induerent ipſæ ſibi religioſam veſtem, tum illarum, quæ ab Epiſcopo ſolemni ritu Velum Conſecrationis acciperent, quarum meminerunt S. Hieronymus in *Epiſtola ad Demetriadem*, S. Ambroſius *in Exhort. ad Virg.* & *ad Virginem lapſam* cap. 5. qualis fuit conſecratio B. Genovefæ à S. Germano Epiſcopo Altiſiodorenſi celebrata, ut in ejus Vita narratur. Utrarumque igitur apud Liutprandum erat irrevocabilis profeſſio: quamquam enim longè ſanctius, atque auguſtius erat hoc Conſecrationis velum, quod cum ſacra pompa Epiſcopus imponebat; aliæ tamen, quæ non ſuſcepiſſent, ipſâ veſtis mutatione, quæ pro ſolemni voto habebatur, ita ſe obſtrinxiſſe cenſebantur, ut ad Sæculum redire, magis verò ad Nuptias irrepere, omnino vetarentur. Et vide illam, quam optimè adduxit Liutprandus ex Carnalibus nuptiis, ſive ſponſalibus ad Spirituale Connubium potiorem rationem; Perſuaſum igitur tum erat, Sanctimonialibus hiſce, etſi non conſecratis, imo extra Monaſteria degentibus, ex ſola Monaſtici Status profeſſione perpetuam ſervandæ continentiæ inductam legem: ac licet cogitari poſſit, votum illud, quod emiſiſſent, *ſimplex* fuiſſe, fieri tamen potuit, ut iis temporibus, ac locis, ubi ita expedire Eccleſia exiſtimabat, cum eo minus ſolemni voto dirimeretur, ſi quod ſubſequeretur, matrimonium. Heinc in Concilio Forojulienſi anni 791. ſub Patriarcha Paulino, id quod ante paucos annos à Liutprando ſancitum fuerat, conſtitutum pariter legimus, ut mulieribus hiſce, quæ religioſas veſtes ſemel induiſſent, nuptias inire nefas eſſet, nubentes verò à marito ſeparandæ, ac perpetuæ pœnitentiæ eſſent addicendæ. *Placuit* (ſunt verba Canonis 11.) *de Puellis, vel Viduis, quæ virginitatis, ſive continentiæ propoſitum ſpontaneè pollicentes Deo mancipatæ fuerint, & ob continentiæ ſignum nigram veſtem, quaſi Religioſam, ſicut antiquus mos fuit in his Regionibus, indutæ fuerint, licet non ſint à Sacerdote ſacratæ, in hoc tamen propoſito eas perpetim perſeverare mandamus: Si publicè nupſerint, ſeparentur ad invicem &c.* Non ſolus Rex Liutprandus, ſed Patriarcha quoque Paulinus in ea videntur fuiſſe ſententia, ut Sacerdotum poteſtas fuerit, ejuſmodi Sanctimoniales conſecrandi, contra quam ex Auguſtino, Ambroſio, aliiſque demonſtravimus, qui ſoli Epiſcopo id munus, ſeù prærogativam tribuebant; itaut vix invenias in Africana Eccleſia, jubente tamen Epiſcopo, eam poteſtatem Presbyteris mandatam; uti ex Concilii Carthaginenſis can. 91. tradit Ferrandus: *Ut Presbyter, inconſulto Epiſcopo, Virgines non conſecret; Chriſma verò nunquam conficiat*. Sed fortaſſe Sacerdotis nomine (quod non ſemel factum conſtat) ipſum intellexiſſe Epiſcopum potuere Liutprandus, & Paulinus: Illud interim ex Paulino, ſive ex Concilio Forojulienſi diſcimus, religioſarum, ſeù monaſticarum veſtium colorem in Longobardicis Regionibus *nigrum* fuiſſe. Sanctimonialium, ſeù earum, quæ Deo ſe devoviſſent, *Pullam* veſtem fuiſſe ſcribit S. Hieronymus tum in Epiſt. *ad Gaudentium de educatione Pacatulæ*, tum *in Epiſt. ad Aſellam*, & paſſim alibi: dixere alii eam veſtem *fuſcam*: ſed tum *pullus*, tum *fuſcus* à *nigro* diſcrepabant colore, quippe qui *ſubnigri* erant, partim lanæ nativi, ut Canuſinæ, cui pulliginem ſuam tribuit Plinius, partim ex albo veſtium uſu, ac ſordibus in pullum degenerantes. Pullo autem colore apud Romanos utebantur in funere, utebantur Philoſophi, ac denique Plebeji, de qua re late Ferrarius de Re veſtiar. part. I. lib. I. cap. 23. & part. II. lib. IV. c. XVII. Eundem itaque colorem congruè uſurpabant, quæ mundo mortuæ, ac ſeverioris vitæ inſtituto, etiam contemptibiles haberi volebant: Sed hæc adhuc omnia *Nigro* colore, uti apud Longobardos obtinebat, congruentiùs demonſtrabantur.

matrimonio ageretur, edixit Liutprandus; neque illud postea prætermisit, si mulier illa solo fornicationis scelere se commaculasset; tunc enim *Religiosa Foemina* (inquit in ejusdem Libri Lege XXII.) *quæ vestem, & habitum sanctæ Religionis in se susceperit, & contigerit ex peccato, ut adulterium voluntariè committat, quicunque ipsam Sanctimonialem Foeminam adulteraverit, componat solidos* CC., *quia de Sæcularibus foeminis Edictum continet, ut componantur pro adulterio solidi* C. *Et nos prospeximus veram esse justitiam, ut Dei Omnipotentis caussæ, & Sanctæ ejus Genitricis Mariæ, cujus vestem suscepit, duplicentur. De pecunia autem ejusdem Religiosæ Foeminæ, quæ, quod absit, adulterium perpatravit, sic fiat, sicut jam antea de Religiosis foeminis statuimus, quæ se marito copulaverint.* Ejusmodi itaque mulierem, quæ se Deo semel devovisset, eo irresolubili vinculo obstrictam censebat Liutprandus, ut non solùm *adulteræ* loco, nomineque habendam voluerit, verùm etiam graviori poena, quàm quæ carnalis matrimonii fidem fregissent, afficiendam decreverit. Sic à Concilio Moguntino anni 888. sub Arnulpho Rege, Can. XXVI. Synodi Elvirensis Constitutio innovatur, ut si quæ Virgines, Viduæve *propositum castitatis assumpserint*, ac postea nuberent, in *adulterarum* numerum referrentur. Sed pulcherrimum adhuc illud ex utrâque Liutprandi Lege nobis observandum occurrit, ut præter Divinam Mariæ Maternitatem cum perpetua Virginitate conjunctam, adeò luculenter assertam, atque testatam, uni ipsi Mariæ tribuatur, ut *adducentur Regi Virgines post eam*: itaut in Monasticis vestibus peculiare quoddam Deiparæ Insigne constiterit, ac quæcunque Virginitatem, vel continentiam suam Deo devovissent, veluti Mariæ pedissæquæ, ejusdem vestes accepisse, ac deferre propria quadam nuncupatione, suoque veluti jure censerentur.

Qui adeo fervens Longobardorum Principum in Monialium conservanda disciplina, earumque flagitiis corrigendis studium, atque zelum perspexerunt, haud jure dubitare poterunt, quin & ipsi rigidi suarum Legum exactores extiterint. Id certè ex nostro Principe Arichi (nam ad Arichim revocandus tandem noster sermo est) probare promptum habeo: Atque is quidem in Donatione facta Monasterio S. Sophiæ (de qua plura diximus in Diss. II. cap. V., alia adhuc in hujus Libri Appendice observabimus, ubi integrum exemplar proferemus) inter alia tradit *Substantiam Alibergæ Domini Ancillæ, quæ, derelicto Religionis habitu, Tauro filio Ranifoni inlicito se tradidit matrimonio, unde secundum Edictum, & ejus tenorem omnis substantia ad nostram devenit potestatem.* Ac vides primùm non alias ante Arichim in Beneventano Ducatu obtinuisse Leges, nisi quas Reges Longobardi statuissent, quasque *Edicti* nomine consueto Arichis appellat; Illud igitur Arichis exequitur, quod jamdudum à Liutprando sancitum fuerat, ut scilicet Alibergam *Ancillam Domini* (idest è Sanctimonialium in ædibus suis degentium numero, quas *Ancillas Dei* vocitatas alibi observavi) universis bonis multaverit, propterea quod, *derelicto Religionis habitu, inlicito se tradidit matrimonio*: qua in re non modò justitiæ, sed munificentissimæ adhuc pietatis cultorem Arichim intuemur, qui bonis illis potiùs Sacram Ædem, Deique caussam, quàm Fiscum suum locupletatum voluerit.

Sed quid ipse tandem sapientissimus, religiosissimusque Princeps de Sanctimonialibus statuerit, ex ejus Capitulari Num. XII. audire præstat. *Satis infamis, & inlicita consuetudo temporibus istis inolevit, dum quadam mulierculæ, defunctis viris, maritali dominatura* (idest dominatione) *solutæ, licentiùs proprii arbitrii libertate fruantur: Abitum Sanctimonialis in secreto domi suscipiunt, ne vim maritalem perpatiantur, quippe tuta sibi cuncta fore arbitrantur, si maritali dominatui non subjiciantur: sicque fit, ut sub obtentu Religionis, dempta omni formidine, quidquid animo delectantur, licentiùs assequantur: Namque deliciis affluunt, commessationibus student, potibus vineis ingurgitantur, lavacra frequentant, & quantò magis aßequi possunt, tanto in eodem Abitu in mollitiem, delectationemque vestimentorum habutuntur: Itaque si quando in Plateas processure sunt, facies poliunt, manus candidant, incendunt lividinem* (i. e. *libidinem*) *ut vescentibus* (legendum *visentibus*) *incendia misceant: seque etiam formosas videre, atque videri impudentiùs appetunt: & ut breviter dicam, ad omnem lasciviam, voluptatemque animi frena relaxant. Hoc quoque, procul dubio, luxuriante vita fomite succense, exurunt eas carnis incentiba* (i. è. *incentiva*), *adeout non solum unius, sed quod dici nephas est, plurimorum prostitutionibus clanculò substernantur; & nisi uterus intumuerit, non facilè comprobatur. Talem itaque pestem esecrandam modis omnibus detestantes constituimus, ut cujuslivet affinitate juncte, innupta, vel vidua velamen Sancte Religionis induerunt, & intra anni circulum eas, quatenus voluerit, vel potuerit, in Monasterium tradi dilataverit, propterea si stupri crimine detecte fuerint,*

*rint, componat Guidrigild suum in Palatium: Princeps videlicet ejusdem temporis cum ipso Guidrigild, rebusque propriis retrudat eas in Monasterium* (1).

Ne putes verò hoc aut Sæculi, aut Gentis fuisse vitium: De ejusmodi mulierculis, Sanctimonialium veste, ac professione improbitatem suam velantibus, invenies S. Hieronymum vehementiùs conquerentem: *Vestis ipsa vilis, & pulla, animi tacentis indicium est, si rugam non habeat, si per terram, ut altior videaris, non trahatur, si de industria diffuta sit tunica, ut aliquid intus appareat, operiatque quod foedum est, & aperiat quod formosum; caliga quoque ambulantis nigella, ac nitens, stridore ad se juvenes vocat: Papillæ fasciolis comprimuntur, & crispanti cingulo angustiùs pectus arctatur: Capilli vel in frontem, vel in aures defluunt: Palliolum interdum cadit, ut candidos nudet humeros, & quasi videri noluerit, celare festinat, quod volens detexerat; Et quando in publico, quasi verecundam operit faciem, lupanarium arte id solum ostendit, quod ostensum, magis placere solet* (2). Damnabat etiam hanc ævi sui corruptelam S. Chrysostomus, Religiosarum mulierum impudentiam his verbis insectatus: *Ubi* Pulla *tunica fuerit pectori cingulo diligenter astricta, ad earum instar, quæ in scæna saltant, rugas circa pectus intendens pariles, quam sericæ vestis illecebram hac arte non superet? .... Quid calceus* pullæ *vesti subjectus, ad imitationem in acumen venustè desinens? Quid insulsius autem, quàm nigri pallii affectatio, ut vultus candor, & nitor magis splenderet? Ac demum pallium imponis, ut sub nigro colore facies decentior videatur, & gratior* (3). Eloquentiores certè nostro Arichi judicaveris Hieronymum, Chrysostomumque, quibus & eloquentissimum S. Ambrosium addere poteris (4), harum ementitarum Sanctimonialium affectatam elegantiam vivaciùs depingentes potiùs, quàm describentes, haud verò Arichi severiores, cujus illud fuit studium, atque consilium, illa Lex, ut succrescenti malo radices ipsas amputaret; nam si qua mulier *velamen sanctæ Religionis* induisset, *cujuslibet affinitate juncta*, idest nullâ de generis, seù familiæ nobilitate, aut vilitate ratione habitâ, *innupta, vel vidua*, idest nullo inter Virgines, Viduasque facto discrimine, non in propriis ædibus, suique arbitra permanere sineretur; sed *intra anni circulum* Monasterium ingredi, ibique vitam ducere juberetur: Quod si, lapso anno, vestium, professionisque sanctitatem polluissent, invitæ in Monasterium detrudendæ, ac præterea facultatibus omnibus privandæ essent.

Age nunc, quid in Ecclesiarum commoda, atque utilitates Arichis edixerit, videamus:



(1) Quid sit *Guidrigild*, seù Widrigild explicare conatur Muratorius in notis ad Leg. XI. Regis Rotharis pag. 18. ubi sic ait: *Contendit Eccardus in notis ad Salicam Legem pag.* 168. *differentiam intercedere inter* Weregildum, *&* Widrigildum: *prior enim vox compositionem hominis significat, quæ in Salica Lege* Leudis *dicitur*: Widrigild *verò compositionem cujuslibet rei. Verùm* (subdit Muratorius) *Codices nostri unum agnoscunt* Widrigild, *sive* Guidrigild, *ut significent compositionem hominis, sive mulctam pro homine occiso, quæ stabilis non erat, sed secundum æstimationem hominis interempti statuebatur.* At latiùs ejus vocabuli significationem accipiendam esse ostendit hoc Arichis Capitulare, ubi non tantùm mortuæ, sed viventis quoque personæ æstimatio ad *Guidrigildum* statuendum, fieri consuevisse legitur. Quid si ipso quoque *Guidrigildi* nomine omnium bonorum amissio, seù publicatio continebatur? Non obscurè ex eodem Capitulari id colligi potest, cujus postrema verba hæc sunt: *Componat Guidrigild suum in Palatium*: ac mox hæc ejusmodi verborum sequitur explicatio: *Princeps videlicet ejus temporis* (quando scilicet facinus patrari contigerit) *cum ipso Guidrigild, rebusque propriis* (idest facultatibus omnibus ejusdem mulieris Fisco vindicatis) *retrudat eas in Monasterium*.

(2) S. Hieronymus de Vitando suspecto contubernio. lib. II. epist. IX. pag. 133. edit. Rom. 1731.

(3) S. Jo. Chrysostomus Homil. VIII. in epist. I. ad Timoth.

(4) S. Ambrosius Virgines Deo Sacras, à mundi vanitatibus, & illecebris exemplo Sanctæ Soteris Virginis, & Martyris, cognatione sibi conjunctæ, evocat in lib. *De Exhortatione ad Virgines*, his verbis: *Multæ autem, quum studium castitatis profiteantur, adfectant adminicula pulchritudinis, ut comptiores prodeant, nitidiori vultu, quàm Sacras Domino decet, quibus Apostolico illo Sermone respondeo: Quæ mortuæ estis cum Christo, ab elementis hujus Mundi, quid adhuc velut viventes de hoc Mundo decernitis? Ne tetigeritis, inquit, ne adtaminaveritis, ne gustaveritis, quæ sunt omnia ad corruptelam. At non Sancta Soteris, ut domesticum piæ parentis proferamus exemplum (habemus enim nos Sacerdotes nostram nobilitatem Præfecturis, & Consulatibus præferendam; habemus, inquam, Fidei dignitates, quæ perire non norunt), at non, ut dixi, Soteris vultus sui curam gerebat, quæ quum esset decora facie valde, & nobilis Virgo majorum Prosapia, Consulatus, & Præfecturas sacra posthabuit Fide, & immolare jussa non adquievit; quam Persequutor immanis palmis cædi præcepit, ut tenera Virgo dolori cederet, aut pudori. At illa ubi audivit hanc vocem, vultum aperuit, soli invelata, atque intecta martyrio; & volens injuriæ occurrit, vultum offerens, ut ibi Martyris fieret Sacrificium, ubi solet esse tentamentum pudoris &c.* Sed quum semel cœpimus, Ambrosium adhuc audire tum jucundum, tum salubre erit, de ejusdem Soteris Martyrio hæc alia præclarè scribentem in lib. III. de Virginibus. *Quæ persequutionis ætate servilibus quoque contumeliis ad fastigium passionis coacta, etiam vultum ipsum, qui inter cruciatus ipsius Corporis liber esse consuevit injuriæ, & spectare potius tormenta, quàm perpeti, carnifici dedit, tam fortis, & patiens, ut cùm teneras poenæ offerret genas, priùs Carnifex cædendo defecerit, quàm Martyr injuriæ cederet.*

Ipſius temperantiam paullò ſuperiùs ſpectavimus in Alibergæ bonis, quæ non in *Palatii*, ſeù Fiſci ſui, ſed in Eccleſiæ S. Sophiæ ab ſe ædificatæ emolumentum convertit: ſtudioſior autem is fuit, ut non tam exemplo ſuo, quàm Lege lata, omnia illa impedimenta removeret, quæ ad bonorum largitiones Eccleſiis faciendas, aliis parabantur. De Bonorum Legatis, donationibuſque Eccleſiæ faciendis, ut integra quibuſque facultas eſſet, jamdiù edixerat Rex Liutprandus. *Si quis Longobardus* (inquit), *ut habet caſus fragilitatis humanæ, ægrotaverit, quanquam in lectulo jaceat, poteſtatem habeat, dum vivit, & rectè loqui poterit, pro anima ſua judicandi, vel diſponendi de rebus ſuis, quomodo, aut qualiter voluerit, & quod judicaverit, ſtabile debeat permanere* (1). Digna non Chriſtiano tantùm, ſed Religioſo etiam Principe Lex: nec tum primùm quidem lata: quippe quæ ab ipſo penè temporis momento, quo Chriſtiana Pax Eccleſiæ affulſit, ac Chriſti Crux Auguſtorum, Regumque frontes decorare cœpit, ab ipſo ſcilicet Imp. Conſtantino promanavit. *Habeat* (ſic primus omnium Conſtantinus reliquis deinceps præivit Chriſtianis, Religioſiſque Principibus) *habeat unuſquiſque licentiam ſanctiſſimo Catholicæ* (*Eccleſiæ*), *venerabilique Concilio, decedens, bonorum, quod optaverit, relinquere* (2). Utinam, qui pudori fortaſſe ſibi duxerint, per Longobardi Regis veſtigia inceſſiſſe, Magni ſaltem Conſtantini Legem, atque exempla ſectari, Principes plerique honori ſibi tribuant: ſed noſtris temporibus illud omnino pudendum, ut Regem, quem dicimus, volumuſque Barbarum, Conſtantini æmulatorem ſciamus, a cujus ſanctiſſimis Legibus, contrariis ſanctionibus in Eccleſiarum detrimenta dictatis, diſcedendum Civilis prudentia docet, ac ſuprema auctoritas cogit. Sed & plura ex Liutprandi Religione in eandem rem conſtituta hùc conferemus. Minorem ætatem, quam Romanæ Leges annorum XXV. ſpatio definitam volunt, intra XVIII. annos Liutprandus ſapientiori conſilio redegit, quibus tranſactis, tunc demum fas cuique foret de rebus ſuis pro libitu diſponendi, interdictâ ante id tempus illarum alienatione, niſi in Eccleſiæ utilitatem facta, aut celebrata probaretur. *Et ſtatuimus* (ait), *atque definimus, ut cuicunque, ante ipſos* XVIII. *annos evenerit ægritudo, & ſe viderit ad mortis periculum tendere, habeat licentiam de rebus ſuis pro anima ſua in Sanctis locis pro cauſa pietatis, vel in Xenodochio judicare quod voluerit; & quod judicaverit, ſtabile debeat permanere* (3). Atque heinc *intelligis* (ſunt Muratorii verba, quibus eam Legem jure, meritoque commendat) *non poſtremam virtutem Longobardis Regibus fuiſſe* Pietatem, *quando liberum Pupillis, & Minoribus reliquerunt, quidquid haberent, ſacratis Deo locis, & Xenodochiis legare.*

Ejuſmodi Legibus, atque exemplis Arichis Pietas excitari nullimodè egebat; dum nihil eidem ſolemnius, ac propè quotidianum, quàm ut erga Eccleſias ædificandas, ac ditandas ſtudioſiſſimum ſe oſtenderet. Quos Liutprandus contraxerat minoris ætatis fines, ratos ipſe habuit, atque illud etiam adjecit in ſuo Capitulari n. VII. ut ſcilicet *Adoleſcens ante decem & octo annos ætatis non poſſit ſolius oris ſui manifeſtatione condemnari*. At quod ad pias donationes, legataque attinet, inſignis exiſtimari debet ea Lex, qua is Viduis filios habentibus, ut certam bonorum quantitatem, ſeù ratam partem *pro anima ſua*, ſive in Eccleſiæ utilitatem ſine ullius contradictione relinquerent, facultatem conceſſit. De Parentibus, qui filios habentes Eccleſiam hæredem inſtituerent, varia Sanctorum Patrum fuere judicia, variæ etiam prodiere Principum Conſtitutiones. Ex Patrum choro præclara illa ſunt, quibus Salvianus Chriſtianæ Pietatis, atque Eccleſiæ cauſam omnibus naturæ officiis, ac carnalis neceſſitudinis rationibus anteferendam docuit: *Intelligere* (inquit) *poſſunt, quicunque ex Chriſtianis filios non habent, cui relinquere ſubſtantias ſuas debent... Si autem habent, diſcant, quid etiam ipſos oportet facere, cum illos videant, tum parentes amorem filiorum Dei filiis prætuliſſe. Habet igitur omnis ætas, habet omnis conditio, quod ſequatur: quicumque eſt particeps*

(1) Lib. I. Legum Liutprandi cap. VI. pag. 51.: In Legibus Longobardicis verbum *judicare* uſurpatur pro *legare*, ſeù poſtremis tabulis, ac teſtamento de rebus ſuis diſponere.

(2) Leg. I. Cod. Juſtin. De Sacroſ. Eccl., & Leg. IV. Cod. Theod. De Epiſcop. Vide quæ in hanc rem latè dixi in meo libro *De Origine, & Jure Decimarum* c. VII. pag. 204.

(3) Lex iſthæc à Rege Liutprando conſtituta lib. IV. cap. I. quâ brevior minori ætati terminus decretus eſt, adhuc in Regno Neapolitano vim obtinet; nam confirmata fuit ab Imp. Friderico II. in *Conſtitutionibus Regn. Neap.* lib. II. tit. XLII. his verbis. *Minores tam maſculos, quàm foeminas intelligimus eos, eaſve, qui, vel quæ non dum ætatis ſuæ decimum octavum annum exceſſerint: quo completo, ipſos tam in contractibus, quàm in judiciis, & in omnibus perfectæ ætatis volumus reputari*. Sapienter quidem à noſtris Longobardis de hac re actum eſt, dum ex brevitate vitæ, ac prætura hominum calliditate ſatis moroſa videri debet illa minor ætas, XXV. annorum ſpatio Jure Romano definita; immo & fraudum occaſio, & litium Seminarium, quibus privatorum, & Reipublicæ tranquillitatem maximoperè perturbari, experimento probamus.

*ticeps Fidei, participem se beati faciat exempli: Si illi tum pro Deo donantes omnia sua, etiam seipsos exhæreditavere viventes, discite vos quæsumus bona vestra vel ipsi hæreditare morientes* (1). At hæc non placuere Augustino, qui eas repudiare solitus hæreditates, quas Parentum in malemeritos filios iracundia Ecclesiæ obtulisset, hanc propositi sui afferebat dignam Augustino rationem; nam *si quis irascitur filio suo, & moriens exhæredat eum, si viveret, non eum placarem? non eum filio suo reconciliare deberem? quomodo ergo cum filio suo volo ut habeat pacem, cujus appeto hæreditatem* (2)? Verùm etsi nulla iracundia, sed ferventior quædam in Deum pietas in causa fuisset, neque is tamen induci potuit, ut ejusmodi hæreditates admitteret. *Quid plura? quicumque vult, exhæredato filio, hæredem facere Ecclesiam, quærat alterum, qui suscipiat, non Augustinum, imo Deo propitio neminem inveniet*. Hanc sibi manere sententiam voluit Augustinus, loculentissimo comprobatam exemplo, quod adhuc ex ipso audire jucundum nobis erit. *Quàm laudabile factum Sancti, & venerandi Episcopi Aurelii Chartaginensis? quomodo implevit eos omnes, qui sciunt, laudibus Dei? Quidam enim cùm filios non haberet, neque speraret, res suas omnes, retento sibi usufructu, donavit Ecclesiæ: Nati sunt ei filii; reddit ei Episcopus, nec opinanti, quæ ille donaverat* (3).

Ad Principes quod attinet, satis aspera Lex illa Imp. Valentiniani fuit, ad *Damasum Episcopum Urbis Romæ* scripta, & in universis *Ecclesiis ejusdem Urbis* promulgata an. CCCLXX. quâ Clerici, ac quicunque continentiam profitentes ex Viduarum, aut Sanctimonialium successionibus quidquam accipere vetabantur (4). Hujus Legis rigorem paulisper temperavit Imp. Theodosius, inter illas Diaconissas, Viduasque distinguens, quibus liberi essent, deessentve; atque priores quidem *nullam Ecclesiam, nullum Clericum, nullum Pauperem* scribere hæredes nisi de solis prædiorum reditibus, quos de sua parsimonia sibi servassent, fundos verò, monilia, gemmas, supellectiles aureas, argenteasque, *ceteraque claræ domus insignia, universa, atque integra in liberos* transferre jubentur (5): Amplius quid alterâ Lege paullò postea latâ indulsisse voluit Theodosius (6): Sed tùm Valentiniani, cùm Theodosii Leges rescidit Imp. Marcianus, qui *Generali, perpetuòque victura Lege* sancivit, *ut sive Vidua, sive Diaconissa, sive Virgo Deo dicata, vel Sanctimonialis mulier, Testamento, vel Codicillo suo, Ecclesiæ, vel Martyrio, vel Clerico, vel Monacho, vel Pauperibus aliquid vel ex integro, vel ex parte in quacunque re, vel specie credidit relinquendum, id modis omnibus ratum, firmatumque consistat* (7).

Inter has tum Ecclesiasticorum Antistitum, tum Sæcularium Potestatum dissonas sententias, quid Arichis de ea re statuendum censuit, ex ejus Lege audiemus, quæ in ejus Capituralis nu. XIV. his verbis promulgata legitur. *Quæcunque Mulier proprias res habèns, mortui mariti lectum castè servaverit, & de rebus suis aliquid pro anima sua judicare voluerit, quæ ejus minime consenserint; sic prospeximus; si duos filios habuerit, tertiam partem de rebus suis disponere liceat; si quidem tres, septimam partem; si quatuor habuerit, nonam; si verò amplius, per hanc numerorum ratiocinationem, ut contigerit, sorte dividantur*. Nihil profectò hac Lege æquius, atque sapientius haberi potest, ubi satis congruenter, honesteque, & Naturæ, & Pietatis officia servata, atque impleta intuemur: neque enim sine alterutrius injuria fieri potest, ut totum una pars sibi vindicet, dum æquo jure debitores utrique sumus. Heinc Sanctus idem Augustinus, qui Naturæ causam superiùs tuebatur, in illis oblationibus, quas illustris fœmina Ecdicia in Ecclesiam, pauperesque profundebat, moderationem adhibendam tantummodo voluit, non quidem nullas, sed condignas oblationes



(1) Salvianus *Ad Eccl. Cathol.*, sive *adversus Avaritiam* Lib. III.

(2) S. Augustinus *De Diversis* Sermon. XLIX. c. III.

(3) Possidius in Vit. S. August. cap. XXIV.

(4) Leg. XX. Cod. Theod. *De Episc. Eccl.*, *& Cler.* De qua Lege hæc S. Hieronymus habet in Epist. ad Nepotianum. *Pudet dicere, Sacerdotes Idolorum, Mimi, & Aurigæ, & Scorta hæreditates accipiunt: Solis Clericis, ac Monachis hoc Lege prohibetur; & non prohibetur à Persequutoribus, sed à Principibus Christianis. Nec de Lege conqueror, sed doleo, cur meruerimus hanc Legem. Cauterium bonum est; sed quod mihi vulnus, ut indigeam Cauterio?*

(5) Leg. XXVII. ejusd. Cod. eod. Titulo.

(6) Ibidem Leg. XXVIII. ubi potiùs anteriorem à se latam Legem penitus revocasse videtur Theodosius. *Legem* (ait) *quæ Diaconissis, vel Viduis nuper est promulgata, ne quis Clericus, neque sub Ecclesiæ nomine mancipia, suppellectilem, prædam velut infirmi sexus, dispoliator invaderet, & remotis adfinibus, ac propinquis ipse sub prætextu Catholicæ disciplinæ se ageret viventis hæredem, eatenus animadvertat esse revocatam, ut de omnium Chartis, si jam nota est, auferatur, nec quisquam aut litigator ea sibi utendum, nec Judex noverit exequendum*. Meminit hujus Legis Cl. Thomassinus *Eccl. Disc. Part. III. Lib. I. cap. 28. num. 5.* putavitque, non *Prædam*, sed Prædium in ejus Legis contextu legendum, *quod sane* (inquit) *magis consentaneum est*. Sed importuna prorsus ea correctio est: dum Legis lectio, ejusque sensus rectè constat eo vocabulo *prædæ*, quam *ex infirmi sexus* spoliis, idest Viduarum bonis Clericos sibi ducere solitos ajebat Theodosius.

(7) Novellæ Imp. Marciani Tit. VI. *De Testam. Cleric.*

ei suadens, *quid videlicet thesaurizandum esset in Coelo, quid ad vitæ hujus sufficientiam vobis, vestroque filio relinquendum, ne aliis sit refectio, vobis autem angustia* (1). Quinimo nec is abstinuit a suscipienda Fundi donatione, quam Dives quidam Carthaginensis, filium habens Ecclesiæ suæ fecerat, *oblationem libenter accipiens, quod æternæ suæ memor esset salutis*: Sed quum ille per suum filium syngrapham repeteret donationis, ejusque loco centum nummos obtulisset, *ingemuit Sanctus, hominem vel finxisse donationem, vel de bono opere pœnituisse: tabulas reddidit: pecuniam respuit: atque rescriptis eundem, sicut oportuit, & arguit, & corripuit admonens, ut de sua simulatione, vel iniquitate cum poenitentiæ humilitate Deo satisfaceret, nec cum gravi delicto de Sæculo exiret* (2): Qua quidem in re non solùm id probavit Augustinus, ut par Filiorum, ac Pietatis causa existimetur, Filiisque suis ita prospicere quis debeat, ut suæ quoque salutis memor sit; verumetiam objurgato illo, quem factæ donationis pœnituerat, eos, qui facere neglexissent, damnare videtur.

Hanc tamen regulam probare nunquam, vel raró novit inexplebilis Filiorum, propinquorumve ad universas facultates inhiantium cupiditas: Ingenti malo, quo non solùm Testatorum libertas, sed salus etiam æterna periclitari videbatur, occurrendum censuit Arichis, eaque sustulit impedimenta, quæ Viduis, quominus de bonis suis *pro anima* disponerent, parabantur: sic enim illa Legis verba intelligenda sunt: *quæ ejus minime consenserint*: quo certè loco, ante illud *quæ*, excidisse *filiorum* vocabulum debuit; ut lectio sit: *pro anima sua judicare voluerit, filiique ejus minimè consenserint*. Filiorum autem commodis satis abundè consulit Arichis. Extat Regis Liutprandi Lex, quâ Parenti *filiam in Capillo*, non tamen filium legitimum habenti permittitur, *ut de rebus suis amplius per nullum titulum cuicunque per donationem, aut pro anima sua facere possit, nisi partes duas, tertiam verò relinquat Filiæ suæ* (3): Liberaliùs autem in filios se habuit Arichis, qui nullam sexus differentiam agnoscens, pro vario illorum numero majorem, minoremve eam partem esse voluit, quam Vidua pro anima sua disponere tantummodo posset: ac satius quidem habuisse videtur, eandem servare proportionem, quam Filii Naturales cum Legitimis ad paternam successionem concurrentes ex Legibus Longobardicis obtinebant (4): neque enim deterioris conditionis, quàm Filii Naturales, ipsius Testatricis animam, aut Piam causam esse passus est.

Addam nunc, quæ de eodem argumento proximè in eodem Capitulari subsequitur, ejusdem Arichis Legem, his verbis num. XVI. constitutam. *Si quispiam rem propriam inspiratus pro anima sua Locis venerabilibus decrevit, non reputetur extraneus, vel inimicus parentibus, sicut in Lege nephas scriptum est: sed sit sacramentum talis, si opportunitas incumbit, & hæres proximorum modis omnibus habeatur*. Qua ex Lege illud scimus, improbum aliquando morem invaluisse, Legem etiam sæcularem extitisse, ut *extranei, inimicique* loco a consanguineis (hos enim *parentum* vocabulo passim Leges Longobardicæ appellant) ille haberetur, qui res suas in Ecclesiam transtulisset; quare qui aliis bonorum suorum partem acquirendi spem omnem ademisset, is sibi rependendam vicem sustineret, ac velut extraneus, atque hostis, in alienis bonis, consanguineorumque hæreditatibus, jus omne amitteret. Sed contrà Arichis, ne à piis donationibus homines retraherentur, atque Pietatis caussa emolumentum potiùs, quàm damnum sibi demererent, jus illorum integrum, atque illæsum fore statuit, itaut *hæredes proximorum modis omnibus haberentur*.

Dum verò in Bonis acquirendis tam Legibus, quàm exemplis tantopere favit Arichis, eò magis ut Ecclesiastica Bona illæsa servarentur, observantissimum reperiemus. Extat in Chronico S. Sophiæ ejusdem Principis Judicatum inter Mauritium Abbatem Monasterii S. Benedicti, & nonnullos Homines, qui cum suis Familiis à Theodorada, ejusque filio Gisulfo, in servitutem ejusdem Monasterii olim oblati, permissu postea Zachariæ Abbatis, Ducum Gi-

(1) S. Augustinus Epist. 199.
(2) Possidius l. l.
(3) Inter Leges Liutprandi Lib. VI. cap. XI. p. 64. edit. Muratorii.
(4) Inter Leges Rotharis cap. CLIV. pag. 26. *Si quis dereliquerit filium unum, quod forboram* (idest legitimum, sive ex justis Nuptiis natum), *& filios Naturales unum, aut plures, filius legitimus tollat duas portiones de Patris substantia, Naturales verò tertiam; & si sunt duo legitimi, habeant quatuor partes, Naturales quintam, quanticumque fuerint; & si tres fuerint legitimi, habeant Naturales septimam partem: Si quatuor fuerint legitimi, habeant Naturales nonam partem: Si quinque fuerint legitimi, habeant Naturales undecimam partem: Si sex fuerint legitimi, habeant Naturales tertiam decimam partem. Si septem fuerint legitimi, habeant naturales decimamquintam partem. Si autem plures fuerint, per hunc numerum dividant Patris substantiam.*

Gisulphi junioris, & Godescalchi Diplomatibus communito, sese in libertatem vindicaverant: fatebantur Homines veterem, justamque servitutem, sed libertatem legitimè conquisitam contendebant: quibus Abbas reponebat: *Verum est, sicut asseritis, quod vos quandoque Zaccharias liberos constituit, sed non secundum Legem, & Sanctorum Patrum institutionem, seù Canonicam Sanctionem; & ideo vobis ipsa libertas firma, & stabilis esse non debet*. Post alias altercationes, quid tandem Arichis, qui caussæ cognitionem in Consistorio suo habendam voluit? *Chartis relectis, & agnitis eorum altercationibus, præcepimus*, inquit, *sacros adduci Canones in nostram præsentiam, quorum capitula ita continentes invenimus, in SS. Apostolorum, seù Nicæno, nec non & Ancyrano, atque Silvestri Papæ Urbis Romæ Conciliis, ut nullus Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & Clericorum, qui sacris, & venerabilibus locis praeessent, res Ecclesiæ distraherent, aut alienare præsumerent, & qui præsumerent, a proprio gradu discederent*. Quid verò de junioris Gisulfi, & Godescalchi præceptis, seù Diplomatibus, quibus ea libertas confirmata legebatur? Irrita, atque inania omnia pronunciavit Arichis: nam & Theodoradæ Præceptum, & oblatio rata successoribus Ducibus habenda erant, & derogationi in Ecclesiæ damnum factæ Sacri Canones obstare videbantur: *idcirco* (subdit) *decernimus, atque statuimus, ut nominati Homines cum suis Familiis ... obediant, & deserviant in ipso sancto loco &c.* Insignem sanè chartam, cui lubebit, legendam inferiùs exhibemus (1): Interim videre licet, in sæcularis

(1) Ex Chronico S. Sophiæ apud Ughellum to. VIII. pag. 618. edit. Rom. & tom. X. pag. 452. edit. Venet. Utrobique verò Charta ipsa fœdissimis mendis scatet, quam, ut fieri potuit, emendandam curavimus; & à primo quidem verbo, quod *Indictum* corruptè legitur, pro *Judicatum*. Porro Charta sic se habet. *Judicatum Arichi. In Dei nomine conjungimus nos Dominus Vir Gloriosissimus Arichis Summus Dux Gentis Longobardorum in Curte nostra, quæ vocatur Montella, ubi veniens* (Ughellus habet *vivens*) *Mauritius Venerab. Abbas Monasterii S. Benedicti, quod situm dignoscitur esse intra Civitatem nostram Beneventanam, ubi Xenodochium esse invenitur, & successit* (*suggessit*) *nobis, eò quod Condomam, quam bonæ recordationis Domina Theoderada, cum Domino Gisulpho filio suo obtulerunt in dicto Monasterio, quæ habitare videtur in Prata, Zaccharias, qui fuit Abbas, contra Canonicam Regulam liberavit, sicque modo à suo servitio subtrahere quærant. Nos quippe dum talia audissemus, continuò jussimus ante nostra vestigia ipsos homines, idest Coelestinum, Lupum, & Ursum, qui causam suam de germanis agebant, & inquisivimus eos, pro qua ratione se à servitio ipsius Venerabilis Monasterii subtraherent? Qui adserentes dixerunt: Certè verum est, quia & nos à parentibus nostris Domina Theoderada cum Domino Gisulpho Duce filio suo contulerunt in ipso Monasterio, & servi exinde fuimus ei; postea Zaccharias, qui ibi Abbas fuit, liberos nos constituit per Præcepta gloriosissimæ memoriæ Domini Gisulphi junioris, seù Godescalchi Ducum, & per legem, qualiter liberi constituti sumus, in nostra libertate permanere debemus. Ad hæc respondebat nominatus Mauritius Abbas; Verum est, sicut asseritis, quod vos quandoque Zaccharias liberos constituit, sed non sicut secundum legem, & Sanctorum Patrum institutionem, seù Canonicam Sanctionem, & ideo vobis ipsa libertas firma, & stabilis esse non debet, sed qualiter secundum offertionem istam, quam ecce præ manibus teneo, vos nominata Potestas concessit, servare debetis. Tum dum hæc omnia nostra gloriosa potestas intellexisset, fecimus relegi offertionem, quam Mauritius Abbas Monasterii ostendebat, & insertum ibi invenimus, qualiter Domina Theoderada cum Domino Gisulpho filio suo Duce supranominatas Condomas ibidem concesserunt per suum firmissimum Præceptum: Deinde jussimus relegi & Præcepta alia, quæ Coelestinus cum nominatis parentibus suis de sua libertate ostendebat; ubi legebatur qualiter eos Dominus Gisulphus junior Dux, seù Godescalchus, qui fuerat Dux, per rogum quondam Zachariæ liberassent, sed etiam firmitatem de ipsis Præceptis, quam eis emiserant Scauniperga cum Liutprando filio suo. Quibus relectis, & agnitis eorum altercationibus, præcepimus Sacros adduci Canones in nostram præsentiam, quorum Capitula ita continentes invenimus, in Sanctorum Apostolorum, seù Nicæno, nec non & Ancyrano; atque Silvestri Papæ Urbis Romæ Conciliis, ut nullus Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & Clericorum, qui Sacris, & Venerabilibus Locis præessent, res Ecclesiæ distraherent, aut alienare præsumerent, & qui præsumerent, à proprio gradu discederent. Post hæc, ut irreprehensibiliter, præstante Domino, judicium dare possemus, jussimus adduci Edictum Gentis nostræ Longobardorum, quod sciscitantes invenimus, qualiter bonæ recordationis Dominus Liutprandus Rex judicavit, & instituit, ut Præcepta facta, quæ anteriora essent, firmiora, & stabiliora essent: sicut voluimus, ut nostra Præcepta semper robur obtineant: Idcirco decrevimus, atque statuimus, ut nominati homines, Coelestinus cum Uxore, & Germanis suis, atque Lupus cum Genitore, Uxore, & Filiis suis, & Nepotibus, idest filiis Butte, & Galbuli, sed etiam & Gemulus cum Uxore, & filiis suis, qualiter ad potestatem prædicto Monasterio sunt concessi, obediant, & deserviant perpetuis temporibus in ipso Sancto Loco, & ipsius custodibus, cum omnibus rebus suis, & cum filiis, & filiabus, quos & in præsentia sæpius dicto Abbati Mauritio in manum tradere jussimus, & Præcepta ipsorum ante nostrum conspectum cassari fecimus; tantum de filiis Coelestini, pro causa pietatis, & animæ nostræ salute, quos asserebat de Animanato* (fortasse *de libera matre natos*) *esse, decrevimus, ut libera, & absoluta permaneret persona eorum, unde & eis Præceptum fieri jussimus: Ipse verò Coelestinus cum Conjuge sua, & omnibus suis, seu Fratre ejus, & cuncti omnes superiùs, & cum rebus, & filiis, & filiabus suis, atque conjugibus, omni in tempore essent servi jam nominati Monasterii Sancti Benedicti, sicut & alii ibidem deserviunt. Unde pro firmitate Venerabilis Loci, hoc nostrum Præceptum Judicatum fieri jussimus, ut nullo tempore prædictus Coelestinus, Lupus, & Ursus, vel eorum hæredes de sua libertate agere præsumant, sed ab hodierna die, & perpetuis temporibus tam tibi, qui supra, Mauritio, quàm & Successoribus tuis obediant, & deserviant, cum omnibus rebus suis, omni repetitione cessante, & in vestra sint potestate faciendi ex eis Canonice, quidquid vobis placuerit. Quod vero judicatum definitionis ex jussione nominatæ Potestatis dictavi ego Gaydemarius tibi Beato Notario scribendum. Actum in nominata Curte nostra Montella.*

cularis, ac Longobardi Principis Confiftorio decertantes Sacros Canones cum Principum Præceptis, Diplomatibufque, his rejectis, illos victores receffiffe. Hoc de Bonis Ecclefiæ, ad quam pertinerent, vindicandis, religionis, juftitiæque plenum fuit Principis Arichis judicium: Hoc ille Ecclefiafticis Legibus obfequium præftabat, ut quod illæ ftatuiffent, potiffimùm fibi obfervandum proponeret; majori certè laude dignus, quum juxta facros Canones fibi judicandum arbitratus fit, quàm fi ullam ipfe de eadem re propriam legem confentientem protuliffet.

Venio nunc ad aliam ejufdem Principis Legem, quæ aliàs mihi non modò commemorata, fed, ut argumenti tunc ferebat occafio, congruis obfervationibus fuit illuftrata. Superioris Libri Differtationi XI. ampliffimam differendi materiam præftitit infignis Sepulcralis Titulus V. C. Mamercii Marcellini, qui FLAVIIS SYMMACHO ET BOETIO VV CONSS DEPOSITVS fuit. Ejufmodi lapidi, nuper apud nos effoffo, ac tunc primùm evulgato uberrimam explicationem dedimus, Capite I. lucubratam; mox ex ipfo Chriftiano Lapide alterum Caput eidem Differtationi adjicere confilium fuit, quo *Veram, conftantemque Ecclefiæ difciplinam de fepeliendis apud Ædes Sacras Chriftianis Defunctis*, accuratiùs, quàm hactenùs factum ab aliis effet, oftenderemus. E re noftra fiquidem id fore vifum eft, fi adverfus Heterodoxorum criminationes nondum reftinctas, id diligentiori operâ præftaremus, quod jamdudum Cl. Muratorius, iteratis licet curis, nondum confeciffe animadvertebamus. Dum igitur per ætates fingulas, perque diverfos hominum mores, atque fententias quid de ea re tum Ecclefiafticæ, tum Civiles Leges fanciviffent, feriatim recenfere fufcepiffemus, jam inter ipfas fæculares Leges non folùm Regis Theodorici, verùm etiam noftri Principis Arichis fanctiones, *nondum aliis in eam rem obfervatas*, in medium protulimus (1). Porrò Arichis fanctio fic habet. *Siquis hominum caufa temeraria* (legendum, *aufu temerario*) *abfque permiffu Pontificum, vel Cuftodum*

*tella Menfe Augufto per Indictionem decimamquintam feliciter*.

Ex hac Charta luculentiùs comprobatur, Beneventanum Ducem Liutprandum non fuiffe Maritum Scaunipergæ, uti Cl. Affemanus ftatuit tom. II. Scriptor. Neapol. pag. 591., fed revera, ac omnino filium, quemadmodum contra laudati Affemani fententiam à me probatum eft heic Cap. I. pag. 242. tum validioribus rationibus, tum præclaro teftimonio Chronographi Sanfophiani ibidem recitato, cui hæc etiam Charta manifeftè confentit, ubi legimus Præcepta Gifulfi, & Godefcalchi, quæ fervi pro fua libertate obtinuerant, fuiffe communita *per firmitatem, quam eis emiferant Scauniperga cum Liutprando filio fuo*.

Indictio XV., qua hæc Charta fignata legitur, incidit in annum 777. à quo jam triennium effluxerat fufcepti ab Arichi Beneventani Ducatus: Dum verò is adhuc Dux in ipfa Charta appellatur, qui jam Principis titulum fibi attribuerat, defcriptoris mendum vel in *Ducis* appellatione, vel potius in Indictionis numero arguere, Chartamque ipfam ad Arichis exordia referre debemus. Extabat ante Arichim Monafterium S. Benedicti cum fuo Xenodochio, ut ex ipfa Charta fatis liquet, ac præterea ex ipfius Arichis donatione Ecclefiæ S. Sophiæ facta, cujus Ecclefiæ quum in hac ipfa Charta nulla fit mentio, eo magis eadem ad Ducatus primordium redigenda videtur.

Huic autem Chartæ debemus, ut quid *Condoma*, vel *Condomæ* fuerint, compertum habeamus. De ejus vocabuli fignificatione diverfa multi, fed omnino falfa tradiderunt; nempe *ab accurata rei infpectione Viros doctiffimos* (fcilicet Du-Cangium, La-Cerdam, Macium, PP. Benedictinos S. Mauri &c.) *qui hanc vocem interpretandam fufceperunt, hactenus defeciffe* obfervat Cl. Muratorius *Antiq. Med. Ævi Diff.* XIV. *tom. I. p. 792.* idque certum ftatuit ex pluribus Chartis Chronici Vulturnenfis, non alias fuiffe *Condomas*, quàm Familias Servorum, qui in agris ad excolendum fibi traditis adfcripti, in eadem fimul domo, feù fub uno tecto confiftebant: Exploratum id quoque ex hac noftra Charta efficitur; manifeftumque etiam habetur ex Diplomate dictæ donationis Ecclefiæ S. Sophiæ ab Arichi factæ, in quo plurimæ donantur variis in locis pofitæ *Condomæ*, variis etiam nominibus appellatæ, eorum videlicet Servorum, qui Principes, feù Capita familiæ effent, vel (uti Diploma loquitur) *qui cafas regerent cum Uxoribus, Filiis, Germanis &c.*

(1) Verè nondum ab aliis (quos tunc norim) has Theodorici, atque Arichis Sanctiones obfervatas heic affirmare rurfus aufim; alioqui pari cenfura me afficere non abftinuiffet Illuftriffimus Borgia in fuis *Memoriis Hiftoricis Urbis Beneventi* pag. 166.: ibi enim me notatum voluit, propterea quod ad probandam Ecclefiafticam Difciplinam Sæculi V. locum S. Maximi Epifcopi Taurinenfis proferens *haud aliis obfervatum* afferuiffem; quem tamen locum Cardinalis Baronius jamdiù prodiderat ad An. 383. ubi de fepultura intus Ecclefiam à S. Ambrofio Satyro fratri data, obfervat, id *ex majorum inftituto fervatum, eundem affirmare Ambrofium ipfum, five velimus Maximum Taurinenfem* (*cujufvis alterutrius fit fermo ille*) *quum ifta habet &c.* Poft quæ fic pergit Vir Summus: *Quefto è il paffo di S. Maffimo Vefcovo di Torino nel* V. *Secolo, nell' Omelia* XIX. in Natal. SS. Tauricorum Martyrum Octavii, Adventitii, & Salvatoris, *che il Canonico de Vita adduce a provare il fuo affunto, fcrivendo di non effere ftato offervato da altri prima di lui*, haud aliis obfervatum, *eppure molto tempo innanzi il diligentiffimo Baronio l' offervò, e lo comentò eziandio*. Sed non unum fuiffe Baronium, incertum ipfum tamen, an Ambrofii, vel Maximi is fermo effet, verùm etiam Cl. Saxium in *Differt. Apolog. De Corporibus SS. Protafii, & Gervafii*, & quod magis eft, Muratorium ipfum mihi laudatum *in Differt.* XVII. *T. I. Anecdot. Latin. p.* 187. mihi jam de S. Maximo afferendo præiffe, modeftè me monuit Cl. P. Zaccharias in fpecimine Operis mei, fatis accuratè, humaniterque lucubrato, editoque in fua *Hiftoria Litteraria* Anni MDCCLIV. vol. X. p. 321. Quid igitur? Ita mihi ignotus fuit Baronius (quem certè pro magno mihi duxiffem, in meam rem collaudare), uti perfpicaciffimo Præfuli tum Saxius, tum Muratorius ignoti prorfus fuere. Latuit autem me Mu-

*stodum Ecclesiasticorum, mortuum in Basilica sepelierit, hac ratione perpendimus, componat Sol. quatraginta ejusdem Venerabilis loci Rectoribus; de sepulto quidem supradictis personis, ut libeat, conveniatur*. Plura in hac Arichis Lege notari posse tunc dixi, quæ summatim heic referam; ac primò quidem, nequaquam eam Legem pro Ecclesiis quibusque, sed tantùm pro Urbis *Basilica*, idest Æde majori, seù Cathedrali latam videri: Tum neque in ipsa *Basilica* sepulturas interdictas, si Pontificis, idest Episcopi, aut etiam Custodum, idest Æedituorum Ecclesiasticorum permissus accederet: quo demum permissu posthabito, non cadaveris exhumationem, sed multæ duntaxat imperatam solutionem. Igitur dùm ejusmodi Legem nequaquam rei mihi tunc propositæ adversam ibi ostenderim; neque nunc à Religiosissimi Principis sapientiâ alienam, neque laude sua fraudandam affirmo. Quid enim? A Concilio Bracarensi Anni DCLXIII. prohiberi certis ex caussis in Hispaniarum Ecclesiis Christianorum sepultura cœpta est; pleraque deinde in Galliis Concilia, idest Arelatense, Triburiense, Nannetense interdictum ipsum, non sine tamen temperamento aliquo, Sæculo IX. confirmarunt: Non hæc autem Galliarum Concilia, quæ longè sibi posteriora fuerunt, Arichis respexisse potuit, sed neque quod sibi præcesserat, Bracarense attendisse dicendus est. Explorata ei potius esse debuit Romanæ Ecclesiæ, non modò sibi proximæ, sed cæterarum etiam Matris, Magistræque disciplina; quæ Magni Gregorii doctrinâ, auctoritateque probatâ, non solùm licitum, sed planè usitatissimum morem sepeliendi Christianos defunctos in Ecclesiis, obtinuisse demonstrat. Cur igitur (inquies) ab Arichi contraria audivimus? Immo potius, quæ à more ipso abusum omnem auferrent, ab ipso sancita ostendam: Itaque condendæ Legis caussa illa fuisse videtur, quæ à Principum, Sacrorumque Antistitum perpetuis ferè exemplis promanabat: Principibus quidem mos ille, ad seram usque ætatem perductus, atque à nostris quoque Longobardis Principibus persæpe servatus fuit, ut in Ecclesiarum Atriis sepeliri se vellent, qua demum re hanc saltem mortui Christianam humilitatem profiterentur, aut ostentarent, quam viventes in suæ dignitatis fastigio sociam habere nequissent, aut noluissent; unde Imperatores ipsos *pro magno habuisse*, ait S. Chrysostomus, *si juxta Apostolorum saltem vestibula eorum Corpora sepelirentur, fierentque Reges janitores Apostolorum* (1): Non alia de seipsis Sacrorum Antistitum sententia, postremaque morientium jussio fuit; idque passim servatum plurima demonstrant exempla, aliàs mihi relata. Indignam itaque rem existimavit Arichis, ut quod Summi Viri, Religionis, ac Reip. Præsides, Spiritu Christianæ humilitatis ducti, submissioremque erga Domum Dei reverentiam testati, sibi ipsis interdixissent, Fidelium vulgo in ipsa Basilica, passim permitteretur. Rem itaque omnem Ecclesiasticorum Præsulum, Ministrorumque arbitratui subjectam constituit, ut Loci simul Sanctitati, venerationique consuleret, ac Fidelium pietati, quos nec omnino extra Ecclesiam humari præcepit,

Muratorius, quem tantum noram, laudaveramque ex Anecdotis Græcis *Dissert.* III. *De Antiquis Christianorum sepulcris*, Edit. Patavii 1709. p. 258. ubi de S. Maximo ne hilus quidem: & tamen *ad idem argumentum secundas curas detulisse* Muratorius ibidem affirmat, ut jam quas primas dedisset, uti leviores, haud mihi perquirendas, consulendasque existimarim: Quod doctissimo Zaccharíæ erat animadvertendum: Muratorii igitur secundæ curæ, idest exactiores, quæ de S. Maximo silent, *haud aliis observatum* S. Maximum (quem ex suo fonte, idest Homiliis p. 361. post Opera S. Leonis PP. editis Venet. 1741. didiceram) mihi affirmandum permiserunt. Quid si, & S. Maximi loco alterum quàm simillimum nunc adjecerim (adjecisse autem libuit, quò de præcipua re à me peracta luculentiùs constet) ipsumque *neque aliis hactenus observatum* affirmarim? Fors certè mihi dudum illum legisse fuit in Actis SS. Martyrum Tharachi, Probi &c. apud *Cl. Ruinartium p.* 393. *edit. Veron.* In eodem sepulcri loco, ubi eorum Corpora fuere tumulata, *ibidem* (inquiunt Martius, & Felix, & Verus Christifideles, qui sepelienda curarunt) *reliquum vitæ nostræ tempus facere cupimus, ut cum ipsis digna sint corpora nostra poni*. Lubet adhuc eandem rem novo exemplo nunc confirmare, ex sepulcrali videlicet Titulo Ducis Doctrulfi. Ac Doctrulfus quidem, sive (ut Paulus Diaconus vocat De Gest. Long. Lib. III. c. 19.) Doctrulft, Suevorum, sive Alemannorum gente oriundus, inter Longobardos verò tum educatione, tum gestis, tum Ducatus dignitate sub Rege Authari clarissimus, dum Ravennæ moritur, se in S. Vitalis Martyris Templo sepultum voluit, ut cujus auxilio vivus in bellicis expeditionibus triumphaverat, mortuus patrocinia sentiret.

*Martyris auxilio Vitalis fultus ad istos*
*Pervenit, victor sæpe triumphet ovans.*
*Cujus & in Templis petiit sua membra jacere:*
*Hæc loca post mortem bustis habere juvat.*

An uterque locus, nunc primùm à me proditus, aliis unquam observatus sit, Illustrissimo Præsuli investigandum relinquimus. Interea qui Baronium prorsus ignoratum silenti mihi obiecit, haud me ipse silere debuit, qui dum ad Legis ab Arichi latæ explicationem à me factam, Lectorem ablegat, Lectorem tamen de ejusdem Legis loco à me emendato certiorem facere omisit: eamque Legem recitans sic habet: *Si quis hominem caussa temeraria* (così leggesi presso il Pellegrini, forse era scritto *ausu temerario*) *absque permissu &c.* quod quidem mendum ut à Peregrinii, Muratorii, Pratilli editionibus auferretur, auctor ego jam fueram.

(1) S. Jo. Chrysost. Hom. XXVI. in Epist. II. ad Corinth.

cepit, nec iis ſpiritualibus emolumentis privatos voluit, quæ ex Eccleſiaſtica ſepultura, ſibi legitimè, ideſt Epiſcopi, ejuſque Sacerdotum permiſſu impetrandâ, ſibi conquirenda curaſſent.

Hactenus Principis Arichis Leges ad Religionem pertinentes ſpectavimus; quid in eandem rem Princeps Radelchis in Capitulari ſuo conſtituerit, nunc videamus. Capitularis titulo inſcriptum legimus Pactum illud, quod Radelchis cum Siconulfo Anno DCCCLI. ſancivit de dividundo Beneventano Principatu, ſeù ex ampliſſima ejuſdem Principatus ditione altero conſtituendo Principatu, qui ex nova illius ſede, ac capite Urbe Salerno, Salernitanus dictus fuit. Plura de eodem Pacto ſcribendi occaſio fuit in ſuperiori Differt. III. cap. v., ubi argenteum ejuſdem Radelchis Nummum illuſtrandum ſuſcepimus. Nunc Capitularis nomine ejuſmodi Pactum jure appellatum affirmamus, quippequod Edicti, ſive generalis Legis vim, rationemque obtinuit, quâ deinceps utriuſque Principis jura, ſive Regalia, Reique publicæ ſtatus, ſubditorumque Populorum privatæ res, in novam quodammodo regiminis formam tranſlatæ fuerunt. Diutino Bello, quod ante eam diviſionem inter Radelchim, & Siconulfum, Saracenis utrinque auxiliariis, exarſerat, Religionis res non tam labefactatæ, quàm in extremum redactæ interitum videbantur: quamobrem quum ad Pacis fœdera ventum eſt, prima inſtaurandæ, conſtabiliendæque Religionis cura eſſe debuit; nullus autem præcipuæ ejus rei felix videbatur ſucceſſus, ſi Saraceni olim auxiliarii, adhuc fœderati, vel etiam coloni, ſubditique conſiſtere intra utriuſque Principatus fines ſinerentur. Ab iis enim, qui Chriſtianæ Religionis Hoſtes eſſent, immo nullam noſſent Religionem, ſanguini duntaxat, ac prædis, tum vi, tum dolo, per ſummam æquè crudelitatem, perfidiamque aſſueti, eadem, quæ olim, vel etiam deteriora mala imminerent. Heinc Saracenorum omnium reſciſſa fœdera, expulſio procuranda. *Et amodo* (hanc uterque Princeps Legem ſibi dicit) *nullum Saracenum in meum, vel populi, vel terræ meæ adjutorium, ſeù amicitiam habere quærimus, tam de his, qui in omni Provincia Beneventani Principatus ſunt, quàm etiam de illis, qui extra omnem Beneventanam Provinciam ſunt, & nunquam eos contra vos irritans irritare faciam, & nullum ejs adjutorium impendam, vel impendere faciam, & adjuvabo vos abſque omni injuſta dilatione uſque ad ſummam virtutem, ſicut melius potuero cum populo meæ partis, ut pariter expellamus de iſta Provincia noſtra omnes Saracenos, quomodocumque potuerimus, & amodo, ut dictum eſt, nullum Saracenum recipiam, vel recipere permittam, præter illos, qui tempore DD. Siconis, & Sicardi, qui fuerint Chriſtiani, ſi magarizati non ſint*: hoc eſt, ſi non abdicata Chriſtiana Religione, iterum ad Saracenicam Sectam redierint (1).

Neceſſarium hæc ſtatuiſſe fuit; ſed ſublatis tantummodo impedimentis, quæ extrinſecùs adverſari videbantur, nondum ſatis Religioni proſpectum videbatur. Internis quoque malis erat occurrendum, ſive ab ipſo Principatus corpore, ejuſque membris, lethiferi, qui percrebuerant, amputandi morbi, venena extinguenda: atque ipſis primùm Religionis adminiſtris, Clericis, Monachiſque, in morum corruptelam dilapſis, ea adhibenda remedia, quæ facilè in reliqui corporis medicinam converterentur. Heinc illud ſancitum cap. v. *ut omnes Monachi, & Monachæ redeant ad ſua Monaſteria, ubi priùs habitaverunt, ut habitent, & militent ibi Deo, ſub magiſterio illic præordinatorum* (ideſt Abbatum, Præſidumve illis regendis legitimè conſtitutorum) *ſicut ratio, & conſuetudo eſt*; *exceptis illis, qui per virtutem* (hoc eſt injuſtam vim, atque metum) *aliorum illic introjerunt, aut in Palatio ſerviunt*. Eadem de Eccleſiaſtici ordinis Viris ſequenti capite ſunt conſtituta, ut ſcilicet Epiſcopi, *& omnes Clerici, & quocunque gradu Clericatus, vel ſine gradu, redeant ad ſuos Epiſcopatus, cujuſcunque Diœceſis fuerint, & ſi redire noluerint, & nobis cognitum fuerit, abſque omni injuſta dilatione faciemus eos redire invitos, ut ſint ſub poteſtate præordinatorum in ipſis Epiſcopatibus, & habitent, ſicut illi eos juſtè conſtituerint, exceptis Clericis, qui in Palatio ſerviunt, & qui per vim Clericati fuerint*; Scilicet quos, flagrante Civili Bello, vis, metus, pronaque malo indoles, vagos, errabundos, dyſcoloſque effecerat, ad proprias Eccleſias, Monaſteriaque revocatos auſterior diſciplina ita corrigeret, ut ſuæ ipſi profeſſioni paribus moribus, ac virtutibus reſpondentes univerſo populo non exemplo tantùm prælucere, ſed verbo etiam, opereque prodeſſe poſſent.

Ad hæc ſuppeditanda, aut etiam confirmanda Populis opportuna quæque ad Religionem fovendam ſive incentiva, ſive adminicula. Nihil in eam rem validius, atque congruentius, quàm ſi vetuſta, plurimiſque tum ſpiritualibus, tum corporalibus beneficiis omni

(1) Vide quæ de hoc Pacto ſuperiùs obſervavimus Diff. III. Cap. v.

omni retrò tempore locupletata, universi Beneventani Principatus erga S. Michaelem Archangelum, ejusque Garganicam Basilicam veneratio constabiliretur. Dum igitur de colendo Archangelo, ejusque Basilica orationis causâ adeunda ageretur, nihil ex Principatus divisione derogatum, cujus unus ipse, ac communis Michael permaneret Patronus; quique utriusque Principis distinctæ deinceps potestati divisi inter se Populi obtemperaturi essent, eandem animorum consensionem, Religionisque consortium retinerent. *Et dimittam* (inquit Radelchis n. VIII.) *omnes homines vestræ potestatis* (scilicet Salernitani Principatus subditos) *ire ad venerabilem Ecclesiam B. Archangeli Michaelis recto itinere, quomodo temporibus nostrorum Antecessorum illùc ibatur, sine omni contrarietate, vel damnitate, atque contradictione mea, & omnium hominum, qui in mea potestate habitant, vel habitaverint, me vivente, & salvi vadant, & redeant à nostra parte per meam voluntatem, excepto Divino judicio.* Sed de vetustissimo, præcipuoque Beatissimi Archangeli Michaelis Patronatu, eximioque erga illum nostrorum Longobardorum cultu uberrimè à nobis superioris Dissertationis Capite v. habita est pertractatio. Satis etiam nunc de eorundem Longobardorum Legibus ad Religionem pertinentibus, disseruisse sit.

## CAPUT II.

*Longobardorum Regum, Principumque Leges, quæ ad Jus publicum pertinent, recensentur, atque illustrantur. Feudorum institutio, progressus, leges non Romanis, neque Francis, aut Germanis, sed Longobardis vindicantur. Auctoritates, & exempla in eandem rem afferuntur. Criminum vindices Longobardi quid de Parricidii, Plagii, Furti sceleribus sanciverint. Talionis poena Longobardorum legibus instaurata: Stigmatum quoque inustio. Ad exteras gentes abire sine Principis permissu, inter Majestatis Crimina recensebatur. Tabellionum publicum munus apud Longobardos: Probata illis tum Fides, tum Scientia requirebatur.*

POst explicatam superiori Capite Juris Longobardici originem, progressum, præstantiam, ejusque partem, quæ ad Religionem pertinet, alteram nunc partem illustrandam aggredimur, quæ in Jure Publico versatur, atque ex iis Legibus, aut etiam moribus, consuetudinibusque constat, quæ Feudorum institutionem, Delictorum vindictam, Munerum administrationem complectuntur. De his igitur omnibus singillatim differemus.

Nulla olim pars Juris pejori conditione fuit, quàm illa, quæ de Feudis est, donec apud prudentiores æstimatores pretium suum invenisset: inter quos Jurisconsultorum maximus Cujacius, se Commentariis suis *habitationem ei, tamquam matronæ elegantiori, mundiorem, epulasque, quibus exciperetur, conquisitiores parasse* affirmat (1): qui neque illud abnuit, Feudale Italicum Jus ab aliis Gentibus libenter observatum, ut idem planè de Feudorum Libris statui queat, quod de Lege Rhodia Imperator Antoninus, eam in rebus nauticis Romanos sequi, nisi si qua in re adversetur Juri publico Populi Romani: *Et nos quoque Galli* (inquit.) *Jus Feudorum, quo Italia utitur, sequimur non inviti, nisi si qua in re pugnet cum legibus, aut moribus nostris* (2). Illud tamen nondum extra controversiam positum est, atque adhuc incompertum, quibus auctoribus Feudorum origo, enatumque ex Feudis peculiare Jus tribuendum sit: immo & de ipsa barbarici nominis etymologia, deque tempore, quo primùm audiri cœpit, nec dum inter doctos Viros convenit (3). In ea igitur originis obscuritate facilè illud in variarum Gentium, earumque Scriptorum animos incessit, ut rem ipsam, veluti in medio positam, non tam primo, quàm potiori rationum vi occupanti concedendam quisque sibi contenderet, ac inter patrias Antiquitates præclarum decus duceret, atque jactitaret.



(1) In Epist. nuncupatoria ad Thomam Redigerum.
(2) In Præfatione ad Libros Feudorum.
(3) Quod *Feudum* passim dicitur, plerumque *Foedum* dictum invenitur; itaut à *Foedere* vocem deductam statuat Isidorus: At Obertus de Orto, qui secundum, tertiumque Feudorum libros composuit, a *Fidelitate*, vel *Fide* derivatum maluit. Sunt verò alii, qui vel à Germanica, vel à Danica, vel Saxonica, aut etiam Hungarica voce deductum vocabulum censent, quos vide apud Cangium. Major autem dubitatio est, quando primùm *Feudi* vocabulum emerserit; nam veteres Chartas Sæculi IX. ad eam rem probandam à variis Scriptoribus adductas, falsi suspectas idem Cangius pronunciat.

Inter Gallos fuit Carolus Molinæus, qui ex ſua Gente ſi non manifeſtam Feudorum originem, Feudorum tamen, quæ in Galliis vigerent, antiquiſſimam omnium memoriam accerſendam affirmavit (1): Id enim præclarè evinci poſſe arbitratur tum ex Aimonii teſtimonio, qui *lib.* I. *cap.* 14. *Franc. Hiſt.* narrat Regem Chlodovæum, qui Sæculo V. floruit, *Milidunum Caſtrum Aureliano cum totius Ducatu regionis jure Beneficii conceſſiſſe*; & lib. III. cap. 81. Regem Guntranum *Leudis ſuis benevolum* fuiſſe teſtatur: tum etiam ex Gregorii Turonenſis auctoritate, qui pactionem inter eundem Guntranum, & Childebertum Reges referens, *Leudes* commemorat, qui *Domino Guntrano Sacramenta præbuerunt*: & inferiùs: *Convenit, ut nullus alterius Leudes nec ſollicitet, nec venientes excipiat* (2). At quæ de Chlodovæi conceſſione *Jure Beneficii* facta habet Aimonius, Sæculi XI. Scriptor, eadem ex Aimonii ingenio, non ex certis rerum monumentis profecta ſatis demonſtrant vetuſtiores quique Francici Scriptores à Du-Cheſnio editi, apud quos altiſſimum illius *Juris Beneficiarii* ſilentium eſt. Quamobrem ſi res ipſa ad Regis Guntrani ævum, reſque geſtas deducatur, ideſt ad Sæculi VI. exitum (3), vix de ejus rei antiquitate Galli decertare jure poterunt cum Longobardis, qui multis ante annis in Italia conſederant, ſuoſque Duces inſtituerant, ut mox videbimus. Nec audiendus eſt Molinæus, illud etiam affirmans, *ſe vidiſſe antiqua Inſtrumenta donationis antiquorum Feudorum facta per Childebertum I. Chlodovæi filium Monaſterio S. Germani Pratenſis*: Ex ipſo enim Diplomate nihil prorſus extundas, quo vel levia Feudorum veſtigia deprehendas, ſed ſolam Prædiorum donationem, quæ Monachis poſſidenda tradebantur. Molinæo haud melior Bignonius, qui in notis ad Marculphi formulas ſcribit, *Beneficii nomine ea prædia dicta, quæ pro ſervitio militari à Rege, ſive etiam ab aliis concedebantur, quæ Feuda Poſteritas dixit*: qua in ſententia adeò ſibi conſtans Bignonius eſt, ut quotieſcumque in dictis Formulis, vel in Capitularibus Regum Francorum nomen *Beneficii* occurrit, ibi non aliud, quàm quæ nunc Feuda appellamus, intelligenda contendit. Sed ſi hoc verum eſſet, non à Gallis, ſed potiùs à Romanis, apud quos longe antiquior Beneficiorum uſus obtinuit, Feudorum primordia eſſent repetenda.

Ac Romanis quidem, nihil de Gallis ſuis ſollicitus Cujacius, hanc prærogativam tribuendam opinatus fuit, nam ſi Feudorum Jus *antiquiſſimum* fuiſſe dicatur, *nobis* (inquit) *nunquam id perſuaſeris, niſi id liquidò deduxeris ex moribus Populi Romani*; quod ex *Hominum* vocabulo apud illos pro Servorum, Actorum, Procuratorum, Cuſtodum, Inſulariorum, Emphyteuticariorum, Precariorumque poſſeſſorum notione (unde *Hominis* vox pro ſervitii, fidelitatiſque præſtatione, in Feudale Jus promanaſſe videtur) *fieri commodiſſimè* affirmat. Sed multò commodiùs ex *Beneficiis* (uti paullò ante dixi), quæ apud Romanos tum Reip., tum Imperii ævo in uſu erant, deducere Vir perſpicaciſſimus potuiſſet (4): Niſi quæ apud Romanos *Beneficia* erant, plenum dominium, nullam verò Juriſdictionem (quæ duo ad Feudi cognoſcendam naturam, atque jus conſtituendum potiſſimùm pertinent) Beneficiariis contuliſſent. Romani igitur non inviti de medio ſe tollentes, aliis Gentibus de re ipſa decertantibus, locum relinquent.

Germanis Feudorum originem tribuendam contendit Struvius (5): idque ſatis probatum ſibi credidit ob ea, quæ inter vetuſtos Germanorum mores de Principum Comitibus veterum Scriptorum teſtimonio celebrantur. *Gradus* (inquit Tacitus) *& ipſe Comitatus habet, judicio ejus, quem ſectantur: magnaque & Comitum æmulatio, quibus primus apud Prin-*

(1) In Commentar. ad Conſuet. Pariſ. tom. I. cap. Des Fiefs. num. 13.

(2) Gregor. Turon. Hiſt. Franc. lib. IV. cap. 45.

(3) Regis Guntrani obitum anno DXCII. aſſignant Henſchenius, & Papebrochius tom. III. Menſis Martii Operis Bollandiani.

(4) Quæ Romani rerum domini Prædia bello parta, vel quovis modo ad Fiſcum devoluta, militibus in fidei, ac laborum præmium aſſignabant, *Beneficia* fuiſſe appellata, docere videtur Hyginus, qui ſub Trajano floruit, in libro *de Limitibus conſtituendis*, ajens: *Si quæ Beneficia conceſſa, aut aſſignata Coloniæ fuerint, in loco Beneficiorum adſcribemus*. Præclariùs eſt de Imp. Alexandro Severo Lampridii teſtimonium: *Dabat hæc in Beneficiis, quæ famam ejus non læderent, Bona privatorum, Præpoſituras locorum Civilium, Adminiſtrationes &c.* Sed illud quoque, quod quandam Feudi imaginem præfert, ipſe Lampridius narrat, eundem nempe Auguſtum *ſola, quæ hoſtibus capta eſſent, limitaneis Ducibus, & militibus donaſſe, itaut eorum iſta eſſent, ſi hæredes illorum militarent*. Id quod ab Auguſto Probo pariter factum tradit, qui quædam Iſauriæ loca Veteranis donavit, *addens, ut eorum filii ab anno octavodecimo ad militiam mitterentur*. Vides, jam ſolo militiæ adjecto onere, nullam donatariis conceſſam juriſdictionem, nullum donantibus ſervatum ſupremum dominium: quibus deficientibus, quæ apparere cœperat in hiſce Beneficiis Feudorum imago, jam tota evanuit. Adde nunc, nihil in Romanorum Legum Libris occurrere, quod ſub ipſo adhuc Beneficiorum nomine, de Feudorum inſtitutione, Jure, aut conſuetudine, cogitatum tum à Romanis fuiſſe, vel leviter oſtendat; & tamen ex utroque Codice tum Juſtinianæo, tum Theodoſiano, ejus rei veſtigia ſaltem nobis apparuiſſent.

(5) Syntagm. Juris Feudal. lib. III. cap. III.

*Principem suum locus: & Principum, cui plurimi, & acerrimi Comites, hæc dignitas, hæ vires, magno semper electorum juvenum globo circumdati, in pace decus, in bello præsidium ..... Jam vero infame in omnem vitam, & probrosum superstitem Principi suo ex acie recessisse: Illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta ejus gloriæ assignare præcipuum Sacramentum est: Principes pro victoria pugnant, Comites pro Principe* (1). Sed quod ex recitato Taciti loco Struvius rei sibi propositæ statuit fundamentum, deridet, immo certè *ridiculum* Dietmarus pronunciavit in notis pag. 27. Dietmari judicium ægrè tulit Heineccius, qui illius argumenta Struvianæ sententiæ opposita non ejus momenti existimat, quæ ipsam infringant, tantum abest, ut *ridiculam* esse demonstrent. *An enim* (inquit) *apud Germanos Viri Principes, quia non territorii Domini, sed in Conciliis electi, non potuere habere vassallos? an necessariò requiritur superioritas territorialis, ager, & sedes Domini fixa, si quis Vassallum habere velit? & quid aliud sunt illi Comites Gesellen, Warselo, quàm Vassalli; maximè quum Tacitus de eorum fide in Dominos, & de stipendiis pro servitio militari datis disertè testetur? Nihil ergo impedit, quò minus Feudorum stamina cum Struvio jam apud Tacitum quaramus*. An novis istis rationibus Heineccius Struvium adversus Dietmarum feliciter juverit, aliis judicandum relinquimus; nam & nos præclaros hosce Germanicos Scriptores inter se decertantes, suoque certamine deteriorem Gentis suæ causam efficientes, indicasse satiùs habebimus, ut melioribus auspiciis Longobardos nostros in mediam palæstram, palmam hanc nullis adhuc Gentibus justè præreptam, sibi vindicaturos proferamus.

Longobardos Feudorum auctores, Feudaque ipsa cum ipso simul Longobardico Italico Regno suborta fuisse, indubia rerum gestarum monumenta, si nullâ animi præsumptâ sententiâ, seriòque inspiciantur, certò nobis demonstrabunt. Illud namque satis constat, tres Longobardici Regni initio Ducatus institutos, opportunisque Italiæ locis distributos, idest Forojulianum, Spoletinum, Beneventanum, quibus non modò externos adversus hostes quibusdam veluti propugnaculis Longobardi uterentur, verùm etiam quem sibi subdiderant, Italicum Populum in officio faciliùs continerent. Hanc Longobardici Regni formam primus in Italia Rex Alboinus reliquit, nisi ternis illis majoribus Ducatibus minores quosdam alios adjicere libeat, quorum ope, sive ministerio expeditiùs, ac validiùs Regiæ potestati exercendæ sive subsidium, sive modus adhiberetur. Mortuo autem Alboino universi Regni auctoritas, Rerumque Longobardicarum summa ad ipsos Duces translata est, quorum quisque in eadem, qua olim potiretur Civitate, Longobardos suos, reliquosque Cives regere cœpit, servatâ tamen inter ipsos Duces virium, & consiliorum societate, quæ veterem Longobardici Regni majestatem repræsentaret, supremamque auctoritatem sustineret (2). Sed quum ad Reges iterum redire libuisset, postque annos decem Rotharis communi consilio datus Alboino successor fuisset, manere adhuc Duces statutum fuit, quibus quæ ante Anarchiam, eadem jura, oneraque essent, additum verò, *ut ad restaurationem Regni omnium substantiarum suarum medietatem Regalibus usibus tribuerent, ut esse posset, unde Rex ipse, sive qui ei adhærerent, ejusque obsequiis per diversa officia dediti, alerentur* (3).

Ad Ducis titulum quod attinet, jam illud à me Dissertatione I. demonstratum est, Longobardos à Romanis ejusmodi munus, seù dignitatem fuisse mutuatos: Eandem enim regendæ Italiæ formam retinuisse videntur, quam paullò ante suum adventum à Longino primæ Italiæ Exarcho institutam repererant, qui munitioribus Italiæ Urbibus tuendis Duces præfecerat: Sed diversa planè à Romanis Longobardicorum Ducum conditio esse cœpit: Illi enim non alio munere præditi erant, nisi ut militarem operam præstarent, Urbesque suæ fidei, ac custodiæ traditas ab externis hostibus, qui in Italiam irruerant, propugnantes, Romano Imperio incolumes servarent: Longobardici verò Duces ita administrandis Urbibus, earumque regionibus constituebantur, ut non militiæ tantummodo obnoxii essent, dum scilicet militari Sacramento obstricti opem, ac præsidium Principi imperanti exhibere tenerentur; verùm etiam ipsarum Urbium, earumque Territorii tum civilem auctoritatem, sive jurisdictionem, tum usumfructum adipiscebantur; quæ quidem omnia simul conjuncta omnimodam Feudorum imaginem repræsentant, immo naturam ipsam exprimunt, jusque universum Feudale complecti videntur.

ALTER    M m 2    Tria

(1) Tacitus *De Moribus Germanorum* cap. XIV.

(2) Paulus Diac. De Gest. Longob. lib. II. cap. 32. *Post cujus* (Alboini) *mortem Longobardi per annos decem Regem non habentes sub Ducibus fuerunt: unusquisque enim Ducum suam Civitatem obtinebat &c.*

(3) Idem Paulus lib. III. cap. XVI.

Tria igitur isthæc, quæ ad Feudi naturam agnoscendam, statuendamque præcipuè pertinent, ante Longobardos Italiæ dominos, frustra in Italia ipsa quæras; nullibi etiam reperisse erit: A Longobardis autem posteaquam invecta fuerunt, omni deinceps ævo ab ipsis quàm diligenter servata, eorum postmodum recepto exemplo cæteras Gentes didicisse, atque in suum quoque morem, novique juris disciplinam, institutumque excepisse, plura indubiæ fidei monumenta, atque exempla luculenter ostendunt. Ac primùm, audivimus jam ejusmodi onus Longobardicis Ducibus additum, ut dimidiam partem eorum redituum, quos ex propriis Urbibus, sive Ducatibus perciperent, in Regium Ærarium inferre deberent: qua ex re id liquidò colligitur, assignatorum locorum usumfructum, seù utile, quod vocant, dominium his Ducibus datum, qui fructus, emolumentaque omnia ita sibi conquirerent, vindicarentque, ut scirent tamen, se, suumque Ducatum supremo Regis dominio obnoxium manere, cum quo reditus suos partiri, sive certam aliquam pecuniæ quantitatem quotannis, tributi nomine, pendere tenerentur. De Jurisdictione autem, qua Duces ipsi præditi essent, nulla potest esse dubitatio; quandoquidem Urbibus, Populisque suæ potestati traditis, tum per seipsos, tum per suos Magistratus, idest Gastaldos, Comites, Judices, jura reddere, judiciaque omnia tum Civilia, tum Criminalia exercere, deque suorum subditorum capite, fortunisque decernere consueverunt: atque hac etiam in re non modò veteres, communesque propriæ Gentis mores, consuetudinesque, sed Principum potissimum suorum Constitutiones, sive Edicta sectanda sibi proponebant; ut vel sic Fasces suos, sive Gladii jus, reliquamque Jurisdicundi potestatem illorum beneficio, ac concessione in seipsos promanasse testarentur. Reliquum Militiæ onus, in quo fides erga Principem præcipuè continebatur, subire Duces omnino debuerunt; adeò ut si imperata detrectassent, vel ad alios Principes defecissent, rebellium loco haberentur, perduellionisque pœnis afficerentur. Heinc Rex Autharis Droctulphum, quem Ducem Brexellensis Urbis constituerat, ad Græcos desciscentem, Ducatu privavit, vitam quoque ademptursus, nisi is Ravennam confugisset (1). Sic Rex Agilulphus Minulphum, Gandulphum, & Ulfarim Duces, rebellionem molitos vel interfecit, vel custodiæ mancipavit (2). Utque ad Beneventanos Duces progrediamur, jam Rex Liutprandus Gisulpho, Rex Desiderius Duci Liutprando, ut in Romanum Ducatum milites inducerent, vario tempore imperarunt; quod quum illi ob suam erga Romanos Pontifices reverentiam facere abnuissent, ambo Ducatu spoliati sunt; quemadmodum Dissert. II. Cap. ultimo uberiùs demonstravimus.

Dum verò ad Beneventanum Ducatum sermo jam evasit, ibidem libenter consistemus, unde ad rem propositam comprobandam satis illustre exemplum excipere licebit. Celebris apud Longobardicos scriptores est Alzeci, sive Alzeconis Ducis Bulgarorum, cum gentis suæ exercitu in Italiam adventus, Grimoaldo, Beneventano olim Duce, Italicum Regnum administrante. Obsequium, ac fidem Regi Grimoaldo spopondit Alzecus, si certa, ac perpetua sibi, suisque sedes in Italici Regni finibus traderetur: Grimoaldus advenam Gentem ad Romualdum Filium Beneventanum Ducem ablegavit, qui paterna jussa exequutus plures illis Urbes incolendas tradidit, ipsumque Alzecum, mutato in Gastaldum Ducis nomine Genti suæ preæsse concessit. Rem distinctè narrat Paulus Diaconus, cujus verba mox afferemus: Interim quid de hoc facto Cujacii sententia fuerit, ex ipsius verbis audire quoque præstabit: *Ut Custos, ita Gastaldus Feudatarius propriè non est, quia quodammodo in præsens tantum constituitur, non ut perpetuò eo munere fungatur: Itaque Paulus Diaconus Lib. v. Hist. Long. Cap.* XI. (XXIX. juxta Muratorii, sive Blanci editionem) *cùm scribit jussu Grimoaldi Longobardorum Regis in Italia certas possessiones datas Alzeconi Duci Bulgarorum, ita tamen, ut non Dux, sed Gastaldus vocaretur, hoc significat jure Gastaldiæ datas, non perpetuo, proprioque Feudi jure* (3). Cujacio jamdiù occurrit Camillus Peregrinius, falsam Viri alioqui doctissimi sententiam inclamans, nam *minimè* (inquit) *simplex, & una duntaxat, sed multiplex, ac mixta* (uti in antecessum præclarè ostendit) *fuit Gastaldorum prærogativa: & insuper nec Alzecus, sicut Ducis dignitatem, & nomen deposuit, ita vel acceptas ad incolendum Urbes, & Oppida, vel suæ Gentis, transacto sui Gastaldatus anno, dimisisse videtur curam; quum Paulus disertè affirmet Bulgaros susceptas sedes usque ad suam ætatem incoluisse, qui in iis locis habitantes, quanquam etiam latinè loquerentur, linguæ tamen propriæ usum non amiserunt; nec amiserunt* (ego addam) *habere ex propria Gente Gastaldum. Renuit itaque, me arbitro,*

(1) Paulus Diaconus Lib. III. cap. XVIII.
(2) Idem Lib. IV. cap. III.
(3) Cujacius in Præfat. ad Lib. I. de Feudis.

*tro, Rex Grimoaldus nomen Ducis permittere Alzeco, non quod perpetuum ei nollet dare Gastaldatum, sed quod ille sub Beneventano Duce constituendus primitivam retinere non posset dignitatem, qui namque cùm esset advena, temporaneam in locis sibi, suisque inhabitandis accipere debuisset dynastiam* (1)? Peregrinio subscripsit Cl. Horatius Blancus, eum Pauli locum, uti integram illius Historiam, eruditis sanè notis commentatus; qui, *etsi* (inquit) *minimè à Cujacio discesserim in iis, quæ pertinent ad jura Gastaldatus ejus generis, de quibus sermonem habuit, Alzeconis tamen variam fuisse speciem opinor, nihilque illi commune cum cæteris Gastaldis præter nomen; eumque revera jure perpetuo Feudum habuisse, deposito Ducis nomine, ne par Romualdo domino suo, a quo beneficium acceperat, haberi posset* (2).

Neminem certè futurum arbitror, qui non, Cujacio posthabito, Peregrinio, ac Blanco consentiendum sibi existimet; tum maximè Pauli loco animadverso, quem sic scribentem habemus: *Per hæc tempora Bulgarorum Dux, Alzeco nomine, incertum quam ob causam, a sua gente digressus, Italiam pacifice introiens cum omni sui Ducatus exercitu, ad Regem Grimoaldum venit, ei serviturum, atque in ejus patria habitaturum promittens: Quem ille ad Romualdum filium suum Beneventum dirigens, ut ei cum suo populo loca ad habitandum concedere deberet, præcepit: Quos Romualdus gratanter excipiens, eidem spatiosa ad habitandum loca, quæ usque ad illud tempus deserta erant, contribuit, scilicet Sepianum, Bovianum, & Iserniam, & alias cum suis territoriis Civitates; ipsumque Alzeconem, mutato dignitatis nomine, de Duce Gastaldium vocitari præcepit: Qui usque hodie in iis, ut diximus, locis habitantes, quanquam & latinè loquantur, linguæ tamen propriæ usum minimè amiserunt*. Multa in hunc Diaconi locum, tum de Alzeco, tum de transmigrationis causa, tum de Gastaldi nomine, Latinique sermonis, quem cum vernacula, sive Bulgarica simul lingua didicissent, vera acceptione, superiùs disserui pag. 20., ubi de pristina forma, quâ Beneventanus Ducatus regeretur, agendum fuit; plura verò in hunc locum observanda seposui, quæ ad præsens argumentum pertinebant. Quid igitur? Putabimusne Alzecum cum sua Gente, traditas sibi, intra fines Beneventani Ducatus, Urbes ita cum suis incolendas accepisse, ut non mediocris illa ejusdem Ducatus portio, à Beneventani Ducis dominio divulsa in Bulgarorum habitationem simul, & ditionem translata sit? Nihil hac re absurdius dici poterit: Accepit enim Gastaldi nomine, ac jure; non ea tamen Gastaldi significatione, quæ (uti Viri docti observarunt) Actorem, Procuratorem, ac temporaneum Custodem demonstraret: Sequitur itaque ampliore jure in eam locorum habitationem, possessionemque admissum Alzecum, qui scilicet quandam inferioris dominii prærogativam cum jurisdictione conjunctam habere permittebatur: Et sanè Romualdus Alzecum ipsum, *mutato dignitatis nomine, de Duce Gastaldium vocitari præcepit*; ut videas non dignitatis munus, prærogativam, potestatem, sed *nomen* duntaxat *mutatum*; scilicet ne, continuato cum dignitate ei tradita Ducis nomine, nihil discriminis cum Beneventano Duce interesse videretur: Servata igitur Alzeco sub Gastaldi nomine pristinæ suæ dignitatis auctoritas fuit, ita tamen, ut Beneventani Ducis beneficio accepta, supremo ipsius dominio subderetur, hoc est Beneventani Ducis Feudatarius Alzecus constitueretur: Nihil ea re præclarius esse potest, quæ in ipsis Pauli verbis nitidissima elucet: Alzecus *se serviturum promisit*; qua in promissione habes militiæ susceptum onus, ceteraque oblata servitia, quæ Feudi jure præstari solent, & debent: Hac accepta, juramentoque confirmata promissione, Romualdus *Urbes cum suis territoriis* Alzeco tradidit: Hanc denique traditionem non simplicis Gastaldiæ nomine, idest non custodiæ, procurationis, temporariæque administrationis causâ, sed ad Alzeci vitam, immo ejusdem Successorum commodis factam disertè demonstrat idem ipse Paulus, qui Bulgaros in iisdem locis olim sibi traditis adhuc sua ætate superstites affirmat, neque tantùm suæ linguæ usum, sed suorum etiam ex propria gente Gastaldorum jus, sivè prærogativam adhuc servantes ostendit: Qui profectò Gastaldi eodem, quo primùm Alzecus se obstrinxit, *servitii onere* erga Beneventanos Duces tenebantur; eadem quoque, quæ Alzecus, emolumenta, auctoritatemque obtinebant, ut scilicet Jurisdictione, atque Usufructu gauderent: quibus si addas Tributi aliquid ab Alzeco, ejusque Posteris Beneventano Duci, velut supremo Domino pensitatum (quod vel ipsum Romualdum, vel successores Duces haud neglexisse credendum est), jam nihil omninò erit desiderandum, ut quod nondum nomine explicatum priore

(1) Cam. Peregrinius in Dissert. Ducatus Beneventanus in antiquas Provincias an tributus?

(2) Blancus in Paul. Diac. Lib. v. cap. 29. inter Scriptor. Ital. Muratorii T. 1. P. 1. pag. 484.

priore illo tempore erat, re quidem ipsa Feudum Alzeco concessum, Feudorumque auctores certissimos, atque præcipuos Longobardos nostros agnoscamus.

At quo, inquies, modo fieri potuit, ut qui Feudi vice, atque jure Beneventanum Ducatum Romualdus administrabat, uti initio affirmavi, alterum is in eodem Ducatu, atque ex ejus portione prognatum veluti Feudum constituere, Alzecumque Feudatarium sibi conquirere potuerit? Ajo primùm, id Romualdo licuisse non solùm permissu, verùm etiam jussu Regis Grimoaldi, qui Alzecum *ad Romualdum filium suum Beneventum dirigens, ut ei cum suo Populo loca ad habitandum concedere deberet, præcepit*. Sed etsi Regia defuisset auctoritas, poterat quidem Romualdus, poterant, inquam, Beneventani Duces, quantumvis Regum suorum Feudatarii, inferiores sibi Feudatarios ritè, ac meritò constituere: Ut enim Beneventanus Ducatus in eos latissimos fines succresceret, quæ universam penè Cistiberinam Italiam complecteretur, Beneventanorum id Ducum opus, ac labor fuit: Ac Romualdus quidem ipse, eodem teste Diacono, *Tarentum expugnavit, & cepit, parique modo Brundusium, & omnem illam, quæ in circuitu est, latissimam regionem suæ ditioni subjugavit* (1): Quemadmodum à Romualdi Successoribus aliæ Beneventano Ducatui accessiones factæ sunt, uti à me in Dissertatione I. uberrimè est demonstratum; Cum ipsa igitur Ducatus amplitudine propriis viribus, industriâque parta extulit se quoque Beneventanorum Ducum dignitas, quâ non solùm minoribus aliis Longobardorum Ducibus, verùm etiam Spoletino, ac Forojuliano præstantiores, ita sese Regibus suis obnoxios profitebantur, ut maximam, ac quodammodo liberam regendi, administrandique Ducatus auctoritatem sibi vindicarent: Hac certè auctoritate factum fuit, ut Dux Gisulphus II. amplam illam Regionem Monasterio Casinensi circumjacentem, quam suis certis, designatisque circumquaque finibus studiosè describit Leo Ostiensis, eidem Monasterio perpetuò possidendam tradiderit; atque *amplam adeò regionem, quæ plura Castella, & Oppida, nedum Campos, & montes complectebatur, suo jure concessisse Ducem Gisulphum* notavit ad Ostiensis locum præclarus ejus commentator Nuceus; qui exinde *Casinensis Ditionis temporalis* vetustissimam, splendidissimamque originem repetens, *Excursum Historicum* satis prolixum de ea re adtexuit (2); quod postea argumentum uberiùs à Cl. Gattula pertractatum est, qui Temporalis Dominii, sive *Principatus Casinensis*, ut vocat, auctorem statuit eundem Beneventanum Ducem Gisulphum (3): Si igitur Gisulphus regionem, quæ non solùm *Campestria, & Montana*, sed *Castella quoque, atque oppida* continebat, Casinatibus, *contulit in scriptis* (ut Ostiensis ait), *atque in perpetuum eadem posteris habenda concessit*, factumque propterea fuit, ut non solùm fructuum, redituumque emolumenta, sed Jurisdictionis etiam facultas in ejus universæ Regionis incolas exercendæ, in Casinates esset translata, non illud profectò cum Nuceo, & Gattula dicendum est, Monasterium videlicet Casinense, Principatus, sive supremi, independentisque dominii jure tunc fuisse potitum, seu potius donatum, sed hoc unum affirmare fas erit, ac manifestè consequitur, Gisulphum, servata sibi, suisque successoribus supremi, seu altioris dominii auctoritate, Feudalia duntaxat jura in ipsum Monasterium transtulisse; itaut qui eidem præesset, non liberi Domini, sed primi omnium, qui in Regno Neapolitano constituti subinde fuerunt, Feudatarii, seu Baronis, ut vocant, prærogativam adeptus, hoc jus duntaxat, hoc decus etiamnunc ostentare jam queat.

Atque hæc quidem in eo Beneventanæ Dynastiæ statu observavimus, quæ Longobardicis Regibus suberat: postea verò quàm illis extinctis, ipsa in Principatum, Regiaque insignia, atque jura se extulit, non solùm id à Beneventanis Principibus non fuit prætermissum, sed potiore, quo jam pollebant, Majestatis suæ jure gestum, ut Feuda, ac Feudatarios sibi constituerent. Illustre hujus rei exemplum præstabit Sico, genere Longobardus, Spoleti summo loco natus, Agerentinus dein inter Beneventanos Gastaldus, Beneventanus denique Princeps; de quo plura diximus Differt III. Cap. IV., ubi ejus Nummos illustravimus. Francos Spoleti dominantes, apud quos offenderat, fugiens Sico Beneventum contendit, atque à Principe Grimoaldo Storesaiz gratanter exceptus, non solùm prædiis ditatus ab eo fuit, verùm etiam Agerentiæ Urbis Gastaldatu auctus; dum audis autem Gastaldatum, ne putes Cujacii sententiam, quam superiùs cum Peregrinio, & Blanco confutavimus, hoc

(1) Paul. Diac. lib. V. cap. I.

(2) In notis ad Chronicon Casin. lib. I. cap. V. num. 7. & seqq.

(3) P. Erasmus Gattula in *Accessione* ad Hist. Casin. tom. III. ejus operis à pag. I.

hoc exemplo confirmatam, ſed validiùs nunc demum, ac manifeſtiùs proſtratam: quandoquidem qui eſſent, quidque apud Longobardos noſtros valerent Gaſtaldi, quibus eo nomine Urbes proprio Feudi jure concedebantur, ex hoc Siconis facto exploratiſſimum erit. Dum igitur Princeps Grimoaldus erga hominem advenam adeò liberaliter, munificèque ſe geſſit, *non parvam* (inquit Anonymus Salernitanus) *moeſtitiam Beneventanis, ſimulque ſævitiam invexit; & inter ſe planè muſſitantes, non ipſam Civitatem* (ideſt Agerentiam) *proſcripti* (alii meliùs legunt *proſelyti*), *ſed Beneventani geniti obtinere quippe debuerant, & magnum murmur exinde inter eos erat* (1): Audiſtin Beneventanorum muſſitationes, murmurationes ad *ſævitiam* uſque, ideſt ad iram, ac ferale odium in Principem erumpentes, quod is, *Beneventanis Genitis*, ideſt Civibus poſthabitis, *proſcriptis*, ſive *proſelytis*, ideſt Siconi, homini *advenæ* Civitatem *obtinendam*, ſive poſſidendam tradiderit? An itaque ſi precarium, temporariumque Gaſtaldi, ſive Actoris, Procuratoriſve munus Siconi in Agerentina Urbe exercendum Grimoaldus detuliſſet, adeò ægrè, indignèque tuliſſent Beneventani Cives, Proceresque? Sola igitur, ac ſatis juſta querelarum cauſa fuit, traditam externo homini Urbem conſpicuam, ex Feudi jure poſſidendam intueri, quam indigenæ ipſi promereri debuiſſent: Et ſanè ſub Gaſtaldi nomine, ſed nonniſi ex Feudi jure Agerentiam Siconi à Grimoaldo conceſſam præclarè evincunt res geſtæ, eodem loco ab ipſo Anonymo commemoratæ; nam quum inter dictum Siconem Agerentinum Gaſtaldum, ac Radelchiſium Comitem Conſinum ſimultates, ac jurgia exorta eſſent, finitimaque Agerentiæ Urbs Conſa eſſet, his verbis Radelchiſius Siconis famulos, verberibus affectos objurgaſſe traditur: *Non ſufficit vobis Agerentia? Conſiam vobis jungere quæritis?* mox verò cum ipſo Principe Grimoaldo ita conqueſtus: *Unum ſuperbum advenam hic tenuiſti, necnon Agerentiam ei tribuiſti; ſi placet, Conſiam quoque ei concede, quam valdè jam deprædatus eſt*: Præclarior res eſt, quàm ut pluribus explicetur verbis; Agerentiam videlicet Siconi ita traditam, ut ditionem omnem, quæ Feudi jure debetur, ibidem obtinuerit.

Sed ex ipſo Siconis exemplo, qui ſimul prodiit, Radelchiſius Comes Conſinus luculentiora nunc præſtabit Feudorum à Beneventanis Principibus conſtitutorum monumenta. Præter Gaſtaldos etiam Comites apud Longobardos ex proprio, ac primævo ejus Gentis inſtituto frequentes extitiſſe, aliàs probatum à me fuit, præclaro in primis S. Gregorii M. teſtimonio, cujus hæc ſunt: *Si ego in morte Longobardorum miſceri voluiſſem, hodie Longobardorum Gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet* (2). Habes itaque Longobardici Regni formam, qualem Gregorii ætas, quæ ejuſdem Regni primordia attingebat, nobis demonſtrat, Regem videlicet, deinde Duces, poſtremò Comites: atque his quidem Comitibus non ſolùm rei militaris adminiſtratio mandabatur, verumetiam & oppida, & regiones ſive à Rege, ſive à majoribus Ducibus ita tradebantur, ut ſervato ſupremi dominii jure, tributique, ac militiæ onere, ea cum juriſdictionis prærogativa, atque uſusfructus emolumento perpetuò poſſidere, atque in ſuos plerumque poſteros tranſmittere permitterentur. Hoc certè jure præfatus Radelchiſius Comitatum Conſinum poſſediſſe dicendus eſt, ut ſcilicet, dum Sico Agerentiam Gaſtaldi titulo, ipſe Conſiam illuſtriori Comitis nomine, uterque verò ejuſdem Beneventani Principis beneficio, in Feudum acceperit. Exploratum id magis erit, ſi ad Capuanos Comites, in Hiſtoria Longobardica paſſim celebratos, oculos conjiciamus. Eoſdem modò Comites, modò Gaſtaldos appellatos legimus, alterutro tamen nomine ita Capuæ conſediſſe ſcimus, ut non modò civili, militarique Juriſdictione fungerentur, ſed eam quoque dominii auctoritatem ſibi vindicarent, ut Comitatum ipſum Hæreditarium effecerint. Conſtat autem, Capuanos Comites Beneventanorum Principum ſubditos, Feudatarioſque fuiſſe, quod ex ipſo vetuſto Comitum eorundem Chronico manifeſtum fit, cujus hoc eſt exordium: *Landulph Maticu fil. Paldi Gaſt. Capue a Sicone Ben. Gaſtald. factus eſt* (3): ideſt à Sicone Beneventano Principe Gaſtaldus factus eſt. Si igitur Landulphus poſt Paldum ejus Patrem eundem Gaſtaldatum Capuanum Principis Siconis beneficio adeptus fuit, certè ſequitur, non alio, quàm Feudi jure eam ſucceſſionem promeruiſſe: Heinc diviſo inter Radelchim, ac Siconulphum

(1) Sic apud Erchempertum num. XXIX. occurrunt circiter ann. 860. *Majelpotus Theleſinus, & Guandelpertus Bovianenſis Gaſtaldei*, quorum alter Theleſiam, alter Bovianum, Feudi jure, à Principibus Beneventanis acceperant.

(2) S.Gregorius lib. IV. ep. XLVII. ex edit. PP.S. Mauri: quo Gregorii teſtimonio tum Peregrinium, tum Berettium falſos oſtendi, alterum ſcilicet, qui Longobardicos Comites ex Gallorum exemplo, ſeu more accerſendos, alterum verò, qui *rariores* Comites Longobardis tribuendos exiſtimavit. Vid. Differt. I. pag. 18.

(3) Chronicon Comitum Capuæ tom. III. Opp. Cam. Peregrinii pag. 146. edit. Neapol. 1751.

nulphum Beneventano Principatu, Capua ipsa supremo instituti tunc Principatus Salernitani dominio adjudicata fuit (1): Quamquam ea divisio Capuanis Comitibus ambitiosiùs se gerendi, atque veterem subjectionem Principibus suis abnuendi occasio fuit; non solùm enim ex ea divisione, quâ debiliores antiqui Principatus vires effectæ erant, dilapsaque quodammodo pristina Majestas videbatur, verùm etiam ex discordia, quam inter utrumque Principem fovere studebant, ipsi crescere moliti sunt Capuani Comites: qua in re flagitiosior ceteris fuit Landulphus Episcopus Capuanus, Landulphi Comitis filius, cujus æquè in suos domesticos, ac in proprium Principem insignis memoratur perfidia: Nam quum morienti Comiti Landoni fratri cum Pandone altero fratre jurasset, ut Comitatus successio Landoni filio natu majori incolumis servaretur, *non diù* (uti narrat Erchempertus) *ad juramentum perstitere fraternum, nam subdolè pro cupiditate Gastaldatus* (idest *Comitatus* ejusdem Capuani) *& Landonem, & ceteros fratres Urbe repulerunt; & à Guaiferio* (Principe Salernitano) *alienati sunt, cui sacramenta recentia dederunt* (2): Quum verò Princeps Guaiferius eam injuriam tum Landonis Filio, legitimo Comitatus successori, tum maximè sibi, qui supremi Dominii, ac Principatus jure eam adprobare successionem debebat, ulciscendam sibi proposuisset, ausus & ipse Landulphus fuit, contra *Christum Domini* (uti Guaiferium vocat Erchempertus) *pugnam* instituere. Atque hæc quidem Landulphus, *Vir* (uti in Chronico Comitum Capuæ describitur) *providus, sed lubricus, & flagitiosus, & ad mala semper paratus*: Qui tamen viribus suis fretus per summum nefas *extitit suis Civibus non solum Episcopus, sed & Comes, & Judex, non solum Præsul, verum etiam Gastaldus; neque tantum Pontifex, quin & velut Miles super cunctos praerat per annos duodecim* (3). Plura autem in hoc facto observare operæ pretium est: Primum illud obiter animadvertemus, Guaiferium, *Christum Domini* ab Erchemperto appellatum; quâ quidem appellatione non obscurè ostenditur, Salernitanos Principes eum quoque Regium morem, ritumque sibi adrogasse, quo Principes Beneventani ex Arichis Magni exemplo, atque instituto utebantur, ut in Principatus inauguratione Sacram Unctionem Episcoporum ministerio reciperent. Sed quod ad rem attinet, duo præcipuè ex Erchemperto colligere licebit, quæ in Gastaldatu, quo adhuc nomine eum vocat, sive Comitatu Capuano Feudum Beneventani olim, tunc verò Salernitani Principatus agnoscendum demonstrant: Unum est *Sacramentum*, quod *recenter*, idest post Landonis Comitis obitum, sive Landulphus Episcopus, ejusque Fratres suo nomine, sive etiam nomine Filiorum defuncti ipsius Comitis Landonis Principi Guaiferio præstiterunt; quo quidem Sacramento non solùm illum supremum Dominum professi sunt, sed Fidelitatem quoque, ceteraque ex Feudi jure præstanda despondisse putari debent: Alterum verò, indignè id tulisse Guaiferium, ut legitima Feudi successio perturbaretur, quam non defuncti Comitis Fratribus, sed Landoni filio, natu majori, deferendam voluit.

Plura de Capuano Gastaldatu, seù Comitatu diligentiùs nobis observanda fuerunt, ut vel ex ipso uno, qui maximè celebris, præpollensque sub Longobardicis Principibus floruit, ceteros Gastaldatus, Comitatusque alios in Beneventano Principatu olim extantes, eodem Feudi jure institutos intelligeremus. Longum enim, ac prorsus otiosum fuisset, in singulis Gastaldatibus, ac Comitatibus, qui passim à Scriptoribus nostratibus memorantur, totidem Feuda demonstrare. In ipsa siquidem Principatus divisione, quam superiùs memoravimus, nova adhuc recentis Feudi, quod ad alia antiqua accederet, instituendi occasio facta fuit; nam Princeps Radelchis Totoni, qui in utriusque Principatus limitibus statuendis *sagaciter* se gesserat, *ad obtinendum Castellum cum suis Optimatibus* tradidit (4). Ejus Castelli nomen siluit Anonymus Salernitanus, qui tamen *traditionem ad obtinendum* Totoni, velut ejus operæ egregiè præstitæ mercedem, à Radelchi *cum Optimatibus suis*, idest Optimatum consilio, suffragiisque factam disertè commemorans, non aliud, quàm Feudi concessionem, ipsumque Totonem Gastaldum, sive Comitem tunc primùm creatum demonstrat; ut scilicet Castellum illud, sive Oppidum ita Totoni acquireretur, ut Principis beneficium fuisse sciret, cui fidelitatem, tributum, ceteraque Feudalia servitia, atque onera præstare deberet.

Neque

(1) Anonymus Salernit. cap. LXXVII., & Charta Divisionis Principatus Beneventi tom. III. Opp. Peregrinii pag. 217.

(2) Erchempertus in Chron. num. XXVIII.

(3) Historia Ignoti Casinensis cap. XXXII. tom. III. Opp. Peregrinii pag. 217.

(4) Anonymus Salernit. cap. LXXX.

Neque aliter Comitatum Larinenſem ( ut hoc demum exemplo rem conficiam ) Sæculo ineunte XI. Teſſelgardus obtinebat. Extat in Tabulario Monaſterii Tremitenſis Charta originalis ipſius Comitis Teſſelgardi, qua is Alberico Abbati dicti Monaſterii donat Civitatem Gaudiæ ad ſuum Comitatum pertinentem: Inſigne monumentum in ſubjecta nota, cui libebit, legendum exhibemus (1): Quæ ad rem præſentem faciunt, heic obſervare præ-

ALTER N n

1 Donatio Civitatis Gaudiæ facta à Teſſelgardo Comite Larinenſi Alberico Abbati Monaſterii Tremitenſis anno MXLV. apud Muratorium Antiqu. Med. Ævi tom. II. pag. 16.

*In nomine Domini. Anno quadrageſimo primo Principatus Domini Pandolfi glorioſi Principis, & ſeptimo anno Principatus Domini Landolfi filii eximii Principis filii ejus, Menſe Julii,* XIII. *Indictione. Poſtquam à Paradiſi gaudiis Humanum genus in primo Parente expulſum eſſet, & caſibus, atque ruinis pluribus crebreſcentibus, una mors rapit homines mille modis, & nonnumquam prævenit mors languorem, antequam languor præveniat mortem; & quidem, ut experimento cognovimus, eſt ordo naſcendi, & non moriendi; hæc tamen omnia pertractans Ego* Teſſelgardus Comes, filius bonæ memoriæ Teſſelgardi Comitis ex Civitate Benevento, *ex corde ſollicito cogitare cœpi, & ante oculos mei cordis hæc omnia jugiter conſtitui: & cùm eſſem incolumis, & ſanam habens mentem, & rectè loqui me profiteor* ( per hujus ) *Edicti tenorem, ſubitò inſpiratus Divina Clementia, compunctuſque mente conſideravi, qualiter mea commiſſa celare non valerem, niſi eleemoſinis, & miſericordiarum operibus. Quapropter Ego prædictus Teſſelgardus bona mea voluntate ante præſentiam Joannis Judicis, aliiſque ſubter ſchriptis Teſtibus offero, atque concedo in Monaſterio, quod ſitum eſt in Inſulis, quæ vocantur Tremiti, cujus vocabulum eſt Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, & cujus regimen annuente Domino gubernat, & regit Domnus Albericus Venerabilis, & Religioſus Abbas, ipſam Civitatem, quæ vocatur* Gaudia, *quæ videtur eſſe pertinentem noſtri Comitatus Larinenſis, habente hos fines. De prima parte incipit è fonte fluminis Fortoris, cum medietate aquæ, & ſicut pergit per lictorem Maris, & vadit uſque ad ſtagnum Fantinæ, quæ facit Vallonem de vena de cauſa, & deinde revolvente per ipſam viam carraram, & pervenit in ipſo Caſale Geniſtrino, & deſcendente in ipſo Colle Petri . . . eo quomodo deſcendit per ipſam viam, & pervenit in ipſo Molino Roffridi fratris mei, & vadit in vetere Ponte Fortoris flumine, & deſcendit per medietatem ipſius fluminis, uſque in foce Maris. Et cum omnibus ſuis pertinentiis, & cum tranſitis, & exitis ſuis, & cum terris cultis, & incultis, vineis, vineatis cum arboribus fructiferis, & infructiferis, ſilvis, pratis, aquis, paſcuis, cum ſuperioribus, & inferioribus, & cum omnibus intra ſe habentibus. Et hæc omnia offero, & trado prædictæ Eccleſiæ, & tibi Domno Alberico Venerabilis Abbas, & tuis Succeſſoribus, & omnibus Fratribus tecum degentibus, quantum pertinens eſt mihi; tali igitur ordine, ut perpetuis temporibus poteſtatem habeas tu, & tuis ſucceſſoribus conducere homines ibi ad habitandum, & Civitatem conſtruendam, & Molina in ipſa aqua fluminis facienda, & vineas propagandum, & paſtinandum. Et omnia quæ, & qualiter veſtra voluntas fuerit, ſine contrarietate mea, meiſque hæredibus, & de omnibus hominibus, excepto portum Fortoris, quod reſervavi in mea poteſtate hoc tenore, ut ſi voluntate Dei ex hoc migravero Sæculo ego Teſſelgardus, & ſi filios relinquero, & ſi filii mei filios dimiſerint, habeant illum; ſi autem filios non habuerint, revertatur ad ſupradictam Eccleſiam. Parentes vero alii nullam ibi habeant poteſtatem loquendi ex eo, aut ereditandi. Et ſi naufragium patiatur quelibet navis in ipſo mare, quantum pertinet in noſtræ offertionis, obligo me ego Teſſelgardus, ut nullam exindè tollam, ſed tuæ ſit poteſtati, tuiſque ſucceſſoribus, liberos dimittere abſque omni leſione. Et hanc noſtram offertionem, ſicut ſuperiùs legitur, & cum omnibus, quæ ſupra diximus, optulimus, pro anima patris mei* Teſſelgardi, *& genitricis meæ* Mariæ, & Bertæ Materteræ *meæ, & pro anima mea, qui ſupra, Teſſelgardi, mearumque uxorum mortuis, & vivis, quarum nomina ſunt* Marada, *& pro anima filiorum meorum,* Teſſelgardi, Bernardi, *&* Potoni, *necnon & fratrum meorum* Roffridi, *&* Malfridi. *Et ex his omnibus nihil eis, vel nobis reſervavimus poteſtatem, ſed omnia tradimus tibi ſupradicto Domno Abbati, tuiſque ſucceſſoribus ad poſſidendum, dominandum, & faciendum quæcumque volueritis. Excepto hoc, quod volumus, ut quotieſcumque neceſſe nobis fuerint equitantes ad præliandum, vel ad loquendum ab iſta parte fluminis, in qua habitamus nos, omni tempore ſequantur nos quanti equitantes inventi fuerint contra Græcos, vel contra Apulos, & finitimas Civitates. Obligo me, meoſque hæredes aliquando illos non quærere . . . Quando uxor mea Beneventum itura eſt, omnes habitatores Civitatis illius dent illi duos equos pro iſto itinere, quos iterum recipient apud. Quoniam Ego mulier nomine* Alarada Comitiſſa *filia* Maſenolfi Comitis, *quæ ſum Uxor prædicti* Teſſelgardi Comitis, *ſimiliter offero, atque concedo coram preſcripto Judice, & Teſtibus, qui ſubter ſchripti ſunt, totam, & integram meam Cartulam, quam, & in prephatam Civitatem, & pertinentiis ejus habere videor, conſentiente mecum, & una mecum tradente ipſo prædicto Viro, & Mundualdum meum, in qua legitur prephata noſtra offertione, quam pro ſalute animæ noſtræ, noſtrorumque parentum fecimus: Nec ego Teſſelgardus Comes, nec ego Alarada Comitiſſa reſervavimus aliquam poteſtatem, nec noſtris hæredibus, nec quibuſcumque hominibus, ſed totam, & integram, ſicut ſuperiùs legitur hanc noſtram offertionem, ſecuro nomine habere, & poſſidere valeatis. De qua igitur ante ipſum prephatum Judicem Joannem, & alios bonis hominibus, qui ſubter ſchripti ſunt, Guadia dedimus nos Teſſelgardo, & Alarada tibi Domno Alberico Abbati, & una tecum aſtantibus, atque recipientibus Sifredo filius Adammi Advocatore tuo, & mediatorem tibi poſuimus Roffridum, & Malfridum fratres meos pro eadem Gaudia, & jam dicto mediatore poſito obligamus nos, qui s. Teſſelgardus, & Alarada, & noſtros Heredes tibi Domno Alberico, tuiſque Succeſſoribus, ut ipſa ſupradicta noſtra offertione ab omnibus hominibus anteſtemus,*

præstabit: Ac primum illud est, Beneventanorum Principum nomine inscripto, numeratisque pro certa temporis nota Principatus annis factum ejusmodi Chartæ titulum, atque exordium. Nihil ea re certius, ut qui ejus loci, ubi Charta conscriberetur, earumque personarum, quæ Contractum celebrarent, supremus esset Princeps, manifestum haberetur, itaut & Charta publicam fidem, & Contractus perpetuam firmitatem exinde obtineret. Heinc Carolus Magnus (ne à domesticis discedam exemplis) Grimoaldo, quem obsidem retinebat, Beneventani Principatus successionem hac lege permisit, ut non solùm *Nummos*, verumetiam *Chartas sui Nominis characteribus semper superscribi juberet* (1). Sed mox hanc subjectionis notam excussit Grimoaldus, qui sibi, suisque successoribus supremam auctoritatem vindicavit. Id itaque ea inscriptione Tessfelgardus profitetur, se videlicet Beneventanorum Principum beneficio Comitatum Larinensem possidere, eisque Feudi jure obnoxium manere: ac dum se ipsum nominat *filium bonæ memoriæ Tessfelgardi Comitis ex Civitate Benevento*, illud etiam nobis ostendit, ex Beneventanorum Procerum familia suum duxisse genus, proptereaque majores suos id Beneficium à Beneventanis Principibus olim assequutos, ut Larinensi Comitatu ex Feudi jure potirentur. Sed & Patriam adhuc Beneventum sibi esse, seque, suamque uxorem in Principis Aula sistere debere satis ostendit ea lege in ipsa Donatione adjecta, *ut quando* (inquit) *uxor mea Beneventum itura sit omnibus temporibus, habitatores Civitatis illius dent illi duos equos pro isto itinere*; à quibus denique ejusdem Civitatis Gaudiæ habitatoribus illud etiam sibi præstandum cavit

*mus, & defendamus eam vobis. Quod si antestare, vel defendere eam non potuerimus, aut si nos ex eadem nostra offertione vobis accusaverimus, aut vestris successoribus contendere voluerimus, vel de predicto Monasterio subtrahere voluerimus, omni tempore omnes nostras quæstiones sint tacitas. Et insuper nos, & nostros hæredes vobis, vestrisque Successoribus ordo Monachorum centum Libras auri componamus, obligamus, & omnia adimpleamus, sicut superiùs legitur. Unde ipsi qui s. mediatores obligaverunt se, & suos hæredes ad pignorandum tibi magnifico Domno Alberico Venerabili Abbati, tuisque successoribus, vel cui ipsam Cartulam nostræ offertionis in manu erit pro parte vestra, sanctique Monasterii omnia suorum pignora legitima, & illegitima per oppositos boves, seù caballos, servi, vel ancillæ, casis, vel vineis, sic nos qui s. Tessfelgardus, & Alarada obligavimus nos, nostrosque hæredes vel pignorandum supradictos mediatores, eosque hæredes ad pignorandum, donec perveniatis ad verum finem. Et hanc Cartulam offertionis subscripsi Ego Petrus Diaconus, & Notarius, eo quod interfui.*

*Acta intus in Castello de Serra Mense, & Indictione superiùs schriptis feliciter.*

✝ *Signum manus Tessfelgardi Comitis, qui hanc Cartulam offertionis fieri rogavi.*

✝ *Ego Dauferius Comes.*

✝ *Ego Sennualdus Judex.*

✝ *Ego qui supra Joannes Judex signavi manu mea.*

Pretium huic Chartæ augere debet ipsa Gaudiæ Civitas à Tessfelgardo Monasterio Tremitensi donata, in Comitatu Larinensi ad fontem fluminis *Fortoris*, olim *Frontonis* posita, atque territorio suo ad mare protensa; latuit enim Urbs isthæc non modo Camillum Peregrinium in ejus Tabula, seù Descriptione Ducatus Beneventi adjecta ad cap. 80. Anonymi Salernitani tom. III. Opp. edit. Neap., verùm etiam Cl., ac diligentissimum Gasparem Berettium in ejus Tabula Chorographica Italiæ Medii Ævi, edita inter Scriptor. Italiæ tom. x.. Muratorius ad eandem Chartam observat, *inanem* fore illorum suspicionem, qui hanc *Gaudiam* cum *Gaudio*, sive *Caudio* Hirpinorum Oppido ab Anonymo Ravennate lib. IV. cap. 33. memorato acceperint: an verò *Cività à Mare* hoc nomine designetur, aliis inquirendum relinquit. At nullus inquirendi erit locus, si utriusque vocabuli diversitatem attendamus; neque enim *Gaudia*, quæ ita ex nostra Charta clarissimè vocatur, ipsa potest unquam esse *Civitas*, eo nomine proprio, non appellativo vocata, quæ in eadem Regione olim posita, Episcopalis, & Ecclesiæ Beneventanæ suffraganea fuit, de qua plura dicemus in Dissertatione sequenti, & in notis ad Vitam S. Leonis PP. IX. in Appendice proferendam. Restat igitur, ut hac Civitate Gaudia, quæ nuncprimum ex nostra Charta prodit, utramque suppletam demus tum Peregrinii, tum Berettii Tabulam. Ceterum nonnullis mendis, quæ in ipsam Chartam, Amanuensis fortasse incuria, irrepserant, Muratorianum exemplar expurgavimus; in quibus manifestum illud: *De qua* (offertione) *antè ipsum præphatum Joannem Judicem, & aliis bonis hominibus, qui subter schripti sunt*, Gaudia *dedimus nos Tessfelgardus &c.* ubi quis iterum de ipsa Civitate *Gaudia* loquutum Tessfelgardum intelligat, quem tamen hoc loco non *Gaudiam*, sed *Guadiam dedisse*, legi debet. *Guadia*, quæ etiam *Guadium*, uti *Wadia*, & *Wadium*, idem est, ac Vadimonium, Fidejussio, Pignus: de quibus plura Cangius in *Gloss. Lat.*: Ac Tessfelgardus quidem pro perpetua suæ *offertionis*, sive donationis observantia pluribus vinculis ita se obstrictum voluit, ut nullibi fortasse solemniorem contractus, reique gestæ cautionem invenias: nam præter poenam librarum auri centum, *mediatores* dati sunt, sive fidejussores ipsius Tessfelgardi ambo fratres Roffridus, & Malfridus, quos *Roffria*, & *Malfria* corruptè legas apud Muratorium. Denique data Monasterio potestas est capiendi Pignora tum *legitima*, tum *illegitima*, quorum nomine, quid Media Ætas intelligeret (ne heic longiùs, quàm æquum sit, excurramus) in sequenti Dissertatione observabimus.

(1) Erchempertus in Chron. num. xv.

vit Tessfelgardus, *ut quotiescumque necesse fuerit, sequantur nos quanti equitantes inventi fuerint contra Græcos, vel contra Apulos, & finitimas Civitates*: ut videas ita eamdem Civitatem Gaudiam Monasterio Tremitensi à Tessfelgardo donatam, ut non ipsa militari onere, seu servitio soluta intelligeretur; quod quidem onus ex Feudi jure debitum non tam sibi, quàm supremo Principi exhibendum erat; neque enim Tessfelgardus Comes Beneventano Principi, cui erat obnoxius, damnum, aut fraudem ex ea donatione inferendum voluit, aut inferre profectò poterat.

Larinensi Comitatui addimus Triventinum, cujus pariter insigne extat monumentum in Diplomate eorundem Beneventanorum Principum Pandolphi, & Landolphi, qui *Civitatem Triventinam, quam & Castellum Anglonum, & Caccavonem, & Cantalupum*, Radoisio Comiti *dilecto Fideli nostro*, & filio Berardi Comitis concedunt, confirmantque, *sic quomodo tu illam modo tenes, & dominaris* (1): Qua in Concessione Radoisium Comitem à Principibus suis *dilectum fidelem* appellatum disertè legimus, quo nomine eum demonstrari, qui Locum aliquem ad Regium Jus pertinentem cum usufructu, jurisdictioneque à Principe recepisset, quique alio nomine *Vassus*, sivè *Vassallus* dicebatur, notius est, quàm ut heic exemplis, atque aliorum auctoritate confirmem (2): Ejusmodi *Fideles* non siluerunt Leges Longobardicæ tum Regis Liutprandi, tum Regis Rachisii (3); ut jam videas, in Legibus Longobardicis esse nonnihil, cujus ope, ac subsidio, etsi aliunde clariora deessent argumenta, Feudorum originem, usumque Longobardis adscribamus; quin & illud nunc nobis verisimillum fit, ipsum Feudi nomen non aliundè esse repetendum, quàm à *Fide*, seu *Fidelitate*; quam etymologiam Obertus domo Longobardus, jurisque Feudalis primus compilator disertissimè tradidit, atque ut à *Fide*, seu *Fidelitate* esset *Feudum*, barbaricæ ætatis more illo, seu vitio factum est, quo pleraque nomina corrumpebantur. Sed & in eadem Charta legimus traditam, & confirmatam Radoisio Comiti Civitatem Triventinam, aliaque Castella non solùm *ad habendum, & possidendum perpetualiter*, verùmetiam *ad dominandum*: Ejus autem dominationis genus, stultum erit, ad *omnimodam proprietatem* referre, quasi Principes ipsi omni suo dominio sese spoliare, integrumque, ac liberum jus in alios transferre voluerint: sed *utile* (quod superiùs dixi) dominium, solo usufructu contentum, ac propterea jurisdictionem iis tribuebant, quos sibi *Fideles*, sive *Vassallos*, *Feudatariosque* constituebant.

Idem quoque dicendum erit, si Urbes ipsæ, atque oppida *ad habitandum* traderentur. Eadem enim ejus verbi vis, ac significatio erat; nec minor *habitationis*, quàm *dominationis* traditæ effectus, atque emolumentum consequebatur. In Tractatu de Feudis, olim per Patriarcham Aquilejensem concessis (qui Patriarcha, si Rom. Pontificem exicipias, reliquos in Italia Principes Ecclesiasticos post se relinquebat amplitudine temporalis dominii) inter alia Feudorum genera,



(1) Extat id Diploma in Chronico S. Sophiæ P.III. n.XL. apud Ughellum T. X. p. 471. ex quo Chronico meliori lectioni restitutum, satis dignum putavimus, ut in novam lucem proferremus. *In nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi. Domini etenim Landolphus, & Pandolphus, qui Divina Providentia ordinante Longobardorum Principes. Cùm Principalis excellentia petitionibus dilectorum suorum justa petentium faveat. Igitur novit omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet, ac futurorum sagacitas, Radoisium Comitem dilectum nostrum fidelem, ac filium Berardi Comitis per Rodfridum Comitem dilectum nostrum fratrem, nostram adiisse à Domino protegendam Principalem dignitatem, deprecans, ut concederemus ei cuncta qualiter hic inferiùs declarantur, habendum jure quieto, de quibus petiit sibi à nostra excellentia, ut munitionis apices exinde ei fieri juberemus: cujus petitioni usquequaque libenter adsensum prebentes hos nostre munitionis apices exinde ei fieri jussimus, per quos omninò sancimus, & perpetualiter per presens hoc nostrum roboreum preceptum concedimus tibi eidem Radoisio Comiti, tuisque heredibus, Civitatem Triventinam, sic quomodo tu illam modo tenes, & dominaris, cum terris sic quomodo tenent, & dominantur homines, qui in predicta Civitate modo habitant, quam, & Castellum Anglonum, & Caccavonem, & Cantalupum, sic quomodo eas tenetis, & dominatis, & prædictas terras, sic quomodo tenuerunt, & dominarunt, inter fluvium Trivium, & Sangrum, homines, qui in predictis Castellis habitant, ea quidem sanctione supradictam nostram Concessionem tam tibi Radoisio Comiti, tuisque heredibus illas concessimus ad perpetualiter habendum, & possidendum securiter, atque omnia exinde faciendi, quemadmodum volueris, sine ullius Comitis, Gastaldi, seù Judicis, vel Schulteri nostri, aut cujuscunque persone magne, aut parve contradictione, qui sub nostra potestate habitant. Quod si per aliquam contrarietatem supradictam nostram concessionem invadere, aut ulla occasione molestare quis presumpserit, sciat se esse compositurum auri purissimi libras ducentas, medietatem Sacro nostro Palatio, & alteram medietatem tibi supradicto Radoisio Comiti, tuisque heredibus. Ut hæc autem ab omnibus immobiliter observentur, manu propria subscripsimus, & annulis nostris jussimus supter sigillari. Ego Madulbertus Scriba ex jussione supradicte Potestatis scripsi. Datum undecimo die intrante Mensis Augusti in anno undecimo Principatus Domini Pandolphi gloriosissimi Principis, & sexto anno Principatus Domini Landolphi magnifici Principis. Indictione quinta. Actum in Beneventano Palatio feliciter.*

(2) Vid. Muratorium Antiq. Med. Ævi Dissert. XX. T. I. pag. 579. & seqq.

(3) In Cod. Leg. Longob. p. 88. T.I. P.II. Scriptor. Ital. Muratorii, qui ad Legem Rachisii l. l. not. 23. *Fideles* Regis eosdem, ac *Vassallos* interpretatur. Vid. Cangium in Gloss. verb. *Fideles Regis*.

nera, recensetur quoque Feudum *Habitantiæ*, de quo hæc habentur: *Pauca nobis dicenda sunt de Feudo* Habitantiæ. *Tenebatur is Feudum, cui assignatum fuerat, inhabitare. Est enim ab habitando deductum: Quod si ædificiis nudum contigisset, aut inhabitabile ruina postea repræsentasset, à fundamentis debebat instaurare, vel collapsa reparare, ut* Habitantiæ *feudum suas figendo sedes cum conjuge, & liberis pro vocabuli proprietate retinere honestissimè posset* (1). Hoc autem Feudi genus, quod fortasse ad infimam ætatem pertinere videbitur, à superioris certè ætatis Feudis derivatum censeri debet, tum scilicet, quum Longobardi rerum potirentur. Animadversum id reperio à Cl. Peregrinio, eos videlicet, qui in antiquis passim Chartis Urbium, & oppidorum *habitatores* dicuntur, earundem *Dominos* fuisse; quod domestico exemplo confirmat Adelgrimæ Comitissæ, quæ apud Petrum Diaconum appellatur *habitatrix in Territorio Carseolano in Castello, quod vocatur Auricola* (2). Quocirca locum olim à Rege, seu Principe quopiam *ad habitandum* petere, vel obtinere, idem erat, atque ad *possidendum*, *fruendunque* illum suscipere. Sic apud Paullum Diaconum Carolus Martellus Renginfrido *unam, idest Andegavensem, Civitatem ad inhabitandum concessit* (3): Quod ideò commemoratum mihi volui, ut tum ejus verbi, pro illa ætate, significationem, tum ipsius Paulli locum alterum, superiùs illustratum, ubi Alzeci factum nobis narravit, præclariorem nunc efficerem: Nam si Alzeco plures Urbes in Beneventano Ducatu *ad habitandum* traditæ à Duce Romualdo fuerunt, tantum abest, ut ejusmodi verbum fraudi, aut suspicioni cuiquam esse debeat, quasi nihil tum de feudo instituendo, aut concedendo fuerit cogitatum, ut potius sola ejus verbi vi, significationeque per id tempus usurpata, vetustam Feudorum originem, atque usum apud Longobardos quærendum, fateri jamdemum possit.

Ex hisce omnibus hucusque observatis certum, frequentissimumque evincimus apud Longobardos Feudorum usum; quo ex usu validissima illa erit argumentatio, ac probabilissima exurget sententia, ut ab Longobardis iisdem Feudorum ipsorum originem repetendam statuamus: Quare audiendus non est Cl. Muratorius, Scriptores illos, quamvis gravissimos, doctissimosque, respuendos ratus, qui Feudorum usum è Longobardis præcipuè *derivandum* censuere; *quibus* (inquit) *assentiri nequeas, quum neque in Longobardorum Regum Legibus, neque in vetustis Gentis illius monumentis quicquam occurrat, unde eluceat apud eos Populos Feuda in usu fuisse* (4): Occurrunt namque, quæ nos superiùs observavimus, aliaque plura passim obvia nostrorum Longobardorum monumenta, unde luce clariùs appareat, usitatissima apud eam Gentem, ac præsertim in Principatu Beneventano Feuda fuisse, in iisque constituendis, conservandisque omnes ferè, vel certè præcipuas leges impletas, ex quibus hodièque Jus Feudale conficitur. Est quoque in Longobardicis legibus, quod luculenta ejus rei indicia demonstret, veluti de *Fidelibus Regis*, superiùs memoratis; sed nil opus est ex ipsis Legibus ea vestigia relegere; dum Legum vice, ac Legibus ipsis validiores Longobardicas Consuetudines extitisse certò scimus, quæ quum ab antiquissimo tempore in Italia circumferrentur, tandem à Gerardo Nigro, & Oberto de Orto simul collectæ, in Juris Feudalis libros, qui omnium manibus hodiè teruntur, digestæ fuerunt.

Non placuit Cujacio (neque enim id mihi dissimulandum nunc erit) Feudalis Juris origo, quam laudatus Gerardus *antiquissimam* Longobardis attribuit (5): ita enim habet: *Quum Jus Feudorum* antiquissimum *esse Gerardus scribat, qui ipse fuit* Longobardus, *ineptè id repetieris ex* Longobardis *ipsis, sive Gothis, quorum Leges nihil de Feudis habent palam, nec* antiquissimum *esse nobis unquam persuaseris, nisi id deduxeris ex moribus Populi Romani, quod fiet ita commodissimè &c.* Hæc Cujacius, dum dè Feudorum origine præfatur, nosque initio jam observavimus; eadem quoque, quum ad Gerardi locum pervenit, vehementiùs urget his verbis: *Nunc incipit Gerardus tractare de origine, processu, & successione Feudorum, quorum jus fuisse* antiquissimum *ait; non igitur nuper à Longobardis in Italiam invectum*. An igitur à Romanis? ita sanè Vir summus, quem tamen superiùs confutavimus, id Romanis tribuere frustra conatum, quod Romani nunquam norunt. Sed nec in ea sententia perstitisse ipse voluit Cujacius, qui recentissimam paullò post Feudorum originem agnoscere maluit, atque ex Imp. Conradi Lege, qui Feudorum possessionem produxit ad *Aviaticos*, idest nepotes ex *masculo* filio progenitos, his quidem verbis rem omnem

(1) Apud Muratorium Antiq. med. Ævi Dissert. XI. T. I. p. 648.

(2) Camil. Peregrin. De Stemmate Atenulphi Opp. T. I. p. 93.

(3) De Gest. Longob. L. VI. cap. 42.

(4) Antiqu. Med. Ævi Differt. XII. tom. I. pag. 547.

(5) De Feudis lib. I. tit. I. §. 2.

omnem concludit. *Quam aliam originem Feudorum quærimus? His veluti incrementis paulatim Feuda constituta sunt, quæ & post Conradum usus recepit, ut transirent ad liberos omnes in infinitum*. At non video, cur tanta Cujacio mora sustinenda fuerit, expectandaque Conradi tam sera ætas, atque Lex illa, quâ demum audita, Feudorum originem nobis repertam, ac patefactam proclamaret. Multa quidem post Feudorum jus, atque usum à Longobardis invectum sancita à sequutis Principibus fuere, veluti à dicto Conrado de Feudi *successione*, ab Henrico de causis Feudi *amittendi*, à Lothario, & à Friderico de interdicta Feudi *alienatione* (1): quorum Constitutionibus prostremum Juris Feudalis Librum compositum habemus; sed ea profectò non alia sunt, quàm ejus Juris longè antea Longobardicis Consuetudinibus constituti quædam veluti appendices, accessiones, declarationesque, sive quibus Jus ipsum vigere jam cœperat, atque in posterum subsistere potuisset. Quòd verò Gerardus Jus Feudorum *antiquissimum* affirmaverit, non ideo sequitur, ut altiùs, quàm necesse sit, ad ipsam scilicet Populi Romani antiquitatem rem ipsam extollamus, quum & *antiquissimum* rectè dici potuit, si de ipsis tantùm Longobardis agatur. Scribebat Gerardus sub Imp. Friderico I. Conradi successore, quando scilicet sextum propè Sæculum ab Longobardici Italici Regni institutione effluxerat (2). Parumne id temporis fuerit, ut cuilibet rei summam tribuamus antiquitatem? immo brevioribus fortasse spatiis contenti erimus: ut jam illud tam verè, quam jure, atque merito dictum à Gerardo censeamus, qui Jus Feudorum ante annos circiter sexcentos à Longobardis invectum *antiquissimum* pronunciavit.

Ratum itaque manere id debet, Feudorum usum, æquè ac originem, Longobardis esse adscribendam, atque Feudale Jus, quod moribus primùm, dein scriptis ejus Gentis Consuetudinibus, adhuc post Longobardorum Principum occasum, in Italia circumferebatur, ab ipso denique Longobardo homine, qualem Gerardum fuisse Cujacius non abnuit, in unum Codicem, sive Librum accuratè collectum, atque dispositum; cui alios duos adjecit Obertus de Orto, ejusdem Gerardi in Consulatu Collega, ac Genere adfinis: His Libris Quartus accessit, ex variis, incertisque antiquis Auctoribus conflatus; quem tandem Quintus excepit, qui Feudales Constitutiones Conradi III., aliorumque Imperatorum complectitur (3). Atque hoc quidem integrum Feudalis Juris Corpus, quinque Libris absolutum sub titulo *Decimæ Collationis* Novellis Constantinopolitanorum Augustorum Hugolinum J.C. Bononiensem adtexuisse testatur noster Beneventanus Odofredus (4). Ità paulatim Feudale Longo-

(1) Inconsultior Cujacio Feudorum Leges Imp. Lothario adscribit Gervasius Tilleberiensis apud Cangium his verbis: *Legem Feudorum primus instituit, sanciens, ut nullus Feudum audeat vendere, seù impignorare, aut quocumque modo alienare sine permissu majoris Domini, ad quem Feudum spectare dignoscitur. Huic sanctæ Constitutioni, quia futuris tantum, & non præteritis formam dabat negotii, Fridericus Imp. addit hæc: Nos autem ad pleniorem Regni utilitatem providemus, non solum in posterum, sed etiam omnes hujusmodi primò factas alienationes cassamus*. Apud Longobardos profectò non erat prohibita Feudi alienatio, uti ostendit donatio Civitatis Gaudiæ, facta à Tesselgardo Monasterio Tremitensi, superiùs nobis memorata; an verò qui primus Legem sanciverit, ne Feudum sine Domini permissu alienaretur, Jus ipsum Feudale instituisse dicendus sit? Pro nugis certè hæc acceperit, quicumque novit Feudale Jus non in prohibita alienatione consistere, sed in iis Legibus, oneribusque Feudi qualitatem, naturamque præcipuè demonstrantibus, quæ jamdiù apud Longobardos auctores receptissimæ erant.

(2) Meminit Gerardi Nigri, & Oberti de Orto Otto Frisingensis in *De Gestis Friderici I.* lib. II. cap. XII. tom. II. Script. Germ. ex edit. Urstisii 1670.: quum scilicet Fridericus An. MCLVIII. (juxta Ottonem de S. Blasio continuatorem Chronici ejusdem Frisingensis to. I. pag. 201. ejusdem editionis) Italiam ingressus, & apud Roncalias Curiam celebrans querelas Laudensium excepit adversus Mediolanenses, *præsentibus duobus Consulibus ejusdem Civitatis Oberto de Orto, & Gerardo Nigro*. Tum illud etiam de Gerardo subdit cap. XIV., illius Ædes ob rem cum Friderico non bene gestam, *à Mediolanensibus solo fuisse æquatas*. Mediolanenses (inquit) *non solum damno præsentium, sed & metu futurorum stupefacti, Gerardi Consulis, tanquam hujus mali auctoris, domum Principis iram mitigaturi dirimunt* (leg. diruunt): Quod silere noluit Guntherus ejusdem Friderici Secretarius, qui de ea re sic cecinit Lib. II. *Ligurini*:

*Hoc stupefacta malo plebes, cladisque futuræ*
*Territa primitiis, jam nunc præsentia damnans,*
*Et ventura timens, Gerardi Consulis Ædes,*
*Quippe hic præcipuus famosi Criminis auctor,*
*Et suasor fuerat, rabido fremebunda tumultu*
*Diruit*.

(3) In recensendis Juris Feudalis Libris sequutus sum formam à Cujacio traditam. Vide eundem tom. II. Opp. pag. 1178. edit. Neap. 1722. quam quidem Cujacianam divisionem Viri quique docti probarunt; quibus tamen satiùs visum fuit veterem servare ejusdem Juris Compilationem, in duos Libros dispertitam, longoque Fori usu, ac Principum auctoritate receptam.

(4) In Auth. *Cassa* Cod. *De Sacr. Eccl.* Quicumque Juris Romani scientiam vel à limine salutarunt, probè norunt, eas Constitutiones post Codicem repetitæ Prælectionis à Justiniano editas, non modò *Novellas* dictas, scilicet quod *novissimè* promulgatæ essent, non quod *nova*, & alia à veteribus jura contineant, ut Cedrenus putat; verùm etiam ab antiquo Interprete Latino, qui è Græco eas transtulit, in Collationes IX. fuisse

gobardorum Jus inter Romani Juris Libros non ſedem modò, atque locum invenit; verùm etiam eandem ſibi dignitatem, atque auctoritatem vindicavit. An verò privatum Hugolini ſtudium, ratum Fridericus II. habuerit, non ſatis conſtat (1): Illud intereà certum, quod Cujacius ipſe fatetur, ut *hoc quidem Jus, quod his Libris digeſtum eſt, aliæ Gentes, ſi qua in re propriis moribus deficiantur, libenter obſervant*: Addè etiam, quod noſtram tractationem conficiat, inanes deinceps doctiſſimorum Virorum, illuſtriumque Principum fuiſſe conatus, irritaque ſtudia, ut Jus ipſum concinniorem faciem indueret: Ceperat hoc conſilium An. 1428. Antonius *Minuccius* (non *Maricutius*) de Prato Vetere JCtus Bononienſis, ſcripſeratque auſpiciis, ut videtur, Imp. Sigiſmundi, *De Feudis* Libros ſex, quos à Sigiſmundo, & Friderico III. confirmatos affirmat Schilterus, qui hocce Minuccii opus è diuturnis tenebris in lucem optatam edidit (2). Nec aliud fuit inſtitutum *Bartholomæi Baraterii* Placentini, qui privatâ induſtriâ confecit Libellum Feudorum *reformatum*, quem anno 1442. Academiæ Papienſi commendavit, atque ex Bibliotheca Regum Franciæ, in quam eum Libellum cum reliqua Bibliotheca Papienſi Ludovicus XII. tranſtulerat, primus edidit Nicolaus Rigaltius, dein Jo. Phil. Schmidius (3). At *neuter Libellus* (ut Cl. Heineccii ſententiâ, ejuſque verbis rem omnem concludamus) JURIS FEUDALIS LONGOBARDICI LUMINIBUS OFFECIT (4).

Hactenus de Feudorum origine, ac Jure non ſolùm pro rei dignitate, verùm etiam pro ipſorum, qui ejuſdem rei auctores fuerunt, noſtrorum ſcilicet Longobardorum vindicanda laude diſſeruimus. Sequitur nunc, ut de Publicis Judiciis, Delictorumque vindicta, quas ipſi Leges Longobardi ſanciverunt, pari ſtudio attingamus. Nihil, aut certè parum in hoc poſterius argumentum è Regiis Legibus heic conferam; quandoquidem ampliſſimam nobis materiam noſtrorum Principum Conſtitutiones ſuppeditabunt; ex quibus etiam non omnia, ſed præclariora quædam, unde ipſorum in criminibus coercendis conſtans propoſitum, ardenſque ſtudium deprehendi queat, in medium afferemus. Primùm itaque, quid Princeps Arichis de Fratricidii Crimine ſtatuerit, ex ejus Capitularis num. 11. deſcribemus: *Si Germanus alterum Germanum oborta lite primum percuſſerit, poſteaque percuſſus dolore ſtimulatus, ſe defendendo, percuſſorem occiderit, hoc itaque cenſemus, ut juxta perſonæ interfecti qualitatem tale Fratricidium componatur*. Morem mediæ ætatis apud Gentes quaſlibet crimina quæcunque quantumvis atrocia pœnis pecuniariis plectendi, ſuperiori Capite obſervavimus; eorumque temporum rationibus accommodatum oſtendimus: Non igitur mirum, ſi pro Fratricidii crimine multaticiam pecuniam exigendam juſſerit Arichis, pro *qualitate interfecti* æſtimandam, quam *Guidrigild*, ſive *Widrigild* appellare tunc ſolebant: mirabimur potiùs, eam adhuc pœnam ab Arichi ſtatutam, etiamſi *defenſionis* cauſâ Fratricidium patratum eſſet; ut videas cauſſæ juſtitiam non tanti ab Arichi habitam, ut non etiam criminis atrocitati proſpectum vellet, à quo, ut ſubditi deterrerentur, impunitatem, quam mereri videbatur, ſubmovit.

Præ-

fuiſſe diſtributas. Hinc factum, ut Liber Feudorum, qui iiſdem *Novellis* acceſſit, publicique Juris auctoritatem habere cœpit, Decimæ Collationis titulum, ac dignitatem nactus ſit. Ejus appellationis auctorem Bartolum putavit, objurgavitque Molinæus in Conſuet. Pariſ. l. l. quod is in Leg. 17. §. *differentia* num. 4. Dig. *De æq. poſs.* Libros Feudorum *Decimæ Collationis* nomine laudaverit. Sed jamdiù id vocabulum Feudorum Libris inhæſerat, uti ex noſtro Odofredo, aliiſque JCtis, qui diù ante Bartolum floruerunt, ſatis conſtat: inhæſiſſe autem facile fuit ex auctoritate illa, quam non multò poſt editionem ſibi compararunt, cujus etiam teſtem habemus illuſtrem alterum Beneventanum J. C. Roffredum, qui ſub Friderico II. floruit, affirmans in ſuis *Quæſtionibus Sabbathinis*, Conſuetudines Feudales, his libris conſcriptas, *ſervari in Regno Apuliæ*.

(1) Injuriâ noſtrum Odofredum reprehendit idem Molinæus in Conſuet. Pariſ. tit. 8. num. 105. quod is in d. Auth. *Caſſa De Sacr. Eccl.* alios in errorem induxerit, ejus auctoritate affirmantes, Fridericum II. Libris Feudalibus vim Legis dediſſe, ejuſque juſſu in Libro V. collectas ab Ugolino Principum Conſtitutiones ad Feuda pertinentes, eumque Codicem ab eodem Friderico Bononienſi Academiæ ſubmiſſum, ut cum ceteris Juris Libris publicè explicaretur. Nihil horum tradidit Odofredus, qui id tantum ſcribit, à Friderico Bononienſibus Doctoribus demandatum, ut ſuas, aliaſque Principum Conſtitutiones, quibus Jus Romanum correctum erat, quemadmodum ab Irnerio de aliis factum fuerat, ita ipſi in Codice Juſtinianæo interferendas curarent: Id jam laudati Bononienſes præſtiterunt: propterea que vera nobis Odofredum tradidiſſe demonſtrant, tum d. Authentica *Caſſa*, excepta ex Conſtitutione ejuſdem Friderici *De Statut. & Conſuetud.*, tum Authentica *Sacramenta Puberum*. Cod. *Si adverſus vendit. &c.* hauſta ex Conſtitutione Friderici I. *de Pace tenenda*, tum Authentica *Habita*. Cod. *Ne Filius pro Patre &c.* derivata ex altera ejuſdem Friderici Conſtitutione *De Privilegiis Bonorum*, & alia plura, quæ obſervavit Pancirolus *in Theſaur. Vet. Lect.* lib. 1. cap. XC.

(2) Argentinæ an. 1695. in 4.

(3) Alter Pariſiis 1612.; alter Argentinæ 1695.

(4) Hiſtor. Jur. Roman. lib. 1. cap. VI. §. 424.

Præclariora autem ſunt, quæ de Plagii Crimine idem Princeps conſtituit n. XIII. his verbis: *Divinæ Legis auctoritas communans* ( leg. *comminans*, ſive *commonens* ) *teſtatur*: *Si quis in Captivitatem duxerit, in Captivitatem vadat. Hactenus adeò hec Patria crudelis limine perviciem* ( leg. *crudeliſſimam*, aut *crudelem nimis perniciem* ) *perpetitur, ut etiam transſmarinis paganitatis gentibus ejus habitatores indifferenter vendant. Propterea preſenti judicio ſententiam damus, ut ſi quis hominem furtiva arte, vel quolibet modo extra Provinciam vendiderit, ſic eum componat, ſicut his* ( ideſt *is* ) *qui infra* ( ideſt *intra Provinciam* ) *venundant; ita tamen, ut venditoris perſona ultra mare venundetur: Si verò pauperrimus fuerit, nichil habens, unde compoſitionem procedant, quod ſupereſt, perſona ejus, ut ſupra, trans mare venalis vadat.*

De *Plagii* crimine heic agi nemo non videt; cui tamen id perſuaſum nolim, aut novum videlicet, aut frequentiſſimum apud Longobardos fuiſſe ejuſmodi crimen, cui cohibendo, coercendoque adeò aſperam ſanctionem edidiſſe Arichis debuerit. Fuit olim à S. Gregorio Magno Longobardorum vitio, criminique datum, quod hoſtes bello captos, quanquam Chriſtianos, prædæ loco habuerint, nec niſi accepto pretio, libertate donaverint. Ita cum Crotoniatis actum Pontifex conqueritur, *ex qua* ( inquit ) *Civitate, quæ ſuper Adriaticum mare in terra Italiæ poſita transſacto anno à Longobardis capta eſt, multi Viri, & multæ Mulieres nobiles in prædam ductæ ſunt, & filii à parentibus, parentes à filiis, & conjuges à conjugibus diviſi, ex quibus aliqui jam redempti ſunt; ſed quia gravia pretia eis dicunt, multi apud nefandiſſimos Longobardos adhuc remanſerunt* (1). At hæc inter Longobardos tunc audiebantur, quum amplificandi Beneventani Ducatus paucis ante annis inſtituti recens ſtudium, ejuſque Gentis nondum ad mores humaniores condocefacta barbaries, Jus Belli ex patriis magis inſtitutis, quàm ex Chriſtiana Lege exercebant; quibus etiam non ſolùm ab aliis Chriſtianis Populis, ac Græcis præſertim, verùm etiam à finitimis Neapolitanis, ſimilia patrare conſuetis, exempla non deerant (2). Leve autem id crimen reputaveris, quo Chriſtianis hoſtibus bello captis, ſervatiſque Libertas pretio redimenda eſſet: gravius verò *Plagium*, quo quis hominem ingenuum, libertinumve celaverit invitum, aut vinctum habuerit, vendiderit, emeritve dolo malo: quod crimen, ut dixi, non omnium primi Longobardi, nec aliis uſitatiùs admiſerunt.

Quamvis de Nominis etymologia non ſatis conſtet (3), antiquiſſimum tamen *Plagii* crimen fuiſſe

(1) S. Greg. lib. VII. epiſt. XXVI., al. XXII. quæ data legitur Indictione XV. ideſt an. 579.

(2) Id liquet ex ejuſdem Gregorii Epiſtola XXXV., al. XXXVI. lib. VI. ad Anthemium R. E. Subdiaconum Neapoli conſtitutum, cui ad redemptionem captivorum hominum tum liberorum, tum ſervorum pecuniam mittens, mandat, ut in ea re diligentiſſimè ſe gerat. Porrò quum Gregorius gravi ſe mœrore affectum ſcribit *de his, quæ in partibus Campaniæ contigerunt*, ex quibus videlicet eorum hominum captivitas ſequuta erat, nec tamen explicat, ubi, & à quibus Captivi detinerentur, palam eſt, eos in poteſtate Neapolitanorum fuiſſe, qui quum Græcis ſubditi eſſent, non ſolùm cum Longobardis ( quorum Dux Arichis anno 592. obſidionem eorum Urbi admovit, ut ex ipſo Gregorio alibi obſervavimus ) verùm etiam cum aliis bella gerebant.

(3) Plagium ( inquit Voſſius ) dici legas apud Perottum, itemque in Calepino toties recocto, quòd *Plagii* convictus *plagis* damnaretur Lege Fabia &c. *Sed quod ſtrictè Perottus, & Calepinus de Plagio ajunt, unde id hauſerint, neſcio*. Sic Voſſius, qui potiùs Iſidorum audit, cui Plagium eſt à πλάγιος, quod propriè notat *obliquum*, metaphoricè autem pro *doloſo* ſumitur. Heinc doctiſſimus Facciolatus in ſuo novo Lexico, ſeu Calepino, veteris errorem, ſeù commentum evitans, Voſſii, atque Iſidori etymologiam ſibi adoptavit: Hanc etiam etymologiam probatam invenio à Briſſonio in *De V. S. Lib.* XVI. ſed & tutò amplexus quoq. fuit J. Vinc. Gravina in *De Legibus & S. C. c.* CVII. ajens *Plagium* à Græco πλάγιος dictum, *quod ſignificat* obliquus, in latus verſus, tranſverſus, *ut hujus natura criminis exprimatur, quod tota componitur à dolo, fraude, verſutia*. At ſi verum eſſet, crimina quæcumque, quæ numquam ſine dolo patrari ſolent, Plagia dicenda eſſent: quid verò ſi in ipſo Plagii crimine non dolus ſolus, ſed vis quoque adhiberi ſoleat? Nam vis certè ei infertur, qui invitus celatur, cuſtoditur, vinculiſque mancipatur, ut in ſervitutem abducendus vendatur. Itaque *Plagium*, ejuſque Criminis reos, ideſt *Plagiarios* ( quos etiam *Plagiatores* dixit novorum verborum faber Tertullianus *adv. Marcion. lib.* 1. *c.* 24 ) à *Plagis* dictos crediderim, non eâ quidem, qua Perottus, Calepinuſque ſignificatione, ſed ab iis maritimis ſtationibus, quæ apud vetuſtos Scriptores *Plagæ* dicebantur. Neque enim *Plagæ* vocabulum ( ut alias nunc ſignificationes prætercam ) ſpatium amplum Cœli, Terræve tantùm ſignificat, quod etiam dicitur *Tractus*, à πλάρ, æquor, planities; verumetiam Maritimam ſtationem, quò Naves appellere ſolent: Hinc Servius ad illud Virgilii Æn. II. v. 23. *Nunc tantum ſinus, & ſtatio mala fida carinis*: ſic inquit: *Sinus. Reductus litoris ſeceſſus: Statio, ubi ad tempus ſtant Naves. Portus verò, ubi hiemant. Statio eſt, quam Plagiam dicunt*: Nobis hodièque Italis *Piaggia*, ſeu *Spiaggia*. Servavit hanc vocabuli ſignificationem Media Ætas, uti pluribus exemplis docebit te Cangius in ſuo Gloſſario. Quod autem hùc attinet, ſi *Plagii* crimen illud eſt, quo homo ſive Ingenuus, ſive Libertinus, ſive Servus ſurripitur invitus, ut alteri vendatur, jam id quoque palam eſt, non ſolùm Principis Arichis tempore, ſed omni retro ævo fuiſſe uſitatiſſimum, ejuſdem hominem *trans mare*, ſive in *transſmarinas gentes* abducendi, ne ſi intra Provinciam venundaretur, ſuis is præſentibus querelis crimen detegeret, ſeque in libertatem vindicaret. Ad *Plagas* igitur, ſeù Stationes maritimas ducebatur, Peregrinis, ſive *transſmarinis* merca-

fuiſſe manifeſtum eſt, vel ex ipſis Sacris Libris, ubi divina Lex non tam ex ſui atrocitate, quàm ipſa frequentia capitale eſſe conſtituit (1): Quam Legem dum Apoſtolus Paulus ſcribit *poſitam eſſe ſceleſtis*, inter hos diſertè *Plagiarios* commemorat (2). In Romana autem Antiquitate nihil eodem crimine celebrius, cui coercendo Leges quamplurimas ferri oportuit. *Crimen Legis Corneliæ incurram* (inquit Apulejus), *ſi Civem Romanum pro Servo vendidero* (3). Lata deinde Lex Fabia fuit, cujus multò ante Digeſtorum, atque utriuſque Codicis Libros, apud Ciceronem mentio quoque eſt (4). Ac Lege quidem Cornelia in Plagiarios ſolis nummariis pœnis animadvertebatur, neque enim id crimen inter publica Judicia relatum erat; quod poſtea ob ſui frequentiam, Lege Fabia factum fuit: & ſanè Ulpianus *frequentem Legis Fabiæ cognitionem in Tribunalibus Præſidum fuiſſe* teſtatur, eamque cognitionem, uti de atroci Crimine, Romæ ad Præfectum Urbi, in Provinciis non ad Procuratores Cæſaris, ſed Præſides ipſos pertinere (5). Olim igitur ejuſdem Legis Fabiæ pœnam *nummariam* fuiſſe, Paulus ait (6), ſubdens id poſtea crimen extraordinariam meruiſſe animadverſionem, ideòque humiliores aut in metallum damnatos, aut in crucem ſublatos fuiſſe, honeſtiores, adempta dimidia parte bonorum, in perpetuum relegatos. Sed Capitale ejuſmodi Crimen ſancivit Imp. Diocletianus, ſi in Urbe patraretur, *ut pœnæ genere deterreri cæteri poſſent, quò minus vel ſervos, vel liberos ab Urbe diſtrahere auderent* (7): quam Capitis pœnam extendit Imp. Conſtantinus in eos, qui filios, viventibus parentibus, abducerent, jubens, ut ejuſmodi Plagiarii, qui olim pari cum ceteris Plagiariis metalli pœna *tenebantur* (uti legendum in ea Lege eſt, pro *terreantur*), in poſterum, ſi ſervus ſit, aut libertinus, *beſtiis ſubjiciatur, ingenuus autem gladio conſumatur* (8). Mitigandam denique *Plagii* pœnam, immo ad antiquum, primævumque jus redigendam ſtatuit Imp. Leo Novell. LXVI., ubi, poſteaquam acriter in Diocletiani Legem invehitur, qui Capitis pœnam primus ſanciverat, *dum graviore* (inquit), *quàm pro merito, delictum pœna feriri, ſub ſpecie juſtitiæ rem injuſtam aggredi eſt; atque non pro delicti modo delinquentem punire, injuria afficere, nequaquam verò juſtitiam exercere eſt*: eâdem Lege reſciſſâ, eum, qui alieni ſervi Plagiarius fuerit, *eundem ſervum, ejuſdemque pretium, tum etiam quicquid ex induſtria ejus ipſi acceſſit, & quantum Dominus, non amiſſo Servo, ejus nomine percipere potuerit, tantundem reddere* jubet. At quum Leo de Servis abductis tantummodo loquatur, ratam alioqui tum ejuſdem Diocletiani, tum Conſtantini Legem habuiſſe videtur, ſi de Plagio ageretur, quod in ingenuos, libertinoſve, aut filiosfamilias patrari contigiſſet.

Quid verò inter hæc noſter Arichis? Mediam ipſe viam tenuiſſe voluit, ſive inter nimiam pœnæ acerbitatem, atque lenitatem, temperamentum aliquod adhibere. Itaque quum adverſus Plagiarios Legem dicere ſibi propoſuiſſet, oculoſque ad Divinas potiùs, quàm Humanas Leges intendiſſet, ex illis quidem *Talionis* pœnam ſequi maluit, quàm *Capitale* id Crimen, uti in Exodo, Deuteronomioque habetur, conſtituere: Heinc illa ſpeciatim commemorans, exequendaque juxta literalem ſenſum ſibi ſtatuens, quæ in Apocalypſeos cap. XIII. 10. leguntur: *Qui in Captivitatem duxerit, in Captivitatem vadat*: *Talionis*, ut dixi pœnam, in vindicando Plagii Crimine, ſervandam ſancivit: qua quidem ſanctione, nec ipſe nimius fuiſſe Arichis cenſebitur, ſi ejus pœnæ natura, quique in ea repetenda ſervari modus conſuevit, diligentiùs ſpectetur.

In *Talionis* pœnâ, quam *reciprocam* in Juris Libris appellatam invenies (9), vindictæ

*pari-*

mercatoribus illùc perſæpè adventantibus venalis expoſitus; unde à loco, ubi crimen patrari perficique ſolebat, *Plagium* dictum, Plagiariique, qui admiſiſſent, vocati congruentiùs videntur; quam quidem Etymologiam prior utriuſque vocabuli *Plagæ*, ac *Plagii* ſyllaba, quæ æquè corripitur, veriorem demonſtrat.

(1) Exodi XXI. 16. *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, convictus noxæ morte moriatur*: Deuteron. XXIV. 7. *Si deprebenſus fuerit homo ſolicitans fratrem tuum de filiis Iſrael, & vendito eo acceperit pretium, interficiatur, & auferas malum de medio tui*. Verſio Hebraica, & LXX. Interpretes pro *ſolicitans*, habent *furans*, nempè, uti Tirinus obſervat, *vel aperta vi, vel dolo, vel promiſſis falſis pelliciens, ut ſe ei ſubjiciat, & ſequatur ad alienigenas, quibus eum tunc vendat*: *Jubet ergo bic* Plagiarium, *vel evidentia facti, vel in judicio convictum capite plecti*.

(2) Ad Timoth. ep. I.

(3) Metamorph. lib. VIII.

(4) In Orat. Pro Rabirio.

(5) Ulpianus De Offic. Pro Coſ. Vid. Legem 4. Cod. Juſtin. *Ad Legem Fabiam De Plagiariis*.

(6) Sententiarum lib. V. apud Auctorem Collectionis Legis Moſaicæ, & Romanæ tit. XIV. *De Plagiariis*: ubi *Summaria poena* in editis legitur, pro qua, *Nummaria*, legendum rectè monet poſt Pithœum Petrus Faber *Semeſtr. lib. II. cap. II*.

(7) Leg. 7. data ad Maximum P. V. Cod. Juſtian. *Ad Leg. Fab. de Plagiar.*

(8) Leg. ult. eod. Cod. & Tit.

(9) Leg. 7. Cod. Theodoſ. *De Accuſat*. Leg. 3. eod. Cod. *De exhibend. reis*.

*paritatem*, five *fimilitudinem* contineri jam conftat, *ut fcilicet taliter quis puniatur, ut fecit: hoc enim & Natura, & Lege eft inftitutum, ut lædentem fimilis vindicta fequatur* (1). Hanc Talionis pœnam Divina Lex (nondum enim ab ea difcedemus, quam Arichis præ oculis habuit) non folùm agnovit, fed & difertiffimis verbis, ac in omnibus delictis generatim indixit. Ita planè Moyfes: *Animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, aduftionem pro aduftione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore &c.* (2). Qui literam fequuntur, non ipfi tantùm Sadducæi olim, fed plerique quoque Interpretes nihil in ejus Legis fenfu, exequutioneque lenimenti, aut moderationis admittunt, eam, quæ in fimili alia Lege affertur, rationem attendentes, nullam fcilicet reo miferationem, aut indulgentiam impartiendam, ut audientes ceteri timorem habeant (3). Sic Jofephus tradit, integram permitti læfo poteftatem, ut pro illata fibi injuria ultionem reipfa profequatur, nec invitum cogi poffe, ut jus fuum remittat, acceptâ ab adverfario pecuniâ (4): Heinc cum Rabbinis non illud difcrimen idem Jofephus admittit, quod Philoni omninò placuit, docenti, temperandum ejus Legis rigorem, fi alteri, quàm ingenuo homini, injuria irrogata fit (5). Sed Judæi reliqui cum pluribus Chriftianis Commentariorum Scriptoribus, mitiori fenfu eam Legem intelligendam ajunt, quam non fine maximis incommodis fervari oporteret, adeòque pœnam, aut pecuniâ redimendam, aut in aliam pro culpæ modo commutandam Magiftratibus permittunt; quam in fententiam iviffe S. Auguftinum hæc ejus verba fatis demonftrant: *Injuftorum injuftitia eft, Lex par pari reddi permittens, non quia iniquum eft, ut recipiat unufquifque quod fecerit, fed quia ulcifcendi libido vitiofa eft* (6).

Nec fecus apud veteres Romanos de *Talionis* pœna, quæ à Lege XII. Tabularum conftituta erat, judicium, atque opinio fuit: quod pulcherrima illa Difceptatione inter Sex: Cæcilium JCtum, & Favorinum Philofophum, ab A. Gellio relata, demonftraffe fatiùs erit. Ac Favorinus quidem, inter alia, quæ Legum XII. Tabularum vitio vertebat, Legem illam *confiftere poffe* inficiabatur, his verbis conceptam: *Si membrum rupit, ni cum eo pacit, Talio efto*. Nam (uti objiciebat) præter ulcifcendi acerbitatem, ne procedere quoque exequutio jufta Talionis poterat; nam cui membrum ab alio ruptum eft, fi ipfe itidem rumpere per Talionem velit, æquilibrium omnino fervare debet; nequaquam enim reus patietur, aut altiùs fe lædi, aut latiùs; quod cujufmodi librâ, atque menfurâ caveri poffit, nemo reperiat: quin etiam fi plus erit, aliterque commiffum, res fiet ridiculæ atrocitatis, *ut contraria actio mutuæ Talionis oriatur, & adolefcat infinita quædam reciprocatio Talionum*: Ad quæ Cæcilius fatis fcitè, eleganterque: Decemviros minuere, atque extinguere volentes hujufmodi injurias, ejus pœnæ metu coercendos homines putaffe; arbitratos etiam adverfus eum, qui membrum rupiffet, & pacifci tamen de Talione redimenda nollet, Talionem non ita demum exequendam, ut adamuffim æquiparari, aut in librili perpendi deberet: *Sed quoniam* (fubdit) *acerbum quoque effe hoc genus poenæ putas, quæ, obfecro te, ifta acerbitas eft, fi idem fiat in te, quod tu in alio feceris; præfertim quum habeas facultatem pacifcendi; & non neceffe fit pati Talionem, nifi tu eam elegeris: quod Edictum autem Prætorium de æftimandis injuriis probabilius effe poteft? Nolo hoc ignores, hanc quoque ipfam rationem ad æftimationem Judicis redigi neceffariò folitam .... atque ita fi reo & pactio gravis, & acerba ultio vifa fuerat, feveritas Legis ad pecuniæ multam redibat* (7).

Quæ quum ita fint, nihil profectò acerbitatis in *Arichis* Lege reprehendere licebit; præfertim quum Ciftiberina Italia tunc temporis, ideft Beneventanus Principatus Plagii crimine *non fine crudeliffima pernicie* perturbaretur. Statuit itaque Arichis, ut *fi quis hominem furtiva arte, vel quolibet modo extra Provinciam vendiderit*, ejus hominis æftimationem folveret, *ficut is, qui intra Provinciam vendiderit*. Parem igitur pœnam Plagiario utrique indicit, tum ei videlicet, qui hominem *intra*, tum ei, qui *extra* Provinciam, ideft Principatum venumdederit: Sed quia atrocius illud Plagium erat, quo quis extra Principatum vendebatur, ad hoftes fcilicet barbaros, infideles, feu (uti ipfe Arichis ait) *ad tranfmarinas paganitatis gentes* abducendus, ubi miferrimam fervitutem fubire deberet, undeque in libertatem difficiliùs revocare fe poffet, æquum profectò fuit, ut ejufmodi Plagiarios duriore pœna afficeret, ac *Talioni* (quò etiam ceteri ab eo patrando Crimine deterre-



(1) S. Ifidorus lib. V. cap. 27. Feftus: *Talionis mentionem fieri in* XII. *Tabulis, ait Verrius hoc modo*: Si membrum rupferit, ni cum eo pacit, Talio efto: *Permittit Lex parem vindictam*.

(2) Exodi XXI. 23.

(3) Deuteronom. XIX. 18.

(4) Antiqu. Judaic. lib. IV. cap. VIII.

(5) Philo *De Legibus*.

(6) Enarration. in Pfal. CVIII.

(7) A. Gellius Noct. Attic. lib. XX. cap. I.

terrerentur ) obnoxius maneret: Dum verò is Plagiarius, qui intra Provinciam hominem vendiderit, *pauperrimus fuerit, nihil habens, unde compositione procedant*, ideſt æſtimationem ſolvere poſſet, tunc *quod supereſt, perſona ejus, ut ſupra, trans mare venalis vadat*; ideſt, ne ex paupertate ſua emolumentum, atque ex bonorum inopia impunitatem referret, eâdem eſſe conditione debebat, ac ſi extra Provinciam vendidiſſet, Talionis propterea damnandus.

Ante Arichim non ſiluere Longobardicæ Leges de Plagii Crimine: Nam Rex Liutprandus in Edicti ſui lib. v. cap. XIX. ita ſtatuiſſe legitur: *Si quis liberum hominem foris Provinciam vendiderit, & probatum fuerit, componat Guidrigild ejus* ( ideſt ejus æſtimationem ſolvat ) *tanquam ſi eum occidiſſet*: Hæc de libero homine; de ſervo autem hæc Capite ſequenti ſubdit idem Liutprandus: *Si quis Servum alienum foris Provinciam vendiderit, & probatum fuerit, in quadruplum componat, ſicut appretiata fuerit ipſa perſona*. Ac latet quidem ratio, ſeu cauſa, cur Liutprandus pluris Servum feciſſe, quàm liberum hominem videatur, ſive flagitioſiores Servorum, quàm liberorum hominum Plagiarios judicaverit, hos in ſimplum, ſive ſola perſonæ æſtimatione damnaſſe contentus, illos autem ad eandem æſtimationem in quadruplum perſolvendam compellens: niſi dixerimus, pœnam quodammodo æquare voluiſſe ex perſonarum qualitate, quarum, qui Servi erant, multò minorem, quàm Liberi, æſtimationem recipiebant. Sed nec Liutprandus rationem ullam ejuſdem Criminis tenuiſſe videtur, ſi *intra Provinciam* patratum eſſet, ut propterea impune tunc ſub Longobardis Regibus fuiſſe videatur. At univerſæ rei Arichis opportunè proſpexit, atque utroſque Plagiarios congruis pœnis eſt perſequutus.

Poſt Arichim verò adhuc adverſus Plagiarios Beneventanus Princeps Sicardus ſanctionem ſuam tulit in eo Capitulari, quod An. DCCCXXXVI. cum Neapolitanis conſtituit. Is igitur poſt diutinum bellum Pacem ad quinquennium Neapolitanis concedens, inter alia plura, quæ iis ſervanda ſancivit, hæc habet num. II. *Hoc ſtetit, ut Longobardum nullatenus comparetis, nec ſuper mare venundetis; quod ſi factum fuerit, ipſa perſona nobis tradatur, qui comparavit, cum illo, quem comparavit, ut ſimul qui comparavit, quàm etiam qui venundavit, ambo nobis tradantur; & ſi non hec dilatio pervenerit, componat ſolidos centum, & ſupradicte perſone tradantur, & ſi ſuper mare venditi fuerint, componat ſolidos ducentos, qui hoc malum fecerit* (1). Nihil de *Talione* in hac Sicardi ſanctione ſtatutum fuit; Reorum duntaxat traditio ( qui fortaſſe ſervituti addicendi erant ), & Multa imperata. Itaque ſi Neapolitanus Longobardum comparaverit ( ideſt *emerit*, unde ortum poſtea nobis Italicum verbum *comprare* ), ut *ſuper mare*, ideſt peregrinis, ſive *tranſmarinis* gentibus venderet, non ſolùm Neapolitanus ipſe comparator, ſed is quoque, à quo comparaverit, ſive Longobardus ſit, ſive alius quicunque, tum ſcilicet emptor, tum venditor tradi jubentur in Beneventani Principis poteſtatem, inter Palatii ſervos conſcribendi: Ad hæc Multæ nomine ab ipſo Neapolitano ſolidi centum, ſi Longobardum, quem comparavit, tradat, ideſt libertati reſtituat, ſi verò jam vendiderit, ut tradere nequeat, ſolidi ducenti perſolvi jubentur. Cur verò adverſus Neapolitanos eam rem ſpeciatim ſibi cavere Sicardus voluerit, ratio in promptu eſt: Frequentiſſimum, ac ſuis veluti moribus receptum Græcis per ea tempora fuit Plagii Crimen; dum in quaſque Gentes exteras, ejuſdem licet Chriſtianæ Religionis conſortes, paſſim prædatum ibant, non res tantùm, ſed perſonas ſimul ſurrepturi, quas vel pro Servis ſibi habebant, vel eodem nomine aliis vendebant. Audi Erchempertum hoc, inter alia, conſuetum flagitii genus Græcis vehementiùs exprobrantem: *Achivi, ut habitudine ſimiles ſunt, ita animo æquales ſunt beſtiis; vocabulo Chriſtiani, ſed moribus triſtiores Agarenis: Hi videlicet per ſe Fidelium omnes prædabant, & à Saracenis emebant; & ex his alios venales Oceani litora farciebant, alios verò in famulos, & famulas reſervabant* (2): Quid ni igitur Neapolitani, qui Græcis ſubditi, Græcos mores cum ipſo genere ducebant, finitimoſque Longobardos hoſtium loco habebant, ab eo fœto ſibi crimine, ea Principis Sicardi ſanctione, durioribuſque in poſterum indictis pœnis fuerunt compeſcendi? Sed de Plagii Crimine jam ſatis.

Plagiarios *Fures* ſequuntur, quorum etſi Crimen minus atrox cenſetur, quod hi aliena bona, illi ( quod iniquius eſt ) Perſonam ſurripiant; ſatis rigidè tamen in ipſos Fures animadvertendum Longobardi legibus ſuis voluere. Atque ut aliquid ex Regiis legibus hùc

(1) In Capitulari Principis Sicardi n. III. tom. III. pag. 205. opp. Peregrinii edit. Neap. 1751.

(2) Erchempertus Hiſt. cap. LXXXI.

hùc afferam, sancitum à Rege Rothari fuit, ut *si quis liber homo furtum fecerit, & in ipso furto tentus fuerit, ideſt fingendi, si furtum ipsum usque ad decem Siliquas fuerit, sibi novum reddat, & componat pro tali culpa* LXXX. *solidos, aut animæ suæ incurrat periculum* (1). Paria deinde de Servo idem statuit Rotharis his verbis: *Si servus furtum fecerit, & tentus fuerit in ipso furto usque ad decem Siliquas, sibi novum reddat, & componat solidos* XL., *aut certè occidatur*. Itaque si multæ quantitatem excipias, quæ major, ideſt solidorum LXXX. à libero homine, minor, ideſt dimidia à Servo præstanda erat, par utrumque Capitalis pœna manebat, si solvendo non essent: nam idem in Rotharis Edicto est, *occidi*, atque *animæ periculum incurrere*, uti patet ex ejus legibus, de Majestatis Crimine in ejusdem Edicti principio promulgatis, ubi *si quis contra animam Regis cogitaverit, vel consiliatus fuerit, animæ suæ incurrere periculum, & res ejus infiscari jubentur*. At si quis *Siliquas* duntaxat decem furatus sit (ideſt dimidiam partem solidi aurei (2)), atque in ipso furto tentus fuerit, ideſt furtum manifestum extiterit, ipseque Fur *manifestarius*, uti Plautus vocat, vel uti sequior ætas, *furtum ipsum in manibus*, aut *inter manus habens*, deprehenderetur, solidorum LXXX. si liber, XL. verò si servus, multam subire debebat. Quantum verò severitatis, immo sævitiæ in eo fuit, quod solvendæ ejus multæ impotes, Capitis damnarentur? Nisi putes, ob solum metum eam pœnam adjectam, quam certè Reus, vel ipsi læso se servum addicens, vel cuique alteri, accepto pretio ad multæ solutionem necessario, libertatem suam vendens (quod Ævo illo passim fieri solebat) redimere facilè poterat. Non illud autem novum, ut furti Crimen ultimo supplicio plecteretur. Draco Atheniensium Legislator cruentus omnia genera furtorum Capite punienda sancivit; quam Legem temperavit Solon, qui furtum ad drachmas L. duplione multavit, & carcere; supra verò eam quantitatem, XI. virorum arbitrio augendam pœnam reliquit; cum verò, qui noctu, vel in balneo, vel in gymnasio furaretur, tunc demum Capite puniendum constituit (3). Fur nocturnus si occidatur, *jure cæsum esse*, diurnus verò, sive *interdiarius*, si se telo defenderit, impunè interfectum Leges XII. Tabularum statuerunt. *Hoc autem* (inquit S. Augustinus) *in antiquis Legibus sæcularibus invenitur, impunè scilicet occidi nocturnum furem quoquo modo; diurnum autem, si se telo defenderit, jam enim plus est, quam fur* (4). Etiam Divina Lege cautum fuit, ut nocturnum furem necari, quoscunque autem fures, *si non habuerint, quod pro furto redderent, venundari* fas esset (5): Sunt, qui eadem Divina Lege furtum extremo supplicio vindicatum aliquando putant (6).

Hæc autem, quæ de furti pœna ex aliarum Gentium Legibus, moribusque summatim observavimus, vix tandem Rotharis Legem probabilem nobis efficient, si furti valorem tenuissimum ingenti multâ punitum, multæ autem vice cædem furis imperatam spectemus: Eam quidem Legem inter illa referas, quæ Regi Grimoaldo *dura, & iniqua* in Rotharis Edicto visa fuere, sibique *corrigenda, & revocanda* existimavit (7): nihil tamen de Furibus in ejusdem Grimoaldi Legibus: Est verò, quod Rex Liutprandus sancivit, eodem, quo cœperat Grimoaldus, consilio, ea, quæ in Rotharis Edicto *minus congrua* videbantur,



(1) In Codice Leg. Longob. T. II. P. I. Script. Ital. Muratorii pag. 37. cap. 208. & seq. In hac autem Rotharis Lege verba illa: *ideſt fingendi*: omninò mendosa sunt, pro quibus, testante Muratorio, Codex Estensis mendosiora hæc habet: *ideſt fegangi*: alter Codex: *ideſt Figangus*. Tu, me arbitro, tutò legas: *fugiendi*: ut scilicet fur in furto ipso tentus, seu deprehensus, non habuerit *potestatem fugiendi*: idque in ea Lege omnino scriptum habebatur, verbis aliquot partim ab amanuense omissis, partim corruptis. Quid verò sit illud: *sibi novum reddat*: haud facilè intelligemus, nisi pro *novum* legerimus *nonum*: ut scilicet Fur *sibi*, ideſt *ei*, cui furtum fecerit, *nonuplum*, præter multam Fisco, seu Judici præstandam, reddere cogeretur: sic in aliis ejusdem Rotharis Legibus, ubi *novum* reddi editus Codex habet, Codex Estensis *nonum* semper præfert, uti notat Muratorius ad Legem CCLI. Hùc etiam spectat, quod in Lege CCLII. idem Rotharis statuit, ut is, qui Pignus injustè ceperit, reddere ipsum Pignus Domino cum *Octogild* jubeatur; ideſt præter ipsum Pignus *octuplum* præstare deberet, itaut cum ipso Pignore jam *Nonuplum* sit: quod si Muratorius ipse animadvertisset, non ibi affirmasset, idem videri *Octogil*, ac *Nonum*, sive *Novum*, etenim *Octogild* omnino est *octuplum*, quod cum ipsa re, quæ reddi debet, ad *Nonuplum* progreditur.

(2) Siliqua S. Isidoro Lib. 10. c.24. *vigesima pars solidi* est, eamque vocatam ait *ab arboris* semine, de qua vide Lexicographos. At solidum siliquis vigintiquatuor appendi consuetum ævo suo docet S. Gregorius M. L. IX. ep. 38. al. 37. ibique observant eruditi editores Benedictini; qui etiam ad Epist. 33. Libri III. uberiùs de solido aureo, à Gregorio sæpius memorato, ejusque partibus commentantur.

(3) A. Gellius Noct. Att. Lib. X. cap. XVIII. Diodorus Siculus Lib. I. Pollux Lib. IV. cap. 6. Videsis Petit. ad Leges Att. Lib. VII. Tit. V.

(4) S. Augustinus, relatus in Cap. III. extr. De Homicid. volunt. & casual.

(5) Exodi cap. XXXII. 2.

(6) Vide Calmet in Dictionario S. Scripturæ V. *Fur*, & *Furtum*.

(7) In Procemio Legum Regis Grimoaldi.

tur, *ſubtrahere*, ac *minuere* proſequutus. Liutprandus itaque hanc adverſus Fures ſanctionem promulgavit: *De Furibus unuſquiſque Judex in ſua Civitate faciat carcerem ſub terra, & cum inventus fuerit cum ipſo furto, componat, & comprehendat eum, & mittat in ipſo carcere ad annos duos, vel tres, & poſtea dimittat eum ſanum: Et ſi talis perſona fuerit, ut non habeat, unde ipſum furtum componere debeat, Judex debet eum dare in manibus illius, cui furtum fecerit; & ipſe de eo faciat quod voluerit. Et ſi poſtea ipſe iterum in furto tentus fuerit, decalvet eum, & cadat per diſciplinam, ſicut decet Furem, & ponat in eo Signum in fronte, & in facie: Et ſi nec emendare voluerit, & poſt ipſas diſtrictiones in furto tentus fuerit, vendat eum foris Provinciam, & habeat ſibi pretium ipſius* (1). Nihil igitur ſanguinis, ſive cædis in Fures Liutprando ſancire placuit, qui tamen plura notatu digna, nobiſque curſim obſervanda ſuppeditat.

Ac primùm, carcerem, quò Fur conjiciendus eſſet, *ſub terra* fieri, ſivè conſtrui Liutprandus jubet. Hoc carceris genus æquè *Latomiam*, ac *Tullianum* rectè appellaveris: Prius vocabulum *Lapicidinam* propriè ſignificat, ad eum tamen carcerem ſpeciatim indicandum, derivatam, quem Dionyſius Rex Siciliæ Syracuſis extruxit, *opus* (ut Cicero deſcribit) *ingens, magnificum, Regum, ac Tyrannorum, totum ex ſaxo in mirandam altitudinem depreſſo, & multorum operis penitus exciſo, nihil tam clauſum ad exitus, nihil tam ſeptum undique, nihil tam tutum ad cuſtodias, nec fieri, nec cogitari poteſt: In has Latomias ſi qui publicè cuſtodiendi ſunt, etiam ex exteris oppidis Siciliæ deduci imperantur* (2): Romani verò carceris pars, quæ ſub terra erat, *Tullianum* dicebatur, *ideo quod additum* (ut Varro docet) *à Tullio Rege, quod Syracuſis, ubi ſimili de cauſa cuſtodiuntur, dicuntur Latomiæ* (3): Porrò Anco Martio regnante, ad terrorem increſcentis audaciæ, Carcerem Foro imminentem media Urbe ædificatum refert Livius lib. I., cui poſtea Tullius ſubterraneam partem addidit, quam & Tullianum, & Latomiam pariter, ſive *quod ibi quoque Lapicidinæ fuerint*, ut idem Varro ſubdit, ſive à Syracuſano carcere jam ſatis tum celebri, accepto vocabulo, dictum demonſtrat non uno loco laudatus Livius (4). Subterraneum igitur carcerem Furibus coercendis Liutprandus conſtitutum voluit; quem locum etſi ad continendos homines, non ad puniendos haberi debere ſcribat Ulpianus (5), etiam ad pœnam plerumque adhibitum omnino ſcimus (6): Nec mediocrem quidem pœnam ipſis Furibus Liutprandus indixit, ſive diuturnam *duorum*, vel *trium* annorum detentionem ſpectes, ſive loci qualitatem, quo non modò nihil *tam clauſum, ſeptum, tutum*, ut de Latomiis Cicero ajebat, verùm & nihil tetrius, atque ſqualidius fieri, nec cogitari poteſt.

Prædicta ad publicam Criminis vindictam pertinent: De privato autem jure ejus, qui Furtum paſſus ſit, ita cavit Liutprandus, *ut ſi Fur non habeat, unde ipſum furtum componere debeat, Judex debet eum dare in manibus illius, cui furtum fecerit, & ipſe de eo faciat, quod voluerit*. Hoc igitur Rotharis Legi lenimentum Liutprandus attulit, ut furem non mortis ſupplicio, ſed læſi dominio addiceret; qua in re nihil inſolenter, aut acerbè ſancitum videri debet: Hoc enim & creditoribus olim adverſus debitores ſolvendo impares jus fuit: ſic Vidua illa apud Eliſæum queſta, venturum mox defuncti viri creditorem, ut ambos ejus filios in ſervitutem raperet, opem à Propheta promeruit, qui olei modicum, quod illa domi ſervabat, ita affluere fecit, ut æri alieno ſolvendo ſupereſſet (7): Sic etiam in Evangelio obæratus ille, mille talentis ſolvendis impar, in creditoris ſervitutem una cum uxore, & filiis ductus eſt (8): Eò igitur magis ea res locum habere debuit in iis implendis obligationibus, *quæ ex delicto naſcebantur*. Quare & ipſa Divina Lege ſtatutum ſuperiùs obſervavimus, Furem, *non habentem, quod pro furto redderet, venundandum*: quod idem eſt, ac eum ſervitutis damnare, itaut is, cui furtum factum eſſet, vel illum

(1) Inter Leges Liutprandi Lib. VI. cap. XXVI. p. 66. d. T. II. P. I. Scriptor. Ital.

(2) Cicero in Verr. V. cap. 27.

(3) Varro de Ling. Lat. Lib. IV. cap. 32.

(4) Livius Lib. XXII. c. 26. *Triumviri Carceris Latomiarum interiorem cuſtodiam habere juſſi*, & Lib. XXXVII. cap. 3. *Principes Ætolorum Romam deducti, & in Latomias conjecti ſunt.*

(5) Leg. 8. §. ſolent. Dig. De Pœnis.

(6) Probari poteſt ex eodem Ulpiani loco, ub is ait, *ſolere Præſides in Carcere continendos damnare, ut in vinculis contineantur*: uti quoque idem Ulpianus *Carceris poenam* ab Imp. Antonino Pio dictam refert in Leg. 4. Dig. *De Cuſt. & exhibit*: Reor. Carcerem perpetuum pœnæ loco apud Romanos fuiſſe probatur pluribus exemplis, ex quibus C. Vatinius ea pœna à Senatu affectus fuit, quod ſiniſtræ manus digitos, ne Bello Italico militare cogeretur, ſibi amputaſſet, ut narrat Valer. Maximus Lib. VI. c. 3. Plato tres Carceris ſpecies in Lib. X. de Legibus ſtatuendas voluit, ideſt *cuſtodiæ, correctionis, & ſupplicii.*

(7) Reg. Lib. IV. 4. I.

(8) Matthæi XVIII. 25.

illum in suo dominio retineret, vel alteri, pretio sibi accepto, vendendi facultatem haberet; ita enim intelligenda sunt illa Liutprandi verba, ut traditus Fur *in manibus illius, cui furtum factum fuerit, ipse de eo faciat, quod voluerit*, incolumi scilicet vita, amissa tantùm libertate.

Pergit Liutprandus eadem Lege de iisdem statuere Furibus, qui delictum iterarint: atque si iterum, ac tertiò in furto deprehensi fuerint, quibusdam veluti graviorum poenarum gradibus in illos animadvertendum jubet: Heinc pro secundo furto, *decalvandum furem, cadendumque per disciplinam*, ac praeterea *Signum in ejus fronte, ac facie ponendum*: pro tertio autem furto *foris Provinciam vendendum* sancivit. Furi igitur, qui in secundo furto tentus fuerit, omnia servorum supplicia, ignominiaeque subeundae erant, ideft *decalvatio, verbera, stigmata* (1). Servis quidem fugitivis stigmata, notae, signa, puncta scribi, inurique consuevisse innumera sunt, quae doceant, veterum testimonia (2); à quibus etiam ejusmodi servos *litteratos, stigmaticos*, sive *stigmatias* appellatos legimus (3). Praeter servos autem fugitivos quicunque Calumniae convictus esset, ex incertae aetatis Lege Memmia, seu Remnia, literam K fronti inustam gerere debebat, quâ *Kalumniator* (uti veteres ex Terentii, Scauri, Velii Longi, Diomedis Orthographia liquet, Calumniam scribebant) perpetuam, manifestamque Criminis sui poenam praeseferret (4): Heinc illa Papiniani facilè intelligemus, qui quum Calumniae damnatos testimonium in Judicio publico, Lege Remnia non prohiberi animadvertisset, *ad Judicantium tamen officium pertinere* ait, *ejus quoque testimonii fidem, quod integrae frontis homo dixerit, perpendere* (5): nam ille Papiniano *integrae frontis* homo heic est, qui nullatenus corruptam, atque infami cicatrice signatam ferret. Denique quicunque ad metallum ob crimen quodcunque, eo supplicio dignus damnaretur, eidem notam, seù stigma in fronte, peculiare veluti promeritae poenae indicium, inuri consuevisse, manifestum est ex Imp. Constantini Lege, qui stigmatis inustionem probavit, inustionis tamen locum interdixit: *Si quis* (ait) *in metallum fuerit pro Criminum deprehensorum qualitate damnatus, minimè in ejus facie scribatur; cùm & in manibus, & in suris possit poena damnationis una inscriptione comprehendi: quò Facies, quae ad similitudinem pulchritudinis est coelestis figurata, minimè maculetur* (6): Hanc Constantini Legem attendisse videntur Impp. Arcadius, & Honorius, qui *stigmata*, sive *notas publicas Fabricensium* non in facie quidem, sed in brachiis *ad imitationem Tyronum, ut hoc modo saltem possent latitantes agnosci*, infligendas jusserunt (7). At Furi, qui iteratò deliquisset, ipsam frontem, seu faciem signo inurendam Liutprandus maluit, ut vel sic alii hominem furandi solitum pernoscerent, ab eoque sibi praecaverent; Fur verò ipse inexpiabili literarum nota per summam oris contumeliam inustus à patrandò deinceps crimine deterreretur: Quòd si tertiò in furto deprehensus esset, velut suorum Civium hostis, quorum bonis assiduè insidiaretur, ab eorum societate eliminandus, atque *foris Provinciam* vendendus jubetur, sub exterarum scilicet, barbararumque gentium dominio perpetuam, durissimamque servitutem toleraturus.

Hacte-

(1) Sic Petronius in *Satyr.* Servos intellexit, dum scribit: *Dicta in Calvos, Stigmaticosque jaculari &c.*

(2) Cicero Offic. II. c. 7. *Thracem compunctum notis Threiciis* dixit. Plinius in Panegyr. *Exanguem, & ferream frontem, nequicquam convulnerandam praebeant punctis, & notas suas videant*. Val. Max. Lib. VI. c. 8. *Servus ab eo vinculorum poena coercitus, inexpiabilique literarum nota per summam oris contumeliam inustus*. Quintilianus Lib. VI. c. 4. *Si quis fugitivo stigma scripserit &c.*

(3) Ita post Plautum Jul. Pollux in Onomast. L. 3. ac Petronius superiùs laudatus. *Stigmatiam* graeca declinatione usurpavit Cicero De Offic. Lib. II. c. 7. ubi Alexandrum Pheraeum miserum dixit, *qui fideliorem, & barbarum*, & stigmatiam *putaret, quàm propriam conjugem*: Eundem autem Barbarum, notis *Threiciis compunctum* paullò ante dixerat, non quò (inquit Turnebus ad d. locum) *eum servum intelligeremus, sed in immani Barbarie natum*. Thraces enim, ut aliae quaedam Barbarae Nationes se stigmatibus notabant, seu notis compungebant, teste Strabone Lib. IV. Dione Chrysost. Orat. I. *De servitute*. Phanocles etiam canit, irrogatam in Thracia à viris esse poenam mulieribus corporis notis pungendi ob Orphei necem, ut sceleris *recordarentur*. Dio Cass. Hist. Lib. XLVII. *Servus quidam* Στιγματίας, compunctus notis, *non modo non prodidit Dominum, qui notas inusserat, sed & magno studio conservavit*.

(4) Valerius Max. Lib. III. c. 7. hanc Legem vocat *Memmiam*; quam lectionem etiam editiones pleraeque Ciceronis in Orat. pro Sex. Roscio c. XIX praeferunt; quum tamen in MS. Codicibus constanter legatur *Remnia*: quo nomine etiam appellavit Papinianus, quem inferiùs laudabimus. Porrò ex dicta Ciceronis Orat. c. XX. non obscurè colligitur, poenam calumniatoribus a Lege *Remnia* indictam, stigma fuisse fronti inustum; sic enim ille: *Sin autem sic agatis, ut arguatis aliquem, Patrem occidisse, nec dicere possitis, aut quare, aut quomodo, aut tantummodo sine suspicione latrabitis; Crura quidem vobis nemo suffringet: sed si ego hos bene novi, Literam illam, cui vos usque eo inimici estis, ut etiam eos omnes oderitis, ita vehementer ad caput vobis affingent, ut postea neminem alium, nisi fortunas vestras accusare possitis*.

(5) Papinianus in Lib. I. *de Adulteriis* relatus in Leg. 13. Dig. *De Testibus*.

(6) Leg. 17. Cod. Justin. *De Poenis*.

(7) Leg. 4. Cod. Theodos. *De Fabricensibus*.

Hactenus de Legibus Regiis. Fuit autem, quod Principes quoque nostri de Furibus edixerunt. Primùm itaque audiri meretur Princeps Arichis in ea Sophianæ Donationis Charta pluries nobis memorata, ubi inter alia, *concessimus* (inquit) *etiam dicto Monasterio S. Sophiæ substantiam, quæ fuit Gayderisi, filii Joannis, quam Legibus per culpam suam perdidit, eo quod contra animam nostram consiliatus est, & furatus est nobis decem millia solidos, de quibus nec unus comparuit; & pro his duobus perfidis offensis omnis ejus substantia ad nostræ potestatis manum pervenit; ideo dum Legibus ad nos pertinuit, prædicto Monasterio S. Sophiæ in integrum concessi possidendum, Servos, & ancillas, & universas Curtes, Casas, Campos, vineas, territoria, sylvas, prata, mobilia, & immobilia quæcumque habere nominatus Gayderisius visus fuit*. Duplici Crimine obstrictum Gayderisium ait Arichis, *Majestatis*, & *Furti*; geminoque eo nomine universa illius bona Fisco suo adjudicata affirmat; itaut incertum maneat, an quæ ex *Majestatis* Crimine sancita erat, *Furtum* quoque Bonorum publicatio sequeretur. Sed certum pariter in solo *Furto* id pœnæ genus admissum fuisse, docebit Arichis idem, qui paullò inferiùs eidem Donationi addit *substantiam Theusprandi, & Joannis, & Farolsi in rota, quam propter furtum solidos sex millia, quos nobis furati sunt, unde non plus, quàm quatuor millia recollegimus solidos, & Legibus omnes res eorum ad nostram pervenerunt potestatem, nostra quidem potestas ipsum locum in rota S. Sophiæ Monasterio concessimus possidendum*. In Legibus Longobardorum Regum superiùs memoratis nihil de Bonorum publicatione, sed de Multa tantùm, aliisque suppliciis adversus Fures sancitum legimus: quum verò Arichis *omnem substantiam* eorum hominum, qui ingentem illam solidorum quantitatem sibi furati fuerant, *ad suam potestatem Legibus pervenisse* affirmat, alterutrum putare possumus, aut Legum illarum auctorem ipsum fuisse Arichim, aut potius Furtum, quod in Principis bonis, pecuniisque patratum fuisset, inter *Majestatis* Crimina locum habuisse, ut propterea Bonorum publicatione puniretur. Interim, in posteriore Furto solidorum sex millium, se *quatuor* tantùm *millia recollegisse*, idest recuperasse Arichis fatetur; de aliis verò solidis decem millibus, qui antea subrepti sibi fuerant, *nec unus* (inquit) *comparuit*; quibus verbis se ingentem illam pecuniæ jacturam ægriusculè tulisse ostendit; sed & illud simul ostendit, primam animo suo semper fuisse Pietatem, ac Christiano Principe dignam munificentiam; nam qui ex Furis *substantia*, quam satis copiosam superiùs spectavimus, indemnem præstare seipsum potuit, maluit tamen eam in Monasterii Sophiani emolumentum, atque in piam causam convertere.

De Furibus speciatim quoque Princeps Sicardus legem tulit in suo Capitulari, superiùs memorato, ubi sic legitur num. x. *Si quisquam homo super furtum* (idest in flagranti Crimine) *inventus fuerit, & non dederit manum ad prendendum se, & mortuus fuerit, non requiratur; tamen tres personæ de loco, ubi factum fuerit, quales quæsierint parentes, aut patronus mortui, dent Sacramentum, quia mortuus ille in furto inventus est, & non dedit manum ad ligandum, & amplius non queratur, minus nec homicida ipse tradatur: Quod si vivus deprehensus fuerit ipse Fur, in hoc modo sicut superiùs legitur, tres personæ præbeant Sacramentum, quia super furtum deprehensus est, & de præsenti tollantur ei oculi, & post datam* (idest exequutioni mandatam) *sententiam recipiant eum Parentes, aut Dominus ejus*. Impunè igitur manifestum furem in ipso furto deprehensum occidi permittit Sicardus, si is prehendenti se, sivè vinculis mancipanti restiterit: quod Legibus XII. Tabularum consentaneum videtur, quæ diurni furis telo se defendentis necem nequaquam vindicandam voluerunt: Illud verò acerbius, ac fortasse ejus, qui *Tyrannus* dictus fuit, cruenti Principis ingenio dignum, ut aliis quibusque pœnis, anteà in Fures statutis, posthabitis, illorum oculos effodiendos maluerit: Sed ante Sicardum id pœnæ genus auditum fuit in Legibus Longobardicis, atque, quod mirum videri debet, à Carolo Magno conditis, & superiorum Regum Longobardicorum Edicto adjectis; sic itaque in ipsius Caroli Lege XLIV. habetur: *De Latronibus ita præcipimus observandum, ut pro prima culpa non moriatur, sed oculum perdat, de secunda nasus ei scapellatur* (idest abscindatur), *de tertia verò, si se non emendaverit, moriatur*. Eadem iterat in Lege LXXXV., cujus lectio ex MS. Codice Estensi hæc est: *Si quis Latro de uno furto probatus fuerit, oculum unum perdat; & si de duobus furtis probatus fuerit, oculum* (idest alterum oculum) *perdat, & nasus ei curtetur; & si de tribus furtis probatus fuerit, moriatur*. Quid inter Latrones, & Fures intersit, omnes norunt; ut tum pro atrocioris Criminis qualitate, tum pro compescenda illorum temporum licentia, acerbiorem illam pœnam mitioris licet ingenii Princeps Carolus sancire debuerit.

buerit. Acriùs itaque in ipſos ſolos fures, quorum minor certè, quàm Latronum culpa erat, ſævire voluit Sicardus, qui pro primo tantùm furto, ut iterandi Criminis omnis deinceps facultas amputaretur, utriuſque oculi effoſſionem præcepit; qua ſupplicii acerbitate, non tam ingenio ſuo ad crudelitatem prono indulgere, quàm finitimos Neapolitanos, quibuſcum Capitulare illud conſtituit, aſſiduis furtis Longobardos divexantes, coercere curavit. Sed ne plura de Furtis.

Inter judicia publica Longobardicis Legibus inſtituta illud etiam recenſebatur, adverſum eos, qui ſine Regis, aut Principis venia, ſivè permiſſu extra Regni, Principatuſve fines ſecederent. Primus omnium legiſlator Rex Rotharis inter *Majeſtatis* crimina tertio loco id retulit, extremoque ſupplicio, ac bonorum publicatione ejuſmodi reos affecit; ſic Legum ſuarum cap. III. loquutus. *Si quis foris Provinciam fugere tentaverit, mortis periculum incurrat, & res ejus infiſcentur.* Tum cap. CCLXIX. *Si liber, aut ſervus voluerit foris Provinciam fugere, & Judex, aut quicunque in loco, aut finibus Provinciæ reſidet, eum comprehenderit, teneat eum, & res, quas ſecum habuit, ſalvas faciat, & mox mandet ad Judicem de loco, unde fugam cepit ... Et ſi fugax ille manus ad ligandum non dederit, & occiſus fuerit, non requiratur.* Sed qui ſubditos ſuos in alienas Dynaſtias tranſmigrare nolebat, alienigenas tamen in ſui Regni fines libenter Rotharis ipſe excepiſſe probatur ex ejus Lege CCCXC. ubi ſic habet: *Omnes Gargangi, qui de extremis* (fort. *externis*) *finibus in noſtris finibus adveniunt, ſeque, ſuoſque Poteſtati noſtræ ſubdiderunt; Legibus noſtris Longobardorum vivere debent, niſi Legem ſuam à pietate noſtra meruerint. Si legitimos filios habuerint, heredes eorum in omnibus ſint, & filii legitimi Longobardorum exiſtant. Et ſi filios non habuerint legitimos, non ſit illis poteſtas abſque juſſione Regis res ſuas cuicunque thingare* (*i. e. donare*)*, aut per quodlibet ingenium, aut per quemlibet titulum alienare* (1). Cur Longobardi adeò rigidè adverſus *fugaces* hoſce ſe geſſerint, illa eſſe ratio videtur, quod alias extra ſe Gentes pro publicis hoſtibus reputarent, ad quas ſubditi aufugientes, non modò ſubjectionem detrectare, ſed fidem quoque Principi ſuo debitam fregiſſe cenſerentur. Jure Romanorum Transfuga (uti docet Paullus in Leg. 19. §. 8. *Dig. De Captiv.*, & *Poſtlim.*) *non is ſolus accipiebatur, qui aut ad hoſtes, aut in bello transfugeret, ſed & qui per induciarum tempus, aut ad eos, cum quibus nulla amicitia eſt, fide ſuſcepta, tranfugeret:* Cujus pœnam *Vivicomburium* fuiſſe idem JCtus docet in Leg. 38. §. 2. *Dig. de Pœnis*. At latiùs id Crimen Leges Longobardicæ accepiſſe videntur, ut etiam ab iis patratum videretur, qui vel poſt aliquod delictum pœnæ declinandæ cauſa, vel etiam non dolo malo, ſed mutandi ſoli, aut privatæ utilitatis cauſſa ad exteras gentes transfugeret.

Apud noſtros Beneventanos Principes ejuſmodi Crimen haud *Capitale* fuiſſe videtur, niſi id factum dixeris ex ejuſmodi *fugacium*, ſive *Transfugarum* abſentia, in quorum perſonas animadverti nequibat: At Bonorum omnium publicatio uſitatiſſima fuit: Sic Dux Grimoaldus benignè reſtituit Graſolpho *res facultatum tuarum, quæ pro merito culpæ tuæ ad noſtram ſunt devolutæ eximietatem, pro quo extra Provinciam in finibus Græciæ fugam petere viſus es* (2). Sic Princeps Pandolphus donat Gerhardo *Curtem* quandam cujuſdam Civis, *quæ ob culpam, ſceluſ-*

(1) Vocabulum *Gargangi*, ſive *Wargangi* eos ſignificabat, qui profugi, exules, vel etiam ſponte ex Patria ſua in Regnum Longobardorum ſe recipiebant: His, ſi nulli eſſent filii legitimi, bonorum ſuorum tum inter vivos, tum mortis causà diſpoſitionem, ſine Regio permiſſu, ademit Rotharis: ut ſcilicet illorum bona fierent *caduca*, & fiſco acquirerentur. Sic ex ejuſdem Rotharis Lege CCXXIV. moriente aliquo *ſine heredibus*, ſive is advena, ſive Civis fuerit, *Res ipſius ad Curtem Regis* perveniebant. Hæredes autem erant uſque ad ſeptimum *geniculum*, ſive gradum. In Principatu Beneventano eæ Leges perpetuò obtinuerunt; ut conſtat ex chartis in Chronico Sophiano relatis: Sic Princeps Radelchis donat Viſo *Fideli noſtro omnes res, & ſubſtantias Stornini liberi hominis ... qualiter ſecundum Legem res ipſa ad noſtram devenit poteſtatem, pro eo quod ſine hærede deceſſit*: & Monaſterio S. Sophiæ *omnes res, & ſubſtantias Gualprandi, & Malonis ... veluti Legibus ad Sacrum noſtrum Palatium devenit, pro eo quod ſine hæredibus deceſſerunt*. P. I. n. 29. & 35. Tum P. II. n. 18. & P. III. n. 22. donat Ladelgiſo *germano noſtro ipſam rerum ſubſtantiam Dragonis ex genere Francorum orti, liberi hominis, ideſt mobile, atque immobile, ſicut Legibus ad noſtrum evenit Palatium, eo quod abſque hæredibus mortuus eſt*. Poſt Principum Beneventanorum occaſum, manſit adhuc apud Sedem Apoſtolicam, Romanoſque Pontifices ejuſdem Principatus ſucceſſores antiquum Jus iſtud, Longobardicis Legibus invectum, atque ſervatum, uti liquet ex MS. Codice Cencii Camerarii, qui inter illas *Proprietates, quæ remanſerunt Curiæ de Regalibus Beneventanis*, labente tunc Sæculo XII. recenſet *medietatem de Scadentiis Peregrinorum, & extraneorum: & ſcadentiam Beneventanorum totam*. Edidit integrum hunc Cencii locum ad *Regalia Beneventana* pertinentem Muratorius Antiq. Med. Ævi T. II. p. 23. noſque recitavimus in ſuperiori Diſſ. III. cap. VIII. p. 237. ubi vocabuli *ſcadentiæ*, ſive *excadentiæ* ſignificationem eam eſſe probavimus, quæ Jus Principis, ejuſque Fiſci demonſtrabat in eorum bonis ſibi vindicandis, qui ſine legitimis hæredibus extremum diem obiiſſent.

(2) In Chronico s. Sophiæ P. III. n. 6. pag. 459.

*ſcelusque ſuum ad noſtrum Sacrum Palatium, & Curiam noſtram devenit, quia extra Provinciam, inſcio Judice, ac Senatoribus omnibus, Neapolim clam, occultèque aufugit* (1): Sic Princeps Radelchis donat Monaſterio S. Sophiæ, *res Addoli, & Waldiprandi, qui habitare videntur in Decimoquinto, veluti ob meritum culpæ illorum, eo quod à Siconolfo fugerunt, & ad ſacrum noſtrum Palatium evenerunt* (2). Quam in Chartam mendum irrepſiſſe videtur, nam non *à Siconolfo*, ſed *ad Siconolfum* fugiſſe legendum eſt, ideſt ad Principem Salerni Siconolfum. Et ſanè in Capitulari ejuſdem Principis Radelchis, quod pro Beneventani Principatus diviſione cum dicto Siconolfo ſancivit, ita habetur n. x. in fine: *De Hominibus autem, qui inter partes ſunt, ſi à veſtra parte in noſtra parte fugerint, ſi potuerimus eis gratiam rogare, rogabimus, & ſi non, reddemus eos abſque ulla injuſta dilatione*. Et n. XI. *Si verò veſter homo in ſubſtantia in mea terra ad habitandum venerit, & pluſquam veſtra voluntas eſt, ſteterit, ubi cognitum mihi facietis, ego eum ſine ulla injuſta dilatione tranſmittam ad vos*. Et mox n. XII. *De Waregnangis Nobilibus, Mediocribus, Ruſticis hominibus, qui uſque nunc in veſtra terra fugiti ſunt, habeatis eos*. Quo poſtremo Capite iterum obvios tibi habes Wargangos, ſeu Gargangos illos, quorum ſignificationem in Lege Rotharis ſuperiùs memorata explicuimus. Sed jam ſatis de Judiciis dixiſſe ſit, quæ olim Legibus Longobardorum inſtitui ſolebant.

Ad Munera tandem properabimus, quibus Longobardicæ Leges publicam auctoritatem tribuebant. Inter ea Munera, operæ nunc pretium erit, Notarios obſervaſſe. De Notariis extat Lex Beneventani Principis Adelchis, in ejus Capitulari n. VIII. his verbis conſcripta: *Inconveniens uſque modo conſuetudo extitit, ut jam quiſquis voluiſſet, ſi noſſet ſcribere, Brevem undecunque opportunitas exegiſſet; Amodo autem decernimus, ut ſoli Notarii Brevem ſcribant, ſicut & cetera munimina; & quiſcunque deinceps Brevis fuerit abſque Notarii ſubſcriptione oſtenſus, nullam retineat firmitatem; quoniam multos ex illis deprehendimus fuiſſe falſos, quod, Deo opitulante, cupimus, ut ulterius non fiat*. Vetuſtiſſimum fuit Notariorum munus, quos ita inferior Ætas vocare cœpit, Tabelliones verò, Actuarios, Scribas, Logographos, Cancellarios, Chartularios appellabat Antiquitas (3). Ac Tabelliones quidem apud veteres vocabantur Scribæ, qui Magiſtratibus, aut Civitatibus in publicis, privatiſve negotiis cautiones, & acta, hoc eſt geſtas res, in *tabulas* referebant, (unde ipſis nomen factum) & fide publica inſtrumenta conficiebant: Vetus Gloſſarium apud Briſſonium: *Tabellarius, vel Tabellio eſt publica perſona Sacramento diſtrictus in Civitate, qui Civitatis rationes ſcribit, & in acta redigit*: & alibi: *Tabellio eſt ſcriba publicus, qui ea tantum, quæ geſtis publicantur, ſcribit*: quæ quum ita ſint, mirari nunquam deſinas, cur ejuſmodi munus, à cujus fide, induſtriaque non privatorum tantùm fortunæ, ſed publicæ quoque rationes, ac ipſa denique Magiſtratuum auctoritas pendebat, à ſervis, libertiniſque gerendum Romani non tam ferrent, quàm etiam pro quodam more haberent: Conſultiùs profectò Ætas poſterior ſe habere viſa eſt, quæ non ſolùm liberos, ſive ingenuos homines ad id munus deligendos voluit, verùm etiam in eam exiſtimationem provexit, ut honeſtiſſimi quique, immo & nobiles Viri Notarios agere non dedignarentur (4): Heinc illa etiam Principum ſolicitudo, quorum auctoritate Notarii creabantur, ut ii Fidei ſuæ, quam

(1) Ibidem P. VI. pag. 531.

(2) Ibidem P. II. n. 16. pag. 454.

(3) Illi à Veteribus propriè *Notarii* vocabantur, qui *Notis* loquentium verba celeriter excipiebant. Sic S. Auguſtinus De Doctr. Chriſt. Lib. II. *Ex eo genere ſunt notæ, quas qui didicerunt, propriè jam Notarii appellantur*: quæ poſtrema verba in Origin. I. 21. tranſtulit S. Iſidorus. Vide, quæ dixi in Diſſ. III. cap. III. Adde nunc, non alia ſignificatione eos accipiendos Notarios, quos S. Clemens PP. ad Martyrum Acta conſcribenda in ſeptem Urbis Romæ Regionibus inſtituit, de quo ſic Anaſtaſius: *Hic fecit ſeptem Regiones dividi Notariis fidelibus Eccleſiæ, qui geſta Martyrum ſolicite, & curioſe, unuſquiſque per Regionem ſuam diligenter perquirerent*. Eodem enim ipſi Eccleſiaſtici Notarii munere fungebantur, quo Notarii Judicum, ſive Præſidum, ut exciperent geſta, dicta, reſponſa Martyrum, quæ difficile admodum, ac plerumque falſa, & corrupta ab Ethnicis habebantur, prompta autem, & ſincera, ut in Eccleſiis legerentur, habere intererat. Acta S. Pionii apud Ruinartium p. 122. hæc habent: *Poſt hæc Polemon, quum ceræ Notarius, quæ reſpondebantur, imprimeret, ait ad Pionium*: quid vocaris? *Pionius ait*: Chriſtianus &c. Eccleſia igitur ſuos quoque Notarios ſubmittebat, qui præſentes eadem Martyrum verba, & geſta exciperent: Immo & Notariis uſam ipſam Eccleſiam Sæculo V. docet *Collatio* Carthaginenſis cum Donatiſtis apud S. Auguſtinum, cujus in *Collatione ſecundæ diei* hæc ſunt cap. 3. *Quum ſe notas ignorare dicerent petentes, ut prius eis ederentur geſta conſcripta, Cognitor juſſit, ut quod eorum Notarii exceperant, eis recitarentur*; & in Collatione 2. cap. 43. *Notas non novimus, neque ea natura rerum eſt, atque ipſarum, ut ita dixerim, literarum, ut quiſquam notas legat alienas: In Codicibus legere non poſſumus, niſi edita fuerint geſta in paginis, non habeo, quod tractem, non habeo, quod legam &c.*

(4) Vid. Muratorium Antiq. Med. Ævi Diſſert. XII. Tom. I. p. 663.

quam in suo administrando munere integram, optimamque præstare debebant; necessariam quoque scientiam conjungerent. *De Scribis*, ideſt Notariis (sic Rex Liutprandus) *hoc prospeximus, ut qui Chartas scripserit, sive ad Legem Longobardorum, quæ apertissima, & penè omnibus nota eſt, sive ad Legem Romanorum, non aliter faciant, nisi quomodo in illis Legibus continetur; nam contra Longobardorum, aut Romanorum Legem non scribant. Quod si nesciverint, interrogent alios; & si non potuerint ipsas Leges plenè scire, non scribant ipsas Chartas; & qui aliter præsumpserit facere, componat Guidrigild suum &c.* (1) Audi quoque Imp. Lotharium I. in suis Longobardicis Legibus ita loquentem: *Notarii Legibus eruditi, & bonæ opinionis constituantur, & jusjurandum præbeant, ut nullatenus falsitatem, vel colludium scribant, & qui hoc fecisse præterito tempore inventus fuerit, præsentialiter damnetur* (2).

Hanc verò Principum providentiam (ut temporum illorum infelicitas, seù improbitas erat) Notarii plerumque fallebant. Ac primùm contra publicam muneris fidem peccare persæpe deprehendebantur. Frequens Falsitatis Crimen à Notariis commissum vel una ostendit memorata sæpiùs nobis Donationis Sophianæ Charta, in qua tria leguntur ejus rei exempla, quorum primum eſt de quibusdam servis, per *Præceptum falsum* liberatis, quorum res, personasque Princeps Arichis Fisco suo adjudicaverat: Alterum sic habet: *Nec non & Casam in Papiano super Trano, quæ fuit de servis Palatii nostri, quam Joannes Notarius per Præceptum falsum possidebat, unde Legibus ad nostram devenit Poteſtatem*: Tertium tandem his verbis legitur: *Sed & substantiam Thalarici Notarii, qui pro multis Chartulis falsis eſt condemnatus, & insuper extra Provinciam, ideſt in Neapolim fuga lapsus eſt; unde Legibus omnis ejus substantia ad nostram pertinuit poteſtatem, quam integram Monaſterio S. Sophiæ concessimus possidendam*. Heinc Imp. Lotharius, nullam fidem iis Chartis adhibendam jussit, quæ absque *mense, & die mensis* à Notariis scriptæ essent (3): Sed providentissimus omnium Guido Augustus in suis Longobardicis Legibus rei universæ ita consuluit. *De Chartis, vel quibuscumque Scriptionibus, quæ à quibusdam personis falsæ appellantur, statuimus, ut si Notarius supervixerit, & teſtes, ut idem Notarius cum legitimis Sacramentalibus suis* XII. *similiter cum ipsis teſtibus, qui in Charta scripti sunt, ipsam Chartam veram, & idoneam faciat .... Si autem Notarius se subtraxerit, & Chartam suo nomine scriptam, idoneam minimè confirmare potuerit, nulla redemptio ei concedatur, sed manum propriam amittat* (4).

Sed & in Legum peritia, sive scientia, ex quarum præscripto Chartæ, ac Contractus perficiendi, celebrandique erant, deteriùs à Notariis peccabatur: Immo tantum abeſt, ut Notarii ex Liutprandi, Lothariique Constitutionibus *Legibus eruditos* se reddere satagerent, ut si legere vix, ac scribere tantùm nossent, satis suo muneri se fecisse existimarent; atque utinam id probè præstare scissent! Nihil unquam infelicius Latinæ linguæ contingere unquam potuit, cujus facies in medii Ævi Chartis adeò deformis, ac fœda conspicitur, ut legentibus horrorem injiciat: Singulas penè dictiones immanis Notariorum ruditas solœcismis contexebat, atque barbarismis, quibus ea accedebat verborum, & structuræ confusio, ut quis scripturæ sensus, quæve sit contrahentium voluntas, quid denique geſtum sit, poſtquam seriò meditatus fueris, vix conjecturâ assequaris. Heinc factum, ut Chartæ ipsæ Notariis tantùm scribendæ, exarandæque, plerumque ab aliis peritioribus dictarentur. Sic memoratam Sophianæ Donationis Chartam ab Principe ipso Arichi dictatam ejus clausula docet, in qua sic legitur: *Quod Præceptum oblationis ex jussione, & dictatu nominate Poteſtatis scripsi ego Leopold Notarius*. Haud secus in Donatione Ducis Gisulphi facta Monaſterio S. Stephani legitur in fine: *Quod verò Præceptum concessionis ex jussu, & dictatu nominati gloriosissimi Domini Gisulphi scripsi ego Joannes Notarius* (5). Ex eodem autem Chronico Sophiano passim habentur exempla Chartarum, quas *Vicedomini*, *Referendarii*, *Gaſtaldei* scribendas Notariis dictabant (6): Heinc etiam factum fuit, ut Viri Ecclesiaſtici adhiberentur, earundem publicarum Chartarum dictatores; uti in Chronico Vulturnensi Diploma Ducis Grimoaldi hæc in calce habet: *Quam verò membranam concessionis dictavi ego Wigo Subdiaconus ex jussione supradictæ Poteſtatis tibi Pergoaldo Notario scribendum* (7). Immo id positum in more fuisse videtur, ut à Clericis, qui literas didicisse debuerant, ipsum tandem Notarii munus exerceretur; unde, qui *Scribæ Sacri Palatii* apud Beneventanos Principes essent, ipsos

ALTER Pp

(1) In Cod. Legum Longob. inter Leges Liutprandi Lib. v. cap. XXXVII. p. 68.
(2) Ibid. inter Leges Lotharii I. cap. XCIV. p. 149.
(3) Ibid. cap. LXXIX. p. 147.
(4) Ibidem inter Leges Guidonis Augusti c. VI. p. 167.
(5) Chron. S. Sophiæ P. II. n. XIX. apud Ughellum T. X. novæ edit. p. 455. Vid. etiam P. III. n. III.
(6) Ibid. passim P. II. & III.
(7) Rer. Italicar. T. I. P. II. pag.

ipsos simul Clericali professione excelluisse, eorum subscriptiones in publicis Chartis adjectæ præclarè testantur: Sic in duobus Diplomatibus Principis Pandolphi, *Ursus Clericus, & Scriba ex jussione supradictæ Potestatis scripsisse* affirmat; & in altero ejusdem Pandolphi *Maldefrid Clericus, & Notarius, atque Scriba ex jussione supradictæ Potestatis scripsise* pariter fatetur; quod & passim in aliis Chartis occurrit (1). Scio interdictum Presbyteris à Carolo Magno Notarii munus; sic enim inter ejus Longobardicas Leges habetur cap. XCVI.: *Ut nullus Presbyter Chartam scribat, neque conductor existat suis Senioribus* (2), quam Legem ita Muratorius rectè explicat: *Hoc est, nulli Presbytero Notarium agere liceat, neque OEconomi munus præstare Laicis, aut, quod verius puto, prædia excolenda conducere a Senioribus suis*: Animadvertebat quippe Carolus Notarii munus, si non Ecclesiasticis indecorum, sæcularium saltem negotiorum plenum, quibus sese implicantes, ab Ecclesiasticæ Militiæ studiis facilè averterentur. At illud pariter persuasum Carolo esse debebat, ubi idonei Sæculares deessent, interesse Reip., ut publicum munus ab probatæ fidei, literaturæque viris exerceretur: ut propterea nequicquam ea Caroli lege mos antiquus interciderit, ad infimam usque ætatem servatus, ut Ecclesiastici Notariorum munere fungi permitterentur.

His itaque omnibus in antecessum observatis, promptum nunc nobis erit intelligere causam, cur Princeps Adelchis eam Legem statuerit: Nam quum per eam ætatem, qui literas tantùm scirent, perpauci, atque spectabiles haberentur, deessetque propterea is Notariorum numerus, qui frequentissimis Actis tum publicis, tum privatis scriptionem suam adhiberet, jam mos ille inolevit, ut quicunque scribere nosset, operam suam postulantibus passim præstaret, ac satis illud esse credebatur, quo Contractus, Testamenta, aliaque id genus Acta legitima *munimen*, idest firmitatem, atque auctoritatem, fidemque publicam reciperent, si tantùm scriptis à quovis traderentur. Id profectò vocabulo *Brevis* intellexit Adelchis, cujus vocabuli significatio etsi *Inventarium*, *Rotulum*, *Indicem*, seù *summariam* rei cujuspiam descriptionem præcipuè indicet; ad Instrumenta nihilominus, atque Acta Notariorum designanda aliquando proferri ex hac ipsa Adelchis Lege docet Cangius, qui & hoc Lampridii loco in Alexandro Severo confirmat: *Eum Notarium, qui falsum causæ Brevem in Consilio Imperatoris retulisset . . . deportavit*. Res igitur fraudibus assiduis, ac falsitatibus, quibus & privati læderentur, & Resp. perturbaretur, latissimam aperuit viam; quandoquidem ejusmodi Scriptores nulla Sacramenti religione, nullo pœnæ metu tenerentur, quæ solos Notarios publicum munus gerentes manebat. Huic malo Adelchis prospexit, nullam in posterum ejusmodi Chartis fidem adhibendam statuens, quam solis Notariis ritè ad id munus constitutis, si ipsi scripsissent, aut subscripsissent, servatam voluit.

DISSER-

(1) In d. Chron. Sophiano P. III. n. 41. 42. & 43. p. 472. & seq.

(2) In Cod. Leg. Longob. inter Caroli Magni Leges n. XCVI. p. 105. Quos in hac Lege, & in aliis passim Carolus appellat *Seniores*, ipsos intelligas ejus loci *Dominos*, ubi Presbyter degit; à quo *Seniorum* vocabulo, ac significatione media ætate usurpato, manavit subinde ad nos Italos vulgaris vox *Signore*, Gallis *Seigneur*. Sic mediis illis temporibus occurrit *Senioraticum*, idest *Dominatio*, nunc *Signoria*: uti etiam *seniorari*, idest *dominari*, nunc *signoreggiare*. In Chronico S. Sophiæ P. V. Charta signata Ann. XLI. Imp. Basilii, Christi MXIII. ita habet: *Et sumus residentes in ista Civitate Luceriæ ad senoriandum, judicandum, regendum &c.* Alia plura de his vocabulis videsis apud Cangium in *Gloss. Lat.*



# DISSERTATIO V.

## De Ecclesia Beneventana.



ON solùm Operis partem Ecclesia Beneventana sibi vindicat, verùm etiam præcipuum operæ meæ pretium factura, in medium sese jamdemum profert. Quæ enim ex rebus aliis quamplurimis hactenus pertractatis, in lucem, æstimationemque hominum emerserunt, splendidiorem certè faciem Sæcula ipsa Longobardica induent ex ejus Ecclesiæ dignitate, quæ antehac præstantissima, tum verò maximè effloruisse, ac veluti se ipsam excellere visa est, quum Longobardorum Imperio Beneventum pareret. Neque id verò unum in caussa est, ut majori, quàm unquam, conatu hanc in rem enitendum mihi sit. Illa quoque me impellit honestissima summæ necessitudinis ratio, illud adhuc stimulos addit æquum obsequii studium, quibus erga eandem Ecclesiam devinctum me sentio; ut unde mihi & spiritualis vitæ primordia, & Sacrorum Ministeriorum prærogativæ, & Ecclesiasticorum munerum honores quamplurimi processerunt, eò qualis, quantaque sit, omnis ingenii mei vis, ac laboris industria convertatur. Accedit denique cogitatio illa, plena jucunditatis, quod non in ea modo re versandum mihi sit, quæ quantumlibet ex interitu suo in novam veluti vitam revocata, sui tamen ipsius non aliud, quàm umbram, atque inane simulacrum præseferre ( uti de Longobardicis rebus contigisse videtur ), solum videlicet nomen, veteremque famam ostendere in præsens possit: Ostendet enim Ecclesia Beneventana seipsam, eadem profectò ipsa, quæ olim, eademque in omne ævum permansura; itaut quam ei dignitatem, quod decus, quæ ornamenta, & Originis antiquitas, & vetustissimæ ætatis Religio, Pietas, Munificentia contulere, nullo confecta senio, aut temporis, hominumque injuriis labefactata, adhuc cum illa vitam agant, & perpetuâ honoris, aliorumque commodorum successione collucescere pergant. Ut igitur Beneventanæ Ecclesiæ res, uti dignitate, ita ordine quoque suo procedant, priùs de ejus origine, amplitudine, prærogativis, jurisdictione, aliisque id genus ad Antistites suos pertinentibus differemus; cui argumento tria hujus Dissertationis priora Capita dabimus, tribus videlicet temporum intervallis respondentia, quæ ab ejusdem Ecclesiæ origine, deinde ab Longobardorum ævo, atque imperio, denique ab Archiepiscopali, seu Metropolitico quæsito sibi Jure effluxerunt. Sequetur Caput quartum, ubi de Clero Beneventano, ejusque tum vetere, tum recenti numero, disciplina, dignitate, ceterisque juribus, atque ornamentis peculiarem sermonem instituemus. De sacris denique Ædificiis Capite quinto, ac postremo agemus; quorum Ædificiorum aspectu, atque splendore illud quoque pretium Beneventanæ Ecclesiæ accedet, ut ipsâ loci majestate parem Dignitati suæ decorem præseferre videatur.



## CAPUT PRIMUM

*Beneventana Ecclesia Christianæ Fidei coæva. S. Januario Martyre, Cive, Episcopo illustrata. Mox Theophilo, & altero Januario Episcopis. Horum Pontificiæ Legationes in Romano, & Sardicensi Conciliis. Beneventum, ejusque Ecclesia nusquam in Campania, cujus Capua Metropolis tantummodo Civilis ad Sæculum* x.*, uti Beneventum Samnii. De Civilibus, & Ecclesiasticis Metropolibus plura ad rem observantur. Nulli ad Sæculum* x. *Metropolitani in Suburbicariis Provinciis Romano Pontifici obtemperantibus: quamquam in unaquaque Provincia Metropolitici Juris apud primum Episcopum vestigia quædam: quæ de Beneventano Episcopo satis explorata ex pluribus rationibus, monumentisque. Id præclarè de Episcopo Barbaro S. Gregorius M., de Æmilio S. Paulinus asseruerunt. Ejusd. Episcopi Æmilii vindicata Sanctitas, Pontificiaque Legatio pro S. Jo. Chrysostomo. Pauli etiam Diaconi, & ejus Legationis Comitis Sanctitas. Nemo ad Sæculum* v. *Beneventanus Episcopus, nisi Civis: Cur dein S. Tammarus, & mox S. Sophius externi homines ad eum Episcopatum delecti. S. Sophii cum Archidiacono Benigno martyrium illustratur.*

ECclesiæ Beneventanæ Originem ab ipsius Christianæ Religionis primordiis repetendam non est, ut heic longiùs edisseram. De hoc argumento in antecessum elaboratum mihi est in Tom. I. Differt. III. cujus Titulus, atque argumentum fuit: *De Tempore, quo primùm Beneventi suscepta est Christiana Fides*: Apostolorum Principis Petri prædicatione, operaque (vel cùm is Hierosolymis Romam, Româ Hierosolymas bis saltem petiturus, quater verò itu, redituque Cistiberinam Italiam transmeasset, vel cùm demum Romæ perpetuam Pontificatus sui Sedem constituisset) Christi Fidem Beneventanis affulsisse, iisque Photinum primum datum Episcopum jam olim probavimus. Sequuta temporum satis diuturna infelicitas, non equidem fausta illa, quæ pullulascere cœperant, Religionis germina sustulit, sed in eo tantùm nocuit, quod sequutorum Episcoporum nomina, quorum sollicitudine, prædicatione, sanguine illa adoleverant, posteritatis memoriæ, ac venerationi inviderit. Postrema tempore omnium, omniumque etiam immanitate sua asperrima, ac sævissima Diocletiani Persequutio, nulli fortasse Ecclesiæ amplius, quàm Beneventanæ profuit; in cujus certè maximam felicitatem cessisse illud ipsum præcipuè videtur, quod acerbiùs in ejus Episcopum, Sacrosque Ministros Persequutorum furor, gladiusque se gesserit. Habuit enim exinde Christiana Ecclesia, quem inter maximos Athletas suos referret, atque etiamnum sanguine suo viventem ostendere lætetur, Januarium Beneventanum Episcopum, habuit ejusdem muneris, ac Martyrii consortes Festum Diaconum, Desiderium Lectorem: Sed & ipsa habet Beneventana Ecclesia, unde à retroacti temporis oblivione sese subducere queat, vetustioremque illam faciem, qua inter effusissimas dominantis Idololatriæ tenebras coruscare nitebatur, hilariùs demonstret; nam quibus Beneventum communis Patria fuit, iisdem gloriosissimis Martyribus, Episcopo, Sociisque suis manifestum efficitur, quàm uberes fructus susceptа primitus apud Beneventanos Fides, nunquam interruptâ Christiani Gregis, ejusque Pastorum successione, protulerit; quandoquidem sub Sæculi tertii exitum, ac difficillimis adeò Christianæ Reip. temporibus talis è Beneventanæ Ecclesiæ gremio Antistes, tantæque virtutis Sacri Administri prodiisse probentur. A' Photino itaque ad Januarium, quales Christianæ Religionis felices successus apud Beneventanos extiterint, conjecturâ assequimur; quandoquidem Episcoporum Nomina, non Numerum ignoramus: Quum enim anno MCXIX. Landulphus II. Beneventanus Archiepiscopus plura Sanctorum Lypsana in honestiorem locum recondenda curasset, inter eos quoque (inquit noster Chronographus Falco) *Corpus associavit Beati Joannis* XXI. *Beneventani Archiepiscopi, qui triginta & tres annos, sicut titulus testabatur, in Episcopatu advixit* (1). Ex vetustis Ecclesiæ Beneventanæ monumentis Johannem hunc S. Æmilii, qui à PP. Innocentio I. ad Imperatorem Honorium in

(1) Inter Scriptor. Ital. Muratorii tom. V. pag. 94. & inter Opp. Cam. Peregrinii tom. IV. pag. 183. Utrobique verò, uti in antecedentibus Falconis editionibus, tam constans est lectio, quæ eundem Numerum XXI. refert, quàm *Archiepiscopi* nuncupatio Joanni tributa; sed quàm vera prior illa est, tam falsa, ac præpostera posterior, quam (si è Falconis manu est) pro ævi sui ratione, quando jam Beneventana Ecclesia Archiepiscopalis erat, usurpasse is videtur; quanquam ipse sese mox emendasse, aut explicuisse voluit, qui Joannem non in Archiepiscopatu, sed in *Episcopatu* triginta, & tres annos advixisse subdit. VV. CC. Vipera, Ughellius, & Sarnellius in eodem Falconis loco tacita emendatione, *Episcopum*, pro *Archiepiscopo* legunt, ac recitant; sed contra editionum fidem, ac Falconis scriptionem, cui satis à me factum est.

in caussa S. Johannis Chrysostomi ablegatus cum aliis fuit, successorem, Dori verò Episcopi, qui S. Leoni PP. I. coævus fuit, decessorem fuisse pro certo habent Vipera, Ughellius, Sarnellius, ac quotquot Ecclesiæ Beneventanæ Fastos Chronologicos conscripserunt; qui & hunc Johannem circiter annum CCCCXLVIII. floruisse statuunt. Quum igitur à S. Januario ad Johannem hunc novem duntaxat numerentur Episcopi, qui Ecclesiam Beneventanam administrarint, certum illud consequitur, à Photino ad Januarium undecim alios interjiciendos esse Episcopos, qui ad tria propè Sæcula eidem Ecclesiæ præfuere, ut scilicet Johannes ipse unius & vicesimi numerum implere possit, qualem certissimo Falconis (qui ex eodem certè monumento, seù sepulcrali Titulo didicisse debuit) testimonio accepimus. Proderit autem maximopere, hunc saltem Beneventanorum Antistitum novisse numerum, qui tribus illis prioribus Sæculis Beneventanam Ecclesiam rexerint; dum enim undecim fuisse jam patet, illud pariter ex eo quidem numero persuasum erit, nunquam Episcopos Ecclesiæ Beneventanæ defuisse, qui perpetua successione, assiduisque laboribus propagare illius Religionem sategerint, eamque eidem compararint dignitatem, quæ, mox pacatis, ac florentibus Christianæ Reip. rebus, luculentiùs sese explicavit, atque universo Christiano Orbe præfulgere cœpit.

Itaque præclarissimo Martyri Januario anno CCCV. ad cœlestem gloriam evocato Theophilus mox successit Episcopus; eo nempe tempore, quo vix Diocletiani Persequutio deferbuisse videbatur, immo post illius abdicationem vehementiùs sub Maximiano, ac Licinio recrudescere cœperat; ut ejus Viri virtutem intelligamus, qui manifesto Capitis periculo Beneventanum Gregem sibi pascendum accipere non detractavit, perspectumque simul Ecclesiæ Beneventanæ morem habeamus, quæ de Pastore sibi deligendo solicita semper fuit. Non heic mihi consilium est Beneventanorum Antistitum continuatam seriem contexere, quam in Appendice dabimus, multò quidem castigatiorem, ac tutiorem, quàm ab aliis hactenus lucubrata est. Horum nunc Antistitum duntaxat recolenda memoria erit, quorum illustriori virtute, gestisque præclarioribus vel parta, vel amplificata Beneventanæ Ecclesiæ dignitas fuit. Id certè is, de quo sermo est, Episcopus Theophilus præstitit, cujus nomen non in privatis tantùm Beneventanæ Ecclesiæ Fastis, sed in Ecclesiasticis quoque Tabulis celebratum invenio. Melchiade Summum Pontificatum gerente, funestissimo Donatistarum Schismate Ecclesia vehementer divexabatur; huic malo abolendo Imp. Constantini, ad cujus Judicium Schismatici importunè diverterant, suasu potiùs, quàm imperio, Cæcilianus Romæ præsens sistitur, à Pontifice, delectisque Episcopis judicandus. *Convenerunt* (inquit Optatus Milevitanus) *in Laterano, Constantino ter, & Licinio ter Consulibus* (idest Anno CCCXIII.) *sexto nonas Octobris, die feria sexta. Cùm consedisset Miltiades Episcopus Urbis Romæ, & inter cæteros decimo tertio loco THEOPHILUS A BENEVENTO, his* (subdit Optatus) *decem, & novem considentibus Episcopis Causa Donati, & Cæciliani in medium missa est à singulis ...... Cæcilianus omnium supramemoratorum sententiis innocens est pronunciatus* (1). Præclarum equidem tum ex Sedis suæ, tum ex propriæ virtutis præstantia Theophili nomen tunc esse debuit, qui de gravi adeò negotio, cum ipso Pontifice, aliisque delectis Episcopis cognoscere, sententiamque suam ferre promeruit.

Sed præclariores fuere partes, quibus paullò postea, nempe anno CCCXLVIII. functus est Januarius eo nomine secundus, decimus verò octavus Beneventi Episcopus in celeberrimo Concilio Sardicensi. Pontificii Legati munus cum Osio Cordubensi, Vincentio Capuano, & Calepodio Neapolitano, Episcopis, Januario simul attribuit Beda, cujus verba in suam Decretorum collectionem transtulit Gratianus. *Quarta* (inquit), scilicet post Nicænam (immo quæ & Nicænæ appellatione non tam confundi, quàm condecorari solet, utpote Nicænorum Canonum explicatio, vel confirmatio) *Sardicensis, in qua Patres sexaginta statuerunt Canones* XXI., *quorum auctor maximè Osius Cordubensis Episcopus, & Vincentius Capuanus Episcopus, & Januarius Beneventanus, & Calepodius Neapolitanus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ legati extiterunt* (2). Ac Severinus quidem Binius præ universis Italicis Episcopis sapientiâ, ac sanctitate adeò excelluisse Januarium statuit, ut solum cum paucis aliis præclariorum Italicarum Sedium Episcopis, ad eam Synodum profectis, memorandum existimarit:

(1) Optatus Milevitanus lib. I. adversus Donatistas, apud Labbe tom. I. pag. 1427. ubi omnia ejusdem Concilii Romani Acta exhibentur. Meminit ejusdem Concilii S. Augustinus epist. 152. & cap. 3. *Collationis*, Romæque habitum testatur Constantino, & Licinio tertio Coss. dicto nempe anno 313.

(2) Beda de Temporibus cap. 65. Gratianus in Decreti part. I. distint. XVI. cap. XI.

marit: *Ex Italia verò* (inquit) *lumina clarissima eandem Synodum illustrarunt, nobiles sanctitate, & Illustrium Sedium Episcopi, Protasius Mediolanensis, Severus Ravennas, Lucillus Veronensis, Januarius Beneventanus Episcopi*. Hæc ad Italiæ laudem, Beneventanæ Ecclesiæ decus, ac Januarii gloriam Binius; qui tamen de Januarii, uti cæterorum, quos retulimus, Pontificia Legatione controversiam movit in suis ad dictum Concilium adnotationibus, ajens, pluris S. Athanasii faciendum testimonium, qui Pontificis Julii I. Legatos, ejusque Synodi præsides solos commemorat Romanos Presbyteros, Archidamum, & Philoxenum. Verùm, uti Binius ipse ibidem de Episcoporum, qui ei Synodo interfuerunt, numero Athanasium nihil definiti habentem, vix audiendum censet, adhibendamque potiùs Sozomeno, & Socrati fidem velit, qui Occidentalium Episcoporum trecentos, Orientalium septuaginta sex interfuisse testantur: quid ni, Osio, Januario, cæterisque præteritis, solos Archidamum, & Philoxenum indigitasse contentus Athanasius fuit, cui certè non illud propositum, institutumque erat, accuratam ejus Concilii historiam contexere, sed suam ex ipso Concilio Apologiam conficere? Cur verò Osius eidem Concilio omnium primus subscripsit? Binas ex totidem vetustis MSS. Osii subscriptiones exhibet Labbeus, atque in prima Osius ante omnes alios sic habet: *Osius ab Hispania Episcopus Civitatis Cordubensis*: in altra vero: *Osius ab Spania Cordubensis* (1). Opinatur Binius, Osium Patronum Synodi egisse, definienda nimirum proposuisse, & singulorum sententias (quod ad officium Patroni Synodalis pertinet) rogasse (2). At Binii opinionem de Osii *patronatu*, ex proprio ingenio deductam facilè rejiciendam existimabimus, ut Osii potiùs, nostrique Episcopi Januarii Legationem, tum Bedæ, tum Gratiani testimonio affirmatam tutiore sententiâ retineamus.

Atque id profectò retinendum suadent Acta Concilii, in quibus sicuti Canonum condendorum præcipuum Osii munus fuisse legimus, ita (ut de Januarii Legatione simul constet) eandem muneris partem Januarius implevit, cujus rogatione Canon XVIII. in hæc verba sancitus fuit: *Januarius Episcopus dixit: Illud quoque Sanctitas vestra statuat, ut nulli Episcopo liceat alterius Civitatis hominem Ecclesiasticum solicitare, & in sua Dioecesi ordinare Clericum, quia ex his contentionibus solent nasci discordiæ; & ideò prohibeat omnium sententia, ne quis hoc facere audeat* (3). Quid, quod quemadmodum Osius, ita ante alios, sed post Vincentium Capuanum, Calepodium Neapolitanum, ejusdem muneris consortes, Januarius ceteris Episcopis subscriptionem suam præmittit? Ita certè quinto loco is habet: *Januarius Episcopus Beneventanus*; ut in præcipuo ejusdem Concilii exemplari ex interpretatione Isidori Mercatoris legere est (4). Immo, quod rem omnino conficit, est ejusdem Concilii antiquus MS. Codex, ubi (uti laudatus Labbeus observat) post Osium recensentur hi tres: *Vincentius de Capua Legatus Sanctæ Ecclesiæ Romanæ: Januarius de Benevento Legatus Ecclesiæ SS.* (idest suprascriptæ): *Calepodius Neapolitanus Legatus Ecclesiæ SS.*; ut jam de ea re vix ulla dubitatio superesse possit; veraque nobis Bedam, ac Gratianum narrasse credamus; quorum etiam fidem de tradito Episcoporum numero, horum subscriptionibus sexagenarium circiter numerum in vetustissimis Exemplaribus non excedentibus, jure merito tueri possumus (5).

Sed nondum à dictis præfati Concilii subscriptionibus discedere nobis licet; ex quibus dum nobis Januarii Beneventani Episcopi Pontificiam Legationem comprobasse datum est, arrepta aliis aliquando occasio fuit, ut Beneventanam Ecclesiam inter Campaniæ fines, ac ei propterea Urbi, quæ Campanæ Regionis Metropolis esset, veluti subditam comminiscerentur.

Ac

(1) Vid. P. Labbeum tom. II. Concil. p. 687. & 691. edit. Venet.

(2) Apud eund. Labbeum l. l. pag. 719. Præter Binium, eandem quoque sententiam propugnavit Cl. Christianus Lupus Dissert. *De Synodo Sardicensi* cap. 2. tom I. Opp. p. 315., cui jam pag. 155. not. (2). tomi I. Antiq. Beneven. à me responsum est.

(3) Apud d. Labbeum l. l. pag. 679. & iterum 686., sed eo in MS. Justelliano eidem Canoni numerus XVII. atque hæc verba tribuuntur: *Januarius Episcopus dixit: Illud præterea statuat sanctitas vestra, ut nulli Episcopo liceat, alterius Civitatis Clericum solicitare, & in suis Parochiis ordinare. Universi dixerunt; quia ex his contentionibus solet discordia nasci, probibet omnium sententia, ut ne quis hoc facere audeat*. Ibid. pag. 689.

(4) Ibid. pag. 687.

(5) Duo subscriptorum Episcoporum exempla Labbeus exhibet; alterum ad calcem Canonum ejusdem Concilii ex interpretatione Isidori Mercatoris; alterum ex MS. Justelliano. In utroque exemplo non alii, quàm novem supra quinquaginta Episcopi nominatim subscripti leguntur. Horum subscriptionibus hæc in posteriore exemplo præfixa sunt: *Item nomina Episcoporum, qui Synodo Sardicensi adfuerunt, & subscripserunt iidem in judicio*. Post traditas autem singulorum subscriptiones ita in fine legitur: *Episcopi omnes numero, unus de sexaginta*: vel, ut ex alio MS. Codicē Labbeus ibi in margine notat: *sexaginta, & unus*. Non ego ex his, veriori, ac sane ingenti Episcoporum numero, quem superiùs indicavimus, litem moveri velim; excusandum potiùs dixerim Bedam, qui in vetustis Exemplaribus eas subscriptiones nactus, ex iis, non tam universos Episcopos, qui Concilio interfuerunt, quàm illos duntaxat, qui præcipuè Canones statuerunt, intelligere voluit.

Ac Camillus quidem Peregrinius Beneventanam Urbem, tum ex aliis, tum ex eo Campaniæ adſcribendam contendit, quod in Synodo Sardicenſi Beneventanus Januarius ſubſcriptionem ſuam hiſce verbis exaraverit: *Januarius à Campania de Benevento*: morem ſcilicet ſatis tum receptum ſequutus, quo ſinguli Epiſcopi non ſolùm Urbium, quibus præeſſent, verùm etiam Regionis, ſeù Provinciæ, cui adſcripti eſſent, ſimul nomina commemorare conſueverint. Has Peregrinii obſervationes, ſive dixeris commenta, Tomo I. Diſſertatione IV. refutavimus, ubi *de Veteribus Magiſtratibus Beneventanis* agentes, ſingulis illius argumentis ſatisfecimus à pag. 150. ad 154. Ad Januarii ſubſcriptionem quod attinet, ſatis etiam tunc, ac nunc quoque veluti in anteceſſum feciſſe videmur, quum genuinam Januarii ſubſcriptionem paullò ſuperiùs recitavimus: non aliud enim, quàm *Januarium Epiſcopum Beneventanum*, vel *Januarium de Benevento Legatum Eccleſiæ Romanæ*, qui antiquioris ætatis, meliorisque fidei ſunt MS. Codices, legendum nobis offerunt. Eſt præterea in ejuſdem Synodi fragmento, quod ex MS. Juſtelliano Labbeus adjecit, altera Januarii ſubſcriptio ſuperiùs relata: ſed Peregrinius non tam uſus illa videtur, quàm ſuo abuſus ingenio, qui, verioribus aliis ſubſcriptionibus vel ignoratis, vel potiùs diſſimulatis, ex eo *Fragmento*, quo nihil habetur mendoſius, quodcunque fortuitum reliquis argumentis ſuis adminiculum comparare ſategit. Non equidem negamus, neque etiam Capuæ invidemus, quod inter Campanas Urbes Princeps Urbs ipſa conſtiterit; hoc ei decus, hanc prærogativam ipſius Sardicenſis Concilii Acta, ſive S. Athanaſii teſtimonium manifeſtè adjudicat, qui in ſua ad Solitarios Epiſtola diſertè commemorat Vincentium Epiſcopum Capuæ, *quæ Metropolis eſt Campaniæ*. *Miſſis* (inquit) *à S. Concilio in legationem Epiſcopis Vincentio Capuæ, quæ Metropolis eſt Campaniæ, & Euphrate Agrippinæ, quæ Metropolis eſt ſuperioris Galliæ &c.* Sed id primò ſtatuendum erit, non de Eccleſiaſtica, ſed Civili Metropoli loquutum fuiſſe Athanaſium; quod quum Archiepiſcopus Petrus de Marca non ſatis animadvertiſſet, Capuam Athanaſii teſtimonio Eccleſiaſticam Campaniæ Metropolim intellexit, *quæ tamen minuta Capite priſtinam dignitatem circa annum* DCCCCLXX. *recuperavit beneficio Joannis Papæ* (1). Fucum certè Viro docto facere debuit Hominis conditio, ideſt Athanaſii Eccleſiaſtici, atque Epiſcopi, à quo id tradebatur teſtimonium: hinc & alibi eodem utitur teſtimonio, ut Coloniam Agrippinam ſimul commemoratam pro antiquiſſima Eccleſiaſtica Metropoli accipiendam arbitretur. *Athanaſius quoque* (inquit) *qui eas oras luſtraverat, cùm in Comitatu ex Aula Principis apud Treveros verſaretur, inter cæteros Epiſcopos ſuæ communionis recenſet Euphratem, Epiſcopum Agrippinæ* μητροπόλεως τῆς ἄνω Γαλλίας in Epiſtola ad Solitarios ... *Itaque poſt Athanaſium de jure Metropolitico Coloniæ ampliùs diſputare nefas eſſe duco* (2). Immo fas ſemper, & ubique erit, id non diſputare modò, ſed planè inficiari, dum diſertiſſimis, indubiæque fidei monumentis ſatis liquet, multo quidem ſeriùs Coloniæ Agrippinæ Metropolitici juris fuiſſe exordia, quæ non ante Sæculum VIII., ac Zachariæ Pontificis indulgentia, auctoritateque agnoſcere licebit. En Zachariæ verba Epiſt. IX. ad Bonifacium Archiepiſcopum, quæ vel Marcæ ignota, vel diſſimulata fortaſſe fuit: *De Civitate illa, quæ nuper Agrippina vocabatur, nunc vero Colonia, juxta petitionem Francorum, per noſtræ auctoritatis præceptum nomini tuo Metropolim confirmavimus, & tuæ ſanctitati direximus pro futuris temporibus ejuſdem Metropolitanæ Eccleſiæ ſtabilitatem* (3). Cur verò, non tam pro ejus Civitatis dignitate, quàm Bonifacii Archiepiſcopi meritis, eam Sedem in Metropolim extuliſſe voluit Zacharias, quam à Sæculo IV. eo jure præditam noſſet? Sed eo jure excidiſſe potuit, uti Capuam Capite minutam, rurſus Sæculo X. reſtitutam Marca affirmavit; nihil inanius: neque enim Capuam, Agrippinamque hanc Capitis diminutionem aliquandò paſſas legere eſt; neque juribus ſuis ſemel, legitimèque quæſitis ſeſe tam facilè ſpoliari, aut ipſæ negligentiùs uti putandæ ſunt Eccleſiæ: congruentius itaque fuerit, ut Athanaſium de Civili Metropoli loquutum dicamus; vel ſi Eccleſiaſticam cogitavit, is certè Æpypti ſui more, ubi veræ Metropoles tunc temporis habebantur, non aliarum Regionum, præſertim Suburbicariarum jure, cujus ignarus fortaſſe fuit, id vocabulum uſurpavit, eaſdem, quas Civiles ejuſdem Regionis noſſet, Eccleſiaſticas ſimul eſſe Metropoles arbitratus.

Haud ſecus de ea re erravit Michael Monachus, cui tamen durum viſum fuit, ut univerſæ tunc temporis Campanæ Eccleſiæ uni Capuanæ ſubeſſent. *Ingenuè* (inquit) *fateor ex Epiſtola S. Athanaſii neceſſariò non concludi, cunctas Eccleſias Campaniæ fuiſſe ſub una Capuana conſtitu-*

(1) De Concord. Sacerd. & Imper. lib. I. cap. VII. num. IV.
(2) De Primatu Lugdunenſi, & aliis Primatibus.
(3) Apud Labbeum tom. VIII. Concil. pag. 53. Vid. etiam Epiſt. X. in fine.

*ſtitutas; nam ille Sanctus phraſi quadam conſueta ſibi uſurpat genitivum pro ablativo loco, ut notat Baronius anno 355 n. 12.. ideo appellare Capuam Metropolim Campaniæ, eſt, eam in Campania Metropolim appellare* (1). At dum rem componere Monachus nititur, in graviorem incidit errorem: non enim, niſi abſurdum ſonat, ut ſcilicet plures ejuſdem Provinciæ, ſeù Regionis eſſent Metropoles Urbes, quales is, Capuam non Campaniæ, ſed in Campania Metropolim approbans, ſtatuere cogitavit.

At de Civili quidem Metropoli, non niſi ſingulis Provinciis ſingulas Urbes eo jure, ſive majeſtate præditas, certò docet (ut alia plura prætercam) Spartianus cap. 14. Vit. Hadriani, *qui Antiochenſes ità odio habuit, ut Syriam a Phoenice ſeparare voluerit, ne tot Civitatum Metropolis Antiochia haberetur*; docet & Strabo, qui lib. XVI. *Tyrum, ac Sydonem Urbes antiquas, ac illuſtres* appellans, controverſum manere addit, *utra earum Phœnicum Metropolis dici debeat*. Separandam itaque a Phœnicis regione Syriam opus fuiſſet Hadriano, potiùs, quàm ut in eadem regione alteram, Antiochiæ æmulam, Metropolim ſimul conſtituere ſibi fineret: Inter Tyrum verò, ac Sydonem litem adhuc eſſe ait Strabo, nam quod utrique attribui nequaquam poterat, alterutri certè Metropoleos jus adjudicari oportebat. Res autem ex eo quoque comprobari videtur, quod ſingulis regionibus, ſivè Provinciis unus, qui præeſſet, præficiebatur, iſque in ea Urbe, quæ Metropolis eſſet, ſedem tenere conſuebat: qua ratione Metropoles Provinciarum paſſim dignoſcebantur: quo etiam exemplo factum poſtea fuit, ut idem nomen ad Eccleſias transferretur, illaque Eccleſia Metropolis appellaretur, ubi Epiſcopus totius Provinciæ primas reſideret (2). Sed manifeſtiùs id patebit, ſi Eccleſiaſticam Metropolim, de quo mox ſermo erit, attendamus. Interim mirari ſubit, abſurdam Monachi ſententiam Epiſcopo Sarnellio adeò placuiſſe, ut collaudandam, adoptandamque ſibi duxerit, nihil incommodi ex eo proceſſiſſe ratus, quod Beneventum, antiqua Samnii Metropolis, modò Apuliæ, modò Campaniæ regionibus adjudicata fuiſſe permittatur, quandoquidem ſuam Metropoliticam prærogativam, cum aliis ſimul earum regionum Metropolibus incolumem ſibi ſervarit. Metropolis quidem nunquam eſſe deſiit Beneventum, non quod aliis adſcripta regionibus, veteri dignitate ſua defeciſſe nequiret, aut frui quodammodo fineretur; ſed ideo factum fuit, quod è Samnii ſui finibus nunquam divulſa Beneventum, ejus Provinciæ antiquum decus, & nomen præclariſſima ipſa Samniticarum Urbium Princeps, ac perpetua Metropolis retinuerit; atque uti *Conſularis* in Campania, ita in Samnio *Præſes*, diſtinctis utriuſque Territorii finibus, ultra quos neutri faſces ſuos proferre fas eſſet, ille Capuam, hic Beneventum imperii ſui ſedem haberet; ut latiùs in dicta Diſſertatione demonſtravi.

Idem verò, quod hactenus de Civili, ſtatuendum pariter de Eccleſiaſtica Metropoli erit: Metropolitani nomen ex eo derivatum docet Rhabanus, quod *præſideat illi Civitati, quæ cæteris Civitatibus in eadem Provincia conſtitutis quodammodo Mater ſit* (3). Quamquam verò non id perpetuum fuerit, ut Eccleſiaſticæ Metropoles Civilium finibus continerentur, ſed modò anguſtiores, modò latiores terminos ſortirentur, ſicuti Chriſtianæ, Eccleſiaſticæque Reip. utilitas, aut neceſſitas poſtularet (4), ipſæ tamen Civilium diviſionem, ac Territorium ferè ſemper conſectabantur, illiſque, quoad fieri poterat, reſpondebant; ita ut eadem Urbs, Civilis æquè, ac Eccleſiaſtica Metropolis eſſet, quæ ſicuti Provinciæ Caput habebatur, neque ipſa Provincia, uti diximus, biceps eſſe, alteramque Metropolim, duoſque, aut plures æquos Magiſtratus admittere poterat, ita & unum Epiſcopum Metropolitanum agnoſcere debe-

(1) In Sanctuar. Capuan. part. III. pag. 382.

(2) Vid. Noriſium de Epoch. Syr. Mac. Diſſert. IV. cap. 3.

(3) Rhabanus Maurus de Inſtit. Cleric. lib. I. cap. V.

(4) S. Iſidorus Etymol. lib. VII. cap. I. relatus à Gratiano Diſtinct. XXI. cap. I. *Metropolitani a menſura Civitatum vocantur: ſingulis enim Provinciis præeminent, quorum auctoritati, & doctrinæ cæteri Sacerdotes ſubjecti ſunt, ſine quibus nihil reliquos agere licet Epiſcopos: Solicitudo enim totius Provinciæ ipſis commiſſa eſt*: ubi Gloſſa in verbo (a menſura) numerum Civitatum declarat, quibus Metropolitanus conſtitui ſolet: *Quia* (inquit) *decem, vel undecim* (Civitates) *debet ſub ſe habere, ut 6. q. 3. c. Scitote*. Hunc quidem Civitatum numerum requirit Pelagius II. Epiſt. VIII. ab eodem Gratiano relatus in C. Scitote 6. q. 3. Sic Anglis recens converſis ad Fidem, Magnus Gregorius ad Auguſtinum ſcribens lib. XI. epiſt. LXV. al. XV. duas Metropolitanas Sedes conſtituit in Britannia, unam Londini, alteram Eboraci, ita tamen, ut per ſingulas Metropoles ordinarentur duodecim Epiſcopi: quod & meminit Beda lib. I. cap. 29. Sed is Epiſcoporum numerus non ſemper conſtans eſſe in ſingulis Metropolibus potuit, dum aliæ Provinciæ majores, aliæ minores fuere pro arbitrio, nunc paucioribus, nunc pluribus prædicto numero Urbibus cuique Metropolitano attributis. Hinc Zaccharias PP. I. Moguntinam Eccleſiam Metropolitanam inſtituens, quinque duntaxat Civitates eidem attribuit epiſt. XIII. apud Labbeum t. VIII. Concil. pag. 262.

debebat, qui reliquis ejusdem Provinciæ Civitatibus, illarumque Episcopis præerat. Hanc Ecclesiastici regiminis œconomiam, quæ jamdiù ex majorum instituto servabatur (1), dum melioribus jam temporibus licuit, lata lege constabiliendam Patres Nicæni duxerunt, unum scilicet Provinciis singulis Metropolitanum præficiendum decernentes, cui cum Episcoporum Comprovincialium consensu ipsius Provinciæ Antistites constituere, atque ordinare jus esset: apud quem bis etiam quotannis Episcopi Comprovinciales convenire, deque omnibus, quæ ad eorum res, & negotia pertinerent, consilium habere, ac statuere deberent (2). Consentanea *Sacris Regulis* Imperat. Justiniani constitutio fuit, in qua, *Illud* (inquit) *observari sancimus, quod de Metropolitanis antea disposuimus. Is enim jure Metropolitanus vocatur, qui in Episcopos minores ex Sacris Regulis eam potestatem habet* (3). Sed ex Justiniano ipso rei, de qua agimus, comprobandæ præclarissimum exemplum nobis suppetit: Quæ fuerit Justiniano caussa partitionem illam reprehendendi unius olim Provinciæ, quæ (uti Zosimus testatur lib. I.) a Constantino facta est inter Helenopontum, & Pontum Polemoniacum, haud facilè constat: in unam denuò Provinciam, *ambos illos locos tredecim comprehensos Urbibus contrahere*, servato solùm *Helenoponti* nomine, atque ab uno tantùm Civili Magistratu, *Moderatoris* vocabulo, administrandam, Justinianus maluit: Hæc tum nova Civilis regiminis forma: sed Ecclesiasticarum rerum nihil immutatum. *Omnes autem* (subdit Imperator) *illæ tredecim Urbes unius sunto Provinciæ, ut tamen neque alterutri in iis Metropoli* (Amaseæ scilicet, & Neocæsareæ) *Metropolis nomen detrahatur; & Dei amantes earum Episcopi, Metropolitani quidem in hac Urbe, qui verò sub Metropolitanis collocati sunt, ab his, qui Metropoles sub cura sua habent (ut hactenus in more fuit) ordinentur: nihil enim circa Sacerdotium illorum innovamus; cùm multas ejusmodi institutiones inter Dei amantissimos Episcopos in una etiam Provincia existere, tam vetustum Sæculum, quàm quod per nos modò exornatur, noverit* (4). Habes igitur in ea Provincia in binas olim partes dissecta binos pariter distinctos Metropolitanos, qui subinde, eâdem Provincia ad veterem formam redactâ, intactis pristinis Ecclesiastici Territorii finibus, Metropolitanus alter Amaseam Metropolim in Helenoponto, alter Neocæsaream in Ponto Polemoniaco separatim retinerent: Habes, inquam, duos quidem in una Provincia Metropolitanos deinceps permissos, qui tamen, quod ad Ecclesiasticas Metropoles attinet, non recentem Civilis Provinciæ formam, sed veteri servato jure, duas adhuc discretas inter sese, ac sibi peculiares Provincias habuisse reipsa ostenduntur.

Cave autem, ne Justiniano omnino credas, qui *multas ejusmodi institutiones* existere affirmat, ut plures nempe in una Provincia Metropolitani consistere tum vetusto, tum suo ævo solerent. Nihil magis falsum ipsemet prodit Justinianus, qui non in una Helenoponti Provincia duos generatim Metropolitanos constituere novit, sed id duntaxat declaravit, ut duobus illis Metropolitanis rata ejusdem Provinciæ vetus divisio, partitioque permaneret. Falsum præterea demonstrat celebris illa Innocentii PP. I. responsio ad Alexandrum Episcopum Antiochenum: nam quod *sciscitaris* (inquit Pontifex Ep. XVIII. Cap. 2.) *utrum divisis Imperiali Judicio Provinciis, ut duo Metropoles fiant, sic duo Metropolitani Episcopi debeant nominari: non ergo visum est ad mobilitatem mundanarum necessitatum Dei Ecclesiam commutari, hono-*

ALTER Qq

(1) Ex Constitutionibus scilicet, quæ vulgo *Canones Apostolici*, sive *SS. Apostolorum* vocantur. Audiendus Zaccharias Pontifex Sanctissimus, qui in eam rem eosdem Canones laudat in Epist. VIII. ad Pippinum, Episcopos, & Proceres Francorum sic scribens cap. I. *Quomodo honorari debeat Metropolitanus Episcopus, coram Episcopis, & Parochialibus Presbyteris in Canone Sanctorum Apostolorum Capitulo* XXXV. *scriptum est*. Episcopos gentium singularum scire convenit, quis inter eos primus habeatur, quem velut caput existiment, & nihil amplius præter ejus conscientiam gerant, quàm illa sola singuli, quæ Parochiæ propriæ, & villis, quæ sub ea sunt, competunt: sed nec ille præter omnium conscientiam faciat aliquid: sic enim unanimitas erit, & glorificabitur Deus per Christum in Spiritu Sancto. *Item in Canone Concilii Antiocheni cap.* IX.... ... *Item ex libro Decretorum Beati Leonis C.* XXXII. *&c.* quorum verba Pontifex in eadem epistola recitat; apud Labbeum tom. VIII. Concil. pag. 242.

(2) Concilium Nicænum Can. V. & VII. apud Labbe tom. II. pag. 328. S. Leo PP. I. epist. 88. cap. 2. *Secundùm Sanctorum Patrum Canones Spiritu Dei conditos, & totius Mundi reverentia consecratos, Metropolitanos singularum Provinciarum Episcopos jus traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus; itaut a regulis præstitutis nulla aut negligentia, aut præscriptione discedant.*

(3) Cod. Justin. Lib. I. Tit. IV. *De Episc. Audient.* Leg. XXIX. §. ultimo.

(4) Novell. Justiniani XXVIII. *De Moderatore Helenoponti* cap. 2. Idem jus in Paphlagonia Justinianus ipse sancivit Novell. XXIX. itaut, etsi illius Edicto ea gens in unam Provinciam coaluerit, nihil a veteri forma quoad Sacerdotium, & duorum Metropolitanorum dignitates innovatum sit. Idem denique in Civilium Provinciarum ampliatione servari placuit. Armenia tributa erat in primam, & secundam, & suis Metropolitanis parebat: Justinianus, devictis Barbaris, cum Armeniæ fines protulisset, in quatuor eam Provincias divisit. *Quæ verò* (inquit Novell. XXXI.) *ad Sacerdotia spectant, ea, ut sæpe diximus, volumus in pristina manere forma.*

*honoresque, aut divisiones perpeti, quas pro suis causis faciendas duxerit Imperator* . Quod si Imperatoribus circa Ecclesiasticam formam, dispositionemque, auctoritatem suam proferre aliquando libuit, irritum id fuit. Theodosius junior, surreptitiis precibus Eustachii Episcopi Beryti deceptus, eam Urbem ad Metropolis dignitatem extulit, latâ lege, sive potius privilegio his verbis: *Propter multas, justasque caussas, Metropolitano nomine, & dignitate Civitatem Berytum decernimus exornandam, jam suis virtutibus exornatam. Igitur hæc quoque Metropolitanam habeat dignitatem: Tyro nihil de suo jure derogatur: sit illa Mater Provinciæ Majorum nostrorum beneficio: hæc nostro*. (1) Honorariam certè Metropolis dignitatem Beryto indulsisse disertè Imperator demonstrat, qui Tyro, antiquæ nempe Metropoli, *nihil de suo jure derogatum* voluit: at ubi derogari cœptum fuit Eustachii ambitione, qui Tyri Metropolitæ Diœcesim invadere, multasque sibi Urbes subdere ausus fuit, in Synodo Chalcedonensi Actione IV. integrum jus Tyrio Metropolitano assertum est, Episcopo Berytensi in ordinem redacto. Atque eo quidem temperamento Concilium Taurinense anni CCCXCVII. uti voluit, ut exortas inter Episcopum Arelatensem, ac Viennensem controversias componeret. Verba libenter afferam, quibus utramque rem, de qua hucusque egimus, confectam dabimus: *Illud inter Episcopos Urbium Arelatensis, & Viennensis, qui de Primatus apud nos honore certabant, a Sancta Synodo definitum est, ut qui ex eis approbaverit suam Civitatem esse Metropolim, is totius Provinciæ honorem primatus obtineat, & ipse juxta Canonum præceptum ordinationum habeat potestatem. Certè ad pacis vinculum conservandum hoc consilio utiliori decretum est, ut, si placet, memoratarum Urbium Episcopis unaquæque de his viciniores sibi intra Provinciam vindicet Civitates, atque eas Ecclesias visitet, quas Oppidis suis vicinas magis esse constiterit; ita ut memores unanimitatis, atque concordiæ non alter alterum inquietet* (2). Exemplum alterum ex eadem Synodo Chalcedonensi habetur; etenim Act. VI. hæc ibi gesta leguntur: *Post hæc Divinissimus, & piissimus Dominus noster* (Marcianus) *ad sanctam Synodum dixit: ad honorem sanctæ Martyris Euphemiæ, & vestræ pariter sanctitatis, Chalcedonensium Civitatem, in qua Sanctæ Fidei Concilium gestum est, Metropolis privilegia habere sancimus, nomine tantùm hanc honorantes, salva videlicet Nicomediensium Civitati propria dignitate*. Cui sanctioni ab universis Episcopis hisce verbis acclamatum fuit: *Justum judicium Imperatoris* (3). Ex quibus profectò exemplis dum Theodosius Berytensi Urbi, Tyri jure nullatenus *derogato*, Marcianus Chalcedonensi, *salva* Nicomediæ dignitate, Metropolis privilegia communicata voluerunt, id nomine tantùm, honorisque specie factum omnino liquet. Constans itaque illud, perpetuumque fuit, quod Cœlestinus PP. I. sanxit, ut *juxta Canonum decreta, unaquæque Provincia suo Metropolitano contenta sit* (4). Ratumque, atque indubitatum manere debet, plures in una Provincia Metropoles tum Civiles, tum Ecclesiasticas, nunquam extitisse, aut extare potuisse, nisi nudo nomine, honorisque tantummodo caussa, vel nisi Provincia ipsa in duas, pluresque partes dissecta, in plures distinctas Provincias, totidemque Metropoles propagaretur. Stet igitur incolume Capuanæ Urbi decus, illustri etiam S. Athanasii testimonio comprobatum, *Civilem* eam Campaniæ, non in Campania, Metropolim extitisse: dummodo nihil Beneventanæ Urbis dignitati detrahatur, quæ non in Campania simul cum Capua Metropolis fuit, sed nunquam a nativæ Provinciæ suæ finibus ejecta, nunquam, avulso veluti Capite, Samnium deseruit, nunquam Samnii Metropolis esse desivit.

Hactenus de Benevento Civili Provinciæ Samnii Metropoli præloquendum fuit, ut eo veluti jacto solidissimo fundamento, Ecclesiasticam in eadem Urbe Metropolim celeriùs exurgere inspiceremus, quàm ut serissimæ ætatis addita Privilegia expectentur. Scio hanc Metropolitani dignitatem, in iis Italiæ regionibus, quæ *Urbicariæ* Diœceseos nomine, ac finibus continebantur, nunquam admissum, neque fortasse ante Sæculum X. Metropolitanorum, aut Archiepiscoporum nomen auditum: Ea siquidem Viris eruditis insedit sententia, quibus persuasum illud extat, eam amplissimam Diœcesim Pontifici uni Romano, veluti Metropolitano, seù potiùs Patriarchæ subjectam fuisse; indeque Nicæni Concilii Canonem VI. manasse, quo inter Romanum Pontificem, Alexandrinumque Patriarcham comparatio instituta fuit, ut (quemadmodum Ruffinus eundem Canonem explicat) *apud Alexandriam, & in Urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut ille Ægypti, vel hic suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat* (5), idest Alexandrinus Patriarcha Ægyptiacæ Diœceseos

ἐξουσίαν

(1) Leg. un. Tit. XXI. Cod. Justin. *De Metropoli Beryto*.

(2) Apud Labbeum tom. II. pag. 1383.

(3) Apud Binium tom. III. pag. 362.

(4) S. Cœlestinus PP. I. in epistola ad Episcopos Provinciæ Viennensis, & Narbonensis Cap. IV. apud Labbeum tom. III. pag. 480.

(5) Ruffinus Hist. Eccl. lib. X. cap. VI.

ἐξουσίαν habere debeat eodem jure, quo Episcopus Romanus utebatur in Dioecesi Urbicaria, seù (ut Ruffinus elegantissimè loquitur) in Ecclesiis *Suburbicariis*, quæ decem Provinciis Suburbicariis contentæ, quoad Synodum, & Ordinationem, & plenam, liberamque administrationem ad Episcopum Romanum pertinebant. Hinc ille ipse Cœlestinus Pontifex, à quo paullò ante audivimus Galliarum Provincias suis quasque Metropolitanis contentas esse debere, ad Episcopos Apuliæ, & Calabriæ (quæ quidem inter Suburbicarias Regiones recensebantur) scribens, illarum Ecclesiarum Ordinationes manifestè sibi adjudicat, aliquot Civitatum detestatus errorem, quæ, Clericis posthabitis, Laicos sibi Episcopos eligere pertentabant, *tantumque* (inquit) *fastigium tam vile credere, ut hoc his, qui non Deo, sed Sæculo militaverunt, æstiment Nos posse conferre; non solùm male de suis Clericis, in quorum contemptum hoc faciunt, judicantes, sed de Nobis pessime, quos credunt hoc posse facere sentientes* (1). Auditum quidem in Italia Cistiberina Archiepiscoporum nomen fuit Sæculo VIII.; sed per summum nefas post impiissimi Leonis Isaurici tempora eam rem moliri Græci ausi sunt, qui in manifestam Romani Pontificis injuriam hoc pacto auctoritatem suam in Occidentis Ecclesias protendere cogitarunt, si suos ibi Metropolitanos, futuros certè sibi obnoxios, constituerent: excitatæ inter alias tum fuerunt in Calabria antiqua, & in Apulia, Hydruntina, & S. Severinæ Metropoles, quarum meminit Diatyposis Leonis Philosophi, ubi quatuor S. Severinæ Episcopatus submissi leguntur, nullus verò (quod nuperum fuit Græcorum inventum) Suffraganeus Hydruntinæ attribuitur (2). Celebre illud Sergii Neapolitani Episcopi facinus fuit, qui *dum à Græcorum Pontifice Archiepiscopatum nancisceretur, ab Antistite Romano* (idest Gregorio II.) *correptus veniam impetravit* (3): abjecit scilicet Sergius eam novam dignitatem, quam sibi ambitiosiùs ab illegitimo Largitore surripuerat magis, quàm sibi comparaverat; ita ut suo Episcopatu contentus, quem Pontificiâ indulgentiâ confirmari sibi obtinuit, summam illius potestatem, quam à nascente Christi Ecclesia Romano Patriarchatui singulæ Occidentis Ecclesiæ profiteri cœperunt, aliarum exemplo, & ipse agnoscere satiùs habuit.

Quantumvis enim vera hæc videri queant, verum tamen quoque illud stare debet, Metropoliticam Dignitatem in Suburbicariis Provinciis, si non nomine, plenoque jure, aliqua tamen ex parte, pluribusque de causis permissam constitisse. Non ego quidem ambis pedibus in Petri de Marca sententiam iverim, qui Viris Eruditis *assentiri non posse*, ait, Suburbicarias Provincias Metropolitibus destitutas putantibus, *quum vera ratio in contrariam sententiam impellere debeat* (4). Vera autem ratio in contrarium illa Viro doctissimo visa fuit, quod pleræque ex illis, veluti Campania, Apulia, Brutii, Sicilia, Sardinia, revera in Provinciarum censum adsciscendæ sint, quas certè Romani Pontifices in suis ad peculiares earum Episcopos datis Epistolis veras, atque distinctas inter se Provincias agnoverunt, in eandemque rem, inter alia, Athanasii testimonium de Metropoli Capua, ac Gregorii regesta, Calabriæ, Siciliæ, Sardiniæ, Metropolitanos commemorantia adducit: Tunc denique concludit, Ordinationes eo modo ab Episcopo Romano celebratas, quo Alexandrinus Episcopus, ex Nicæni Concilii Constitutione, atque etiam Thessalonicensis ex Pontificis Leonis I. delegatione utebantur, nempe, ut, electis Cleri, & Populi consensu Episcopis, Metropolitani primùm accederet auctoritas, deinde ad ejus relationem decretum Apostolicæ Sedis interponeretur (5). Non, inquam, Marcæ sententia indiscriminatim admittenda erit, quam partim falsam prolata ab eo argumenta produnt. De Capua enim Metropoli, frustra (quod superiùs jam monebam) Athanasii testimonium adducitur, qui Vincentium Episcopum Capuæ, non *Metropolitanum Campaniæ*, sed Episcopum Capuæ, *quæ Metropolis est Campaniæ*, appellans, non Ecclesiasticam, sed Civilem ejus Urbis Metropoliticam dignitatem designarit; neque enim plus honoris, quàm sibi ipsi Vincentius in suis subscriptionibus in Concilio Sardicensi factis, ac superiùs recitatis, vel eidem Vincentio alii unquam tradidisse inveniuntur, Athanasius tribuisse dicendus est; ut qui inter Episcopos Campaniæ recensebatur, eorundem Episcoporum Metropolitanus audire solius Athanasii ore jam tum inciperet. Nec Marcæ fides, qui lectores suos ad Gregorii Regesta ablegat, *in quibus* (inquit) *Apuliæ, Calabriæ, Siciliæ, Sardiniæ Metropolitanos videre est*. Si Sardiniam excipias, quæ insula, satis diverso jure à cæteris



(1) Epist. III. ad Episcopos Apuliæ, & Calabriæ apud d. Labbeum l. l. pag. 482.
(2) Apud Petr. de Marca de Concord. Sac. & Imp. lib. I. cap. 7. num. 4.
(3) Johan. Diac. in Chron. Episc. Neapol. Scriptor. Ital. tom. I. part. II. pag. 307.
(4) De Concord. Sac. & Imp. lib. I. cap. VII.
(5) Ibid. num. V.

Provinciis Suburbicariis censebatur (1), contrarium omnia eadem Gregorii Regesta nostris oculis exhibent: quod de Sicilia, etsi ipsa Insula esset ab extrema Italia separata, manifestissimum erit. Nullum Gregorii ævo, ideſt ad Sæculum VII. fuiſſe in Sicilia Metropolitanum oſtendunt primò Epiſt. 18. Lib. I., & Epiſt. 24. Lib. II., quibus Pontifex Epiſcopos pro Sicilia ordinandos Romam tranſmitti jubet. Secundò Lib. II. Epiſt. 7. ad Maximianum Syracuſanum Epiſcopum, cui Sedis Apoſtolicæ vices committens, ipſi de minimis in Sicilia cauſis judicare permittit. Tertiò Lib. VIII. Epiſtolæ 5. inſcriptio, ad plurimos Metropolitanos diſtinctè nominatos, & omnes Epiſcopos Siciliæ, quibus ſi Metropolitanus fuiſſet, cum aliis præmemoratis & ipſe nominatus legeretur. Quartò, quod Epiſcopi Siciliæ Romam ad celebrandam Synodum triennio quoque convenire obſtricti, non ea quidem ſubjectione ſoluti, ſed ut quinquennio quoque ob loci diſtantiam, ac maritimi itineris difficultatem, adirent, à Gregorio impetrarunt (2). Denique prima omnium Gregorii Epiſtola, à qua Liber I. exordium habet, præclariſſimum omnium rei teſtimonium eſt: Data enim legitur ad Univerſos Epiſcopos Siciliæ, quos ad annuas Synodos, vel Syracuſis, vel Catanæ celebrandas compellit. An verò, ſi alterutra Civitas Eccleſiaſtica Metropolis fuiſſet, vel alibi Siciliæ Metropolitanus conſtitiſſet, eam ſollicitudinem oſtendiſſet Gregorius? vel non præcipuè Metropolitano, reliquiſque Epiſcopis mandandam duxiſſet? Immo & videas Gregorii œconomiam, qui tantum abeſt, ut de Metropolitano cogitaret, aut jus aliquod induceret, ut non unam, certamque Civitatem, ſed duas permixtim, Epiſcoporum arbitratu, deſignaverit, ne ſi illarum alterutram ipſe ſtatuiſſet, conſtituere ibi ſimul Metropolim quodammodo videretur. Adde etiam, quod eas vices, quas Gregorium Maximiano Epiſcopo Syracuſano commiſiſſe ſuperiùs memoravimus, non loco, ſed perſonæ ſe tribuiſſe Pontifex diſertiſſimè declaravit, ne ſcilicet ejus Cathedræ Succeſſores in eadem quoque ſucceſſiſſe dignitate, aut Primatus, ſive Metropoleos jus aliquod ſibi vindicare molirentur (3).

Latiùs de Sicilia, per tractanda, comprobandaque res mihi fuit, ut ejus exemplo certiſſimum argumentum de aliis Suburbicariis Provinciis mihi compararem. Si enim nullum in Provincia Sicilia Metropolitanum, Gregorii ætate, fuiſſe conſtat; immo tam cautè Gregorius egiſſe videtur, ut Metropolitica jura ſibi ſervaret; quis unquam Metropolitanos ſomniare poterit, aut obtrudere auſit in reliquis Provinciis, quæ nec regionis diſtantia diſſitæ, nec ullo freto disjunctæ, ſed verè *ſuburbicariæ* ad Romanam Cathedram, ipsâ etiam locorum continentiâ, pertinebant? Nullus itaque Gregorio locupletior, nullus ſincerior teſtis adhiberi poteſt, ut nullum ad ſeptimum uſque Sæculum in noſtra Ciſtiberina Italia Metropolitanum fuiſſe ſciamus; nullum etiam in Tranſtiberina pari modo ex eodem Pontifice diſcimus, qui Epiſtolam XVII. Lib. I. dedit ad *Univerſos Epiſcopos Italiæ*, monens, ut, Rege Authari jam mortuo, filios Longobardorum in *Ariana hæreſi baptizatos ad Chriſtianam fidem ſtatim conciliarent*. Non, inquam, ad ſingulos Metropolitanos Italiæ (quem morem in aliis Regionibus, ubi Metropolitani aderant, conſtanter ſervavit) ſed ad univerſos Epiſcopos Italiæ, quorum ipſe Romanus Pontifex Metropolitanus erat, ſcripſit Gregorius: ſive is verò Italiam, quâ longè ad Fretum Siculum excurrit, ſivè quæ ab Alpibus ad Tiberim terminatur, intellexerit, utramque profectò Metropolitanis caruiſſe jam probavimus; utque ad noſtras Regiones, ipſamque Campaniam redeam, rem omnem inſigni Erchemperti teſtimonio concludam, qui de Capua, ejuſque Epiſcopo Landulfo circiter annum 873. hæc habet n: XXXVI. *Per idem tempus jam dictus Cæſar* (Ludovicus II.) *Landulfum in familiaritatem alliciens, tertium in Regno ſuo conſtituit. Qua elatione erectus Archiepiſcopatum totius Beneventi omni aviditate, & ut Capua Metropolis fieret, quæſivit: Sed, non Domino ſinente,*

(1) Metropolitanum Sardiniæ meminit Gregorius lib. IX. epiſt. VIII.

(2) Tempore S. Leonis PP. I. Epiſcopis Siciliæ quotannis ad Synodum Romanam conveniendum fuit, hac tamen indulgentia, ut non omnes, ſed terni ad diem tertium Kalendarum Octobrium Romæ ſe ſiſterent. Ita ipſe Leo in epiſtola IV. ad univerſos Epiſcopos per Siciliam conſtitutos data anno 449. ubi cap. VII. ſic habet: *Quare illud primitus pro cuſtodia concordiſſimæ unitatis exigimus, ut quia ſaluberrimè a SS. Patribus conſtitutum eſt, binos in annis ſingulis Epiſcoporum debere eſſe conventus, terni ſemper ex vobis ad diem tertium Kalendarum Octobrium Romam æterno Concilio ſociandi occurrant*. Qua ex epiſtola, ejuſque inſcriptione, illud ſemper comprobatum manet, nullum in Sicilia fuiſſe Metropolitanum, ſed jus omne Metropoliticum apud Romanum Pontificem extitiſſe, uti liquet ex altera ejuſdem Leonis Epiſtola CIV. pag. 101., & pag. 179. Operum S. Leonis edit. Venet. 1741.

(3) Vid. notas PP. S. Mauri ad dictam epiſt. I. Libri I., & epiſt. V. Libri VIII.

*nente, ad perfectum minime pervenit* (1). De hoc Erchemperti loco mox sermo redibit: Interim satis certum, exploratumque retinemus, Capuam (nisi de *Civili* Metropoli agatur, quam solam Athanasius intellexit) ad Sæculum decimum nunquam Ecclesiasticam Metropolim extitisse; si enim fuisset, cur Episcopus Landulfus, non tam Augusti Ludovici gratiâ fretus, quàm ex ejus in Beneventanos odio, a quibus Captivus factus fuerat, occasionem arripiens, *Archiepiscopatum totius Beneventi* (ideft universi Beneventani Principatus) *& ut Capua Metropolis fieret, quæsivit*? Sed neque Landulfi ambitioni, neque Ludovici impotentiæ optatus rei successus respondit: Maximi quidem res illa momenti erat: nec ita facilè Ecclesia Beneventana juribus suis spoliari poterat, quibus supra reliquas Regionis Ecclesias, à Sæculo usque quarto dum Samnii sui Caput erat, mox præ universis Italiæ Cistiberinæ Ecclesiis, augusta Longobardici Principatus sedes effecta, quammaximè eminebat. Arduum verò, ac planè difficillimum, *Archiepiscopatus*, & *Metropolis* vocabula, prærogativasque in his Regionibus instituere, ubi Romanus Pontifex à nascentis Ecclesiæ primordiis eo jure potiebatur.

His adversus Petri de Marca sententiam ritè animadversis, qua nunc parte eadem sententia probari possit, aperiam. Et quidem non aliunde tutiùs, atque opportuniùs, quàm ex eodem Magno Gregorio rem statuere libet. Primum itaque, illud mihi satis probatur, universos Episcopos per *Suburbicarias* illas decem Regiones distributos, uni licet, ac soli Romano Pontifici, suo nempe Metropolitano subjectos, non unius tamen Provinciæ jure, nomineque censitos; Heinc, quum de Episcopis ageretur, eorumque Metropolitano, non eæ Regiones in unam veluti Provinciam coaluisse videbantur, sed distinctæ invicem, seseque inter separatæ, quoad ipsas etiam Ecclesias, Civilem formam, ac dispositionem sequebantur. Sic Pontifex Innocentius I. peculiares Epistolas dedit, alteram ad Maximum, & Severum Episcopos *per Brutios* constitutos, alteram ad Agapitum, Macedonium, & Maurianum *Episcopos Apulos*, quibus sic scribere orditur: *Multa in Provincia vestra contra Canones Ecclesiasticos, Decretaque Majorum usurpari a plurimis, & relationes diversorum, & suggestiones fidissimæ retulerunt* (2). Ita quoque Pontifex Cœlestinus I. eam, quam paullò superiùs memoravimus, Epistolam ad Episcopos *Apuliæ*, & *Calabriæ* dedit. Sed & Pontificis Leonis I. Epistolæ sunt non solùm ad Universos Episcopos per *Campaniam*, & *Picenum*, *Tusciam*, *& per universas Provincias constitutos*, ideft reliquas Provincias *Suburbicarias*, quas Romanus Pontifex Metropolitani jure administrabat, verùm etiam ad *universos Episcopos per Campaniam, Samnium, & Picenum constitutos* (3), ut videas, peculiarem de singulis Provinciis rationem à Summis Pontificibus habitam, earumque antiquam divisionem illorum judicio, auctoritateque probatam; videasque simul (quod heic animadvertisse præstat) inter eas Provincias *Samnium* memorari, recenserique, quod nunquam vel aliis Provinciis adjudicatum, vel nomine, ac dignitate sua collapsum evanuit; sed adhuc Leonis ævo, adhuc Gregorii tempore, qui pluries de illo meminit, feliciter consistebat.

Quum igitur hæ Provinciæ omnes inter sese distinguerentur, ac suis quæque Episcopis censerentur, qui ex propriis Parochiis, sive Diœcesibus, quas singuli suo jure administrabant, unam simul omnes proprio nomine appellatam, suisque finibus, ac territorio contentam Diœcesim, sive Ecclesiasticam Provinciam constituebant, necessariò consequitur, eorundem Episcoporum aliquem, inter alios Coepiscopos, quendam veluti Primatum obtinere debuisse; apud quem cæteri de Ecclesiasticis Provinciæ suæ negotiis consultaturi convenirent; eumque Romanus Pontifex adhiberet, cui sua decreta, gravioresque res in eadem Provincia expediendas, exequendasque dirigeret. En quid pro Provincia Siciliæ sancivit Gregorius in dicta Epistola I. Libri I. *Illud quoque* (ait ad universos Siciliæ Episcopos scribens) *fieri debere perspeximus, ut semel per annum ad Syracusanam, sive Catanensium Civitatem universaliter honore, quo dignum est, Fraternitas vestra conveniat: quatenus quæ ad utilitatem ipsius Provinciæ Ecclesiarum pertinent, sivè ad necessitatem pauperum, oppressorumque sublevandam, sive ad admonitionem omnium, atque correctionem eorum, quorum excessus contigerit demonstrari, congrua debeatis moderatione disponere. A' quo Concilio procul absint odia,* faci-

(1) Inter Opera Cam. Peregrinii edit. Neapol. tom. I. pag. 124. qua sanatur corruptus locus Editionis Muratorianæ inter Scriptor. Ital. tom. V. pag. 22. & vicissim editio Neapolitana emendetur, ubi pro: *elatione erectus*: perperam legitur: *electione indeptus*. In Muratoriana vero deest: *aviditate*.

(2) S.Innocentii PP.I. Epist.V., & VI.; apud Labbeum tom. II. Concil. pag. 22.

(3) Epist. I., & Epist. LXXX. pag. 97., & pag. 149. dictæ edit. Venet. 1741.

*facinorum nutrimenta, atque invidia interna tabescat, & nimis execrabilis animorum discordia Sacerdotes suos concordia Deo placita, & caritas recognoscat*. Adhuc etiam Gregorius in deligendis, ordinandisque pro eadem Siciliæ Provincia Episcopis alicui Provinciæ Antistiti, qui tum Cathedræ, tum virtutis dignitate præfulgebat, id negotium commendabat, ut scilicet, si quem idoneum repererit, *eum* (sunt Pontificis verba ad Maximianum Episcopum Syracusanum Lib. II. Epist. 24.) *diligenter examinet; & si ad hunc gradum provehi dignum esse perspexerit, ad nos studeat destinare, ut eum, disponente Deo, loco, cui prævideriмus, possimus ordinare Pastorem*. Ex ipso itaque Gregorio, atque ex ipsa simul Sicilia, unde pro excludendo à Suburbicariis Regionibus Metropolitanorum nomine, atque jure manifesta documenta superiùs habuimus, argumenta nunc nobis uberrima suppetunt, ut qui in hisce Regionibus ad Sæculum usque decimum Ecclesiasticæ Oeconomiæ status viguisset, revera agnoscamus. Erat siquidem iis Regionibus, sive Provinciis suum discrimen, quo & numero, & nomine, & territorio inter se distinguebantur: Erant singulis Provinciis sui Episcopi, qui earum vocabulo, & finibus continebantur: Metropolitanus autem non erat; Cujus dignitatis jure cum Patriarchatus munere Romanus Episcopus per universos, quàquà paterent, Suburbicariarum Regionum, seù Provinciarum fines fungebatur; ita tamen, ut iis regulis, quæ Ecclesiastico Regimini ritè, rectèque administrando Christiana Ecclesia à suis initiis sibi statuisset, locus esset, scirentque Episcopi singularum gentium (uti vulgati Canones Apostolorum ajunt Cap. XXXV.) *quis inter eos* Primus *haberetur, quem velut* Caput *existimarent*: atque hic quidem in singulis Suburbicariis Provinciis Metropolitani veluti vices, seù potius munera quædam pro Ecclesiarum necessitate, aut utilitate præsentialiter obeunda exercebat, ejusdem is Regionis Episcopus, cui præter privata merita Sedis suæ præstantia hanc prærogativam vindicabat; hoc etiam honore semper ei Civitati servato, quæ Civilis Provinciæ Metropolis habebatur.

Atque hac quidem prærogativa saltem ad Gregorii ævum, seù ad Sæculum usque septimum pro Samnii Provincia, Beneventum contentam esse volumus; dumque nos (ne plus æquo Ecclesiæ Beneventanæ tribuisse videremur) rem totam universim pro aliis Provinciis ad certam sententiam restituentes, ad parem cum cæteris Ecclesiis primatum habentibus conditionem Beneventanam redegimus, neminem futurum arbitror, qui iniquiùs de Ecclesia Beneventana, quàm de reliquis judicare velit: Invidum se, aut certè stipitem se prodet, cui vel dissimulare libeat, vel nescire adhuc contingat vetusta Beneventanæ Urbis decora, ampliora fortasse sub Romano Imperio, quàm quum veterum Samnitum res floruissent; excisis enim Boviano, ac aliis maximis Urbibus, quæ sive pares, sive æmulæ Beneventi habebantur, una ipsa Samnii Metropolis effecta, ejus Provinciæ nomen, dignitatem, atque imperium servavit. At hæc superiori Libro, suo scilicet loco, edisseruimus, indicemque percurrentibus obvia statim dedimus. An verò, quæ in ipsa splendidissima Samnii Metropoli Urbe exorta cum ipsa Christiana Fide est Ecclesia, nihil exinde sibi præstantiæ, ac majestatis super reliquas suæ Provinciæ Ecclesias vindicare vel potuit, vel debuit? Quid verò conjecturis utar? dum documenta præsto mihi sunt, ut id certum, ac manifestum demonstrem.

Magnus ipse Gregorius, qui dux hactenus nobis fuit, facemque prætulit, ut contrà quàm diversâ sententiâ, contrariis studiis, vel plus, vel minus æquo alii arbitrati sunt, veriora de *primatialibus* Suburbicariarum Provinciarum Ecclesiis nosceremus, vera illa esse, quæ mox à me de Ecclesia Beneventana pronunciata sunt, speciatim demonstrat. Hortonensis Ecclesiæ Pastore suo viduatæ Visitationem Barbaro Episcopo Beneventano à Gregorio commissam docet ejus Epistola ad Clerum, Ordinem, & Plebem illius Civitatis data, ubi sic ad eos scribit: *Vestri Antistitis obitum cognoscentes, cura nobis fuit destitutæ Ecclesiæ Visitationem Fratri, & Coepiscopo nostro Barbaro solemniter delegare* (1). Quod verò Barbarus hic, Beneventanus fuerit Episcopus, ex posterioribus aliis ejusdem Pontificis Epistolis satis liquet, quibus illi Panormitanæ quoquæ Ecclesiæ Visitationem commisit (2). Cur autem Gregorius præter morem

(1) Lib. IV. epist. XLI., al. XXXIX.

(2) Lib. XIII. ep. XIII., al. XVI., & seq. Hunc Barbarum Episcopum Beneventanum, qui sub Gregorio PP. floruit, ignorans noster Vipera, desiderandum in sua Chronologia reliquit. Novit, atque recensuit inter Beneventanos Antistites Ughellus, atque ex eo Sarnellius, illius notitiam ex Gregorii epistola adepti. Variæ ejus Epistolæ XIII. ex MS. Codicibus habentur inscriptiones; quæ in nupera PP. Benedictinorum editione legitur, ita habet: *Gregorius Barbaro Episcopo Beneventano*: ad quam eruditi editores hæc notant: *In recentioribus editionibus legitur: Episcopo Beneventano. Præ-*

morem Beneventano Episcopo tam longè dissito Ecclesiam Panormitanam visitandam commiserit, *non videre se* ajunt Eruditi Editores Benedictini in ejusdem Epistolarum notis, *nisi fortè* (subdunt) *quia iis in locis aliis negotiis gerendis detinebatur, vel etiam quia illum virum industrium noverat, & qui aliàs in eo munere præclare se gesserat, ut cùm ei Ecclesiam Hortonensem visitandam commisit*. Veri quidem hæc similia, si de Ecclesia Panormitana res sit: sed ad Ecclesiam Hortonensem quod attinet, certum illud affirmari debet, ideo illius Visitationem Episcopo Beneventano à Gregorio videri commissam, quod ille Primatus jura in Provincia Samnii repræsentaret. Hortonam, *Ortium* Straboni, *Ortonam* Plinio (Episcopalem adhuc Urbem Aprutii citerioris sub Archiepiscopo Theatino) inter Samniticas Urbes non mediocrem olim fuisse, atque intra Provinciæ Samnii fines contentam, veteres Geographi docent, memineruntque laudati Benedictini Editores in notis ad priorem Epistolam: censuit itaque Gregorius necessariò illud Visitationis munus, non propinquiori cuipiam Episcopo, sed Beneventano committere, qui in Civili Metropoli constitutus, omnium ejusdem Provinciæ Episcoporum juxta Nicænum Canonem Primus, ac Caput existimabatur; cui propterea illius Ecclesiæ Visitationem solemniter delegasse testatus, tum Ecclesiasticorum Bonorum administrationem, tum Clericorum Ordinationes, tum denique sufficiendi Episcopi electionem cum amplissima facultate permittit. Sed non uno ex Gregorio rem hanc conficiemus; quam is superiorum temporum exempla sequutus pro Ecclesia Beneventana servasse potiùs, quàm instituisse putandus est.

Jamdiù igitur ante Gregorium Beneventanæ Ecclesiæ Primatum agnoverat, disertisque verbis Sanctus Paulinus Nolæ Episcopus testatus fuerat: Paulinus Romani olim, post Ecclesiastici Senatus præclarissimum lumen, qui Musas Religioni subdens, si non venustiores, utiliores certè effecit, satis prolixum, atque elegans Epithalamium cecinit in Nuptiis Juliani, & Jæ. Infame admodum in Ecclesiasticis Sæculi v. tabulis occurrit Juliani nomen: Episcopi Memoris filius, & ipse dein successor Episcopus Eclanensis Provinciæ Samnii, S. Augustini antea necessarius, mox illius, imo Orthodoxæ Fidei infensissimus hostis, atque (uti rectè à S. Prospero vocatur) *jactantissimus Pelagiani Erroris assertor*, primo juventæ flore, ac Clericali militiæ cum Lectoris munere adscriptus, conjugem accepit (1). Ja illius Conjux fuit, nobilissima Fœmina, & ipsa Episcopi Beneventani Æmilii filia. Celebres profectò eæ nuptiæ ob utriusque Sponsi, Genitorumque nobilitatem, ac dignitatem fuisse videntur, quæ Paulinum è Nolana Ecclesia ad plausus, gratulationesque excitarint; celebriores adhuc ipsius Paulini Epithalamio evasisse dicendæ sunt; qui non solùm fausta omnia uberrimo stylo apprecatus, sed tum in Juliani, tum Iæ, tum etiam in utriusque Episcopi Æmilii, Memorisque laudes latiùs excurrens, ita de his inter alia plura cecinit:

*Hic Vir, hic est Domini numeroso munere Christi*
*Dives, Vir superi luminis Æmilius.*

*Surge,*

*Prætulimus lectionem veterum excusorum, quod firmatur auctoritate R.mensis, quatuor Vaticanorum, duorumque Colbertinorum, & aliorum. In uno ex Colbertinis dissimulato Episcopi titulo, extat solum: Barbaro Carinis: Carinensis Urbs fuit olim Episcopalis apud Brutios non longe a Regio: existimat autem Rochus Pirrus t. II. pag. 461. intelligendum esse de alia hujus nominis Urbe in Sicilia haud procul Panormo ex ruinis Hyccaris Oppidi constructa, quem tamen an ullum olim habuerit Antistitem, incertum sibi esse ait*. Nugari igitur voluit Pirrus, qui ex una mendosi Codicis inscriptione, cui cæteri omnes refragantur, Barbarum Siculæ Urbeculæ Episcopum opinari voluit, quam nunquam Episcopalem fuisse Sedem fatetur. Sed non ineptè minus, Theatinorum animos, atque ingenia pervasit opinio, de eodem Barbaro inter suos Episcopos recensendo: Ughellum audiamus in Episcopis Theatinis t. VI. pag. 678. novæ editionis in tertio Episcopo: *Barbarum Episcopum, de quo S. Gregorius lib.* IV. *cap.* 39. (veter. edit.) *mentionem fecit, scribunt Theatinum Episcopum fuisse anno 594. conjectura ducti quod Gregorius, defuncto Orthonensi Episcopo, ejus Ecclesiæ visitationem illi delegavit, quod viciniori Episcopo competere videbatur; finitimus tunc erat Theatinus Episcopus, quamobrem astruere conantur Barbatum, sive Barbarum Episcopum illum haut potuisse esse, nisi Theatinum: an vacillet conjectura hæc, illis examinandum relinquo*. Hæc Ughellus, qui satis flocci faciendam hanc (si tamen conjectura dici queat) *lenissimam conjecturam* ostendit tum hoc loco, tum t. VIII. in Beneventanis Episcopis, quibus certo calamo Barbarum accenset. Cur verò Gregorius Hortonensis Ecclesiæ visitationem Beneventano Episcopo delegavit, nunc demum discant Theatini; quod scilicet ea Ecclesia ad Samnii Provinciam pertineret, cujus primus, caputque erat Beneventanus Episcopus. Illud verò jam norunt ex Erchemperto, *Theatensium tellures, & Urbes ad dominium Beneventanorum sub Longobardis Principibus olim pertinuisse*. An tandem noster Episcopus Barbarus, vel Barbatus vocandus sit, haud temerè cum Ughello controversiam faciam; quum de Barbaro omnes MS. codices consentiant.

(1) Juliani Episcopi Eclanensis, novique Pelagiani Patriam, Parentes, Nuptias, Episcopatum, Hæresim satis accuratè, eruditèque exponit Card. Norisius Hist. Pelagianæ lib. I. cap. XVIII.

*Surge, Memor, venerare* PATREM, *complectere* FRATREM.
*Uno* UTRUMQUE TIBI NOMEN *in Æmilio est.*
JUNIOR, *&* SENIOR *Memor est: mirabile magni*
*Munus, Opusque Dei; qui* MINOR, *hic* PATER *est.*
*Posteriùs natus* SENIOR; *qui* SEDE SACERDOS
*Gestat Apostolicam pectore canitiem.*
*Filius est,* FRATERQUE *Memor; lætatur adesse*
*Communem sibimet, pignoribusque* PATREM (1).

Hæc tantùm carmina, quæ ad rem nostram pertinent, recitare satiùs duxi, remque ipsam verbis illis Romano charactere expressis perspectam legenti, paullòque attentiùs consideranti perspicuam fecisse reor. Cur enim Memori Episcopo Æmilius Episcopus PATER simul & FRATER? nisi quod ambo Episcopali munere FRATRES; adhuc verò PATER Æmilius Beneventanæ Ecclesiæ dignitate, quæ Eclanensem subjectam habebat. Cur JUNIOR, & SENIOR Memor? Cur Æmilius MINOR, & tamen PATER? Posteriùs natus, & tamen SENIOR? quia etsi Ætate, atque Ordinatione Memori posterior, SEDE tamen SACERDOS, ejusdem Sedis prærogativâ Apostolicam Canitiem, idest *Primatus* dignitatem referebat. Præclariora hæc sunt, quàm ut longiori explicatione opus habeant. Adde nunc hæc eadem à Paulino, tum doctrina, tum sanctitate perillustri profecta, ab eo nempe, qui etiam Episcopus in finitima Regione Campaniæ, Ecclesiasticam disciplinam, juraque omnia in Suburbicariis Regionibus tum servata probè norat, quæ iis vocabulis, phrasibusque tum appositè, tum elegantissimè demonstravit. Hinc nullum invenire erit, Virum doctum, eruditumque, qui non ex hoc Paulini loco eam vetustissimam Beneventanæ Sedis prærogativam supra Eclanensem, reliquasque Samnii Ecclesias manifestam statuerit (2): Camillus ipse Peregrinius probatam, studioséque confirmatam eam sententiam sibi voluit, atque conterraneum suum Michaelem Monachum, qui de fraterna Æmilii, Memorisque consanguinitate (3), priorique Æmilii ordinatione loquutum Paulinum existimavit, acriter refutavit, objurgavitque (4). Habes igitur

(1) S. Paulinus Nol. Poemat. XXXII. vers. CCX.

(2) Johan. Garnerius in notis ad cap. IV. Subnotationum Marii Mercatoris pag. 42. Petrus Jos. Cantelius De Metropolitanis Urbibus P. III. Dissert. III. §. VIII. Dom. Georgius De Orig. Metropolis Ecclesiæ Beneventanæ, Romæ 1725.

(3) Lapsus etiam in hunc errorem est Ughellus in Ital. Sacr. tom. VIII. pag. 16., atque Ughellum totidem penè verbis oscitanter sequutus Sarnellus in Chronol. Benev. pag. 23.: nihil autem falsius, nihil absurdius, ut Memor Episcopus Episcopi Æmilii sanguine frater fuisse putetur, dicaturque. Haud enim tam magnum erat, ut ob solam ætatis, aut ordinationis præstantiam tot *Patris*, *Fratris*, *Minoris*, *Junioris*, *Senioris* vocabula, phrasesque adhibuisset, ac tam multa carmina de ea levi re effudisset Paulinus. Adde, si ii Episcopi fratres fuissent, haud ita facilè inter Julianum, & Jam, idest inter patrueles, repugnantibus Ecclesiasticis Regulis, eas Nuptias permissas. Plura adhuc peccavit Ughellus, Memorem (quem perperam Memorium vocat) Episcopum Capuanum, Julianum autem non Capuæ, neque Atellæ, sed Calenæ Episcopum affirmans; nam nec ille Capuanus, neque hic Calenæ, sed uterque Eclanensis fuit Episcopus, in qua Cathedra Julianus Memori Genitori successit. Vid. Card. Norisium l. l., ac Cam. Peregrinium in nota sequenti.

(4) Pauca ex hoc Peregrinii loco, quæ satis tunc videbantur, descripsi Libri superioris Diss. IV. pag. 155. ex ejus Opere in linguam latinam verso à Dukero, quod tunc ad manus erat in *tom. IX. P. II. Thesauri Antiq. & Hist. Ital. à Burmanno editi Lugdun. Batav.* 1723. integrum modo locum ipsum dedisse proderit, qualis è Peregrinii vernaculâ linguâ scribentis proprio stilo emanavit *Nell' Apparato alle antichità di Capua*, e *vero Discorsi della Campania Felice Discorso* I. §. VIII. *pag. 53. edit. Neapol.* 1651. Totus ibi est Peregrinius, ut à Capuanorum Episcoporum albo, ubi à plerisque inscripti fuerant, tum Memorem patrem, tum Julianum filium expungat; ac rectè is quidem tum ex aliis, tum ex hisce, quæ subdit: *Leggesi ancora onorevol mentione di questo Giuliano in uno Epitalamio, scritto da S. Paolino Vescovo di Nola nelle sue nozze, mentre egli ancora giovinetto assai applicato agli studj dava buona speranza del suo sapere, ma nulla io vi ritrovai, che dimostri nè lui, nè il suo Padre Memorio, il quale similmente fù Vescovo, esser Capuano. Ben più tosto ciocchè di suo Padre vi si ragiona in riguardo di un tal Vescovo Emilio, dal medesimo Monaco ragionevolmente creduto Beneventano, può appartenere ad un Vescovo Eclanense, o diremo Fricentino; perciocchè Memorio vi è appellato* Fratello, *e* Figliuol *suo, dinotandosi con questi figurati vocaboli la sua dignità Vescovile, inferiore a quella di Emilio, il quale esser doveva* suo Metropolitano, *com' è tuttavia della Chiesa Fricentina la Beneventana: il che della Capuana non sappiamo essere stato giammai, e molto meno in quei Secoli, quando era ancor ella della Metropolitana dignità ornata; del che ne fà certi S. Atanasio nel fine dell' Epistola ad Solitarios, della quale dissimularono aver' avuta notizia Antonio Caracciolo nella Sett. 10. del cap. 1. dè Sacri Monumenti di Napoli, e Bartolomeo Chioccarelli nel Libro, o sia Catalogo de' Vescovi, ed Arcivescovi della medesima Città ..... Sicchè parmi, che molto sconciamente dal suddetto nostro Michel Monaco, al quale fù ben noto nel suddetto suo Libro la suddetta Epistola, sia stato creduto il Beneventano Emilio carnal Fratello di Memorio, e mistícamente Padre, nè per la sua Dignità maggiore, ma perchè era asceso a quel grado prima di lui; uscitogli di men-*

tur Sæculo v. Eclanenſem Eccleſiam Beneventanæ inferiorem , hancque , ipſius Eclanenſis exemplo , à reliquis veteris Samnii Eccleſiis , *Matris* loco , ac jure agnitam , itaut Epiſcopus Beneventanus aliorum Epiſcoporum in ea Provincia conſiſtentium *Pater* diceretur , & coleretur .

Quàm benè autem , quàm egregiè principis Samniticæ Regionis Eccleſiæ dignitatem Æmilii virtus æquavit ! Siſtendum parumper in Epiſcopo Æmilio eſt , ut quibus ipſe Sanctitatis , Doctrinæque radiis effulſerit , quibus in Chriſtianam religionem , univerſamque Occidentis , Orientiſque Eccleſiam meritis excelluerit , luculentiùs , quàm hactenus ab aliis factum eſt , oſtendamus . Æmilius igitur , quem tum ex Epiſcopali Sede (1) , tum ex læ filiæ nuptiis cum nobiliſſimo juvene Juliano Eclanenſi (2) , Beneventanum civem , ac ſummo loco natum procul dubio affirmamus , genere illuſtris , præclarior verò moribus fuit ; quorum merito per Eccleſiaſticos gradus conſcendens , in Beneventana tandem Cathedra ritè electus conſedit . Utrumque tum electionis , tum obitus annum ignoramus , ut , quæ fuerint ejus Epiſcopatus ſpatia , neque monumento aliquo , neque conjecturâ ſtatuere liceat : Ætatis , quum Epiſcopatum adeptus fuit , non admodum provectæ extitiſſe facilè diſcimus ex ſuperiùs recitatis S. Paulini verſibus , qui eum *Juniorem* Memore Epiſcopo Eclanenſi , *Seniorem* verò dignitate affirmat ; quod & uberrimum laudis argumentum eſt , dum ante longævam ætatem ita matureſcere virtus viſa ſit , ut ampliſſimam dignitatem promeruerit ; Ejus virtutis locupletem , fidumque teſtem Paulinum ipſum habemus , quem de Æmilio audire iterum libet , præclara iſthæc , inter alia plura , deprædicantem ;

*Hic Vir , hic eſt Domini numeroſo munere Chriſti*
*Dives , Vir ſuperi Luminis Æmilius .*

Quantis autem virtutum muneribus à Deo ditatus Æmilius fuerit , quo cœleſti Sapientiæ lumine , non in Beneventana modò , ſed univerſa Chriſti Eccleſia coruſcarit , illud maximè oſtendit , quod Sæculi v. initio difficillimis Reip. Chriſtianæ temporibus præcipuâ ejus operâ Rom. Pontifex Innocentius I. uſus ſit. Sæviſſima tunc improbiſſimorum hominum factione , quorum ſignifer , imprimiſque totius mali auctor Theophilus Epiſcopus Alexandrinus fuit, contra S. Joh. Chryſoſtomum tempeſtas infremuit , qua tempeſtate ipſa ſimul , quæ unum eum Virum præcipuum non modò ornamentum , ſed columen ſibi habebat , tota etiam Orientis Eccleſia jactabatur ; jamque naufragio proxima in id periculi Chriſtianum Orbem adduxerat , ne Schiſmate Oriens ab Occidente dirimeretur . Teterrimam ingentis mali faciem nemo ſinceriùs , diſertiùſque , quàm ipſe Chryſoſtomus nobis depinget : *Scitis* ( ait ad Ara-



*di mente , che miſtica ancora poteva eſſer la lor fratellanza , e che la precedenza del tempo non poteva far giuſta proporzione , onde foſſe dovuto appellarſi* Padre *dall' altro ; del che , non sò , come non teneva facil memoria l' Uomo ne' ſacri Canoni , e nelle ſacre Lettere aſſai verſato : eſſendo coſa ben manifeſta , che il nome di Chieſa Metropolitana val lo ſteſſo , che di Chieſa* Madre , *ed i loro Arciveſcovi poſſon dirſi* Padri *de' loro ſoffraganei , i quali ſecondo la ſteſſa Metafora ſon loro* Figliuoli , *come* Figliuole *delle Città maggiori furon chiamate le minori nel cap. 5. del lib. 1. de' Maccabei ben due volte .* Cepit (*ſon le parole del ſacro Teſto ſecondo la verſion volgata* ) Gazer Civitatem , & filias ejus ; *e appreſſo :* Et percuſſit Chebron , & filias ejus : *e intendo io delle Città , non de' Popoli minori , come alquanto impropriamente Gaſpare Sancio ha interpretati queſti luoghi . Ma per qual ragione io laſcierò di recare i proprj verſi del ſudetto Epitalamio &c.* Epithalamii Carmina ſuperiùs recitavimus . Fulconem Remenſem Archiepiſcopum, primum , aut inter primos , qui Epiſcopos ſibi ſuffraganeos *Filios* appellavit , obſervat Mabillonius Sæc. v. Benedict. num.22. ideſt Chriſtiano Sæculo x. , alibi à me notatus . Cæterum neque Caracciolo , neque Chioccarellio indignari debuit Peregrinius de diſſimulato ( uti ſuſpicatur ) Athanaſii loco , dum hi vel certè ignorarunt , vel gnari , de *Civili* Metropoli loquutum Athanaſium cenſuerunt , meliori quidem ſententia , quàm quod Peregrinius ipſe ſibi , Capuæque ſuæ blanditus putavit ; ſed de hac re ſuperiùs ſatis diximus .

(1) Neque enim ſecundùm Canonum ſtatuta , niſi qui Civis in eadem Eccleſia innutritus , morum, doctrinæque ſplendore apud univerſum Clerum, Populumque ſe perdiù probaſſet , Epiſcopum præficere cuique Civitati fas erat , uti uberrimè , quum de S. Januarii Patria ſemel , iterumque diſſeruiſſemus , comprobavimus ; aliaque in eam rem mox opportunè adjiciemus , quum de S. Sophio , ſive Gadoco Beneventano Epiſcopo , Martyreque ſermonem inſtituemus .

(2) Nobili familia Julianum ortum diſcere licet ex Mario Mercatore ejuſdem Juliani Antagoniſta , cujus Libellus , ſeù Codex MS. extat in Bibliotheca Vaticana inter Codices Palatinos num.234., quem *Commonitorium* ipſe nominat , atque iſthæc Juliano exprobat p. 5. *Tu ne Sanctæ , ac Beatæ recordationis Memoris Epiſcopi filius ? Tu Julianæ primariæ foeminæ , & qua nihil honeſtius inter reverendiſſimas Matronas invenias , utero editus ?* Eclani ( quod poſtea Frequentum , aut potiùs Quintodecimum fuit , xv. P. M. Benevento diſtans ) natum Julianum cenſet Card. Noriſius l. l. idque altera conjectura indicatum ſubdit , quod *Æmilius Beneventanus filiam Juliano in vicina Urbe degenti , ac proinde ſibi ſatis ſuperque noto deſpondit* ; haud certè deſponſurus , niſi & ipſe Æmilius non modò Epiſcopatu , ſed & domo Beneventanus fuiſſet .

bium) *perſpicuè, inquam, ſcitis, omnia tumultibus, ac perturbatione plena eſſe, nec pro Conſtantinopolitana tantùm Urbe, ſed pro Univerſo terrarum Orbe preces fundendas eſſe; quandoquidem malum initio hinc ducto peſtiferi cujuſdam profluvii inſtar effuſum, per Univerſum Terrarum Orbem Eccleſias pervaſtat* (1). A Petri Cathedra opem flagitavit Chryſoſtomus, quam ſibi præſentiſſimam ſtatim expertus eſt, gliſcentibus malis opportunè occurrente, validiſſimumque remedium parante Pontifice Innocentio. Synodum is ex Italicis Epiſcopis pro rei gravitate conſulturis, Romæ coegit; quorum unâ ſententiâ Concilium Theſſalonicæ fieri deliberatum; quam in Urbem faciliùs poſſent utræque partes Orientis, Occidentiſque coire: ex Occidente Epiſcopos quinque, Presbyteros duos, Diaconum unum deligendos, ex Oriente Patres non tam numero frequentes, quàm merito præſtantes accerſendos, quò magis certa, atque irrefragabilis ferretur ſententia: utque rei ſucceſſus expeditior haberetur, impetrandæ ab Imp. Honorio ad Imp. Arcadium Conſtantinopoli degentem Literæ, ab delectis Occidentalibus Patribus perferendæ: Dedit eas literas Honorius ad Auguſtum Fratrem, Regiâ quidem gravitate, ac pietate plenas, ubi inter alia, *rurſus*, inquit, *ſcribo pacis Eccleſiaſticæ avidus, & ingenti cura ſolicitus (pacatis enim Eccleſiis, Imperio quoque noſtro pax provenit) ut Epiſcopos Orientales jubeas Theſſalonicæ convenire: Noſti quippe, quod Occidentales Epiſcopi electos viros miſerunt ſeveræ conſtantiæ, & qui neutram in partem inclinentur amore, vel odio, Epiſcopos quinque, Presbyteros Romanæ Eccleſiæ duos, unumque Diaconum: Quos, ut cum omni honore ſuſcipias, quæſo* (2): Hæc ex Honorii Epiſtola decerpſimus, ut non ſolùm Romanæ Synodi judicio, ſed ejus quoque Auguſti teſtimonio eximiam Occidentalium Patrum virtutem, quæ perturbato Orienti pacem allatura erat, perſpicuam haberemus.

Hujus itaque Occidentalis, ſive Pontificiæ legationis ad Theſſalonicenſe Concilium Æmilius Beneventanus Epiſcopus Princeps fuit: quam ei prærogativam tum Sedis ſuæ dignitas, tum præſertim ſpectatiſſima Sapientiæ laus, Apoſtolicique pectoris robur, contulerunt: Tanto Viro opus erat, qui Sociis veluti prælucere debuit, qui ſcilicet Orientem, utpote turbulentiſſimæ profunditatis Oceanum, ingreſſurus intumentes undique, tum ex Aula, tum ex Eccleſia fluctus, conſtantiæ ſeveritate, atque animi puritate compoſiturus accederet. *Quum igitur* (rem Palladii verbis proſequemur) *Sanctus Æmilius Beneventi Epiſcopus, & Cythegius, & Gaudentius, una cum Valentiniano, & Bonifacio Presbyteris accepiſſent Literas Imperatoris Honorii, & Papæ Innocentii, & Italorum Epiſcoporum Chromatii Aquilejenſis, & Venerii Mediolanenſis, atque aliorum Epiſtolas, necnon Commonitorium Synodi totius Occidentis, publica evectione Conſtantinopolim profecti ſunt* (3). Tres ſolùm ex quinque Epiſcopis nominat Palladius, ac primi omnium Æmilii Sedem, Sanctitatemque indicaſſe contentus, reliquorum Cathedras reticet, quas nec Baronius quærendas duxit, Æmilium Epiſcopum Beneventanum ſolo Metaphraſtis teſtimonio comprobaſſe, aut potiùs reperiſſe ratus, quem tamen Palladius diſertiſſimè indicaverat (4). Presbyteros dein duos Rom. Eccleſiæ, ſcilicet Valentinianum, & Bonifacium memorare pergit Palladius, qui tamen eo loco Diaconum ſilet. Sed neque hic Diaconus ex ipſomet Palladio deſiderandus nobis erit, immo mox ſumma cum laude prodiet, novum adhuc Epiſcopo Æmilio, atque Eccleſiæ Beneventanæ pretium facturus. Qui Occidentales Patres in ea legatione manerent labores, quæ pericula, ærumnæque, præmonita à Deo narrat apud Palladium Theodorus, *adeout* (inquit) *Sancti etiam Æmilii Diacono Paulo, Viro mitiſſimo, & prudenti, in navi apparuerit Beatus Paulus Apoſtolus dicens ipſi: Videte quomodo ambule-*

(1) S. Jo. Chryſoſt. epiſt. CXXI.

(2) Apud Baronium anno CCCCV. num. XIV., qui eam deſcripſit ex Palladii Dialogo *de Vit. S. Chryſoſtomi*.

(3) Palladius Epiſcopus Helenopolitanus in Dialogo *de Vita S. Jo. Chryſoſt. cap.* IV. ex editione Græco-Latina Emerici Bigotii Lut. Pariſ. MDCLXXX. ex qua hunc locum, à Baronio ex alia editione recitatum, emendamus: nam apud Baronium d. ann. 405. num. 15. vix intelligas, quid illud ſit, *Æmilium, ſocioſque Conſtantinopolim conditionibus publicis conceſſiſſe*: Legendum itaque: *evectione publica*, ſive *evectionibus publicis*. Evectionis appellatione curſus publicus, ejuſque exhibitio, & conceſſio ſignificatur: Evectionem autem publicam nonniſi Principis reſcripto, ac diplomate concedi, ejuſque *datæ formam, & licentiam excedere* nefas eſſe, docent paſſim Leges Codicis Theodoſiani Tit. *De Curſu Publico*. S. Auguſtinus Ep. LV. *Zenobius Magiſter Memoriæ factus eſt, & miſit nobis Evectionem cum Annonis*. Sulpitius Severus Hiſt. lib. II. *Hilarius quartum jam exilii annum in Phrygia agens, inter reliquos Epiſcopos, per Vicarium, ac Præſidem data evectionis copia, adeſſe compellitur*. Symmachus epiſt. 105. lib. 7. *de impetratis evectionibus in adminiculum Prætoriæ functionis* gratias agit.

(4) Ex ſuperiori nota iam liquet, Baronium in mendoſam Palladii verſionem incidiſſe, qua ipſe uſus pleraque contra ſcriptoris genuinum textum exhibet. Palladius itaque ſic Græcè loquitur: Λαβόντες τοιγαροῦν οἱ περὶ τὸν ἅγιον Ἐπίσκοπον Αἰμίλιον Βενεβενδοῦ, καὶ Κυθήγων, καὶ Γαυδέντιον &c.

*buletis, non ut insipientes, sed ut sapientes, videntes, quod dies mali sunt* (1). Num Paulus hic Diaconus ille fuerit cum ceteris Legatis ab Romana Synodo delectus, an potiùs privatus Episcopi sui Æmilii comes, non satis liquet, neque id nosse magnum erit; maximum verò illud est, Viri sanctitatem habuisse compertam, ut, quibus mercibus pretiosissimis onusta Navis ditatura Orientem contenderet, quibus scilicet sanctissimis Viris salutem Orienti præstiturus Occidens eam Legationem instituisset, exploratum habeamus.

Salutem autem suam in profundum malorum prolapsus Oriens suscipere noluit, non aversatus tantùm, sed illos etiam, qui afferrent, apertâ vi rejicere, atque ad necem usque insectari ausus. Delectos in Romana Synodo Legatos anno 405. non antè sequutum annum 406. Constantinopolim pervenisse constat, postquam scilicet Atticus (teste Palladio) & ipse alienæ Sedis nefarius invasor, Arsacio, qui, expulso Chrysostomo, prior Cathedram occupaverat, suffectus fuit: Veriti autem Adversarii, ne non, si iidem Legati Urbem ingrederentur, populus Chrysostomi restitutionem vehementiùs flagitaret, turbas etiam, si voti compos non esset, excitaturus, non illos admittendos, immo quibusvis artibus, fallaciisque in suam sententiam pertrahendos, sin verò, minis, injuriis, cædibus, velut adventantes Reip. hostes, arcendos, ac repellendos statuerunt. Tentata igitur primùm Æmilii, Sociorumque constantia est, avaritiæ illecebris, tribus Numismatum millibus oblatis: sed non id tanti erat, neque Thesauri universi valuissent virtutem labefactare. Ad sæva, & crudelia ventum est; quæ neque à barbaris populis, à quibusvis agrestibus, inhumanissimisque gentibus, quas ferarum more extremus Septemtrio alit, subituri Legati fuissent: nam non Christianæ pietatis tantùm Leges fuerunt ignominiosissimè proculcatæ, sed ipsa Naturæ, Gentiumque jura scelestissimè violata: ita ut abscendentes re infectâ Legatos adhuc persequuti Adversarii, deterrimæ navi impositos ad naufragium condemnarint, perituros certè, nisi manifesta, & præsentissima Dei providentia, ut incolumes ad sua redirent, servasset. Hæc, quæ a furentibus Chrysostomi, immo Justitiæ, Religionis, Orthodoxæque Fidei Adversariis patrata fuere, satis appositè *Facinora Babylonica* appellat Palladius (2). Verè enim in Orientem, alteram veluti fornacem Legati se injecerunt, cujus exæstuantibus in immensum flammis Æmilii, sociorumque virtus, ac constantia, assiduo quatuor mensium intervallo excruciata, probatior evasit, ac præclarior eluxit; Testem, Laudatoremque Chrysostomum audire operæ pretium erit, qui ad Æmilium, Legatosque, cæterosque ex Oriente revertentes scribens sic eos alloquitur: *Amplissimas vobis ob tantam animi firmitatem, ac studium, & curam, laboresque, & sudores, ac denique ob longam hanc peregrinationem, quam utilitatis Ecclesiarum causa suscepistis, gratias agimus. Etenim*

ALTER    R r 2    quan-

(1) Eadem Apostoli verba habes ad Ephesios 5. 15. in editione Bigotiana legitur Græcè Εμμελίυ, quod amussim latinè redditur *Emmelii*. At Bigotius ex scripto Georgii Alexandrini Archiepiscopi emendat in margine Αἰμιλίου, ut jam ex hac emendatione, immo ex ipsa rei narratæ serie, ac contextu nihil dubii superfit, eundem hunc fuisse ipsum *Æmilium* Beneventanum Episcopum, ejusque *Diaconum Paulum*, cui Apostolus apparuit.

(2) Digna res est, ut ipsius Palladii, sive colloquentis cum Palladio Theodori verbis legendi cupidis integra describatur. *Profecti* (Legati) *Constantinopolim, post quatuor menses redierunt, narrantes Facinora Babylonica: Cùm præter Græciam, Athenas navigaremus, detenti sumus ab infesto quodam Tribuno militum, qui statim Centurionem unum nobis adjunxit, non sinens nos Thessalonicam accedere. Illic enim propositum nobis erat literas primùm dare Anysio Episcopo. Conjectos igitur nos in duo navigia dimisit: ingruente postea Austro vehementi tribus diebus Ægæum mare, & freta sine cibo trajecimus: circa duodecimam tertii diei horam appulimus ante Urbem Regiam juxta suburbana Victoris: Ubi retenti ab exactoribus portuum, retrò discessimus, cujus autem jussu ignoramus, & conclusi sumus maritimo Thraciæ Castello, Athyra dicto, Romani quidem in una domuncula, in pluribus verò qui cum Cyriaco erant, illicque vexati; itaut ne famulus quidem præsto esset, qui ministraret. Cùm Literas petiissent, non dedimus, dicentes: Qui fieri potest, ut qui legati sumus, Literas Imperatoris, & Episcoporum, ipsi Imperatori non reddamus? Cùm autem eas non dare persisteremus, primus venit ad nos Patricius Notarius, deinde quidam alii, postremùm venit quidam Valerianus, e Cappadocia Præpositus unius Militaris numeri, & rupto Mariani Episcopi pollice, signatam Imperatoris Epistolam cum reliquis abstulit. Postridie igitur miserunt ad nos, an Aulici Imperatoris, an Atticus nescimus (ipse enim dicebatur Ecclesiæ Thronum invasisse) qui nobis tria millia numismatum dabant, orantes ut persuasi Attico communicaremus, & de Johannis* (Chrysostomi) *Judicio taceremus. Quibus non assentientes, perstitimus orare, cùm nihil pacificum perageretur, ut sine periculo ad nostras Ecclesias rediremus, visa tali inhumanitate. Idipsum variis revelationibus Servator Deus nobis declaravit, adeò ut Sancti etiam Æmilii Diacono Paulo, Viro mitissimo, & prudenti, in navi apparuit B. Paulus Apostolus dicens ipsi:* Videte quomodo ambuletis, non ut insipientes, sed ut sapientes, videntes, quod dies mali sunt: *Significante somnio variam illorum fraudem, eamque donis & blanditiis ad adulterandam veritatem. Instans igitur idem ipse Tribunus Valerianus conjecit nos in deterrimam navem, mercede, ut rumor ait, Nauclero data, ut perderet Episcopos navigantes, cum viginti militibus variorum officiorum, & statim nos Athyris expulit. Cùm navigassemus stadia plurima, & jam jam perituri essemus, appulimus Lampsacum, & inde mutata nave vigesimo die appulimus Hydruntum.*

*quantò graviùs eos, qui omnia perturbant, judicium manet, tantò quoque majus, uberiusque vobis præmium expectandum est, qui ad ea, quæ ab aliis scelerate, ac nefarie admissa sunt, corrigenda tantum patientiæ, studiique adhibuistis ...... Nam etsi nihilo meliore statu res est, tamen ipsi, quod muneris vestri erat, præstitistis; eoque nomine plena, numerisque omnibus absoluta merces à Deo vobis constituta est; ut qui ad medicinam admissis sceleribus afferendam, tanto studio, tantaque animi alacritate perpetuo usi estis* (1). Hæc ad Æmilium, Comitesque legatos Chrysostomus, quæ, quia ex Chrysostomo sunt, maximi elogii instar habebimus, quo præclaro veluti Epilogo Æmilii Sanctitas tot virtutibus comprobata, aliorumque præconiis celebrata illustrior reddatur.

De Æmilii sanctitate rem incertam relinquit doctissimus Papebrochius, qui in Actis Sanctorum ad diem XII. Maji inter *Prætermissos, & in alios dies rejectos*, hæc de illo habet: *Æmilius Episcopus Beneventanus* XX. *missus ab Innocentio PP. I. & Concilio Romano Constantinopolim in causa S. Joannis Chrysostomi, laudatur in Dialogo Palladii de Vita S. Chrysostomi, & à S. Paulino Episcopo Nolano, ut Vir Sanctus, quem Marius de Vipera Catalogo Sanctorum Beneventanorum adscripsit ad hunc* 12. *Maji. Idem in Chronologia Episcoporum Beneventanorum etiam appellat Sanctum: at quo die objerit, aut colatur, silet. Ughellus Tomo* VIII. *Italiæ sacræ id in Archiepiscopis Beneventanis, ex Vipera asserit, se elogium scribere, sed absque titulo Sancti. Nos etiam in Bibliotheca Vaticana reperimus Martyrologium MS. quod fuerat Ecclesiæ Beneventanæ, ex eoque decerpsimus, quæ de Sanctis Beneventanis reperimus, sed absque mentione S. Æmilii. Quare dum clariùs nobis innotescat ejus cultus, hæc retulisse sufficiat* (2). Sed, quod ad Martyrologium MS. attinet, haud æquum fuerit, ex eo negativo argumento Æmilii sanctitatem inficiari, tum præsertim, quod Martyrologium prædictum (ut alibi notavi, & ex ipso Codice palam est) non ad Ecclesiam Beneventanam, sed ad Monasterium S. Sophiæ pertinebat, quod licet Beneventi situm, non universos Beneventanos Sanctos peculiari cultu prosequi poterat, aut tenebatur. Fateor autem nullum fortasse tributum olim, nullum hodièque publicum cultum ab Ecclesia Beneventana Æmilio exhiberi: quod tamen impedimento non erit, quin (uti de innumeris Sanctis accidit, de quorum Sanctitate certò liquet) illum *Sancti* titulo appellemus, & observemus. Qua in re, non amplius quidem certi, definitique nobis statuimus, quàm quod hominum fides mereri potest; quanti verò fides isthæc æstimanda sit, ii, à quibus profecta est, homines ostendent. Virum Sanctum appellant Synchroni Scriptores Paulinus Nolanus, Palladius Helenopolitanus, par hominum, quibus nihil dignitate præstantius, sapientiâ excultius, sanctimoniâ religiosius, atque sincerius; quibus denique non ex incerta fama, aut aliorum scriptione, sed ex ipsa rerum præsentia, atque experimento comprobata, assertaque Æmilii Sanctitas est. Virum *Sanctum* non ea solùm testimonia, sed facta ipsa ostendunt, quæ indubiis commendata monumentis ad posteritatis memoriam pervenerunt: ut jure factum à nostro Mario Vipera videatur, qui Vir doctissimus (uti meritò appellatur à doctissimo Bollando ad diem XXIV. Januarii pag. 603.) in suo Catalogo Sanctorum Beneventanorum, non modò Æmilium Episcopum ad dictam diem 12. Maji, verùm etiam ad initium Novembris Paulum Æmilii Diaconum, eorundem Sanctorum albo accensuerit, satis ea fore ratus, quæ de utriusque Sanctitate Paulinus, atque Palladius deprædicarunt; quæque hactenus à nobis uberiùs illustrata ex Æmilio Episcopo, Diaconoque Paulo ad antiquum, maximumque, quod per sese Ecclesia Beneventana præferebat, novum aliud, ac majus eidem decus comparabunt.

Sed & ipsum, in quo versamur, Sæculum V. non ità statim nos dimittet, novis adhuc luminibus, quibus Ecclesia Beneventana præclarior facta est, illustratum. Nihil eo Sæculo infelicius Italiæ esse cœpit, quod & maximarum calamitatum Epocha fuit, Barbaris nationibus, quæ hactenus intra natales terras conclusæ fuerant, in Italiam tunc primùm irruentibus. Post Attilæ Hunnorum, mox Genserici Visigothorum Regis temporarias excursiones, Turcilingorum Rex Odovacer anno CCCCLXXVI. eandem Italiam occupavit: ubi Orestis cæde, ejusque filii Momylli, seu Augustuli in Campaniam relegatione, Occidentale extinxit Imperium; ex cujus ruinis, interituque Italicum Regnum Regio nomine sibi arripuit, tenuitque annis circiter XVII. antequam Ostrogothi, Theodorico Rege, Imperatoris Zenonis hortatu, advenientes, devicto, interfectoque ipso Odovacre anno CDXCIII. Gothorum in Italia Regni fundamenta jecerunt. Malorum tunc colluvies quædam tum Remp., tum Ecclesiam labefactavit, assiduis bellorum motibus pervastatas, alteram

(1) S. Johan. Chrysost. Epist. 167.

(2) Acta SS. Maji tom. III. pag. 3. lit. A.

teram hostibus, tyrannisque, alteram Hæreticis pari furoris immanitate divexantibus. Atque ex Odovacre quidem, sive Theodorico, quibus utrumque crimen Tyrannidis, Hæresisque pro laude fuit, sua quoque in Beneventanam Remp., Ecclesiamque irrupit calamitas; quamquam non ea dicenda calamitas est, quæ duos Beneventanos Martyres, Episcopum, ejusque Archidiaconum Cœlo peperit, triumphalibusque laureis sacros Beneventanos Fastos redimivit.

Post S. Tammari obitum, qui sub medium Sæculi v. floruit, Beneventanam Ecclesiam S. Sophius, qui & Cadocus dictus, regendam suscepit; atque ambo quidem peregrini homines, alter domo Afer, alter Britannus, nulla re, priusquam Episcopi deligerentur, ad eam Ecclesiam pertinebant. Rarum admodum, ac prope singulare ejus ævi fuit (quod heic curiosiùs animadvertisse præstat) immo contra jus, fasque agi videbatur, si externus, ac peregrinus homo cuique Ecclesiæ præficeretur. Ab Apostolico ævo, atque ab ipsis Apostolis tradito documento receptus mos in præcipuam sequuti temporis Ecclesiæ disciplinam evasit, quam Ecclesiarum bono maximè consentaneam, religiosè custodiendam Romani Pontifices iteratis Decretis sanxerunt. *Nullus invitis detur Episcopus* (ait Cœlestinus I): *Cleri, Plebis, & Ordinis consensus ad desiderium requiratur: Tunc alter de altera eligatur Ecclesia, si de Civitatis ipsius Clericis, cui est Episcopus ordinandus, nullus dignus, quod evenire non credimus, poterit reperiri. Primùm enim illi reprobandi sunt, ut aliqui de alienis Ecclesiis meritò præferantur. Habet unusquisque Clericorum suæ fructum militiæ in Ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit ætatem. In aliena stipendia minime alter obrepat, nec alii debitam sibi alter audeat vindicare mercedem. Sit facultas Clericis renitendi, si se viderint prægravari: & quos sibi ingeri ex transverso agnoverint, non timeant refutare* (1). Plura vetustiorum, sed & eorum plurima, qui hoc Sæculum sanctitate, & sapientia illustrarunt, Pontificum ea de re Statuta congessimus, quum superiore libro pag. 117. de S. Januarii Martyris Patria disseruimus, ut eâ quoque cum aliis multis ratione, eundem, quem Beneventi Episcopum fuisse constabat, Beneventanum simul Civem manifestum probaremus. Atque ita certè res se habuit, ut ab ipso Januario ad Tammarum usque quotquot Beneventano Episcopatu potiti sunt, hi certè ad unum omnes, & domo Beneventani, & sacro Beneventanæ Ecclesiæ Ministerio perfuncti fuerint. Quærenda igitur caussa est, cur eodem Sæculo v., quo maximè tempore in veterem servandam disciplinam Summi Pontifices incubuisse videntur, externi homines Tammarus, atque Sophius, alter post alterum, Beneventanam Cathedram conscendere permissi sint. Haud longè quærendam causam finit idem ipse, quem paullò ante audivimus, Pontifex Cœlestinus, qui tunc alterum de altera Ecclesia eligi posse decernit; *Si de Civitatis ipsius Clericis, cui est Episcopus ordinandus, nullus dignus, quod evenire non credimus, poterit reperiri*. At longè id ab aliis Ecclesiis fore existimavit Pontifex, longiùs quidem à Beneventana Ecclesia fuisse constat: quæ quos sibi summos Sacerdotes constitueret, idoneos Clericos alere antehac consueta, quantum eodem ipso Sæculo v. optimis, sanctissimisque Civibus, Alumnisque suis fœcundaretur, etiamnum læta demonstrat; quandoquidem ex his duo illa sidera gremio suo parta, atque æternùm collucentia ostendit, Paulum nempe, de quo jam diximus, Æmilii Episcopi Diaconum, ac Benignum Sophii Episcopi Archidiaconum, de quo mox dicemus.

Causam itaque potissimam, ac satis quidem manifestam ex utriusque Tammari, ac Sophii sanctitate repetemus, qui Divini Numinis nutu natalibus egressi Sedibus, Beneventique confidentes, eos Angelicorum morum, cœlestisque sapientiæ radios perfuderunt, ut qui dignos ex propria Civitate habere poterant, digniores ex externis gentibus præesse sibi Episcopos, Beneventani maluerint. Ac Tammarus quidem unus ex illis Episcopis, Christique Confessoribus fuit, qui anno 440., sæviente in Africa Wandalorum Persecutione, ob Ca-

(1) Epist. II. cap. v. apud Labbeum tom. III. Concil. pag. 480. & refertur à Gratiano in Decreto Distinct. LXI. Id etiam Sæculo VI. ac VII. servatum constat ex plurimis S. Gregorii Magni Epistolis, ex quibus binas adduxisse satis sit, alteram, quæ est XLII. al. XL. lib. X. ad Clerum, & Nobiles Cives Neapolitanos, quibus denunciat, tum Johannem, tum Petrum Episcopos electos indignos comperisse, monens alterum eligendum, qui sit idoneus: *nam grave* (inquit) *Cleri illius erit opprobrium, ut si hic fortasse approbatus non fuerit, alium se dicant, qui eligi debeat, non habere*. Altera, quam etiam superiùs audivimus, lib. XIII. Epistola est XIII. ad Barbarum Beneventanum Episcopum, cui committens Gregorius Panormitanæ Ecclesiæ visitationem, novique Episcopi electionem, inter alia, inquit: *Commonentes etiam Fraternitatem tuam, ut nullum de altera eligi permittas Ecclesia, nisi fortè inter Clericos ipsius Civitatis nullus ad Episcopatum dignus, quod evenire non credimus, potuerit inveniri*.

ob Catholicam Fidem variè afflicti, mox navibus cariosis impositi, ac, Deo gubernante, ad Campaniæ litora appulsi, Christianam Disciplinam in iis locis dispersi, diversisque Ecclesiis præfecti, mirificè propagarunt. Horum primum, seù Ducem Priscum affirmat Romanum Martyrologium ad Kalend. Septembris, cui socium nominatim addit Tammarum, ac præterea Castrensem, Rosium, Heraclium, Secundinum, Adjutorem, Marcum, Augustum, Elpidium, Canionem, & Vindonium. Nullus hac die inter eos Confessores locus *Quod-vult-Deo* Carthaginensi Episcopo à Martyrologio Romano tribuitur; nulla ejusdem mentio est in Actis S. Castrensis, quæ Michael Monachus in Sanctuario Capuano vulgavit, correctiora Henschenius ad XI. Februarii recusit. At Victor Vitensis, qui ejus Wandalicæ Persequutionis historiam summa fide, ac prolixo stilo executus est, principem locum Quod-vult-Deo tribuit, cujus quidem socios non Episcopos, sed Clericos, neque de nomine memorans, nobis tradit. Tum verò (inquit lib. I. num. V.) *Rex* (Gensericus) *memoratæ Urbis Episcopum, idest Carthaginis, Deo, & hominibus manifestum, nomine Quod-vult-Deum, & maximam turbam Clericorum navibus fractis impositos, nudos, atque expoliatos expelli præcepit. Quos Deus miseratione bonitatis suæ prospera navigatione Neapolim Campaniæ perducere dignatus est Civitatem*. Narrationis, quæ primo intuitu apparent, discrimina satis commodè sustulit V. C. Mazochius, qui, quod ipse Victor *plures* tunc naves disertè fatetur, censet, illarum uni, aut pluribus Quod-vult-Deum cum suo Clero impositum, Neapolim pervenisse; Castrensem verò, ac Priscum cum sociis diverso navigio commissos, ad alia ejusdem Campaniæ litora appulisse: quin & illud dici posse subdit, diversas, diverso ejusdem Persequutionis tempore, ac loco extorrium Episcoporum, Clericorumque Colonias, marinis fluctibus fuisse permissas: itaut Quod-vult-Dei navigatio cum Castrensis nihil præter eandem Fidei causam habuerit commune (1). Certè eandem Fidei, persequutionisque causam, idem supplicii genus, sed planè diversum tempus, diversos socios agnoscit Romanum Martyrologium, cujus post illa, quæ ad Kal. Septembris recitavimus de Prisco, ac Sociis, hæc ad diem 7. Kal. Novembris separatim habet de QuodvultDeo, qui *una cum Clero, à Genserico Rege Ariano in navibus fractis absque remigiis, & velis impositus, præter spem Neapolim appulit, ibique in exilio positus Confessor occubuit*.

Stat igitur certa rei fides ex vetustis S. Castrensis Actis hausta, atque Romano Martyrologio comprobata, inter primos duodecim illos Episcopos Afros, Tammarum extitisse, qui (uti ex plurimis antiquis monumentis Vipera refert (2)) Beneventum secedens, quum prope eam Urbem solitariam ageret vitam, famâ sanctitatis erumpente, dignus habitus fuit, ut qui ad cæteras animi dotes Episcopalis Ordinis honore jam polleret, eundem sibi Episcopum Beneventi Cives constituerint: Neque ii certè, aut sacris Regulis, aut propriis Civibus injuriam fecisse, visi sunt, qui externum hominem, quem strenuum Christi Confessorem, quem jamdiù Episcopum probè nossent, cujus denique sanctitatem diutiùs probassent, propriæ Ecclesiæ regendæ Tammarum præfecissent. Sed de Sophio nunc videamus.

Sophius, antea Cadocus appellatus, S. Gundleum (non Guigliegeum) Regem Walliæ Australis (non Septemtrionalis) Genitorem habuit. Ejus vitam ab Auctore Anonymo lucubratam ex MS. Rubeæ-Vallis exceptam, ac cum Joannis Capgravii editione perantiqua collatam edidit, illustravitque Cl. Bollandus ad diem XXIV. Januarii. Quomodo factum, ut Cadocus ex toto divisis Orbe Britannis ad Beneventanos transmearit, eorumque Episcopus adhuc extiterit, ex ipso Biographo perlibenter audiemus, qui cap. III. de ea re sic scribit: *Apparuit Angelus Domini B. Cadoco dicens: Deus decrevit, te jam de Terra Britanniæ discessurum. Et ille: Omnia, quæ mihi præcepta fuerint à Domino, libens effectui pro-posse mancipabo: sed qualiter hinc discedam, penitus ignoro. Angelus ait: Cras ad locum, in quo post prædicationem solebas quiescere, perges, & ibi subito nubes lucida operiet te, atque sic super eam transveheris ad Civitatem Beneventanam. Eadem hora, qua de nube descendes, Abbas illius Urbis in tua præsentia sepulturæ honorificè tradetur, in cujus loco Monachi te Abbatem constituere maturabunt. Eadem nocte idem Angelus Priori Beneventanæ Civitatis in visu apparuit dicens: Cras quidam Clericus sapiens Britannus, servus Dei electus, ad vos hic ventu-*

(1) In Commentariis ad Marmor. Kalendar. Neapolitanum tom. I. pag. 39.

(2) In Catalogo SS. Benevent. ad diem XV. Octobris, quo die etiamnum Ecclesia Beneventana ejus anniversariam memoriam ritu duplici recolit; ejusque sacras reliquias sub Ara majori servatas veneratur. Extabat olim ejusdem Tammari Ecclesia in agro Beneventano, ubi is fortasse consederat, quæ temporum vetustate deleta, fluvio trans Pontem Valentinum excurrenti, Tammari, quo hodièque appellatur, nomen fecit.

*venturus est, quem Abbatem super eos ordinari, & constitui à Pontifice obnixiùs supplicate. Ipsum enim elegit Deus, ut Abbatis vestri vice vobis subrogetur; Sophiasque apud vos vocabitur, quia Sapientia Dei plenus est. Cadocus autem mane surgens Ellenum discipulum suum loco sui ordinavit Abbatem. Et cùm adhuc discipulis sermonem faceret, ecce claritas Dei repente omnes circumfulsit, & non valentes tanti luminis ferre claritatem, proni pariter in facies suas super terram ceciderunt. Sanctus autem Cadocus in nube candida raptus, ab oculis eorum evanuit, & quasi palpebræ motu in Civitate Beneventana de nube descendens inter sepelientes Abbatem visus est. In eadem hora cuncta Monachorum congregatio, cum Episcopo Abbatem eum constituit, & Sophiam illum nuncupavit. Defuncto demum illius Civitatis Episcopo, apparuit Angelus Domini B. Sophiæ, præcipiens ei, quatenus Episcopatus ordinem susciperet. Eadem vero nocte idem Angelus Archidiacono in somnis jussit, ut sequenti die, remota dilatione, B. Sophiam ad Pontificatus gradum divina jussione promoveret. Quo mane cunctis Clericis per ordinem revelato, unanimi omnium consensu ad Episcopatus gradum assumptus est.*

Quæ castigatione indigent, jam Bollandus notavit, cui narratus transvectionis Cadoci è Britannia Beneventum modus minimè probatur. Etsi enim non ei difficile sit, qui ambulat super pennas ventorum, & Prophetam suum è Judæa in Mesopotamiam Angeli operâ statuit, momento tam immenso terrarum spatio quempiam deportare: nulla tamen heic videtur tanti, tamque novi miraculi causa. *Credibiliùs est Hierosolymam redeuntem Cadocum* (ter enim Hierosolymam, septies Romam peregrinatum ait idem Biographus cap 11. num. 11.) *Beneventi retentum, ac dein Abbatem, pòst Episcopum factum*. Ac rectè quidem Bollandus; sed neque illud is animadvertit, quod vix mihi probatur, de *Monasterio*, de *Monachorum congregatione*, de *Abbate*, de *Priore &c.* Scio Bollandum in Commentarii num. 5. seriorem ætatem Cadoco tribuisse, quem ex Nicolao Harpselfedio Hist. Anglicæ lib. 1. cap. 27. nonnisi anno 570. mortuum arbitratur. At de hac re mox videbimus: Nunc quis sibi suaserit non solùm sub Sæculi v. exitum, quam Chronologiam Vipera sequutus est, sed & sexto, quod Bollandus maluit, flectente Sæculo, illa omnia Beneventi extitisse, quæ vix post Sæculum vi., quando jam S. Benedictus, institutaque ab eo Monastica professio florere cœperint, admitti possunt? Hæc quidem non Cadoci, sed ipsius Biographi ætate fortasse florebant tum Beneventi, tum alibi (nam diù post Cadocum Biographus scripsisse videtur), qui celeberrimum S. Sophiæ Monasterium Beneventi extare audiens, occasionem sibi arripuit, eam Historiæ partem ex illo interpolandi, fortasse etiam ex ejusdem Monasterii, seù Ecclesiæ nomine, tituloque aliquid illustrius Cadoco comparandi.

Interim illud certum ex eodem Biographo recipimus, unum ipsum Cadocum, & Sophium fuisse, non duos, uti existimat Ferrarius à Bollando notatus; existimaverat quoque Anglicani Martyrologii Auctor, qui quod in prima editione (quæ Ferrarium decepit) diversum statuerit Sophiam Episcopum, & Martyrem à Cadoco Martyre, in posteriore correxit, illud confirmans multa in illius honorem in Wallia, & Glocestrensi ditione fuisse Templa dicata: Cadoci igitur nomen, quod is Sapientia Dei plenus esset, Angeli monitu, in Sophiæ, aut (uti aliis placet) Sophii mutatum jam novimus: Novimus etiam (quod rei caput erat) ex eodem Biographo, eodem quoque admonente Angelo, Sophium, posteaquam apud Beneventanos Monasticam, aut potiùs Eremiticam vitam eximiis coruscantem virtutibus aliquandiù duxisset, universis Civium suffragiis Episcopum electum; quam electionem divino Numine gestam, sequuta Viri sanctitas, etiam Martyris palma coronata, luculentiùs comprobavit.

Unde promerendi Martyrii occasio facta sit, ejusdem Biographi verbis describere præstat: *Angelus Domini demum in visu noctis apparuit ei dicens: En à Domino Deo tuo datur tibi optio, nunc elige, quo exitu hanc letalem vitam deserens ad Regnum velis migrare perpetuum. Qui respondit: Quoniam enim Martyrium omni morte in conspectu Domini pretiosius invenitur, illud eligens præ cæteris exopto. Et Angelus: Robustus, inquit, esto corde, & animo, quia Dominus tecum est. Cras enim Rex quidam crudelis, Civitatem hanc ingrediens depopulabitur eam, & miles quidam ipsius, Monasterium ingressus, Divina Mysteria te celebrantem super Aram atrociter hastæ cuspide terebrans trucidabit. S. Sophias inde gratias agens Deo dixit: Promptus ad Martyrium factus sum: hac enim nece Dominus noster Jesus Christus, & Apostoli ejus, multique alii mundum triumpharunt, & coelestis Regni gloriam adepti sunt. Hora prima cùm Missam celebraret, Tyrannus cum suo exercitu Suburbia devastavit, & Eques quidam*

cum

*cum furore Ecclesiam intrans, S. Sophiam Dominici Corporis, & Sanguinis consecrationem libantem lancea penetravit.*

Nihil apud Biographum de ejusdem Martyrii consorte *Benigno* Episcopi Sophii Archidiacono. Archidiaconum Ecclesiæ Beneventanæ is superiùs commemoravit, nullo tamen nomine distinctum, quem ad eligendum Sophium Episcopum ab Angelo monitum testatur: pronum igitur opinari est, hunc ipsum Benignum fuisse, qui pro suo munere Episcopo tum sacra facienti assistens, lanceâ & ipse confossus, super eandem aram altera Christi Hostia effectus est. Ad hanc meam opinionem, sive conjecturam antiqua accedit Traditio, cujus ad eundem diem XXIV. Januarii S. Sophii natalem, Vipera est testis: Qui & illud addit, S. Benigni Beneventanæ Ecclesiæ Archidiaconi, & Martyris sacros cineres *in augustissimo S. Sophiæ Templo asservatos probari ex MS. Codice Longobardicis literis scripto, ibi olim existente, postea in Vaticanam Bibliothecam cum aliis Codicibus translato, in quo Sanctorum nomina sunt adnotata, quorum Corpora, & Reliquiæ ibi tumulata sunt, qui nil aliud docet, nisi quod Martyr Beneventi occubuerit ob Fidei Catholicæ defensionem.*

Agit etiam post Episcopum Beneventanum S. Sophium de S. Benigno Archidiacono Beneventano Martyre Cl. Bollandus, qui, quod noster Vipera de eo Sancto edidit, recitato elogio, statutam à Vipera Chronologiam respuisse videtur; nam cùm ille Benigni Martyrium *anno 490. tempore Odoacri Regis Ariani, Italiæ tunc dominantis, evenisse* statuat, non alium, quàm *seipsum* ejus Chronologiæ auctorem Viperam habuisse notat, qui quod in Sophio asseruerat, in Benigno recinuit. Hinc concludit: *Si verè ejus* (Sophii Episcopi) *Archidiaconus fuit Benignus, probabile est fortassis primis Longobardorum temporibus occubuisse.* Persuasum quippe Bollando fuit, Cadocum non ante annum 570. obiisse, auctore supradicto Harpselfedio, cujus hæc verba profert: *Celebratur etiam ad hæc tempora Cadocus Monachus Monasterii Lancervanensis auctor, cui Ellenius à tali præceptore nihil degenerans successit. Obiit ad annum quingentesimum septuagesimum sub Maglocuno* IX. *Kalendarum Februarii: Memoriam Cadoci Ecclesia in honorem ejus apud Cotinniam constructa ad hunc usque diem conservat.* Hanc igitur Chronologiam sibi adoptans Bollandus, de Longobardis cogitavit, qui partim Gentiles adhuc, partim Christiani, sed plures Ariani ea circiter tempora in Italiam invaserunt: ut propterea Sophii, ac Benigni cædem ipsis Longobardis tribuendam innuat. At de ea gente istud asserere, adhuc intempestivum erit, quæ etsi (teste Auctore Miscellæ Lib. XVI.) anno 568. Indictione I. Kalend. Aprilis *de Pannonia egressa, secunda verò Indictione prædari in Italia, tertia tandem Indictione*, ideft An. 570 *dominari* cœpisset; vix tamen sequenti Anno (post scilicet assertam Sophii, ac Benigni cædem) Beneventum pervenit, qua tunc in Urbe Longobardici Ducatus jacta fundamenta aliàs demonstravimus. Sed ut ad Harpselfedium redeam, non ego quidem Bollando perspicacior; at Cadocum Monachum in Harpselfedio duntaxat video, eumque in Anglia, & in suo Monasterio defunctum: Cadocum non video, qui postea Sophius vocatus, qui Episcopus Beneventanus, qui denique Martyr Beneventi occubuit. Nonne qui Harpselfedii Cadocus est, a nostro diversus esse potuit? Ita sanè: Sin verò de nostro loqui Harpselfedius voluit, erravit is quidem: neque enim pluris ejus faciendum testimonium est, qui præclariora alia de Cadoco vel siluit, vel ignoravit, quàm Martyrologii Anglicani fides, in cujus postrema editione (ipso Bollando teste) Cadoci, sive Sophii Episcopi Beneventani martyrium circiter annum 490. contigisse, statuitur.

Sed neque ego nostro Viperæ assentiar, qui non solùm Odoacris tempore, ideft anno 490., sed ipso demum Odoacre auctore, quem *Arianorum peste contaminatum* affirmat, Martyrio affectum Sophium arbitratur. Annus tunc vertebatur XIV., quo Odoacer Italicum Regnum administrabat: nam anno (ut superiùs diximus) CCCCLXXVI. illud adeptus, diù pacatum sibi habuit, donec anno CCCCLXXXIX. Theodoricus Rex Gothorum, Imperatore hortante Zenone, Italiam adiens illum gemino prælio ad Isontium fluvium, & ad Veronam superatum, mox Ravennæ triennio obsessum, ac postremò fraudolenta pactione de communicando Italico Regno, ad convivium admissum interfecit anno 493., quo initium habuit Gothorum in Italia Regnum. Hæc cùm ita sint, nulla adesse causa videtur, cur Odoacer, qui jamdiù cum cæteris Italicis Urbibus, subditam sibi Beneventum haberet, quique tum longissimè ab ea Urbe, ac pluribus præliis à Theodorico devictus in maximo rerum suarum discrimine versabatur, Beneventum cum exercitu advolaret, injurias, & clades tum Civitati, tum Fidei Catholicæ allaturus. Veri igitur similius fuerit, hæc omnia

omnia de ipso Theodorico affirmasse, qui anno 489. Italiam ingressus, ac geminâ jam victoriâ adversus Odoacrem potitus, potuit certè sequenti anno 490. vel per seipsum, vel per exercitus sui partem in reliquam Italiam excursiones facere, quibus munitiores quasque Urbes occuparet: De Beneventana Urbe à Theodorico occupata conjectare proclive satis fuerit, dum eandem Urbem paucis post lapsis annis à Totila successore iterum captam, murisque spoliatam ex Procopio scimus, ne *in munitissima Urbe* hostes vigere, *Gothisque negotium facessere* possent (1). Id certè consilium Theodorici antea fuit, qui posteriore sui adventus anno 490. ea facta excursione, non solùm *suburbiis Beneventi* ( ut Biographus inquit ) *devastationem*, sed tùm Odoacris, cujus neci, ac Regno inhiabat, tùm Catholicæ Fidei hostis, quam Arianus ipse omnium pertinacissimus oderat, Episcopo Sophio, ejusque administro Benigno Martyrii subeundi occasionem fecisse dicendus est.

Sed quum ad Gothicum ævum pervenimus, subsistere heic consilium est, ac priori Beneventanæ Ecclesiæ Epochæ cum ipso Gothorum Regno finem imponere. Beneventanam itaque Ecclesiam Christianæ Fidei coævam, inter Samnii Ecclesias primatus prærogativâ illustrem, Antistitibus præterea suis, quorum plures, vel Martyrio celeberrimi, vel Sanctitate conspicui, vel Apostolicis legationibus, difficillimis Religionis, & Ecclesiæ temporibus, egregiè perfuncti inclaruerunt, illustriorem, suis demum Sacerdotibus, inter quos Festum, Desiderium, Paulum, Benignum, maxima scilicet coruscantia suo Cœlo lumina, enumeravit, præclarissimam hactenus spectavimus. His veluti jactis ingentibus fundamentis, in præcelsam dehinc amplioris dignitatis molem, cum ipsa veluti Ætate progredientem, atque assurgentem eandem Ecclesiam sequenti Capite demonstrabimus.

## CAPUT II.

*Ex Beneventano Ducatu, ac dein Principatu à Longobardis instituto amplificata Beneventanæ Ecclesiæ auctoritas. Titulus S. Mariæ eidem ab origine statutus. Ducis Arichis I. in eam beneficia. Episcopi Alfani Diploma illustratur. Episcopus Beneventanus, uti olim Provinciæ Samnii, ita deinceps totius Beneventani Principatus Primas. Sipontina Ecclesia Beneventanæ subdita. Scriptoris Neoterici criminationes ea de re adversus S. Barbatum Episcopum refelluntur. Pontificis Vitaliani Literæ ad eundem Barbatum genuinæ probantur: Pontificia in eamdem rem Diplomata alia: ex quibus plures Beneventanorum Antistitum prærogativæ colliguntur, illustrantur.*

Longobardicam ætatem ingredimur; cujus Resp. Civilibus rebus domi, forisque gestis, pacis, bellique studiis ornatissima, toto hoc Opere hactenus celebrata, Ecclesiasticis, quibus æquè inclaruit rebus, modò illustranda est. Nec verò, dum posteriorem locum huic argumento tribuerim, detractum Longobardorum laudi velim, quasi minus studii, quàm Resp., ac secundas veluti partes Ecclesia Beneventana apud illos promeruerit; Qualis, quantaque Longobardorum Religio fuerit, in ipso Operis exordio peculiari Dissertatione uberrimè explicatum est: Nullus ibi de Ecclesia Beneventana sermo fuit, de qua ( quod mihi præstandum nunc est ) singulari Dissertatione, quæ continuatam temporum, rerumque seriem simul complexa, universum illius aspectum exhiberet, agendi propositum erat; Proderit tamen illa in antecessum ostendisse, ut quos in instaurandis, condendis, locupletandis, decorandisque Sacris Ædibus, eximiam Pietatis, ac Munificentiæ laudem assequutos Longobardos jamdiù probaverimus, facilè ex iis ipsis conjecturam, aut certè judicium modò statuamus, ampliora Longobardos in eam Ecclesiam contulisse, quam in Urbe totius Principatus Metropoli positam ob oculos haberent, suamque Matrem, ac Magistram, post Romanam, venerarentur.

Beneventani Ducatus à Longobardis instituti primordia, nihil præclarum ad præsens argumentum reliquisse videntur. Si ad originis annum DLXXI., si ad sequutos Zottonis primi Ducis annos XX. oculos intendamus, obscura illa tempora nobis erunt, ac fortasse dissimulanda magis, quàm in memoriam, lucemque revocanda. Postea verò quàm, Zottone sublato, anno DXCI. ad Arichim secundum Ducem rerum summa pervenit, æquâ felicitate tum Beneventana Resp., tum ipsa simul Ecclesia frui cœperunt. Primum igitur illud satis



(1) De Bell. Goth. Lib. I.

ſatis conſtat, anno DC., qui decimus Ducis Arichis numerabatur, Davidem Beneventanum Epiſcopum Cathedralem Eccleſiam XVI. Kal. Decembris in honorem SS. Virginis Dei Genitricis Mariæ ſolemni ritu conſecraſſe, cujus rei teſtis adhuc ſupereſt Sermo, ab eodem Epiſcopo ea occaſione, ipſoque die ad Populum habitus, quem in noſtra Bibliotheca aſſervatum, Vipera, Ughellus, Sarnellius, aliique meminerunt. Conſecrationi autem occaſionem feciſſe, putare debemus, non ejuſdem Eccleſiæ novam conſtructionem, ſed potiùs inſtaurationem, quâ in ampliorem, magnificentioremque formam excitata fuit. Erat enim Beneventanis Epiſcopis ſua Cathedralis Eccleſia, quam initio, quum Chriſtiana Fides Beneventi ſuſcepta eſſet, pro illorum temporum ratione ſatis exiguam, immo abditis in locis, nec certa ſtatione conſtitutam, opinari licet: Dum verò pax Eccleſiæ reddita eſt, Ædibuſque Sacris publicè conſtruendis, Imp. Conſtantini tum lege, tum exemplo, poteſtas facta; haud certè Beneventanorum Antiſtitum, qui poſt S. Januarium Martyrem Sæculo IV. floruerunt, minor cura fuit, Idololatriæ reliquias extirpandi, quàm illius Eccleſiæ exædificandæ, ubi ad Plebem ſuam Chriſtianis documentis erudiendam, ſacriſque Myſteriis alendam conſiderent.

De S. Apollonio, qui circiter annum CCCXXXII. inter S. Dorum, ac S.Caſſianum, Epiſcopatum tenuit, illud à noſtro Vipera memoriæ proditum eſt, ab hoſtibus Fidei acerbiùs divexatum, extra Urbem seceſſiſſe, ibique extructâ Ædiculâ, Epiſcopali munere perfunctum fuiſſe (1). Non id certè mirum eo tempore, quo non Beneventi duntaxat, ſed Romæ, aliiſque præclarioribus Urbibus Idololatria non dum excisa, magnam adhuc plebis partem addictam ſibi retinebat, pluresque ex ipſis Potentioribus habebat Patronos, quorum improbitati cedendum aliquando fuit. Id verò conſtanter affirmaverim, Ædiculam illam ſuburbanam ab Epiſcopo Apollonio ædificatam, non niſi temporariam Sedem, ſeù Cathedram fuiſſe, ubi is, quoquo poſſet modo, Epiſcopum ageret. Extat etiamnum ad Pontem Leproſum ſecus veterem Viam Appiam, quâ Ager ſuburbanus celeberrimi Monaſterii extramurani S. Petri limitem habet, ſacra Ædicula humi penè ſepulta, ſed fornice adhuc, parietibuſque integris conſtans, qui ex interiori facie ſacris imaginibus undique depictis ornantur: omnia ſummam vetuſtatem oſtendunt: locuſque vulgo *Hieruſalem* nomen hodièque ſervat; quod à majoribus antiquiſſimâ traditione acceptum, pleroſque in eam opinionem adduxit, eam primis Sæculis fuiſſe Beneventanorum Epiſcoporum Cathedralem Sedem: Nullæ tamen ejus rei probabiles conjecturæ: ac libuiſſet certè de eo ſingulari vocabulo, ſi id Beneventanæ Eccleſiæ primum nomen extitiſſet, certiora reperiſſe, quibus plura in eam rem obſervari potuiſſent: ſed quum ex ſola vulgari traditione nihil mihi ſtatuere propoſitum ſit, ſuſpicari duntaxat malim, Apollonii Ædiculam illam fortaſſe videri, quæ ex ejus Epiſcopi ſeceſſu, ac ſanctitate apud poſteros religioſiorem cultum aliquando ſibi comparavit; facto etiam *Hieruſalem* vocabulo, ut qui ad eam in ſuburbano poſitam accederent, quò magis ad pietatem excitarentur, Hieroſolymitanam veluti peregrinationem ſuſcepiſſe viderentur: quemadmodum de finitimo S. Petri in eodem ſuburbano extructo templo, aliàs mihi obſervatum fuit.

Ad Titulum itaque Beneventanæ Eccleſiæ quod attinet, neque illum quidem, quum ab Epiſcopo Davide conſecratio facta eſt, tunc primùm inditum credere debemus. Antiquius enim, ac ſatis illuſtre ejuſdem Sæculi monumentum in promptu eſt, unde Cathedralem ipſam Eccleſiam Beneventanam in honorem SS. Virginis Dei Genitricis Mariæ, ac ſub ejus venerabilis Nominis invocatione decoratam ſcimus. Quum enim S. Arthelays Virgo (cujus aliàs meminimus, Actaque integra in Appendice dabimus) Conſtantinopoli Beneventum apud Patruum Narſetem in ea Urbe degentem adveniſſet, *diſcalciatis pedibus intravit cum multo Comitatu per Portam, quæ dicitur Aurea, & venit orando Deum, uſque ad atrium Dei Genitricis Mariæ per mediam Civitatem: Cumque ibi veniſſent, fecerunt ſonare omnes Campanas ejuſdem Eccleſiæ: Clerici verò ſuſcipientes eam cum hymnis, & laudibus, ingreſſi ſunt Eccleſiam Beatæ Mariæ*. Hæc circiter annum DL. contigiſſe dicenda ſunt, quum ſcilicet poſt Gothicum Bellum Narſes in Italiæ ab ſe liberatæ adminiſtratione confirmatus (teſte Imp. Porphyrogenito in *De Adminiſtr. Imper. cap.* XXVII.) *Beneventi* conſideret; ut jam conſtet quinquaginta circiter ante annis, quàm David Eccleſiam Cathedralem conſecraſſet, eandem prædicto S. Mariæ titulo inſignem extitiſſe. Sed neque eodem Sæculo V. ſubſiſtendum erit; ortum enim cum ipſius Eccleſiæ origine Titulum S. Mariæ ſatis aptè con-

(1) In Catal. SS. Benev. ad diem VIII. Julii pag. 38.

conjectare fas erit ex recepto more, seù ritu illo ab ipsius Christianæ Religionis primordiis servato, quo quæ passim ædificarentur, Cathedrales præsertim Ecclesiæ, Deo quidem sacræ, in honorem tamen Beatissimæ Virginis, ejusque titulo, præcipuè vero in ejus Assumptionis memoriam dedicarentur, ut per quam salus Mundi credentibus apparuit, continuatis ipsius suffragiis militans adhuc in terris Ecclesia, præteritorum memor, nova à Deo beneficia sibi compararet.

Non igitur omnium primus David Episcopus eum Titulum Ecclesiæ Beneventanæ attribuit: neque (uti jam monui) eandem, quam consecrasse memoratur, Ecclesiam primus exædificavit. Veteris Ecclesiæ consecrationi occasionem fecisse debuit nova illius instauratio, quam Antistes moliri tunc temporis potuit. Beneventanum Ducatum Longobardi sibi jam confirmarant; illorumque res florere cœperant Arichis virtute: Hujus (quæ ad præsens argumentum pertinet) Pietas, ac Religio à Sanctissimo Pontifice Gregorio Magno luculentum testimonium etiamnum accipit, servatâ tum in ejus Regestis (1), tum à Paulo Diacono (2) Epistolâ, quâ ab Arichi (*de cujus gloria, sic confidere* ait, *sicut reverà de Filio suo*) transvehendas è partibus Brutiorum trabes efflagitat, quibus ad Ecclesias SS. Apostolorum Petri, & Pauli reparandas opus habebat. Hoc sanè exemplo perspicuum est, quantum studii, munificentiæque in Beneventanæ Ecclesiæ opus, quod ab Episcopo Davide curabatur, Arichis contulerit. Utriusque exemplo factum crediderim, ut eodem tempore Beneventanorum Civium pietas ad sacrarum Ædium constructionem vehementiùs excitaretur: Extat in Chronico S. Sophiæ Diploma Episcopi Alfani, qui post Barbarum Davidi, vivo adhuc Duce Arichi, successit; concessitque Trasamundo Patronatum Ecclesiæ S. Martini, quam ille à fundamentis erexerat: Insignis hæc Charta, quæ omnium ad nostros Episcopos pertinentium haud fortasse prima, sed aliarum superstitum vetustissima est, tum brevitate, tum reliquis rebus, ita commendatur, ut heic describendam duxerimus.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI,
EJUSQUE SANCTISSIMÆ GENITRICIS.

*Temporibus Domini Viri Gloriosissimi Arichis*
*Summi Ducis Gentis Longobardorum*
*Anno vigesimo-quarto gloriosissimi*
*Ducatus, qui Mense Martio, Indictione Quarta firmatus* (3).

*Nos Dominus Vir Beatissimus hujus Sanctissimæ Sedis Beneventanæ Alphanus Reverendissimus Episcopus* (4) *ob solutionem Ecclesiæ S. Martini tibi Transemundo Scholdachis, qualiter tu nominate Trasemunde ipsam sæpiùs dictam Ecclesiam à novo fundamine usque ad culmen Consecrationis perducere visus es, in tuo proprio Territorio, loco, qui vocatur Monsbonionis, qui esse vide-*



(1) Lib. XII. Epistol. XXI., al. XIV.

(2) De Gest. Longob. lib. IV. cap. XX.

(3) Alterutram temporis notam, quæ huic Chartæ præfixa est, mendosam esse oportet, ex librarii quidem oscitantia, cui fortasse deteriora addiderunt Typographicæ operæ; quare factum est, ut Chronicon S. Sophiæ ab Ughello editum post to. VIII., nunc to. X. fœdè corruptum Viri docti meritò conquerantur. Ex dicti Chronici parte I. num. 20. eandem pluribus verbis discordem retulit idem Ughellus in dicto Episcopo Alfano: aut itaque in Arichis annis, aut in Indictionis numero mendum cubat: si enim Ducis Arichis, qui anno 591. Ducatum auspicatus est, annus tum vigesimus quartus decurrebat, ad annum 604. perveniemus, cujus anni mense Martio, non Indictio quarta, sed sexta anni antecedentis, aut etiam septima numerari cœpit: atque in Indictionis numero describendo peccatum potiùs videtur, quàm in ejus Ducis annis, qui ad Ducatus annos quinquaginta pervenit.

(4) Non insolenter, aut etiam arrogantiùs egisse Episcopus David existimandus est, qui in suo Diplomate non modò *Reverendissimi*, sed etiam *Beatissimi* titulum sibi attribuit. Uterque honoris titulus ævo illo ab Episcopis passim usurpabatur, non invito, immo etiam Romano Pontifice largiente: Alfani coævus Magnus Gregorius, ad plures Episcopos scribens, *Beatitudinis*, ac *Sanctitatis* titulo eos compellat, uti lib. X. ep. 35., & 39. Crebriùs verò *Reverendissimos* vocat, ut Dialogorum lib. 3. cap. 31., & epistolarum lib. 2. ep. 7. ubi Gussanvillæus notat in MS. Cod., & prioribus editionibus tum in ea epistola, tum in aliis passim semper legi: *Reverentissimus*: subditque invaluisse postea, ut scribatur *Reverendissimus*; *sed non rectiùs* (inquit) *secundum regulas Grammaticorum, nam reverens idem est, ac qui honorem præstat, reverendus, cui honor redditur*. Gussanvillæo refragantur eodem loco eruditi Monachi S. Mauri, subnotantes, rationem à Viro docto prolatam probare contra ipsius mentem legendum *reverendissimus*, non *reverentissimus*: at cùm in MSS. passim legitur *reverentissimus*, non derivatur à *reverens, reverentior*, quasi qui honorem plus cæteris præstet, sed idem sonat, ac *reverendissimus*, hoc est, cui major debetur honor, usurpato, t, pro d, quod sæpè fieri apud veteres, non ignorant Grammatici. Sed missis his leviusculis, non solùm de more iis titulis Alfanus Episcopus usus est, sed, cùm sibi deberentur, tum maximè in ferendo Diplomate, veluti auctoritatis suæ insignia, adhibere debebat.

*videtur in Buente loco, Canonica ratione absolvimus eam prædictam Ecclesiam, ut non Presbyter, Diaconus, vel Subdiaconus habeat potestatem eam dandam in Plebutea à parte esse voluerint per quemlibet titulum, excepto Presbytero, quem tu nominate Trasemunde Plebutea* (1) *parte esse voluerunt, aut subtrahendam per quemlibet titulum, excepto Presbytero, quem tu nominate Trasemunde, vel tui hæredes per tempora volueris, qui in ipsa jam fata Ecclesia nobis, vel à nostris Successoribus in nominatam Sanctam Sedem nostram pervenit consecrandus secundum Canonicam Sanctionem: nam aliam nullam rerum habeat potestatem dandi eam, neque à me Alfano Domini gratia Episcopo, neque ex Posteris meis nunquam habeas aliquam requisitionem, aut reprehensionem de hac mea absolutione, sed ex nunc, & usque in perpetuis temporibus, qualiter superiùs legitur, in ipsa ratione permanere valeat ipsa nominata Ecclesia. Quod monumentum absolutionis tibi Nicolao Notario nostro, ut scriberes, præcepimus, & ut robur habeat, effigiem Sanctæ Crucis affiximus.*

*Actum Beneventi in Episcopio, Mense & Indictione nominata feliciter.*
*Ego Majorachi Presbyter me testem scripsi astantibus Sacerdotibus nostris, vel cuncto Clero.*
*Ego Aripaldus scribere me jussi, & testes ascribere.*

Plura quæ ad explicandam, illustrandamque hanc Chartam necessaria videbantur, in subjectas notas reposuimus. Ex *Crucis* effigie affixa, de ipsius monumenti vetustate, ac sinceritate certiores efficimur; quandoquidem nondum eo sæculo Beneventani Antistites sigillum cereum, ac plumbeum Chartis suis adhibebant, quod postea factum, nosque sequenti capite sedulò observabimus. Animadvertendum quoque est *Sanctissimæ* epitheton, quod Beneventanæ Sedi tribuitur; animadvertenda denique non solùm Domini Jesu Christi, verùm etiam ejus Sanctissimæ Genitricis invocatio, quæ chartæ inscripta est, ut cujus titulo Ecclesia Beneventana insignis habebatur, ejus pariter nomine Episcoporum Diplomatis decus, & robur accederet.

Sed jam ad Sæculum VII. læti properabimus, intra cujus spatia cum ipsa Longobardici Ducatus amplitudine, ac majestate, Ecclesiam quoque Beneventanam prolatis Territorii sui finibus angustiora pristinæ dignitatis suæ incrementa accepisse inveniemus. Ex summo illo discrimine, quo Beneventanus Ducatus ob Imp. Constantis adventum recidisse videbatur, felicior emersit Longobardicæ Reip. status, partaque Beneventanis fuerunt ingentia maximarum rerum emolumenta. Conceperat animo Constans Imperii Sedem è Byzantio Romam transferre, non ullà publici boni permotus causà, sed ejus invidiæ pertæsus, impatiensque, quam

(1) Vocabulum hoc *Plebutea* ex uno hoc Chronico S. Sophiæ retulit in suum Glossarium Cangius, qui tamen in eo describendo hallucinatus pro *Plebutea*, legit *Plebictea*, contra ejus Chronici, quo usus est, fidem, ac manifestam lectionem: sic enim habet in dicto Glossario primæ edit. Francof. 1681. t. 3. pag. 310. PLEBICTEA. *Vetus Charta in Chronico Beneventani Monasterii pag.* 588., ut habeat potestatem eam (Ecclesiam) dandam in Plebicteam partem esse voluerunt, aut subtrahendam. *Puto legendum: in Plebem eam &c. idest Parochiam.* Hæc ad eam dictionem Cangius, in cujus Glossarii nova, atque auctiore editione ab eruditis Benedictinis S. Mauri curata idem mendosum vocabulum servatum legitur *tom.v. pag.* 562. *edit. Venetæ* 1721. At (ut dixi) Charta habet *Plebutea*, tum in dicto Chronico ab Ughello edito post tom. 8. d. pag. 588. (Romæ 1662.) tum in dicto Episcopo Alfano p. 20. ejusd. to.8., tum denique in nova edit. Veneta 1722. to. x. (quò idem Chronicon rejectum fuit) pag. 432. Sed & illud, quod verè legitur, *Plebutea*, falsò scriptum adhuc est: sejungenda enim est postrema litera, *a*, ut remaneat Plebute, quod sanè vocabulum haud quidem in Plebem, uti censet Cangius, sed pronum, atque affine magis est, ut *Plebatu* legatur. Alfanus itaque Ecclesiam à Trasemundo ædificatam *Canonica ratione absolvit, ut non Presbyter, Diaconus, Subdiaconus potestatem habeat eam dandam in Plebatu* (quod vocabulum *Plebatus* uti etiam *Plebanatus* ad significandam administrationem, vel etiam districtum Parœciæ in dicto auctiore Cangiano Glossario, vetustis aliis chartis comprobatum recensetur) *à parte esse voluerint* (id est in suas partes vindicandi, vel possidendi, vel adjudicandi facultas sit; hanc enim *Partis* vocabulum sequiore ævo significationem habuisse ex eodem Glossario disces, docentque aliæ passim ejusdem Sophiani Chronici Chartæ) *seù subtrahere debeant per quemlibet titulum* (ita in eo Diplomate edito, in dicto Episcopo Alfano p. 20., nam recusum in Chronico d. pag. 588., & 432 Typographi negligentiâ legitur: *per quam & titulum*) *excepto Presbytero, quem nominatus Trasemundus, vel ejus hæredes per tempora ordinare*, idest in ejus Ecclesiæ curam, & possessionem deligere, *voluerint* &c. Sic enim verbum *ordinare* heic accipiendum est, consueta ejus ævi significatione, ut scilicet non modò Ordines Sacros, & Ecclesiasticos conferre sit, de quo laudatus Cangius agit: verùm etiam quamlibet potestatem, sive munus, aut etiam jurisdictionem *politicam* tribuere. Paulus Diaconus lib. 4. cap. 53. *Grimoaldus hæc audiens, mox animum ad Regnum Longobardorum obtinendum erexit: ordinatoque apud Beneventum Romualdo suo filio Duce &c.* Et sanè Alfanus Presbyterum à Trasemundo *ordinandum* in dicta Ecclesia, à se, suisque Successoribus *consecrandum secundum Canonicam sanctionem* disertè cavit; qua quidem *consecratione* Sacrorum Ordinum collatio præclarè intelligitur.

quam apud Cives ſubiverat ob cæſum fratrem Theodoſium, patrata in Pontificem Martinum, ac Maximum facinora, adoptatamque Monothelitarum Hæreſim: quemadmodum Zonaras, Theophanes, Cedrenus, aliique Græci Scriptores affirmant: Rem tantam moliri, exequique vix poſſe ratus, niſi Longobardis, Ciſtiberinæ præſertim Italiæ Dominis, è medio ſublatis, ingenti comparata claſſe anno DCLXIII. Tarentum applicuit, indeque immani furore raptus, captis in itinere, direptiſque Urbibus aliquot, Beneventum, Ducatus ſedem, expugnaturus properavit: Rei (de qua uberiùs alibi egimus (1)) fuit exitus, ut incaſſum Conſtantis conatus ceſſerint, qui, ſoluta Urbis obſidione, ingentem adhuc à Longobardis ſui Exercitus ſtragem tulerit; quare fractis viribus ſatiùs ſibi duxit Neapolim ſubditam Græcis Urbem ſe recipere, perluſtratâque Româ, in Siciliam (futurum mox ſepulcri ſui locum) ſecedere, ita ut relictâ Longobardis Italiâ, amplius ejus Gentis fortunas, ac dominationem, quam evertere ſatagebat, conſtabiliverit. Hoc primum Longobardicæ Reip. emolumentum: Alterum Religionis fuit: Dum enim Conſtans Urbis expugnationi vehementiùs incumberet, Civeſque jam pavor occupaſſet, ne in ſæviſſimi hoſtis poteſtatem redigerentur, opportuna Viro Sanctiſſimo Barbato ea occaſio viſa fuit, ut Ducem Romualdum, ſuoſque Longobardos de extirpandis avitis quibuſdam ſuperſtitionum reliquiis publicè commoneret, pollicitus præſentiorem, validioremque ipſis fore Divinam opem, quàm quæ à Rege Grimoaldo Patre poſtularentur auxilia: Obtemperarunt Longobardi, quibus lætiſſimum fuit, non ſolùm à cervicibus ſuis Hoſtem ſubmoviſſe, verùm etiam diſcedentem multa clade affeciſſe; majus verò, atque omninò ſalutare illud, ſuperſtitiones illas deleſſe, veteremque à ſuo nomine infamiam, atque a Longobardorum religione ſuperſtitem maculam jamdemum ſuſtuliſſe (2).

Hæc quidem de Beneventana Urbe ſatis læta: lacrymoſa verò de aliis Urbibus illa ſunt, quas (uti dixi) Imperator Conſtans Italiam ingreſſus primo veluti impetu vaſtavit, diripuitque (3). Ejus calamitatis conſors inter alias Sipontina Urbs; ſatis illa dives, ut ei invadendæ immaniſſima Conſtantis avaritia inhiaret; cui etiam novas faces addidit proxima Urbi S. Michaelis Archangeli Baſilica tam religione, quàm opibus ſuis præclariſſima. Non ignotus Græcis is locus, qui paucos ante annos ſacras illas opes prædam ſibi facere aggreſſi fuere, memorandaque ea res evaſit digno ſacrilegi conatus ſucceſſu, dum Beneventanus Dux Grimoaldus (teſte Diacono Paulo) *ſuper eos cum exercitu veniens, ultima eos cæde proſtravit* (4). At Conſtantis furori cedendum poſtea fuit, qui exaturatâ avaritiâ, inauditum adhuc impiiſſimæ crudelitatis exemplum reliquiſſe voluit; cuncta enim ferro, ac igne ita vaſtavit, ut non modò loci religio, ſed & nomen, ac memoria (niſi Barbatus malo occurriſſet) perpetuò periiſſe videretur. De Barbato plura diximus in Diſſert. II. Cap. IV., quo loco Viri Sanctiſſimi genus, inſtitutum, virtutes, poſthumam denique gloriam demonſtravimus. Nihil præſtantius ab ejus virtute profectum, nihil immortali laudum præconio celebrari dignius, quàm quum à gentilibus ſuis eam labem diſpulit, Longobardoſque, etſi Chriſtianos, etſi Orthodoxos, ad purioris pietatis, ſincerioriſque religionis ſemitas revocavit: Sed nihil quoque Beneventani Populi ſanctiſſimum ſtudium, æquiſſimamque judicii œconomiam magis oſtendit, quàm quum, Ildebrando Epiſcopo paullò poſt defuncto, Barbatum de Patriæ ſalute, ac religione optimè tunc meritum, Paſtorem ſibi delegerunt. Ampliora ex ejus Dignitatis acceſſione ſpatia Barbati virtus inveniſſe ſibi viſa fuit, qui in id unum incumbere cœpit, ut non modò plebis ſibi commiſſæ mores ad ſolidioris pietatis officia informarentur, verùm etiam Religionis rebus, ſicubi collapſæ viderentur, undique reparatis, univerſi Longobardici Ducatus felicitas refloreret. Haud diù itaque tulit Sipontinæ Eccleſiæ interitum, non Garganicæ Baſilicæ deletum cultum paſſus eſt. Qua in re id primùm nobis animadvertendum erit, non aliam, vel certè potiſſimam Epiſcopo Barbato ejus ſolicitudinis fuiſſe cauſam, quàm illud Primatus jus, prærogativamque, quâ Beneventana Sedes potiebatur; uti ſuperiore Capite præclariùs fuit demonſtratum. Quamvis autem Primatum ipſum non niſi intra Samnii Provinciam porrectum tunc ſtatuerimus, itaut qui ad finitimam Apuliæ Pro-

(1) Diſſert. II. cap. 2.

(2) De Viperæ ſimulacro, cui Longobardi cultum adhibebant, deque ſuperſtitioſis ad certam Arborem eorum ludis, actum ſuperiùs à me fuit in eadem Diſſert II. cap. 3.

(3) Sic Paulus Diacon. De Geſt. Longob. lib. V. cap. 7. *Igitur cùm Conſtans Auguſtus Tarentum veniſſet, egreſſus exinde Beneventanorum fines invaſit, omneſque penè, per quas venerat, Longobardorum Civitates cepit: Luceriam quoque opulentam Apuliæ Civitatem expugnatam fortiùs invadens diruit &c.* Eadem narrantur in Actis S. Barbati, de quibus egimus l. l.

(4) Lib. IV. cap. XLVII.

Provinciam pertinerent Epiſcopi, inter quos Sipontinus certè numerabatur, nullam Epiſcopo Beneventano ſubjectionem præſtare tenerentur; tenenda tamen nunc ſequutorum temporum, ſucceſſorumque Principum ratio eſt, quâ utraque Provincia, immo aliæ plures, quas Ciſtiberina Italia complectebatur, propterea quod uni Domino jam parerent, in unum Ducatum Beneventanum coaluiſſe videbantur, cujus Ducatus non ſolùm Sedes, ſed (ut Pauli Diaconi verbis utar) *omnium Provinciarum*, quibus Ducatus conſtituebatur, *Caput erat ditiſſima Beneventum* (1). Exhinc igitur factum oportuit, ut pari ratione, iiſdemque juribus ſuperiore Capite demonſtratis, quæ ſolius antea Samnii termino continebatur, paulatim Epiſcopi Beneventani auctoritas cum ipſo ſimul Beneventanorum Ducum Imperio in latiores fines propagata fuerit: Id probatum videri poteſt ex ea Epiſcoporum legatione, quam ſequenti Sæculo Princeps Arichis ad Carolum Francorum Regem pro impetrando fœdere tranſmiſit; quorum Epiſcoporum ex univerſa Beneventani Principatus ditione coactorum Princeps, & Caput Beneventanus Epiſcopus fuit, uti paullò inferiùs obſervabimus. Interim dum ex Grimoaldi facto, qui paucos ante annos Græcos ad Garganicam Baſilicam diripiendam adventantes profligavit, Sipontinam Urbem, ejuſque Regionem Romualdo ejus filio, Beneventanoque Duci ſubditam fuiſſe conſtat (2), ſui muneris duxit eſſe Barbatus, ut qui tunc Beneventanus eſſet Epiſcopus, atque antiquo Primatus jure, eam regionem ſibi acceſſiſſe animadverteret, de reparandis Sipontinæ Eccleſiæ detrimentis, inſtaurandaque Garganicæ Cryptæ religione ſeriò cogitaret. Quod, uti geſtum ab eo ſit, ex ejuſdem Actis didiciſſe præſtabit.

Barbati Epiſcopi electionem, ad quam *uterque ſexus, & ætas unanimiter confluxerunt lætantes, eo quod talem mererentur habere Patrem*, non ſolùm probavit Dux Romualdus, qui eam rem in votis jam habebat, *optimo* (ut ajebat) *Patri* ſui, ſuorumque curam commiſſurum ſe certò noſcens, verùm etiam tum accepti beneficii, tum promiſſionis ſuæ memor ingentibus locupletare opibus Barbatum aggreditur. Ille verò, qui *non honoris, aut divitiarum avidum, ſed de Civium ſalute anxium* ſe oſtenderat, Paſtoris quidem munus, velut in aliorum utilitatibus procurandis onus divinitùs ſibi impoſitum ſuſcepit, divitias verò conſtanter recuſavit. Harum tamen loco illud Deo acceptius, Ducique ſalutarius fore adjecit Barbatus, ut Garganica Baſilica cum Sipontino Epiſcopatu ſuæ curæ, juriſdictionique concrederetur, quò faciliùs Religionis detrimenta, quæ ibi acciderant, ſubmoveri poſſent, inſtaurandufque feliciùs, quàm olim, rerum omnium ſtatus, Beneventani Antiſtitis operâ, auctoritateque ſtabilior deinceps permaneret: Qui ampliora largiri paratus erat, atque ſuſcipere nolentem vehementiùs rogabat, poſtulata quàm libentiſſimè præſtitit Romualdus. Sed Acta audiamus: *Quo* (Barbato) *electo in ordine Epiſcopatus, voluit eum Romuald, ſicut pollicitus fuerat, per ſingulas Provinciæ Urbes, prædiis, coloniſque ditare: quæ Vir Domini Barbatus accipere renuit. At ille cogebat eum dicens*: Non me inter filiorum tuorum numerum aggregari credo, ſi munus, quod pro mea ſalute offerre ſtudeo, recuſas. *Coactus itaque ejuſdem precibus, ait Beatiſſimus Barbatus*: Si munus tuæ ſalutis offerre ſtudes, unum impende Sacrificium, ac Beati Michaelis Archangeli Domum, quæ in Gargano ſita eſt, & omnia quæ ſub ditione Sipontini Epiſcopatus ſunt, Sedi Beatiſſimæ Genitricis Dei, cui nunc indignè præſum, in omnibus ſubdas. Et quoniam abſque cultoribus omnia depravantur, unde nec ſedulum Deo illic officium perſolvi poteſt, meliùs à nobis diſpoſita tibi proficient in ſalutem. *Illico Princeps Viri Dei conſenſit petitionibus, & eo ordine, quo pactus eſt, ſicut mos eſt, per Præceptum Genetricis Dei Sedi univerſa conceſſit, & ut reſonat, in futuro anathematizaverunt, qui contra hæc agens irritum hanc facere voluerit conceſſionem* (3). Pulcherrimum illud eſt (quod primum in recitato Actorum loco obſervaſſe intereſt) ut Eccleſia Beneventana, non alio tunc vocabulo, quàm *Sedes Beatiſſimæ Genetricis Dei* ſemel, atque iterum appellata legatur; non ſolùm enim ſummam ejus tituli vetuſtatem, de qua ſuperiùs egimus, comprobaſſe licebit, verùm etiam is titulus, quo veluti *κατ' ἐξοχὴν* Eccleſia Beneventana ſignificari conſuebat, ejus ſupra cæteras Provinciæ, ſivè Beneventani Ducatus Eccleſias primatum oſtendiſſe videtur. Id Romualdus ipſe innuiſſe dicendus eſt, qui

(1) De Geſt. Long. lib. II. cap. XX.

(2) Non ſolùm Sipontina Urbs, atque maxima Apuliæ pars jamdiù Beneventano Ducatui acceſſerat, ſed mox poſt Imp. Conſtantis diſceſſum univerſæ pænè Regiones, quas adhuc Græci obtinebant, eidem Ducatui adjectæ. Etenim Romualdus (uti narrat Paulus Diaconus lib. VI. cap. I.) *Beneventanorum Dux congregata exercitus multitudine Tarentum expugnavit, & cepit, parique modo Brunduſium, & omnem illam, quæ in circuitu eſt, latiſſimam regionem ſuæ ditioni ſubjugavit.*

(3) Apud Bollandum in actis SS. Februarii ad diem 19. tom. 3. ejuſd. Menſis pag. 141.

qui eandem Genitricis Dei Sedem *per ſingulas Provinciæ Urbes prædiis , coloniſque ditare* congruum exiſtimavit ; ut quæ Provincialium Eccleſiarum princeps latiſſimos in fines ſpiritualem juriſdictionem exercebat, inde quoque temporalia ſubſidia reciperet. Provinciæ verò vocabulum Romualdus, ſivè Actorum auctor uſurpavit, non ut vetus Samnium, ſed ut Ducatus Beneventani, quàquà tunc temporis ejus fines paterent, amplitudinem ſignificaret, eo pari modo, quo *Patriæ* vocabulum latiſſimam ſignificationem, ſequiore ævo, accipiebat, ut ſcilicet non certam Urbem, aut cujuſque natale ſolum, ſed univerſam Regionem, ſivè Dynaſtiam ſub unius dominio, imperioque conſtitutam demonſtraret (1). Nihil præterea eo conceſſionis Præcepto, ſeù Diplomate ſolemnius fuit, quod Romualdus acerrimis indictis pœnis, ne cui violandi locus eſſet, perpetuò obſervandum ſancivit (2). Illud demum de Epiſcopo Barbato obſervabimus, non aliud videlicet fuiſſe ejus ſtudium, quàm ut collapſum Garganicæ Cryptæ cultum, & religionem, labefactatamque Eccleſiæ Sipontinæ paſtoralem curam reſtitueret: illatæ iis locis injuriæ, ingenteſque illius Plebis jacturæ, atque calamitates, quæ in manifeſtum animarum detrimentum diutiùs permanſuræ videbantur, ad Barbatum (qui pro ſuo in alienam ſalutem, divinumque honorem ſtudio, qui etiam pro ſuo munere opem ferre poterat) reſpicere, ac quodammodo clamare videbantur: aures, manuſque admovit Barbatus, qui quod animo conceperat, ac Romualdo prædixerat, fore ſcilicet, ut *meliùs ibi* ab ſe *diſpoſita*, in ipſius quidem largientis Ducis ſalutem profectura eſſent, opere mox complevit; eo quidem felici rerum ſucceſſu, ut Garganica Baſilica, atque Eccleſia ſimul Sipontina, poſtquam in Beneventanæ Eccleſiæ

(1) Ut exempla omittam, quæ Cangius in Gloſſario protulit, ſatis fuerit noſtros Scriptores Longobardos obſervaſſe, quibus illud familiare, ut tum *Patriæ*, tum *Provinciæ* vocem pro univerſo Principatu ſignificando adhiberent. Sic Princeps Arichis in ſuis piarum Donationum Diplomatibus (in Chronico S. Sophiæ p.1. n.2. & 3. ac dein paſſim) donare ſe ait, *pro redemptione animæ ſuæ, & ſalvatione Gentis noſtræ, & Patriæ*. Sic etiam (ut alia omittam) in ejus filii Principis Grimoaldi elogio ſepulcrali apud Anonymum Salernitanum cap. XXVI.

*Salvavit Patriam ſed, Benevente, tuam.*

In Charta Principis Sicardi in Chron. Wlturnenſi to. 1. part. II. Scriptor. Ital. pag.388. ſic legitur: *Uſus hujus noſtræ Provinciæ ſic eſt judicari*; Ubi *Provincia* pro ipſo Principatu omnino accipitur. Adde, quod Principes ipſi in Chartis ſuis ſe *Beneventanæ Provinciæ Principes* aliquando inſcribere ſolebant, ut ex eodem Chronico pag. 376., & ſeqq.

(2) Verbum *Anathematizare*, etiam plurali numero uſurpavit Actorum Scriptor, qui tamen partim corrigi, partim explicari debet; ubi enim legitur: *Sicut mos eſt per Præceptum Genitricis Dei Sedi univerſa* (Romualdus) *conceſſit, &, ut reſonat* (ſc. Præceptum) *in futuro anathematizaverunt, qui contra &c.* legendum videtur: *anathematizavit*: ideſt ipſe idem, qui conceſſit: nam ſi ea pœna in eodem Præcepto *reſonabat*, non equidem niſi ad unum Romualdum ſancientem referenda eſt. Quid igitur? an quod ipſius Barbati, ideſt Epiſcopi erat, ſibi uſurpavit Romualdus? Minime quidem. Non ut pœna Eccleſiaſtica ibi accipiendum eſt verbum *anathematizare*, ſed veteri ſignificatione, ac latiſſimè ſumpto *anathematis* vocabulo, quo capitis maxima diminutio, aquæ, & ignis interdictio, & alia id genus atrociora ſupplicia ſignificabantur; quæ, ut verbo uno ſimul comprehenderet, indicaretque, ipſum *anathematizandi* verbum Actorum Scriptor opportunum ſibi cenſuit. Ejuſmodi *Anathematum*, quæ à ſæcularibus Principibus infligebantur, illuſtre exemplum occurrit in Charta Edgari Regis Anglorum anni 966. de Fundatione Monaſterii Wintonienſis; in cujus Chartæ (apud Labbeum to. XI. conc. pag. 901.) cap. X. in Canonicos primùm ab eo loco eliminatos hæc ſancita ab Edgaro leguntur: *Si autem qualibet occaſione, diabolo inſtigante contigerit .... ut dejecti Canonici Monachorum gregem .... deiicere inſidiando voluerint, agatur de iis, quod actum eſt de Angelis ſuperbientibus, ut Paradiſi videlicet limitibus ejecti, barathri incendiis detruſi, jugi crucientur miſeria: Nec inde evulſi ſe glorientur evaſiſſe tormenta, ſed cum Juda Chriſti proditore, ejuſque complicibus Acheronte conglutinati, frigore ſtridentes, fervore peruſti, lætitia privati, moerore anxii, catenis igneis compediti, lictorum metu perculſi, ſcelerum memoria confuſi, totius bonitatis recordatione ſemoti, æterno lugubres puniantur cruciatu.* Tum cap. XI. in alios quoſque ſic Edgarus pronunciat: *Qui autem jam prædictos novi Wintonienſis Eccleſiæ Coenobii Monachos Monaſteriis, quæ vitiorum ſpurcitiis expurgans, Jeſu Chriſto Domino noſtro acquiſivi, eliminare præſumens voluerit*, anathema *ſit; & eadem maledictione, qua Cain parricida, qui fratrem ſuum Abel, ſtimulante invidia lividus interemit, maſtigia adductus eſt, ſine termino teneatur obnoxius: atque in Dei perſequutione continuo perſeverans, in hac vita nullum dignitatis acquirat honorem, nec in futuro ſine miſeria nunquam perſiſtet, ſed cum Anania, & Sapphira una Styx voragine ejulantem crucians complectatur.* Confecta ea Charta fuit coram Anglorum Proceribus, atque Epiſcopis, qui poſt ſuas ſubſcriptiones hæc addiderunt: *Omnes, qui nominatim huic Privilegio Regis juſſu deſcripti videntur, poſteritatis noſtræ proſapiam ſubnixè depoſcimus, ut manuum noſtrarum vadimonium Chriſti Cruce firmatum nequaquam violantes irritum faciant: Si ſucceſſorum quiſpiam violare præſumpſerit, Corporis, & Sanguinis Chriſti participatione privatus perpetua damnatus perditione anathema ſit.* Utramque Anathematis formulam deſcripſi, tum à Rege Edgaro, tum ab Epiſcopis uſurpatam, ut jam illud ex hoc Monumento diſcamus, quid inter utrumque *Anathema* interſit. Vides enim quod à Rege ſancitum eſt, dirarum plenum anathema, ſed nil aliud in violatores pœnæ nomine indicens, quàm *ut in hac vita nullum dignitatis acquirant honorem*; Epiſcoporum verò *Anathema* id amplius exprimit, quod illorum tantummodo poteſtatis ſancire erat, ut ſcilicet tranſgreſſores *Corporis, & Sanguinis Chriſti participatione privati eſſent*. Stat igitur certa, & evidens illius Anathematis ratio, quod à noſtro Duce Romualdo ſancitum fuit; quod ſi ejus Diplomati etiam Barbati tum ſubſcriptio, tum anathema (ſupradictæ Chartæ exemplo) acceſſerit, Actorum lectionem retinere licebit, in qua, *anathemizaverunt*, legere eſt; diverſum verò utriuſque tum Romualdi, tum Barbati anathema fuiſſe, dicendum eſt.

clesiæ potestatem pervenissent, Beneventanorum Episcoporum curæ, auctoritatique concreditæ, præsentibus malis liberatæ, ac recreatæ, meliorem adhuc statum, quem Episcopi Barbati opera assequutæ fuerant, dein Successorum curâ ad quatuor propè Sæcula conservarint.

Sunt tamen, qui hac in re diversum omnino de Episcopo Barbato judicium pronunciare ausi sunt; quodque à nobis Barbati virtuti, laudique tributum hactenus est, vitio illi vertunt, ac probro. Barbatum ambitionis spiritu, sivè æstu ductum arbitrantur, propterea quod Territorio suo, sivè Diœcesi non contentus, Episcopalem jurisdictionem, conquisito Sæcularis Potestatis suffragio, sibi amplificandam curaverit. Ac vir quidem Clarissimus Ludovicus Ant. Muratorius in suis Medii Ævi Antiquitatibus *de vario statu Dioeceseon Episcopalium* Dissertationem instituturus, de iis Episcopis dicere exorsus, qui in alienas Diœceses suas immittere manus moliti sunt, id justis aliquando de caussis factum primo loco non abnuit, *interdum verò sine causa perpetratum* subjungit, *atque ut ambitioni quorundam fieret satis, Principibus Laicis, non verò Pontificibus Romanis, usurpationes hujusmodi contra Sacros Canones foventibus*. Rem ipsam totam, uno nostri Episcopi Barbati facto, satis, superque probatam sibi voluit, quasi id præclarissimum foret exemplum, quod vice omnium stare posset, vel exinde paria de aliis Episcopis passim argumentari liceret; in eam autem ferendam sententiam alacriorem Muratorium effecit quædam Chronici Vulturnensis Charta anni 839., binis propè Sæculis Barbati ætate posterior: Quæstionem instituit in Auditorio Beneventati Principis Sicardi *Justus* Archipresbyter S. Ecclesiæ Beneventanæ, nomine *Hermerissi* Episcopi sui adversus Præpositum Monasterii *S. Mariæ de loco sano*, de Ecclesia quadam *Baptismali* sub titulo S. Felicis, quam ille Episcopis antiquitùs subjectam usque ad tempus *Domni Gisulphi Ducis, & Munoaldi Reverentissimi Episcopi*, posthac vero *contra Sacros Canones à Domna Escauniperga, & Domno Liutprando* præfato Monasterio perperam concessam contendebat: Contra hæc Theopertus Præpositus Monasterii, & Theodoricus Procurator Palatii *usum Provinciæ* in judicando obtendens, frustra ejusmodi concessioni Canones objici reponebant, quos Principes, & Antistites, & Edicta Gentis Longobardorum *in oblivione ponere* consueverant: *attamen* (subdebant ambo simul Procurator, & Præpositus) *si hoc minimè stare potest; quia ad Canones judicare vultis, quomodo Sanctus noster Barbatus Episcopus obtinuit à bonæ recordationis Domno Romualdo, ut usurparet Sanctam Sedem Sipontinam, & per ejus observationem usurpata est, & contradita est Sanctæ Sedi Beneventanæ, & ab eo tempore usque nunc ibidem nullus fuit consecratus Episcopus? Si enim de hac Basilica* (ipsa scilicet Ecclesia Baptismali) *quia Canones, & per usum Provinciæ minime stare potest, vultis vos observare Canones, fiat in prefata Civitate Sipontina ordinatus Episcopus, & destruetis plurima Monasteria, quod antecessorum Ducibus per suum Præceptum donaverunt, sicut & vobis de nominato Sipontinum, & ejus Parrocia per Præceptum Domni Romualdi fuit concessa, quod & nobis esse videtur, & hoc contra Canones factum fuisse*. Tunc Sicardus (ita Judicati Charta narrare pergit) haud sibi de proposita exceptione curiosiùs inquirendum, neque de controversæ Baptismalis Ecclesiæ origine, atque utriusque partis primævo jure, seu dominio disceptationem protrahendam duxit, sed de præsentis negotii possessione cognoscere maluit; auditisque testibus, qui eam Baptismalem Ecclesiam non Episcopio, sed Palatio subjectam asseverabant, satiùs habuit, immo è re sua esse censuit, ratam habere *Scauniperga*, ac *Liutprandi concessionem*, eamque Ecclesiam Monasterio adjudicandam definivit. *Tunc* (sic Judicatum pronunciantem Sicardum Charta profert) *nostra qui supra gloriosa potestas per eorum testimonium consideravimus, quomodo Principes, & Antistites hujus Provinciæ per usus essent judicaturi, placuit nostræ Potestati, quod gloriosa Scauniperga, & Vir gloriosissimus Liudprand per suum emiserunt præceptum in prædicto Monasterio firmiter, atque inviolabiliter debeat permanere: & per ampliorem definitionem fecimus dare guadiam suprascripto Theoperto Præposito, jam dicti Justi Archipresbyteri, ut ei preferet Sacramentum à parte Monasterii secundum Legem Romanam sibi quinta persona dicendo, quod Ecclesia S. Felicis tantum Palatio obaudivit: nam nihil ad Episcopium quandoque obedientiam habuit, & esset causa finita* (1).

Hæc non uti à nobis exposita sunt, sed multis dissimulatis, adhibuit sibi Muratorius, ut ex recriminatione illa, qua Præpositus Monasterii adversus Ecclesiam Beneventanam usus est, certum sibi educeret argumentum, quo Sipontinam Ecclesiam *contra Canones* Ecclesiæ Beneventanæ subjectam demonstraret, atque Episcopum Barbatum, qui id Romual-

(1) In Chronico Vulturnensi tom. 1. P. 11. Scriptor. Ital. pag. 388.

Romualdo Duce duntaxat auctore impetravit, ambitionis convinceret. Sed neque heic subſtitit Muratorius; occaſionem ex eadem Charta ſibi quoque arripuit, ut Barbati Succeſſores, vel certè poſteriores Beneventanos falſi expoſtularet, quod vel Barbati nomini, ne contra Canones peccaſſe videretur, vel Beneventanæ Eccleſiæ juribus conſervandis proſpecturi, Apoſtolicas literas confinxerint Pontificis Vitaliani, qui Barbato Eccleſiam Sipontinam cum Garganica Baſilica, atque alias præterea Eccleſias ſpeciatim confirmavit. Præpoſiti exceptionem audiens Sicardus Princeps (ità diſſerere, aut potiùs argumentari pergit Muratorius) petiit à Juſto Archipresbytero Sanctæ Beneventanæ Eccleſiæ, ibi agente pro Epiſcopo Hermeriſſo, *an ipſa Sedes Sipontina cum Canonica Sanctione* (hoc eſt ſecundum Canones, & probante Apoſtolica Sede) *fuiſſet ſublata. Et ipſe nobis claruit, dicens, quod contra Canones facta eſt uſurpatio prædictæ Sedis Sipontinæ*. Habemus heic (en Muratorii argumentationem) *unde falſi poſtulemus Literas Vitaliani Papæ, à Mario Viperà productas, quibus unio Sipontinæ Eccleſiæ cum Beneventana probatur. Ut alia omittam, pugnat textus, pugnant & notæ Chronologicæ Bullæ illius cum Hiſtoria; quod & Camillus Peregrinius, & Ughellius ſunt ſuſpicati; quamobrem nil mirum ſi anno* DCCCXXXIX., *quo ſcripta fuit Charta Vulturnenſis, haſce literas ignorabant veteres Beneventani; ſed tantummodo norant, factam unionem illam fuiſſe per Præceptum Romualdi Ducis Beneventani, & quidem, ſi mendo caret charta*, per uſurpationem (1).

At mendoſiſſimam, immo mendaciſſimam Chartam (ſi præjudicatâ ſententiâ ad rem ſtatuendam, ſive diſſerendam non acceſſiſſet) animadvertere Muratorius debuiſſet: Cur id tam fidenter affirmem, ipſe in cauſa eſt Muratorius, ipſe mihi auctor, & judex. De Chronico Vulturnenſi, quod ſerâ admodum ætate, ideſt anno 1120. à Joanne illius Monaſterii Monacho conſarcinatum fuit, primamque lucem aſpicere meruit inter Scriptores Italicos ſuâ egregiâ curâ editos, deterrima quæque ſentit Muratorius, de earum præſertim Chartarum fide, quibus integrum penè opus coaleſcit, & in multam molem conflatur: Quum enim ad eas Chartas perveniſſet, hæc in limine, ac ſatis ſeriò obſervat, pronunciatque not. 1. *Antiquiſſimæ iſtæ Chartæ quæcunque à Chronographo noſtro producuntur, aut aperta falſitate laborant, aut certè ſuppoſitionis ſuſpicionem relinquunt* (2). Omnium autem ſociarum Chartarum digniſſima ea, de qua nunc agimus, eſt, quam, Muratorianâ ſententia generatim prolatâ, ſpeciatim damnemus. Non heic moror fœdiſſimas illas ſordes, quibus horret informis, atque inconditus ſequioris ævi fœtus; ita ut nihil barbaricæ fæcis relinquatur, immo nullibi tantum invenire erit, quod non factâ veluti illuvie in eam Chartam exundarit (3); neque levis illa falſi ſuſpicio eſt, eodem ſcilicet anno 839. Chartam inſcriptam legi, quo Sicardus ab Erchemperto, Anonymo Salernitano, aliiſque Chronographis interfectus traditur: Id tamen à Muratorio quærendum erit, an ſimile illud veri eſſe queat, ut Juſtus Archipresbyter, qui Canonum vi, auctoritateque munitus Ædem illam Baptiſmalem ad Eccleſiæ Beneventanæ dominium, poſſeſſionemque revocare nitebatur, *eò quod* (inquit) *inſtituta Patrum Canonica ratione nullo modo permittit fieri de Eccleſia, quæ lavacrum Baptiſmi videtur habere, nequaquam ſe ſubtrahere poteſt ab Epiſcopali Sede*; ipſe, inquam, Juſtus exceptionem illam, quâ Adverſarii, exemplo Sipontinæ Eccleſiæ in medium prolato, Monaſterium, & Palatium tueri obnitebantur, tam facilè adprobarit? Sed ita fert Charta: *Unde nos Domnus Vir glorioſus Sichardus inquiſivimus ſupradictum Juſtum Archipresbyterum, ut ſi ipſa Sedes Sipontina cum Canonica Sanctione fuit ſublata, & ipſe nobis claruit, dicentes eo, quod contra Canones facta eſt de uſurpatione prædictæ Sedis Sipontinæ*. Ita vulgatam Chartam legere eſt: at falsò quidem verba hæc ex Beneventani Archipresbyteri ore prodiiſſe afferuntur, ſive id maleferiatus Chartæ auctor afferat, ſive afferat incautus Chartæ interpres; Poſterius hoc, ſi magis lubet, ex ipſa Charta facili negotio dignoſci poteſt, ubi plurali numero leguntur: *dicentes, eo quod contra Canones facta eſt de uſurpatione* (ſic Charta; at Muratorius, *uſurpatio*) *prædictæ Sedis Sipontinæ*; non igitur eſt ipſe Archipresbyter, qui *dixerit*; quicquid illud fuerit, quod is ad Sicardi inquiſitionem reſponderit, deſiderandum reliquit Charta, quæ eo loco lacunam habere debuit, conjectandum verò faciunt ſubſequentia verba multitudinis numerum exprimentia; nam certè, ne tam citò cauſâ caderet, inficiari eam rem Archipresbyter debuit, cui



(1) Antiquit. Med. Ævi t. v. Diſſert. LXIV. pag. 355.

(2) In notis ad d. Chronicon Vulturnenſe pag. 347.

(3) Ex locis ſuperiùs recitatis id manifeſtum fit: Adde paſſim ſpretas ſingulas penè Grammaticæ leges. Audies etiam ibi *abſtultum*, pro *ablatum*; *obaudire*, pro *obedire*: & alia id genus potiùs monſtra, quàm verba.

quidem inficianti fucclamare perfeverarunt Theodoricus, & Theopertus communem Monafterii, ac Palatii cauffam agentes, *dicentes eo quod contra Canones facta est de usurpatione prædictæ Sedis Sipontinæ*. Dum verò ea res nihil, aut vix ad præsens negotium pertineret, neglecta à Sicardo fuit, qui de Ecclefia illa Baptifmali, de qua tunc erat quæftio, diversâ incedens viâ, judicatum fuum tulit: ut jam mirum certè fit, tanti eam rem momenti Muratorio vifam, ut non folùm impune, fed decorum fibi duxerit, tot criminationes induxiffe, quas potiùs ex patefacta rei ejufdem ineptitudine, vel faltem levitate, atque incertitudine calumnias, aut certè cavillationes jure, meritoque appellare licebit.

At paullò iniquior, aut certè inconfulto ftudio adversùs Chartæ Vulturnenfis fidem egiffe videbor, ex qua id faltem commodi in Ecclefiam Beneventanam promanat, ut duos Epifcopos, antehac fibi ignotos, nuncdemum fciat. Haud neglexit rem Muratorius, de qua fic ftatuit: *Nullam Hermeriffi Beneventani Epifcopi mentionem habet Ughellus, qui propterea ftatuendus eft inter Urfum, & Ayonem Antiftites anno* 839. *Ad hæc in eadem Charta legitur, Baptifmalem illam Ecclefiam ufque ad tempus Domini Gifulfi Ducis, & Monoaldi reverentiffimi Epifcopi fuiße in dominio Sanctæ Beneventanæ Ecclefiæ; & hic Monoaldus Epifcopus ibidem Beneventanus ignotus fuit Ughellio. Ab anno* 732., *ufque ad* 749. *Ducatui Beneventano præfuit Gifulfus II. fecundum Peregrinii calculos. Ergo inter Ardericum, & Ambrofium, qui ex fide Marii Viperæ Cathedram Beneventanam tenuerunt poft annum* DCC. *collocandus erit Monoaldus*. Hactenus Muratorius, qui criminationes fuas hoc faltem beneficio compenfari poffe exiftimavit, quod Ecclefiæ Beneventanæ ignoranti duos Epifcopos, Chronici Vulturnenfis editione facta, lucratus fuerit, ac fuum cuique locum invenire, & attribuere adhuc laboraverit. Sed cur is in priore *Hermeriffo*, diffimulato Mario Vipera, Ughelli catalogo utitur: In pofteriore verò Monoaldo, Ughellio neglecto, ad Viperam confugit? Citò dicam: Ajonem Urfo (quamquam inter utrumque anni faltem XXX. effluxerint) proximum fucceſſorem dedit Ughellus Carolum, ac præstereà duos Joannes afpernatus, à Vipera interjectos, *quos ab ea ferie expunxiffe*, ait, *veluti gratis ab eodem* fuppofitos. Promptum igitur Muratorio fuit inter Urfum, & Ayonem, ideft inter illam Ughellianam diuturnitatem Hermeriffum immittere. At non gratis à Vipera Carolus, ac duo Joannes Urfi Anteceffores, atque Ayonis deceffores locatos probat Sarnellius pag. 47. De altero Joanne, Ayonis deceffore præclariffimum adhuc teftimonium jampridem prodiit cum Chronico Cavenfi, ubi ad annum 869. Joannis Epifcopi mentio eft, ad cujus interceffionem Imperator Ludovicus II., quem Beneventani captivum detinebant, liberatus traditur (1). Cæterum fi idem annus in Charta fignatus, ejufdem Sicardi emortualis fuit, ut fuperiùs probatum eft, ac menfe Augufti anni antecedentis 868. ab eodem Principe Corpus S. Bartholomæi Apoftoli Beneventum tranflatum fuit (2), nihil certè Hermeriffus ille, qui potiùs *Hermeris* Muratorio placet, ad Sicardi tempora pertinet, cui fupradictus Urfus Epifcopus fuperftes fuit. Nihil hac re præclarius, quàm pervetufta Acta dictæ Tranflationis literis Longobardicis fcripta, atque in noftra Bibliotheca fervata in Cod. III. Actorum SS. abundè teftantur. En ipfa verba: *Præfatus Princeps anno* VII. *principatus fui jam capiente principium, morte præventus Apoftoli Bafilicam dimifit, quam incœperat, imperfectam....... Urfus, qui jam pridem fuerat in Pontificatum electus, nolens ædificium imperfectum relinqui, ad honorem Apoftoli Bafilicam inftanter ftuduit confumare*. Faceffat igitur Hermeriffus Vulturnenfis, five Hermeris Muratorianus, nifi ipfe Urfus fuiffe dicatur, in illud fatis infolens vocabulum transformatus. Ad *Monoaldum* quod attinet, vix eft, ut is intra Ducis Gifulfi tempora locum fibi inveniat; quæ fibi integra vindicant, tum *Toto* Epifcopus in veteri Charta annum fecundum regiminis Gifulphi præferentis memoratus, tum *Cæfarius* (perperam Ambrofius, à Vipera, & Ughellio vocatus) qui anno 748. (paullò fcilicet ante Gifulphi obitum) fub Pontifice Zaccharia Romano Concilio interfuit. Sed hæc velut obiter attigimus, ut malefanam fidem Chartæ Vulturnenfis penitiùs agnofceremus, aliàs de Chronologica noftrorum Antiftitum ferie ftudiofiùs acturi.

Age nunc ad id, quod rei caput eft, ad ipfas Pontificis Vitaliani literas accedamus. Has triplici ex capite falfi expoftulat Muratorius; ex veterum fcilicet Beneventanorum ignorantia; tum ex doctorum Virorum judicio; tum denique ex earundem literarum vitio. Quibus anteaquam fatis faciamus, præftat, Caffianum illud objicere, *cui* nempe *bono* in ani-

(1) Inter Opp. Peregrinii to. IV. p. 397. edit. Neapol.

(2) Chronicon S. Sophiæ pag. 361.: Chronicon Cavenfe pag. 391. Tom. IV. Opp. Peregrinii: de qua re jam plura fcripfi in Differt. II. cap. V.

animum quis sibi induxisset, ut improbam industriam confingendo monumento adhibendam voluerit. Primum illud, quod in falsi crimine spectari solet, peccandi occasio est, ac peccantis emolumentum. Nihil horum omninò de Beneventanis excogitari potest, quamobrem patrare rem debuissent; sed nec quo tempore patrasse potuerint, unquam invenies: nam dum ad quatuor propè Sæcula Beneventani Antistites Ecclesia Sipontina potiti sunt, non opus profectò habebant, fraude, atque dolo eam sibi prærogativam contutari, quam nemo unquam hominum in controversiam vocavit, sed justam, legitimam, ac secundum Canones quæsitam non solùm Barbati Canonum scientissimi, atque observantissimi auctoritas cum longissimi temporis præscriptione, rectè, ac ritè, seù *Canonicè* comparatam suadebat, verùm etiam Pontificia plura, quæ mox afferemus Diplomata, Vitaliani Literas subsequuta, optimo jure detentam demonstrabant. Minus etiam, postquam Sæculo XI. Sipontinæ Ecclesiæ proprius restitutus est Episcopus, ei commento locus esse potuit, unde nihil emolumenti in Ecclesiam Beneventanam derivare videbatur: neque enim ita amentes fuissent Beneventani posteriores Antistites, ut antiquum jus, pristinamque ditionem instaurare cogitassent in ea Ecclesia, quæ eàdem, qua olim Beneventanæ Ecclesiæ subjecta fuit, auctoritate, suo juri restituta, adhuc etiam Archiepiscopali dignitate adaucta, & condecorata reperiebatur.

Venio nunc ad Beneventanorum ignorantiam. Beneventanos universos unius hominis, videlicet solius *Justi* Beneventani Archipresbiteri præsentia, atque ore contineri posse putavit Muratorius: Sed nec *Justus* vice Beneventanorum omnium haberi debet, itaut quod is fortasse ignoraret, ignoratum etiam à reliquis dicendum sit: quamvis etsi Justum ignorantem sinamus, neque turpe, neque damnosum ei, suæque Ecclesiæ fuisset. Septuagesimus tunc supra centesimum volvebatur annus, ex quo Vitaliani Litteræ acceptæ fuerunt; nulla ad id tempus de Canonica Sipontinæ Ecclesiæ subjectione quæstio suborta excutiendis è Tabulario Ecclesiæ, inspiciendis, exhibendisque Literis occasionem fecit. Quæ tunc, ideſt anno 839. coram Principe Sicardo quæstio agitabatur, ad diversam omninò Ecclesiam pertinebat; proposita de Sipontinæ Ecclesiæ concessione objectio aliena prorsus ab eo negotio erat, atque ex improviso in medium prolata. Non igitur mirum, si *Justus*, qui ad eam rem imparatus accesserat, earum Literarum ignarum se ostendit, sed, uti jam diximus, nec *Justum* ignarum dicere licet, cujus responsionem ad Sicardi *inquisitionem*, seù interrogationem, vel in Charta Vulturnensi dissimulatam, vel potiùs obliteratam jam probavi; neque si *Justum* ignarum cum Muratorio fingamus, ex *Justi* ignorantia ad omnium Beneventanorum tunc præsentium, minùs etiam ad posterorum ignorantiam statuendam recta argumentatio erit; immo manifestè falsa erit, dum, quando opus paullò post fuit, Vitaliani Literas se probè scisse, ac nosse Beneventani ostenderunt: Quum enim sequuto mox Sæculo X., & XI. Beneventana Ecclesia è re sua duxerit, ut vetera Privilegia, ac Jura sua à Romanis Pontificibus confirmata reciperet, tunc nullo modo ignorata, sed (quod ita tunc res postularet) erutæ ex Archivo in lucem, hominumque memoriam Vitaliani Literæ, ostensæ tunc Romanis Pontificibus, Privilegia confirmaturis, ab iisque *diligentissimè* inspectæ, probatæque fuerunt, ut inferiùs dicemus.

De Virorum doctorum judicio, quæ habenda sit ratio, ipsimet Viri docti demonstrant. Primus omnium Camillus Peregrinius de illarum Literarum fide, suspicionem sibi, aliisque injicere cœpit, cujus verba sibi adoptavit Ughellus. Peregrinius itaque sic de ea re loquitur: Barbato, ut ipse a Duce Romualdo petierat, *demandatam fuisse Angelicæ Sacræ Cryptæ, & Sipontini Episcopatus curam, eadem perhibent Acta, Literisque probatur adviventis tunc Romani Pontificis Vitaliani, datis eidem Barbato, quas recitat Marius Vipera Lib. I. Ep. & Archiep. Beneventi, etsi in multis adeò corruptas, ut de illarum sinceritate suspicari meritò quis posset, nisi ex pluribus aliis fidelioribus monumentis, ab eodem Vipera relatis pag. 61. 63. 70. 81., & 85. aperiretur, Gargani Montis Specum, & Sipontinam Ecclesiam diù etiam post Vitaliani tempora Præsulibus Beneventanis commendatas mansisse* (1). Proderit certè Peregrinium audisse, suis verbis loquentem, hominem scilicet, qui monumentum illud Campanæ Ecclesiæ fortasse adversum oculis non omninò æquis respexisse videtur; & tamen non continuò, temerèque de illius falsitate pronunciat; corruptum asserit; atque ex ejus corruptione vix, ac satis timidè illud non sibi, sed cui libeat permittit, ut de sinceritate suspicari possit: quam tamen suspicionem ipse mox, *immeritò* haben-



(1) Differt. De Fin. Duc.Benev. to.v. Opp. pag.273. edit. Neapol., & inter Script. Ital. Muratorii to.v. p.183.

dam fatetur, ex subsequutis Pontificiis Diplomatibus, Vitaliani Literas comprobantibus, omninò sublatam. Patronum igitur, quantivis æstimandum Peregrinium proferre possumus magis, quàm Adversarium; à quo neque unum illud audisse magnopere nobis displicet, Literas nempe *in multis corruptas* videri: nemo enim sanæ Critices studiosus, ne dicam sanæ mentis compos, ex Scriptionis corruptione certum argumentum falsitatis, vel etiam probabilem conjecturam, immo nec justam suspicionem sibi efficiet: potiùs id unum sibi suaserit, Ætatis barbariem, temporis edacitatem, amanuensium negligentiam, ignorantiamque, vel partim, vel simul omnes, ejusmodi labis, quam in hisce Literis videre sibi visus est Peregrinius, caussam fuisse.

At Peregrinio perspicacior alia sanè multa vitiosa, & manifesta quidem falsitatis indicia vidit Muratorius: *Ut alia* (inquit) *omittam, pugnat textus, pugnant & notæ Chronologicæ Bullæ illius cum Historia*. Quæ sint *omissa* illa, nescire me fateor; scio non ea omissurum fuisse Muratorium, qui tanto æstu in Vitaliani Literas, seù, ut is appellat, *Bullam* exarsit: Fortasse tamen, cur contra illarum fidem vehementiùs pugnaret, pugna illa in caussa fuit, quam inter textum, notasque Chronologicas, atque Historiam adesse animadvertit. Sed non ea quidem ejusmodi pugna est, quæ nullo unquam foedere extingui possit, immo levis fortasse illa, quæ

*Pulveris exigui jactu compressa quiescet.*

nulla denique, si Literæ ipsæ æquis lectoribus spectandæ, dijudicandæque afferantur.

*Vitalianus Episcopus Servus Servorum Dei Reverendissimo Domino Carissimo Beneventanæ Ecclesiæ Episcopo, & in eodem Venerabili Episcopio in perpetuum.*

*Cùm sicut Apostolicæ dignitatis apertè in hoc Divini profectus nitore dignoscatur præfulgere, & in exercendis Dei laudibus, seù impensiùs studeat laboris exhibere certamen, ob hoc debita nos ejusdem Apostolicæ Pastoralis compulit solicitudinis cura, quæque ad stabilitatem piorum locorum promulgari, & Apostolicæ institutionis censura confirmari. Igitur quia postulasti à nobis, quatenus reverendissima Beneventana Ecclesia, Deo favente, reverendissimæ Sedis Apostolicæ decoraretur; idcirco tuis piis desideriis faventes, ac nostra auctoritate id, quod exposcis, effectui mancipamus; concedentes tibi, tuæque præfatæ reverendissimæ Beneventanensi Ecclesiæ, idest Bibinum, Asculum, Larinum, & Ecclesiam S. Michaelis Archangeli in Gargano, pariterque Sipontinam Ecclesiam, quæ in magna inopia, & paupertate esse videtur, & absque cultoribus, & Ecclesiasticis officiis nunc cernitur esse depravata, cum omnibus quidem eorum pertinentiis, & omnibus prædiis, cum Ecclesiis, Familiisque utriusque sexus, & massis, totaque loca ditioni antiquæ possessa tuæ Sanctimoniæ, Successoribusque tuis concedimus hæc omnia dominanda, & possidenda, atque canonicè disponenda, cum omnibus suis ubique pertinentiis, sive sint in præfatis Civitatibus, sive in quibuscumque castris consistentia, siquidem insuper Apostolica censura sub divini judicii obtestationibus, & validis, atque atrocibus anathematis interdictionibus, ut nullus unquam Successorum vestrorum, vel alicujus dignitatis potestate præditus reverendissimæ Beneventanæ Ecclesiæ aliquam vim facere, vel in cunctis jam supradictis Ecclesiis, vel de iis, quæ pertinere videntur, quoquo modo auferre, aut alienare, vel ejus minuere terminos, & nec quamlibet malitiam, aut jacturæ molestiam in easdem inferre quocunque tempore, nec licentia sit, ut dictum est, ex earum pertinentiis antiquam magnæ, parvæque personæ auferre, sed omnia superiùs taxata sub potestate, ac dispositione Beneventani Episcopatus perpetuò consistant; ut profectò juxta id, quod à nobis statutum est, eadem Venerabilis Reverendissima Beneventanensis Ecclesia Apostolicis constitutionibus, aut privilegiis consistens, ornata, inconcussa, dotata permaneat. Si quis autem (quod non optatur) nefario ausu præsumpserit hæc, quæ à nobis ad laudem Dei pro stabilitate dictæ Ecclesiæ Beneventanæ statuta sunt, refragare, aut in quoquam transgredi, sciat anathematis vinculo innodatum esse, ac cum Juda Domini traditore, & cum omnibus impiis æterni incendii supplicio condemnatum: at verò, qui pio intuitu observator, & in omnibus extiterit custodiens hujus nostri Apostolici Constituti, ad cultum Dei respiciens, benedictionis gratiam à misericordiosissimo Domino Deo nostro multipliciter consequatur, & vitæ æternæ particeps effici mereatur. Scriptum per manum Adriani Scriniarii Reverendissimæ Romanæ Eccle-*

*Ecclesiæ in mense Februario Indictione* XI. *Benevalete. Datum 3. Kal. Febr. per manum Anastasii Primicerii Defensorum Reverendissimæ Sedis Apostolicæ anno Deo propitio Pontificatus Dñi Vitaliani summi Pontificis, & universalis Papæ in Sacratissima Sede B. Petri Apostoli primo, Indict.* XI. (1).

Nihil insolens, aut quod ab ejus ævi stilo, ac diplomaticis formulis alienum sit, hæ Literæ præferunt, sivè honoris titulos spectes (2), sive pœnas in transgressores sancitas, Anathemata inflicta, execrationes obnunciatas (3). Quæ autem pugna illa sit Literarum cum Historia, non video: lego potiùs commemoratam in Literis Garganicæ Basilicæ vastationem, Sipontinæ Ecclesiæ divinum cultum collapsum, atque extinctum; lego inopiam, paupertatem, depravationem, quæ omnia vera fuisse, vetusta, quæ superiùs protulimus, indubiæ fidei monumenta adtestantur; eaque omnia, dum promptam occasionem, legitimamque caussam Pontifici Vitaliano præstiterunt, ut Garganicam Basilicam, Sipontinamque Ecclesiam Beneventano Episcopo, qui unus suppetias ferre poterat, debebatque, subjectam declararet, ejusdem Literarum fidem luculentiùs confirmant. Ad notas verò Chronologicas quod attinet, pugnat quidem cum anno Pontificatus Vitaliani primo undecima, quæ in literis notatur, Indictio: At, etsi in Literarum archetypo ita scriptum fuerit, nullum id nobis facessere negotium debebit. Muratorii satis meditata sententia isthæc est, qui in Berengarii Regis Italiæ Diplomate ingens inter notas Chronologicas dissidium offendens, non ideò de ejus chartæ sinceritate dubitandum censet: *Privilegio* (ait) *nullum deest authenticitatis indicium: attamen nihil aliud ibi ego legi, nihilque ceteri inspexerunt, quibus legendum exhibui, nisi annum* DCCCC. *quum contra conscribendus ibi tantum foret annus* DCCCXC. *Sed quid minuta hæc refero? Ut minus periti in re Diplomatica ex novo hoc exemplo intelligant in Autographis ipsis, minimeque apographis Diplomatibus occurrere interdum Notariorum sphal-*

(1) Apud Ughellum Ital. Sacr. to. VIII. pag. 23. edit. Rom.

(2) *De Reverendissimi* titulo superiùs egi not. 4. p. 323. ad Ep. Alfani chartam: ubi à Gregorii M. ævo, ejusque exemplis prolatis, Romanos Pontifices, probavi, eum honoris titulum Episcopis detulisse. Haud pigebit ex pluribus, quæ passim occurrunt, unum exemplum heic addere ex Bulla PP. Stephani II. anno 752. facta ad favorem Ecclesiæ Aretinæ, inter sinceras quidem Chartas à Muratorio relata to. VI. Antiq. Med. ævi pag. 388., cujus ejusmodi legitur exordium: *Stephanus Episcopus Servus Servorum Dei. Reverendissimo, ac Sanctissimo Fratri Stabili Episcopo Sanctæ Ecclesiæ Aretinæ, & per eum in eandem Ecclesiam in perpetuum &c.* Insolens illa in nostris *Litteris* appellatio videri potest, cui *Carissimi* adhuc titulus adjectus est: at quum ibi *Barbati* nomen pervulgatum exemplar desiderandum relinquat, quid ni *Reverendissimo, ac Sanctissimo Barbato*, in Autographo exaratum fuit, quod vel temporis injuriâ deletum, vel oscitanter descriptum *in Dominum Carissimum* facile evaserit?

(3) Dirarum obnunciationes adhibere passim in Titulis sepulcralibus Ethnici consuebant, ut sepulcrorum violatores deterrerent: collegit ex Gruteriano Thesauro Cl. Fabrettus, earum censum adaugens cap. II. pag. 109. seq. Morem eundem à Christianis adoptatum ægrè tulit Reinesius Class. XX. n. 440., qui in Lapide apud Arringum Rom. Subt. Lib. IV. cap. 27. clausulam illam legens: *Male pereat insepultus, jaceat, non resurgat. Cum Juda partem habeat, si quis sepulcrum hunc violaverit*: verba isthæc pietati, & mansuetudini Christianæ *difformia* censet. At Reinesii importunum, indiscretumque zelum contemnit laudatus Fabrettus, *tanquam* (inquit) *si impios, & sacrilegos* (*tales enim sepulcrorum violatores existimavit ipsamet erronea Paganorum religio*) *denunciatione divinæ ultionis disterrere immite aliquod facinus fuerit apud veræ pietatis cultores*. Itaque non ad eam unam rem Diras illas adhibere mos, fasque Christianis persuasum fuit, verùm etiam in plerisque aliis ejusmodi execrationes adjectas volebant, quibus dictorum, gestorum, statutorumque suorum observantiam commendarent. Sic in fœdere illo inter Milites, & Consules Nepesinos icto apud eund. Fabrett. p. III. n. 275. *si quis eorum societatem frangeret.... cum Juda, & Caypha, atque Pylato habeat portionem*. Sed & in bonorum donationibus, quæ Ecclesiis ad earum cultum, Deique honorem factæ publicis, ac plerumque marmoreis tabulis inscribebantur, ejusmodi execrationes adversus invasores addebantur. Duo exempla afferre satis sit ex Cl. Blanchinio in Præfatione ad Vitas Rom. Pontificum Anastasii tom. III. Scriptor. Ital. pag. 86., & 88., quorum alterum Romæ in porticu S. Mariæ in Cosmedin post singulorum bonorum descriptionem sic pergit: *Si quis verò Beatissime Martyr* (Valentine) *ex his, quæ tibi à jam dicto Teubaldo concessa sint, vel ab illo, aut ab aliis concedentur, temerario ausu aliquid abstulerit, distraxerit, vendiderit, vel fraudaverit, sit separatus à Domino, omniumque Christianorum consortio, quin & perpetuo percussus anathemate, atque cum Diabolo, & omnibus impiis junctus æterno incendio exuratur*. Alterum an. 731. Ravennæ prostat ad Ædem S. Apollinaris, cujus do verba ipsa: *Si quis...... fundum...... ex parte, vel totum per quovis ingenio ad usum Servorum Dei hic deservientium alienare præsumpserit.... æternam condemnationem sustineat cum traditore Juda, & his, qui petierit & qui largire temptaverit, constrictus anathemati vinculis eorum trecentordecetocto patruum*. Ubi vides inflicto anathemati vim additam, sive majorem ex eo anathemate immissum terrorem, tanquam si à sanctissimis illis centum decem & octo Patribus, qui Nicænum Concilium celebrarunt, sancitum esset; An verò talia in Bullis suis usurpasse Romanos Pontifices invenire erit? Ita sanè. En ex ipso Muratorio tom. V. Antiq. Med. ævi pag. 470., Nicolai I. Bullam pro Monasterio Sublacensi: *Si quis* (ait Pontifex) *quod non optamus, temerare ausus fuerit, sciat se Domini nostri, & Apostolorum Principis Petri, anathematis vinculis innodatum, & cum Diabolo, & ejus atrocissimis pompis* (fort: pœnis) *& cum Juda traditore Domini Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi, in æterno igne concremandum, & in voragine, tartareoque Chaos demersurum. Qui verò pio intuitu custos, & obediens, atque observator hujus nostræ salutiferæ præceptionis extiterit, gratiam, & coelestem retributionem, & æterna gaudia à justo Judice Domino nostro consequi mereatur*.

*ſphalmata, ad quorum aſpectum non continuò impoſturæ crimen eſt injiciendum. Nempe Cancellario, uti ejus Amanuenſi, excidit in hac archetypa pergamena numeralis nota* x. *ante poſtremam* c. *uti & alibi factum* (1). Jucundiſſimum mihi accidit, hæc olim me, *uti minus peritum in re* Diplomatica, à Muratorio didiciſſe; opportunum, ac veluti peremptorium nunc eſt, ad tuendam Literarum Vitaliani fidem Muratorio docenti objeciſſe. Quadrant enim amuſſim, nec ipſa excepta numerali nota x., noſtro monumento Muratorii documenta, velut is non tam de Berengarii *Privilegio*, quàm de Vitaliani *Bulla* pronunciaverit. Erratum itaque in Chronologicis ejus Bullæ notis, ſivè in Autographo, ſivè potiùs in exemplari, non abnuimus; illud verò non in Indictionis numero, ſed in Pontificatus inſcripto anno cubare manifeſtum eſt. Pontificiam Cathedram Vitalianus conſcendit anno *656.*, quo Indictio XIV. decurrebat; non igitur eodem anno primo, qui in literis ſignatur, ipſæ literæ prodiiſſe potuerunt, repugnante non ſolùm Indictione *undecima* ibidem adnotata, verùm etiam rerum geſtarum fide, ideſt Sipontinæ Eccleſiæ calamitatibus, quæ multò poſt, circiter annum *663.* acciderunt. Adde nunc ad Vitaliani annum I. præſcriptam numeralem notam x., quæ Amanuenſium oſcitantiâ omiſſa fuit; & annus quidem *668.* attingetur, qui Vitaliani XI. fuit, Indictionem ipſam XI. numeravit, qui denique verus earundem Literarum annus ſtatui debet. Plures habemus adhuc ſuperſtites ejuſdem Vitaliani Epiſtolas, quæ eadem ſub Indictione XI. datæ leguntur (2); vixit enim is in Pontificatu annis 14., menſibus ſex, anno *671.* die 27. Januarii defunctus: Nemo autem jure dixerit Barbatum eas Literas, vel anno *663.*, vel mox poſt dictum annum à Vitaliano impetraſſe (3), quo ſcilicet tempore is Epiſcopatum Beneventanum adeptus Garganicam Baſilicam, Sipontinamque Eccleſiam ſibi attribui à Duce Romualdo poſtulavit. Illud liquidò conſtat, dicto anno *663.* Conſtantem Imperatorem Beneventanam Urbem obſediſſe, ejuſque conatus tum Beneventanorum virtute, tum præſertim Divina ope Barbati precibus impetrata, irritos ceſſiſſe. Poſt hæc, Barbati Acta ejuſdem electionem in Epiſcopatu narrare pergunt; deinde eidem Barbato Epiſcopo factam à Duce Romualdo Garganicæ Baſilicæ, ac Sipontinæ Eccleſiæ conceſſionem. An poſteriora hæc in eundem annum *663.*, neceſſariò erunt conjicienda? Non id certè ex Actis aſſequimur, immò ex ipſa geſtarum rerum ſerie veri omninò ſimillimum fit, ea, quæ ſubſequuta narrantur, non ad ipſum annum *663.* ſed ad ſequentes pertinuiſſe: itaut potuerit Barbatus poſt acceptum Epiſcopatum, poſt obtentum Ducis Romualdi præceptum, ſeù conſenſum, quo Eccleſiam Sipontinam ſibi ſubderet, anno demum *668.* rem totam Pontificia auctoritate confirmandam curaſſe: Immò id certè egiſſe Barbatum Vitaliani Literæ oſtendunt; quarum Literarum ſinceritatem ab aliorum tum ſuſpicionibus, tum criminationibus hactenus vindicatam, evidentiorem adhuc ex alio capite, ex ipſo videlicet Barbato, demonſtrare pergam.

Ac pro Barbato quidem, cui tantum Beneventum debet, tamdiù huic rei incumbere opus nobis fuit: adhuc verò adlaborandum eſt, ut quam ejus nomini maculam, virtuti labem, ſanctitati injuriam Muratorius temerè intulit, amoliamur. Si Barbatum Muratorius noſſet, vel oculos tantùm in ejus Acta intendiſſet, non is profectò adeo inconſultè, atque ità iniquè importunas illas criminationes effutiſſet. Puduiſſet certè Muratorium, Divini cultus in Garganica Baſilica, atque in Sipontina Eccleſia penitus collapſi inſtaurationem, futuramque conſervationem, quam unicè præ oculis habuit Barbatus, ad Barbati ambitionem traducere: tam enim ab ambitione alienum, quàm ab cupiditate omni Barbatum norunt omnes, qui non ſolùm ſplendidiſſimarum opum, poſſeſſionumque contemptorem, ſed adhuc Duci Beneventano vehementiùs offerenti invictè obluctantem mirantur. Non, inquam, in Sipontina Eccleſia Epiſcopale imperium ſibi amplificandum Barbatus affectavit, ſed Epiſcopi ſolicitudines, laboreſque adjicere ſibi voluit, *ut Eccleſiam S. Michaelis Archangeli, pariterque Sipontinam Eccleſiam, quæ in magna inopia, & paupertate erat, & abſque*

(1) Antiq. Med. Ævi to. I. Differt. VI. pag. 280.

(2) Apud Labbeum to. VIII. Concil. pag. 459.

(3) In quadam Diſſertatione nuper edita à Franciſco Pratillo, cui Titulus *Della Origine della Metropolia Eccleſiaſtica della Chieſa di Capua*, pag. 60. Vitaliani Literis Ann. 688. tribuitur adverſus Beneventanos, qui Ann. 663. ſibi vindicant. De Anno 663. quid Beneventani ſentiant, ſuperiùs docetur: At de anno 688. (niſi Typographi erratum ſit, quod tamen inter alia errata ante pag. I. haud invenire eſt) abſurda nobis dedit Pratillus, qui Vitalianum undecim ante annis defunctum, adhuc inter vivos recenſet: Vitaliani autem Literas nihilò æquior Muratorio Pratillus ſuppoſititias contendit; quibus verò argumentis id oſtendat, citò dicam: Muratorium totidem verbis deſcribit, quem tamen ſilet. At de hoc Pratilli opuſculo ſequenti Capite judicium erit.

*absque cultoribus, & Ecclesiasticis officiis depravatam*, pristino decori, atque cultui restitueret; quod & religiosè, & feliciùs quàm olim, præstitit. Puduisset Muratorium sæculari fretum potestate alienæ Diœcesis invasorem, Canonumque violatorem, ac contemptorem Barbatum pervulgare, qui in statuta Ecclesiasticorum redituum distributione Sacrorum Canonum scientissimum sese, observantissimumque tantoperè probavit; immo Canones, uti Dei mandata, suspiciebat, nam *memor mandatorum Dei in quatuor partes cunctum Ecclesiæ redditum omni tempore sanxit fideliter dispertiri; unam egentibus; secundam his, qui Domino sedulas in Ecclesiis exhibent laudes; tertiam pro Ecclesiarum restauratione distribui; quartam suis peragendis necessitatibus Episcopus habeat*. Tantum abest, ut in subdenda sibi Ecclesia Sipontina pravum illud, ac exitiale exemplum (quod ex uno Barbato Muratorius excepisse scivit) Episcopis cæteris Barbatus reliquerit, ut potiùs, quas in res, quas in personas, quos in usus ex Canonum statuto Ecclesiastici reditus, facultatesque essent erogandæ, exemplum, ac legem Successoribus suis perpetuò constituerit; apud quos (sic Actorum auctor prosequitur) *sicut ab eo disposita sunt, in præsenti cuncta videntur*; universis etiam omnium ætatum, omniumque Ecclesiarum Episcopis servandæ ejusdem rei Dux, & Magister Barbatus extiterit.

Cur verò, qui à Duce Romualdo Sipontinam Ecclesiam sibi subdi curavit, ratum id à Romano Pontifice haberi Barbatus neglexisset? Si Ducis consensum, quem Leges, aut potiùs Principatus œconomia, temporumque conditio impetrandum suadebant, præmittendum sibi duxit Barbatus, an minùs sibi necessariam, quam Canones præcipiebant, Pontificis auctoritatem reputasset? An verò id difficile fuerit, ut Sæculari contentus auctoritate novam illa prærogativam, clam, ac veluti furtim comparasse satiùs habuerit? Immo verò nihil facilius, quàm ut Pontifex Vitalianus Barbato postulanti annueret, idque perlibenter impertiretur, quod Sipontinæ Ecclesiæ status, quod animarum salus, quod divinus cultus, quod Canones, ac jura omnia concedendum postulabant; quod denique non ad id tempus in Ecclesia Christiana inauditum, sed alibi factum, exempla ipsa, pari, simillimaque de caussa, faciendum commonebant. Anno 531. Medardus Veromanduorum Episcopus post dirutam ab Infidelibus Urbem, alias etiam veritus irruptiones, Sedem suam (ut scribit Vitæ illius auctor apud Surium die 8. Junii) Noviodunum transtulit: Anno 532. idem Medardus post Eleutheri obitum Episcopus eligitur Tornacensis: Quo ex tempore per annos amplius quàm sexcentos, Ecclesiæ utriusque quamvis unus tantùm Episcopus fuerit, neutra tamen Sedes in juribus, & privilegiis suis quicquam passa est detrimenti. Et hæc quidem duorum Episcopatuum sine confusione conjunctio, ejusdem Biographi testimonio, *Pontificali, Metropolitani, & Comprovincialium, auctoritate Regis, Procerum assensu, Plebis acclamatione* facta tunc est, ac dein sex Sæculorum spatio rata permansit. Plura posterioris ævi exempla addidisse frustrà erit; nam vides jam omnia hoc exemplo contineri, quæ sequuto postea Sæculo de Ecclesia Sipontina facta cognovimus, faciendaque sibi Pontifex Vitalianus omnimodè duxit, ut ejus Ecclesiæ necessitati, utilitatique consuleret.

Sed quod à Vitaliano facillimè concedendum, atque adeò concessum argumentati sumus, est denique, quod ab ipso re ipsa concessum, demonstrat: Nihil enim ea Concessione certius, quam (etsi Vitaliani Literæ deessent) manifestam efficit, tacita quidem, sed omni voce sonantior, successoris Pontificis Agathonis approbatio. Agathonem, qui anno 678. post Adeodatum, & Domnum Vitaliano successit, ea res latere non poterat; Barbatum scilicet Beneventanum Episcopum jamdiù Sipontinæ Ecclesiæ Episcopum simul se gerere. Quid ergo? Synodo Romanæ in caussa Monothelitarum ab eo Pontifice celebratæ anno 680. Barbatus interfuit, ac subscripsit (1). Si Barbatus nullas à Vitaliano Literas accepisset, si Barbatus contra Canones peccasset, redargutus certè ab Agathone fuisset: sed Agatho Barbatum non redarguit, quem etiam præsentem habebat; non Ecclesiæ Sipontinæ, cui ad id tempus restitutus erat cultus, proprium Episcopum restituit: agnovit igitur Agatho rem totam ritè, rectèque gestam, approbavit Vitaliani literas, Ecclesiæ Sipontinæ subjectionem Barbato confirmavit: Id denique ab Agathone factum affirmamus, quod sequutos Romanos Pontifices fecisse, superstites ipsorum Literæ etiamnum demonstrant.

Extat profectò S. Leonis PP. IX. Diploma, quod autographum in nostra Bibliotheca servatur, sequenti Capite nobis illustrandum. In ipso legere est Vitaliani literas, non modò disertissimè commemoratas, verùm etiam ab eodem Pontifice *diligentissimè* perlustratas: *Dili-*

(1) Ejus Synodi Epistola, in qua post Rom. Pontificem cæteri Episcopi subscripserunt, habetur in sexta generali Synodo contra Monothelitas Act. IV. apud P. Labbeum tom. VII.

*Diligentissimè* ( Leo ait ) *nostrorum antiquorum Prædecessorum Privilegia perscrutantes*, Vitaliani *videlicet*, *& aliorum Romanæ Sanctæ Ecclesiæ Præsulum*, *atque justitiam Beneventanæ Ecclesiæ considerantes*, *ad ejus jus*, *& proprietatem revocamus*, *& in perpetuum subdimus*, *& tradimus videlicet Ecclesiam S. Michaelis Archangeli in Monte Gargano*, *& ipsum Castellum*, *ubi jam dicta Sacra*, *& venerabilis sita est Ecclesia*, *atque Sipontinam Ecclesiam &c.* Nemo certè Vitaliani Literis fidem non præbere poterit, qui Leoni, Vitaliani literas *diligentissimè* perscrutanti fidem præstare debet: Ac fide quidem dignissimus Leo, etiamsi tantùm affirmasset: dignior adhuc ex eo est, quod Beneventi pluribus moratus mensibus, Literas illas autographas, quarum fidem probare debebat, oculis perspexerit suis, manibusque contrectarit, *diligentissimè* denique fuit perscrutatus. Ante Leonem sunt etiam alii Romani Pontifices, qui easdem Literas sibi ritè perspectas innuerunt. Adest etiam Leonis Successor Stephanus IX., qui præcipuam illarum mentionem adjectam voluit in suo Diplomate, de quo pariter sequenti Capite agendum erit. Hæc tamen in antecessum protulisse opus mihi fuit, ut de Vitaliani Literis rem demum ipsam à Rom. Pontificibus constantissimè judicatam, absolutissimè verò à me confectam præstarem. Nunc de reliquo præsentis Epochæ tempore, deque Ecclesiæ Beneventanæ succrescentibus juribus, ac prærogativis sermonem repetemus.

Longa quidem à Barbati ævo tempora percurrenda nobis sunt, ut ad alias Pontificias Literas gradus sit. Quæ primùm occurrunt, ad Pontificem Marinum II., atque ad annum 944. pertinent. Ante id tempus non defuisse decessorum Pontificum id genus Literas, ex receptissimo inferioris ævi more illo conjicere licebit, quo Ecclesiarum, ac Monasteriorum Præsules à Summis Pontificibus, aliisque Viris Principibus suarum Immunitatum, prærogativarum, bonorumque omnium confirmationem recepto Diplomate, obtinere solliciti erant. Plena ejusmodi Diplomatibus Monasteriorum Chronica sunt, plena Ecclesiarum Episcopalium Tabularia: nec pro illorum temporum conditione inanis ea cura fuit, quando ad cohibendas jurium, rerumque Ecclesiasticarum rapinas, quæ tunc maximè grassabantur, sacrilegas manus debita anathemati reverentia, justusque metus deterrere solebat. Ad Beneventanam Ecclesiam quod attinet, non id ex sola conjectura statuimus, manifestum ex dicti Pontificis Marini Literis ostendisse præsto erit: Marinus itaque postulanti Joanni Episcopo Beneventano ea omnia confirmat, quæ decessores Pontifices, antiquitus Beneventanæ Ecclesiæ concesserant, atque inter alias subditas Ecclesias, Sipontinam, cum Garganica Basilica speciatim recenset: *Quia postulasti à nobis* ( inquit ) *quatenus Sedis Apostolicæ* . . . . . ( lacunam heic occurrentem sic facilè implemus ) *Privilegio sancta tua Ecclesia Beneventana decoraretur*, *& antiquos terminos eidem concessos ab antecessoribus nostris Pontificibus confirmaremus*, *piis tuis desideriis faventes*, *hac nostra auctoritate id*, *quod exposcitur*, *effectum* ( effectui, vel ad effectum ) *mancipamus*, *concedentes tibi*, *tuæque sanctæ Beneventanæ Ecclesiæ*, *quæcunque legaliter*, *& rationabiliter*, *antiquo jure tempore prædecessorum tuorum visa est possidere*, *idest* Bivinum, Asculum, Larinum, Sipontum, & Ecclesiam S. Michaelis Archangeli in Monte Gargano *cum omnibus earum pertinentiis &c.* (1). Nihil novi Pontifex Marinus Episcopo Joanni concedit, nihil, quod non Beneventana Ecclesia jamdiù obtinuisset, ac tunc temporis legitimè, pacatèque possideret: nonnisi *antiquos terminos* eidem Ecclesiæ ab antecessoribus Pontificibus concessos confirmat: hosque intra terminos *Sipontum* concludit: ut videas Marinum, tum Vitaliani, tum aliorum decessorum vestigiis adhæsisse, non aliàs profectò Diploma suum emissurum, nisi Ecclesiam Beneventanam amplissimis illis terminis, splendidissimis illis juribus, quibus tunc reipsa fruebatur, Pontificia auctoritate potitam, prolatis etiam, inspectisque tabulis exploratum sibi, ac probè compertum habuisset: Id addidisse videtur Marinus, ut Concessionem, sive confirmationem suam *atrocioribus* ( uti ait ) *anathematis interdictionibus* communitam voluerit, statutasque adversus transgressores pœnas, novâ fortasse tunc invectâ formulâ, speciali scilicet *Græcorum* facta mentione, sanciverit (2).

Sed

(1) Apud Ughellum to. VIII. pag. 73. edit. Rom.

(2) Bis in dictis Literis Græcorum meminit Pontifex Marinus: *Nullus unquam* ( inquit ) *alterius dignitatis potestate præditus homo præsumat*, *sive illa magna*, *sive parva persona*, aut Græcus, *in tua sancta Beneventana Ecclesia aliquam vim facere*, *&c.* & mox: *Si quis autem nefario ausu præsumpserit hæc*, *quæ à nobis ad laudem Dei pro stabilitate jam dictæ Ecclesiæ Beneventanæ*, *refragari*, *aut in quoquam transgredi*, sive Græcus sit, *sive quicumque alter homo*, *qui dominationem*, *aut primatum habere voluerit per se*, *aut per alterum quemlibet in præfatis Ecclesiis*, *sine voluntate*, *& jussione Beneventani Episcopi &c.* Eandem formulam legere est in Literis Joannis XII. ad Landulfum Episcopum anni 957.

apud

Sed ampliora adhuc, ac ſplendidiora Pontificis Agapiti II. Literæ nobis præſtabunt. Neque enim *Bivinum*, *Aſculum*, *Larinum*, *Sipontum*, omnes illas putabimus Eccleſias fuiſſe, quæ Beneventani Epiſcopatus antiquis terminis continebantur; neque Præſulis Beneventani ſolum illud jus fuiſſe dicendum eſt, ut ſuæ auctoritati, juriſdictionique ſubjectas, ac (uti loquebatur Marinus) *dominandas* haberet, deque illarum pertinentiis, perſonis, bonis *diſponere* poſſet. Vacantibus Eccleſiis Triventinâ, ac Termulanâ, Leo Presbyter & Monachus illam, hanc Benedictus Presbyter circà annum 945. invaſerunt: quamvis enim, & electus à Cleris, & conſecratus à Romano Pontifice uterque fuiſſet, electio tamen non ſolùm Simoniaca labe infecta, ſed ignaro etiam Epiſcopo Beneventano facta probabatur. Rem itaque Beneventanus Epiſcopus Pontifici detulit, conqueſtus Sacrorum Canonum, ſuæque auctoritatis contemptum. Monuit primùm Pontifex novos Epiſcopos datis ad illos literis, quibus Romæ ſe ſiſtere, atque accuſationibus ſatisfacere jubebantur: proſtremò contumaces, cognita utriuſque accuſationis veritate, à ſubrepta dignitate dejecit, atque in ordinem redegit. *Miſimus jam vobis literas* (ita ad Pſeudoepiſcopos illos Pontifex Agapitus in Condemnatoriis literis) *quatenus veniretis ad Nos, & ſatisfaceretis accuſationibus, & querelis, quas adverſus vos habet Johannes Epiſcopus Sanctæ Sedis Beneventanæ, qui interpellavit ſuper Nos, atque oſtendit Privilegia facta à Noſtris Anteceſſoribus Pontificibus S. R. E., & Apoſtolicæ Sedis cum diſtricto anathemate, ut nullus aliquis præſumat minuere terminos prædictæ Beneventanæ Eccleſiæ, & quod Triventinæ, & Termulenſis Eccleſiæ antiquitùs ſubditæ fuiſſent Beneventano Epiſcopo, pariterque, & omnes aliæ Eccleſiæ, quæ conſtructæ, & conſtruendæ ſunt infra terminos iſtarum, & aliarum per Civitates, & Caſtra, cunctaque loca Principatus Beneventi ditioni ſubjecta, & quia renuiſtis venire, & rationem reddere, cognovimus, vos non per oſtium intraſſe, ſed furtivè, ut fures, & latrones aliundè irrupiſſe, & indebitè Epiſcopale miniſterium uſurpaſſe; cumque nova præſumptio, ſicut videmus, ſurrexit, ut plebes, quæ ſubditæ ſunt ſub Dioeceſi, & Parochia Epiſcopatus ipſius Beneventanæ Provinciæ contra inſtituta Canonum per præmium, & datum elegerunt vos ſibi per Simoniacam hæreſim Epiſcopos, ideò excommunicamus vos ex auctoritate B.Petri Apoſtolorum Principis, ut neque in eiſdem Plevibus, hoc eſt Triventina, & Termulana Eccleſia, Epiſcopalem Cathedram præſumatis, nec in ulla alia Eccleſia permiſſum habeatis aliquod Epiſcopale officium peragere* (1). Nihil hiſce literis luculentius haberi poteſt, quæ unæ nobis antiquos Epiſcopatus Beneventani terminos, præſtantiſſimamque Epiſcopi Beneventani dignitatem, ac prærogativam ob oculos ponant. Non enim Sipontinam, aliaſque Eccleſias Marino memoratas, neque his Triventinam, ac Termulanam ex Agapito modò addidiſſe ſuffecerit; ampliores terminos Eccleſia Beneventana agnoſcebat, non brevioribus contenta finibus, quàm quibus Beneventanus Principatus longè, latèque, per univerſam penè Ciſtiberinam Italiam effundebatur. Pari gradu, atque æqua, ut ita dicam, majeſtate, utriuſque tum Principis, tum Epiſcopi Beneventani poteſtas, atque auctoritas progrediebatur, illo Reip., hoc Eccleſiæ jura univerſim adminiſtrante: *Oſtenſa*, ſibi ait Agapitus, *hæc Eccleſiæ Beneventanæ Privilegia ab anteceſſoribus Pontificibus conceſſa*, ut ſcilicet Beneventano Epiſcopo ſubderentur *omnes Eccleſiæ, quæ conſtructæ, vel conſtruendæ ſunt infra terminos iſtarum, vel aliarum per Civitates, & Caſtra, cunctaque loca ditioni Principatus Beneventani ſubjecta*. Ita verò liquidò Agapito id oſtenſum, ut eadem occaſione, confirmanda ſpeciatim ea Privilegia ſibi duxerit: *Nos denique cognoſcentes, quod licet illud ab an-*

ALTER V u

apud d. Ughellum l. l. p.80., atque hanc formulam in poſterioribus hiſce Literis animadvertens Ughellus, eò referendam obſervat, *quia tunc temporis Beneventana Provincia aſſiduis premebatur Græcorum incurſionibus, qui ſe a ſolo Patriarcha CPolitano anathemate feriri poſſe jactabant*. De Græcorum incurſionibus, quæ Sæculo x. in Beneventano Principatu acciderunt, videndus Anonymus Salernitanus cap. CLXIV. pag. 293. tom. II. Opp. Peregr. ed. Neap. Quòd verò Græci Romani Pontificis auctoritati ſe obnoxios negarent, ex Photiano ſchiſmate manabat, quod ſchiſma, necdum bene per id tempus obducta cicatrice, acriùs recruduit Sæculo XI. Michaele Cerulario auctore. Ad hæc Patriarcha CPolitanus eodem cum Auguſtis ſuis ſtudio aſſiduè decertabat, ut, quemadmodum illi armis in Principatum Beneventanum Civilem dominium proferre nitebantur, haud ſecus is Eccleſiaſticam juriſdictionem quoquo modo protendere conaretur; utrique rei, ſummæque ſuæ in univerſum Chriſtianum Orbem poteſtati conſultum iri Pontifex cenſuit, adjecta ea formula, aliiſque verbis, quæ illius Patriarchæ ambitionem retundebant.

(1) Ex Bullario Selecto noſtræ Bibliothecæ num. VII. ex quo menda correximus, lacunaſque implevimus, quæ in editione Ughelli occurrunt pag. 76.; Titulus autem ejuſmodi Literarum ita ſe habet: *Agapitus Epiſcopus Servus Servorum Dei. Leoni Preſbytero, & Monacho, & Benedicto æquè Presbytero irrationabiliter conſecratis a Nobis Epiſcopis, & ipſum ordinem rei neſcientibus*. De Termulani Epiſcopatus inſtitutione non ſatis conſtat: Non ante annum 1060. primus Termulanus Epiſcopus *Scio* occurrit Ughello, qui eum Epiſcopatum *antiquiorem* cenſet, *quàm opinentur nonnulli*. Ughelli ſententiam probare valent Agapiti Literæ non Ughello ignotæ: non enim Benedictus Preſbyter anno 946. Termulani Epiſcopatus electionem affectare potuiſſet, niſi ea Eccleſia Epiſcopalis tunc eſſet.

*ab antiquis possessum est* ( fort. concessum ) *Pontificibus , ita omnia , & Parochias, & Dioeceses , ex integro Beneventano Principatu , retradimus , renovamus , atque confirmamus eidem Joanni Beneventano Episcopo , ejusque successoribus in perpetuum possidendum , à nulloque nostro successore aliquid minuendum .*

Præclarius verò illud ex eisdem Literis didicisse proderit , rescissas scilicet Episcoporum electiones in Episcopalibus Principatus Beneventani Civitatibus celebratas , quibus Beneventani Episcopi scientia , atque auctoritas deesset . Videas jam ( quod superiori Capite prælibatum fuit ) in nostris secundæ hujus Epochæ Episcopis ( si Metropolitani appellationem , si Episcoporum inferiorum Ordinationes Pontifici Romano adhuc servatas tantùm excipias ) nihil Metropolitici juris, potestatisque desideratum ; propria Episcoporum Beneventanorum ea Canonum statuta dicemus ; quæ Pontifex Innocentius I. edixerat , ut *nullis eligere, nemini Episcopum ordinare extra conscientiam Metropolitani , audendum esset* (1) ; observatam denique Canonicam Sanctionem à Pontifice Zosimo adjectam , ut *quisquis contra Apostolicæ Sedis statuta , & præcepta majorum , omisso Metropolitano Episcopo , Episcopum eligere , aut ordinare præsumpserit , is , qui eligi , ordinarique se illicitè sciverit , Sacerdotio se carere cognoscat* (2) .

Accedebant ad hanc singularem prærogativam Episcopo Beneventano vindicandam publicæ Principatus Beneventani rationes . A' Sæculo VII. S. Barbatus Episcopus non sine Ducis Romualdi consensu Ecclesiæ Sipontinæ haud novum sufficiendum Episcopum , sed eam sibi adjudicandam impetravit , duo simul eo facto ostendens , tum scilicet Episcopi Beneventani præstantiam , à cujus arbitratu Episcopales universi Ducatus Ecclesiæ pendere videbantur , tum Ducis Beneventani auctoritatem , cujus profectò interesset , universos Episcopos Beneventano Antistiti subdi , qui in Urbe Metropoli , ac principe Ecclesia consistens in illorum electionibus , Episcopalisque muneris administratione , in id maximè incumberet , ut non solùm , quæ Ecclesiæ essent , sed Reip. simul res universæ salvæ ubique , atque incolumes servarentur . Hinc illud fuit , ut Beneventani Duces Beneventanam Ecclesiam *nostram* appellare solerent , non quod sibi subditam , sed ad parem cum Civili imperio , Ecclesiasticam jurisdictionem provectam ostenderent . Sic Dux Arichis II. *ad Sacrum Palatium* pertinere deinceps ait, Ecclesiam à Garo , seù Gardino Abbate ædificatam , quam prius à sua potestate exemptam Joannes Episcopus Beneventanus declararat , *secundum* ( inquit ) *qualiter per suum membranum firmitatis , & absolutionis , quod Joannes venerabilis Episcopus Sanctæ Sedis Ecclesiæ nostræ Beneventanæ prædicto Gardino suo annulo sigillatum emisit* (3) . Ubi & illud animadvertendum , nonnisi emisso prius Episcopalis Privilegii *membrano* , eam Ecclesiam in *Palatii* , ideft Ducis patronatum ab Arichi receptam : ea namque tunc Ecclesiasticæ potestati , Ecclesiasticisque juribus habebatur reverentia , debitusque is rerum ordo inter Sacerdotium , & Imperium servabatur .

Sed plura idem Arichis nobis præstabit , quibus Beneventanorum Antistitum splendidior apparebit conditio . Quum enim is , Regio tantùm excepto nomine , regalia omnia tum jura , tum insignia , Principis appellatione , suscepisset , id etiam voluit , ut Regum more , statutoque ritu , Episcoporum manu sacram *unctionem* acciperet : nam Arichim , inter alia , *ab Episcopis ungi se fecisse* , præclarè testatur Erchempertus (4) . Qui verò , quotque hi fuerint Episcopi , non ille meminit ; eos tamen non aliunde ( quod plena incommodi , periculi etiam res plena fuisset ) , sed ex solo Beneventano Principatu accitos tutò affirmabimus : obsequutos autem Episcopos non tam Arichi , quàm Beneventano Episcopo dicimus , qui Principis consilium probans , evocatos in Urbem Metropolim sibi adstantes voluit , sibique eam unctionem præcipuè celebranti administrantes habuit . Res tunc lætitiæ plena ; sed , quæ paullò post cum mœrore fuit , adhuc eandem Episcopi Beneventani præstantiam uberiùs declarabit . Rex Francorum Carolus Arichim , qui deletum Ticini Longobardorum Regnum Beneventi instaurasse videbatur , debellare jam properabat , validoque cum exercitu in Principatus Beneventani fines jam prope irruebat : avertendo præsenti discrimini non animus Arichi defuit , adversus hostes se undique munienti : at satiùs visum fuit , si ea res non armis , sed fœdere componeretur : haud verò id securiùs , atque honestiùs fieri posse , quàm si Beneventani Antistitis , si aliorum Episcoporum sui Principatus opera adhiberetur .

(1) Epist. II. apud Labbeum T. III. pag. 8.

(2) Epist. V. l. l. pag. 409.

(3) In Diplomate Arichis Indictione VII., ideft an. 769., quo ipse adhuc Dux ( uti ibidem se inscribit ) non dum Principis titulum susceperat . In Chronico S. Sophiæ p. III. num. XXII., apud Ughellum T. VIII. pag. 636.

(4) Apud Hostiensem in Chron. Casin. lib. I. cap. IX.

tur. Legatus igitur David Beneventanus Antiſtes, cum reliquorum Epiſcoporum comitatu ad Carolum mittitur; in qua legatione nihil ſæcularis pompæ, ſed una Apoſtolica ſimplicitas reſplenduit (1); neque alii, niſi Principatus Epiſcopi recenſebantur; quos Carolus jam Lirim fluvium tranſgreſſus, duriuſculè excipiens, quod Arichis factum non modò probarint, verùm etiam Sacra unctione, Coronæque impoſitione confirmarint, eos univerſim *Beneventanos Antiſtites* appellavit. Tum, qui reliquis præerat Beneventanus Epiſcopus David, ante omnes Legationis cauſſam exponit, Caroli animum in cædes, & vaſtationes, etiam jurejurando obfirmatum demulcet, ac *ne ſanguis Chriſtianorum effunderetur, ſagaci*, ac graviſſima oratione obteſtatur; hinc Carolum Capuam cum reliquis Epiſcopis proſequutus, ibidem, datis obſidibus, optatum fœdus inter Beneventanos, & Francos impetrat, quod mox Arichis, Salerni tunc, ubi ſe muniverat, degens, ratum habuit. Stetit igitur Principatus Beneventanus, natalis ſimul, interituſque ſui memoriam fortaſſe poſteritati tunc relicturus, niſi Epiſcopi Beneventani ruinæ occurriſſent, niſi Epiſcoporum primus David avertendis armis, pacando hoſti, faciendo fœderi præcipuam operam præſtitiſſet: Primus, inquam, Epiſcoporum David, cui non ſolùm Comites in ea Legatione ſe præbuerunt, ſed obnoxios ſeſe cæteri Epiſcopi profitebantur. Poſt Epiſcopum Beneventanum ſecundum locum Salernitano dabimus, cui ſecundas partes in eadem Legatione fuiſſe legimus (2); ſecundas etiam vindicare videbatur Civitas, quam Arichis ſummo ſtudio tum ornandam, tum muniendam, velut ſecundam Principatus Sedem, ſuſceperat. Poſt Salernitanum Capuanus, ſi non inferior, pari certè jure cum Salernitano eſſe debuit; nam præclaram imprimis Urbem Capuam, tunc Benevento ſubditam fuiſſe liquet; quò Beneventani Epiſcopi cum Rege Carolo fœdus ſtatuturi convenere; in cujus Eccleſia effigies Arichis, more aliorum Principum, locata, pro ipſo Arichi, Carolo ab Epiſcopis oſtenſa fuit, ubi denique ſancito fœdere *ad invicem ſunt ſequeſtrati; Epiſcopi arva repedaverunt ſua, & ipſe Rex cum ſuo exercitu reverſus eſt itinere, quo venerat*.

Antea verò quàm Carolus Capuâ diſcedat, audire ejus quoque præſtat de Eccleſiæ Beneventanæ primatu teſtimonium. Maximum omnium Beneventanæ Reip. collatum ab Epiſcopo Davide beneficium, ſatis jam probavit felix Legationis ſucceſſus; curavit is quoque, ut eàdem ex legatione ſuum etiam Beneventana Eccleſia referret emolumentum. Caroli religionem, ac munificentiam David probaverat; hujus ille virtutem noverat, atque dignitatem. Factum propterea, ut poſtulanti Epiſcopo quàm libenter annueret Rex, regiumque Diploma largiretur, quo Eccleſiæ Beneventanæ res, jura, poſſeſſiones, privilegia, prærogativæ ampliſſimè confirmata, perpetuæque immunitatis beneficio donata leguntur. Diploma, ſeù Privilegium iſtud, *nobile* appellat Ughellus, ac *multo labore, fideliterque à Cœleſtino Guicciardino ab Autographo Bibliotheca Beneventanæ exſcriptum* in lucem emiſit (3). In eo tamen ipſe falſus, quod anno 788. conſcriptum afferat; dum anno præcedenti prodiiſſe dicendum ſit. Quæ enim in fine Chronologicæ adſcriptæ ſunt notæ, ità habent: *Datum* 11. *Kal. Aprilis anno* 18., *&* 14. *noſtri Regni. Actum Capuæ in Dei nomine feliciter*. Non ſolùm autem (ſi exactiùs ratio ineatur) annus ſuſcepti Regni Francici decimus octavus, inchoati poſtmodum à captivo Deſiderio Longobardici decimuſquartus anno 787. reſpondent; ſed Annales quoque *Bertiniani* in ipſum annum DCCLXXXVII. Caroli adventum in Italiam referunt, ejuſque



(1) Facti hujus ſeriem prolixo ſatis ſtilo nobis ſervavit Anonymus Salernitanus cap. x., & ſeqq. De ſuſcepto ab Epiſcopis ad Carolum itinere hæc habet: *Tunc ſinguli Epiſcopi ciliciis ſunt induti, humilibuſque vehiculis, & aſellis ſuperpoſiti profecti ſunt obviam ei: cumque ſimul facerent iter, nihil aliud niſi orationibus vacabant..... & non procul ab ejus caſtris de aſinis ſe ejecerunt, & ſingulis Clericis ante ſe, unuſquiſque cum ferulis, incedere juſſerunt. Quod cùm à longe ipſe Rex talia cerneret, admiratus eſt valdè. Cumque à ſuis relatum fuiſſet, quod* Beneventani Epiſcopi *eſſent, ipſe Rex dixit: Pro qua re adveniunt* Beneventani Antiſtites, cùm ipſi ſuo Principi Coronam in capite jam detulerint? &c. Nihil de his legere eſt in Annalibus Bertinianis, qui ad ann. 787. miſſum ab Arichi alterum filium Grimoaldum cum aliis obſidibus, & muneribus ad Carolum Capuam jam ingreſſum narrant: addunt verò, Carolum *proſpexiſſe unà cum Sacerdotibus, vel ceteris optimatibus ſuis, ut non Terra deleretur illa, & Epiſcopia, vel Monaſteria non deſertarentur*: quibus verbis Beneventanorum Epiſcoporum, qui Sacerdotes illi videntur, legatio ſignificata habetur, quam peregrinus Scriptor non ita diſtinctè ſcire potuit. Sed in noſtri Anonymi narratione animadvertendum illud Baculi genus, quod *Ferulæ* vocabulo Epiſcopis itinerantibus attribuit. Jam inter alios plures laudatur Anonymus noſter à Cangio in ejus vocis explicatione, qua *Baculum paſtoralem, & inſigne paſtoralis dignitatis, atque adeo Papalis* ſignificari ait; de ejus forma, uſuque apud ſolum Pontificem Romanum ſervato vid. Sarnellium in Chronol. Bent. pag. 42., & quem uberiùs de ea re agentem laudat Joannem Ciampinum in Diſſert. edita Rom. an. 1690.

(2) Id. Anon. Salern. cap. XI.

(3) Tom. VIII. pag. 49. edit. Rom.

in Beneventanum Principatum expeditionem, sancita in Urbe Capua fœdera, receptos obsides: quibus ità gestis, *reversus est* (subdunt) *Rex, & celebravit Pascha cum Domno Apostolico in Roma* (1): quæ omnino consonant cum dictis notis Chronologicis; nam verè 11. Kal. Aprilis, sive 21. die Martii Carolus Capuæ morabatur, qui paullò post, Pascha (quod eo anno 787. in diem 8. Aprilis incidit) *cum Domno Apostolico* celebraturus Romam se recepit. Dignum autem id Diploma visum fuit, ut ad veram Chronologiam paullò studiosiùs restitueretur; quandoquidem Beneventanæ Ecclesiæ præstantiam præseferat, Caroli testimonio comprobatam, qui præ cæteris Beneventani Principatus Ecclesiis, quarum Episcopi præsentes tunc Capuæ aderant, amplissimo eo privilegio condecorandam existimavit.

Hinc factum jam censebimus, cur sequenti Sæculo ejusdem Caroli abnepos Augustus Ludovicus II. nefas sibi duxerit, quicquam moliri, quod Ecclesiæ Beneventanæ primatui detrimentum afferre posset: attulisset is quidem, in Beneventanos, à quibus captivitatem passus fuerat, infensior, contrà verò, erga Capuanos, quorum Episcopum Landulfum familiarissimè habebat, studiosior, si Ecclesiæ Beneventanæ dignitatem validissimis veluti fundamentis innixam everti, vel saltem concuti posse vidisset. Ac Landulfus quidem, quem hominem *callidum, lubricum, petulantem, ambitiosiorem omni homine* Erchempertus describit (2), id à Ludovico efflagitabat, id assequi vehementiùs enitebatur, ut Episcoporum ipse primus in Beneventano Principatu constitueretur, ablataque Beneventano antiqua Metropolis jura, Capuano Antistiti adjudicarentur: rem ipsam ejusdem Erchemperti verbis audire præstat: *Per idem tempus jam dictus Cæsar* (Ludovicus) *Landulfum in familiaritatem alliciens, tertium in Regno suo constituit. Qua electione indeptus, Archiepiscopatum totius Beneventi omni aviditate, & ut Capua Metropolis fieret, quæsivit; sed, non Domino sinente, ad perfectum minime pervenit* (3). Nihil hac re certius, nihil luculentius, quo antiquissimus, atque singularis in universo Beneventano Principatu Ecclesiæ Beneventanæ primatus comprobetur. Locupletissimus testis Erchempertus est, qui Sæculo IX., longissimè videlicet antequam Ecclesia Beneventana Archiepiscopalis, & Metropolitanæ titulum, reliquosque honores, ac jura, Pontificia auctoritate solemniùs accepisset, *Archiepiscopatum totius Beneventi* agnovit, disertissimisque verbis commemoravit: Disertior Erchemperto Landulfus ipse Capuanus Episcopus: cur enim is Archiepiscopatum totius Beneventi sibi tribuendum, cur Capuam Metropolim constituendam tanta aviditate à Ludovico quæsivit? Noverat se profectò parem Campaniæ suæ Episcopis, parem Episcopis, quos reliquæ Beneventani Principatus regiones numerabant, sibique, quemadmodum illis, unum præesse Beneventanum Episcopum; hujus subjectionis impatiens, modumque ambitioni suæ imponere nescius, non id tantùm agere voluit, ut Ecclesiæ suæ libertatem, exemptionemque impetraret, neque (quod magis erat) ut Campanorum Episcoporum primus ipse declararetur: sed *Archiepiscopatum totius Beneventi* affectavit, idest omnium Episcoporum, qui *in toto Benevento*, universo scilicet Principatu Beneventano, continebantur, Primatum sibi subripere gestiebat; id profectò ea re testatus, ac planè confessus, solius scilicet Episcopi Beneventani prærogativam tunc fuisse, ut Archiepiscopus haberetur, uniusque Episcopatus, sive Ecclesiæ Beneventanæ extitisse jus, atque decus, ut ab ipsa Principatus origine, Civilis Metropolis dignitatem sequuta, non solùm Ecclesiasticæ Metropolis dignitate polleret, verùm etiam Archiepiscopatus munere, ac nomine præfulgeret: Sed, *non Domino sinente*, ut nempè Beneventana Ecclesia atrocissimâ ejusmodi injuriâ afficeretur, *ad perfectum minimè pervenit*; Irritus igitur Landulfi conatus id tantùm perfecisse, eò rediisse videtur, ut hominis ambitionem sciremus; quâ tantum abest, ut is Ecclesiæ Beneventanæ detrimentum attulerit, ut profuisse potiùs videatur; quippe qui *Archiepiscopatum totius Beneventi* obtinendi cupidissimus, ipse unus eo facinore disertissimus omnium, ac vice

(1) Annales Bertiniani ad dictum Ann. DCCLXXXVII. pag. 501., tom. II. Scriptor. Ital. Muratorii.

(2) Hist. cap. XXXI. pag. 118., to. I. Opp. Peregr., & inter Script. Ital. tom. II. pag. 244.

(3) Cap. XXXVI. pag. 124., & 246. Fuit autem is, quo hæc narrantur, annus DCCCLXXIII. Ad hunc verò Erchemperti locum hæc in Peregrinii editione notantur: *Capuæ Præsulatum ad Metropoliticam Dignitatem evehendum Summi Pontificis auctoritate Imperator excogitavit*, (nihil certè minus, quàm Pontificem cogitavit Ludovicus, neque Landulfus Episcopus, qui Ludovici gratia, & auctoritate abuti nitebatur) *atque hoc insigni honore primo cohonestandum Landulfum tunc Campaniæ Episcopum, illumque totius Beneventi* (*idest totius Principatus Beneventi in odium Adelchis Principis, qui in eum multa iniquè molitus fuerat*) *Metropolitam constituere putabat, quod tunc, Deo sic volente* (immo vetante, vel, ut Erchempertus ait, non sinente) *haud quaquam contigit. At quod sequenti Sæculo, anno scilicet 967. Johannes PP. XIII. indulsit &c.*, de qua re sequenti nos Capite etiam videbimus.

vice omnium ſtare jam poſſit, vetuſtiſſimæ, quæ in Eccleſia Beneventana perpetuò viguit, Metropolis, atque Archiepiſcopatus aſſertor.

Si qua verò fuerit in univerſo Beneventano Principatu Epiſcopalis Eccleſia, quæ ſupparem, aut æquam dignitatem cum Beneventana aliquando explicuerit, ea quidem Sipontina dicenda eſt. Non enim eadem, uti aliarum omnium, Eccleſiæ Sipontinæ conditio fuit, quæ à S. Barbati ævo, Beneventanæ conjuncta, ac cum Beneventana veluti coaleſcens, in ejuſdem conſortium à Beneventanis Antiſtitibus admiſſa videbatur; ita ut eâdem ipſi ſolicitudine, quâ Beneventanam, Sipontinam quoque procurarent, ac qui Beneventani eſſent, Sipontini adhuc Epiſcopi inſcribi vellent. Ad regimen quod attinet, ingentia quidem in Eccleſiam Sipontinam, dum Epiſcopis Beneventanis paruit, profluxerunt beneficia: Nam Urſus Epiſcopus circa An. 833., non ſolùm novam Eccleſiam Archangeli Michaelis in Gargano monte ædificavit, verùm etiam Caſtrum ibidem, quo major loco accederet, tum tutela, tum cultus, hominum habitationi conſtruxit. *Caſtrum* exhinc *S. Angeli* appellari cœptum, ſub Urſi conditoris, ejuſque ſucceſſorum dominio permanſit, tum Imperatorum, tum Principum noſtrorum permiſſu; quorum Diplomata ea de re hactenus facta anno 978. Princeps Landulfus rata habens, *concedimus* (inquit) *pro augmento S. Eccleſiæ, noſtraque Patriæ ſalvatione, atque confirmamus in Archiepiſcopio Sanctæ Dei Genitricis Virginis Mariæ Sedis Beneventanæ, in quo Landulfus venerabilis, & egregius Epiſcopus ſpiritualis noſter Pater preeſſe dignoſcitur, ad potiendum, habendum, ac poſſidendum integram Eccleſiam S. Michaelis Archangeli, quæ conſtructa eſt in Monte Gargano, cum omnibus ejus pertinentiis, & poſſeſſionibus, ſimulque cum integro ipſo Caſtello ejuſdem S. Angeli, quod quidam Urſus electus præfatæ Sedis in proprio territorio jam dictæ Eccleſiæ à novo conſtruxit fundamine, pariterque eum integrum Epiſcopatum Sanctæ Sedis Sipontinæ, cum omnibus ejus pertinentiis, ſicut hactenus ibidem in eadem reverenda Sede conceſſa, atque confirmata ſunt à Domno Romualdo Duce Beneventano, & à Domno Giſulfo Duce ejus filio, & à Domno Carulo, & Domno Ludovico, & à Domno Lamberto, & à Domno Ottone Imperatoribus per Præcepta &c.* (1) An verò præter Epiſcopale regimen, Epiſcopaleſque reditus, nec non præfati Caſtri S. Angeli dominium, Beneventanos Præſules Dominos Sipontina Civitas agnoverit, tutò affirmat Ughellus, fidem ſequutus veteris Chartæ anni 973. ſub eodem Archiepiſcopo Landulfo, cui obſequium, atque omnimodam fidelitatem, additis ſacramentis, & vadibus præſtant non ſolùm *Clerici* (uti Ughellus ait), verùm etiam *Judices, ac univerſi Nobiles, & Ignobiles* ejuſdem Civitatis. Præclarum etiamnum in noſtra Bibliotheca ſuperſtes monumentum, ita lacunis, & mendis fœdatum exhibet Ughellus (2), ut puduerit me profectò, pulcherrimum ejus ævi foetum, adeo deformi facie in lucem editum vidiſſe; nec pigeat modò heic recudere, eo certè conſilio, ut lectoris judicium ſit, num de Eccleſiaſtico Dominio verba illa intelligenda ſint, Civilem potius poteſtatem demonſtrantia, cui Cives Sipontini univerſi ſubjectionem profitentur; *Ea ratione, ut ſi aliquando tempore adveniente, aliquam contrarietatem fecerint in qualicunque pertinentia de Civitate Sipontina, quæ eſt de ipſo ſupradicto Dompno Archiepiſcopo, ſive de qualicumque ordinatum illius Domini Archiepiſcopi, quem ordinaverit, in qualicumque ſuo Miniſterio de Civitate Sipontina, & aliquam contradictionem, vel contrarietatem fecerint per qualemcumque modum, vel ingenium, obligaverunt ſe omnes componere ad partes Domini Archiepiſcopi, vel ejus Succeſſoribus mille ſolidos Conſtantinopolitanos &c.* Certam de Civili dominio Charta rem facere videtur; quod ſi certiorem ex aliis monumentis Lector fortaſſe velit, non ipſum tamen aliis de rebus inſignem Chartam inferiùs deſcriptam legiſſe pœnitebit (3).

Inte-

(1) Extat adhuc autographum hoc Diploma in noſtra Bibliotheca vol. XXXII. n. VI., & habetur apud Ughellum to. VIII. pag. 99., exactiùs verò deſcriptum in Bullario ſelecto ejuſdem Bibliothecæ n. XIV. pag. 57.

(2) T. VIII. pag. 96.

(3) IN NOMINE DOMINI. Primo Anno Imperii Domini Johannis, & cum eo regnantibus Dompno Baſili, & Dompno Conſtantino Sanctiſſimis Imperatoribus noſtris. Menſe Auguſt. prima Indictio. MEMORATORIUM factum à me Alone Diacono, & Abbas, qui ſum commorant. Civitate Beneventi, eo quod intus Civitat. Sipontum ante præſentiam Procopii Trumarce Sipont. Civitatis, & aliorum ſubſcriptorum teſtium, quatenus in vice Domini Landolfi Archiepiſcopi Sanctæ Beneventan. & Sipontin. Sedis, guadiam mihi dederunt Simeon Clericus, & Judex, & Radualdus Diaconus, & Johannes item Diaconus S. Rodelgardi Preſbyteri, & Nardus Clericus, & mediatorem poſuerunt mihi Gayderis de jam dicta Civitate Siponti. Similiter Tammarus Clericus S. Paſſari guadiam mihi dedit, & mediatorem mihi poſuit Milum fratrem ſuum. Similiter Sparano Clericus S. Martini, & Yſaram Clericus guadiam mihi dederunt, & mediatorem mihi poſuerunt Jacobum Clericum, & Judicem. Iterum guadiam mihi dedit Griſo Clericus, & mediatorem mihi poſuit Andream Diaconum, & Abbatem. Iterum Lademarius Clericus, & Petrus Clericus S. Johannis Archipresbyteri, & Martinus Clericus S. Accaptaprode

gua-

Interim magnum illud videri debet, ad quatuor propè Sæcula apud Beneventanos Antiſtites Eccleſiæ Sipontinæ adminiſtrationem viguiſſe. Nemo (ſi Muratorium excipias, qui

guadiam mihi dederunt, & mediatorem mihi poſuerunt ſupradictum Simonem Judicem. Similiter guadiam mihi dederunt Fructualdus Diaconus, & Jacobus Presbyter, & Bonus Presbyter, & Grimoaldus Preſbyter, & Folinus Clericus, Petrus Clericus S. Griſeldardi, & ſummu Amandus, & Regilio Diaconus, Johannes filius Nandanis, & Simeon S. Ragiperti Presbyter, Johannes filius Anuperti, & Paſſius filius Leonis, toti iſti Clerici, & mediatores nobis poſuerunt ſupradictum Lademarium Clericum, & Petrum S. Archipr., ea ratione, ut ſi aliquando, tempore adveniente, aliquam contrarietatem fecerint in qualicunque pertinentia de Civitate Sipontina, QUÆ EST DE SUPRADICTO DOMINO ARCHIEPISCOPO, ſive ad qualemcumque ordinatum illius Dompni Archiepiſcopi, quem ordinaverit in qualicumque ſuo Miniſterio de Civitate Sipontina, & aliquam contradictionem, vel contrarietatem fecerint per qualemcumque modum, vel ingenium, obligaverunt ſe omnes componere ad partes Dñi Archiepiſcopi, vel ejus Succeſſoribus mille ſolidos Conſtantin. per dictas guadias, & ſupradictos mediatores, qui tribuerunt ſe nobis, vel cui iſtu Breve in manu parverit ad pignorandum boves ſuos, & ancillas, ceteraque omnia ſua pignora legitima, & inlegitima, ſicut & ipſus eiſdem ſuis mediatoribus, donec perveniamus ad noſtram juſtitiam, & ideò hunc bb. (*Breve*) ſcripſi ego Johannes Subdiaconus, & Notarius, quia ibi fui ex principali † Ego Ticinu. † Ego Urſus. † Ego Nando. † Ego Milo. † Ego Azzalu. Promitto, & juro Ego tibi Domino Landulfo Archiepiſcopo Beneventi, & Siponti per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, Trinitatem inſeparabilem, & hæc quatuor Sancta Dei Evangeliorum myſteria, & per hoc vivificum lignum Sanctæ Crucis, quia amodo, & deinceps nullam inimicitiam veſtræ Sanctæ Eccleſiæ, aut veſtram, aut cujuſlibet veſtri ordinati (perſonam) neque in quolibet veſtro miniſterio faciam aliquo modo, neque facere volentibus aſſenſum præbebo nec ego, nec quilibet habitator Siponti me volente, & quiſcumque ex noſtræ Civitatis habitatoribus qualitercumque facere temptaverit, modis omnibus, & totis viribus certabo illud (illum) deſtruere ſecundum meum poſſe per omnia. Sacramentum hoc juraverunt Nobiles, & Innobiles Sipontini, Procopius Trumarca, Tammarus, & Roſandus Fagnanus, & Gaudius Pinutius ex malo Saxo, & Sarappus, & Ayo Joannes, & Paſtinus Alefantus, & Andreas Landolfus, & Cinnamus Madelfridus, & Baſſus Ticius, & Nandos, Majo, & Cardus Folius, & Gayderis Traccho, & Joannes. † *Judex hoc firmet Simeon quod chartula ſignat.* † *Judicis hoc ſignum juſtum manet, & benè firmum.* † *Lector ne damnes, Judex probat iſta Joannes.* † *Scribet libens teſtis, ſcribens Julianus ineſt hic.*

Habes Lector Chartam, uti autographa membrana legendam exhibet: ſed nec pigeat, quæ obſervatu maximè digna ſunt, adjecta percurriſſe. Chronologicæ notæ, nempe Imperium Johannis, & Indictio prima, quæ inſcripta habentur, anno 973. celebratum à Sipontinis fidelitatis Sacramentum demonſtrant. Johannes enim Tzimiſces ab anno 969. Baſilio, & Conſtantino Romani olim Imperatoris filiis collegis ubi adhibitis, Orientale Imperium tenuit, uſque ad Annum 975. Sed quid, inquies, Græci Auguſti cum Siponto, quam Urbem Beneventanis Principibus olim ſubditam ſcimus? Immo quod magis mireris, nullam ab Archiepiſcopo Beneventano Principum Beneventanorum mentionem in ea Charta factam invenies: adde his, ſi Imperatoris nomen inſcribi libuiſſet, non equidem Orientalis, ſed Occidentalis inſcribendum potiùs, ideſt Ottonis I. qui ab Anno 962. Occidentis Imperium auſpicatus, Græcos Calabriâ, & Apuliâ expulit, ut refert Witikindus, vel ut Ditmarus narrat, *tributarios effecit*, ipſoque, quo Charta ſcripta eſt, Anno 973. defunctus eſt Nonis Maij. Sed ſi verum illud Ditmari eſt, Græcos non expulſos, ſed tributarios in Calabriâ, & Apulia affirmantis, Chartamque ipſam Menſe Auguſto celebratam animadvertamus, lapſis ſcilicet quatuor jam menſibus ab Ottonis morte; facilè Græcorum dominium in Civitate Sipontina agnoſcemus, adverſus quos etiam Apuliam, & Calabriam tenentes Otto II. anno 982. infeliciſſimè præliatus fuit. Quid autem inter hæc valerent Beneventani Principes, cujus jamdiù imminutæ vires, ruentem Principatum ſuſtinere haud tunc ſatis erant? Satiùs igitur Beneventanus Archiepiſcopus tunc putavit, ſupremum Græcorum dominium agnoſcere, quò faciliùs Sipontinam Civitatem, cujus Eccleſiam adminiſtrabat, ſuæ ditioni acquireret, vel confirmaret.

Cæterum in ea Charta nihil, niſi *Græcum* occurrit: Habes ſolidos Conſtantinopolitanos multæ nomine in tranſgreſſores indictos: ſed quod magis eſt, habes Procopium *Turmacam* Civitatis Sipontinæ, proprium ſcilicet Græcorum Magiſtratum, qui eo vocabulo *Turmæ*, vel Regionis *Præfectum* appellabant. De hoc vocabulo jam dixi in Diſſ. *De Re Nummaria cap.* VII. *not.* 2. *p.* 228., ubi Theodorus Turmaca, Græcis Beneventi dominantibus Anno 895. ab Anonymo Beneventano memoratus occurrit: ſed ut ibi jam monui, huic quoque reſtituenda vocabulo lectio eſt, ut *Turmarcha*, vel *Turmarchus* ſit, quem illo ævo corruptè *Turmacam* ſcribebant. Porro quum in vocabula ſermo incidit, quid *Guadia* ſit, in eadem Charta pluries memorata, facilè intelligitur ex obligatione, quam ſibi certi homines nomine Sipontinorum ſuſceperunt, quos ſcilicet *Vades*, *Fidejuſſores*, *Sponſores* promiſſionis ſuæ Sipontini dederunt. Id enim *Guadia* (quod & *Wadia*, & *Vadium* ſcribebatur) ſignificatum ſequiori ævo docent plures paſſim Chartæ à Cangio prolatæ, qui & hanc noſtram Chartam in verbo *Mediatores*, pro unico exemplo affert, ut idem quod *Guadia*, adhuc *Mediatorum* vocabulum ibi uſurpatum ſignificet, ideſt *Prædes*, *Sponſores*. Notanda adhuc ingens illa mille Solidorum CPolitanorum, at quidem aureorum, ſumma pœnæ nomine ſtatuta: pro qua exolvenda data etiam facultas fuit ad pignorandum *boves ſuos*, *& ancillas*; *cæteraque omnia ſua pignora legitima*, *& illegitima*. Erant tunc ſiquidem aliquot rerum ſpecies, quas in Pignoriſcapionem venire Leges vetabant, & vetare hodièque videntur. Imperator Conſtantinus Lege ad univerſos Provinciales lata ann. 312., quæ eſt VII. Cod. Juſt. *Quæ res pignori obligari poſſunt*, *vel non*, ſic ſtatuit: *Executores à quocunque Judice dati Servos aratores*, *aut Boves aratores*, *aut inſtrumentum aratorium Pignoris cauſſa de poſſeſſionibus non abſtrahant*: Quod & Impp. Honorius, & Theodoſius Anno 414. ſua quoque Lege obſervandum edixerunt. Huic beneficio Sipontini, ipſorumque vades renunciarunt, tum *boves ſuos*, tum *ancillas* ſolvendæ pœnæ ſubjicientes, ceteraque ſua omnia pignora *legitima*, & *illegitima*, quæ ſcilicet capi, abſtrahique Leges ſive permitterent, ſive prohiberent.

Quantâ verò religione, quod promiſerant, obſervaturi eſſent Sipontini, oſtendit illa Juramenti formula, quæ Chartæ interjecta fuit, ad quam Nobiles, & Innobiles juraſſe leguntur. Varias, diverſaſque juramenti formulas modò *per Crucem*, modò *per Evangelia*, modò *per Patrem*, *& Filium*, *& Spiritum Sanctum* innumera ſequioris ævi monumenta ab eodem Cangio collecta teſtan-

qui ex Charta Chronici Wlturnenfis nugas nobis dedit, quas fuperiùs exfibilavimus) tam diuturno temporum intervallo hanc Ecclefiæ Beneventanæ prærogativam, velut ufurpationem ambitione partam, conclamavit, aut in controverfiam revocavit. Ipfi Sipontini Cives Sæculo x. folemni ea charta, quam Memoratorium appellarunt, teftatam, ac ratam voluerunt, Beneventano Præfuli, ex quo fibi plurimum honoris, utilitatifque comparatum norant, illius Ecclefiæ, ac Civitatis fubjectionem profeffi. Ac ipfi quidem Beneventani Præfules, fimul & Sipontini appellari paffim ab aliis, fuifque in chartis infcribi confuebant: quo tamen titulo non illud cenferi debet, Sipontinam nempè Ecclefiam æquo jure Beneventanæ Sedi fociatam fuiffe, quam fibi *fubdi* difertis verbis S. Barbatus à Grimualdo poftulavit, *fubditamque* Romani Pontifices Vitalianus, Marinus, Agapitus, Johannes XII., ac XIII., aliique quamplures, ac ipfi denique Cives Sipontini declararunt. Ut verò Sipontinorum titulum fibi adjicerent, Garganicæ Bafilicæ dignitatem in cauffa fuiffe, arbitrari debemus: Quantum ea Bafilica S. Barbato debeat, quantum deinceps illius Succefforibus, ut illuftrior religione fua efficeretur, fatis probat illius celebritas, qua totius Orbis venerationem promeruit. Quantum Longobardicæ Gentis erga B. Michaelem Archangelum extiterit ftudium, quem fummum fibi Patronum ab initio delectum agnofcere deinceps, ac ftudiofiùs colere nunquam Longobardi deftiterunt, jam aliàs mihi demonftratum uberrimè eft. Quid ni igitur Beneventani Præfules Sipontinos quoque fe infcribere, appellarique malebant? quo pofteriore titulo tum fua erga Garganicam Bafilicam, Ecclefiamque Sipontinam promerita, tum fuam quoque erga Sanctiffimum Archangelum venerationem teftabantur: erat id quoque apud Longobardos univerfos præfens veluti, ac perenne incitamentum, quo alacrioribus obfequiis Beneventani Principatus Patronum affiduè profequerentur; erat denique eidem Bafilicæ, quæ æquo titulo cum Beneventana Ecclefia conjungebatur, maximum comparatum ornamentum, novumque additum decus, quo fe, licet fubditam, parem quodammodo cum principe Ecclefia dignitatem præfeferre videbatur.

Debitus idem Archangelo honos in cauffa dein fuit, ut fuus poftmodum Sipontinæ Ecclefiæ reftitueretur Antiftes; quod circiter annum MXXXIV. à Benedicto IX. factum conftat.

teftantur: haud tamen omnia ifthæc, uti in noftra Charta, fimul adhibita invenire erit. Jurant itaque Sipontini *per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum infeparabilem Trinitatem*, quò etiam fe Orthodoxos profiterentur: jurant adhuc *per hæc quatuor fancta Dei Evangeliorum myfteria*, ac denique *per hoc vivificum lignum Sanctæ Crucis*: ubi notandum eft non *fuper hoc, & hoc*, fed *per hec, & hoc* ideo dictum, quod non manibus ad Evangelia, & Crucem appofitis, ut aliàs fieri folebat, fed *infpectis*, feù *propofitis* Evangeliis (quod Epifcoporum proprium effe cœpit, qui fuper Sacra jurare vetantur in Concilio Meldenfi An.845. cap. 48.) adhibitaque præfenti Cruce juratum fuit.

Libet denique ex hac Charta Cognominum ufum jam Sæculo x. in Italia receptum comprobare. Habes enim Rofandum *Fafanum*, Gaudium *Pinutium ex malo faxo*, Paftinum *Alefantum*, Andream *Landolfum*, Cardum *Folium*, Gayderim *Traccho* &c. atque hos quidem Sipontinos *nobiles* facile agnoveris, diftinxerifque ab aliis, qui in eadem Charta nullo cognomine præditi, *innobiles* fortaffe erant. Id enim fatis conftat, apud Viros illuftres, priùs quàm apud Plebejos ufurpata cognomina. Innotuit fenfim dicti Sæculi x. hominibus, magis verò perfuafum pofteris, quàm utile, quàm neceffarium humano commercio effet cognomina adhiberi, ut non tantùm perfonæ, fed etiam familiæ inter fe dignofcerentur, caverenturque errores graviffimi, atque etiam fraudes in contractibus, criminumque impunitates vitarentur; quod tunc Reip. damno erat, nunc etiam Hiftoriæ, quam ex cognominum defectu obfcuriorem ab illo ævo accepimus. Hinc laudanda Chronographi noftri Falconis diligentia eft, qui Beneventanos Proceres, quò diverfi tunc inter fe, & notiores pofteris effent, fuis cognominibus plerumque appellavit. Sic Anno 1114. meminit *Roffridi Foligaderifii*, & *Roffridi à Porta Aurea*, & Vitalis filii *Johannis Galli*, ad quem locum Camillus Peregrinius illud *Foligaderifii* emendat *in fili Gaiderifii*; & revera idem Falco An. 1130. electum Beneventanum Archiepifcopum memorat Landulfum filium Roffredi *de Garderifio*, feù Gaiderifio; at fi *Foligaderifii* cognomen conjunctim *Filigaderifii* legatur, rectè etiam fe habebit ex fimilibus exemplis, quæ habet V. C. Muratorius in peculiari Differtatione *de Cognominum origine* tom. III. *Antiqu. Med. Ævi pag.* 780. *Plurima autem* (addit Peregrinius) *talia gentilitia ex parentum nominibus exorta cognomina facillimè ab omnibus nunc cùm internofcantur; funt tamen nonnulla, quæ nifi antiquioribus peritioribus, nec iis omnia quidem patent.* At jam hoc argumentum laudatus paullò ante Muratorius pro fui Operis inftituto luculenter pertractavit, Cognominumque originem ad quatuor Capita redegit. I. Ex *loco dominationis*, quum parentes in filios, & nepotes eandem ditionem tranfmitterent. II. Ex *parentum nomine*, quod in filiorum, & dein Familiæ cognomen tranfibat. III. Ex *Agnomine* (quod nos *Sopranome* appellamus) quod five honorificum, five contumeliosum à vulgo cuiquam impofitum, ipfi etiam nobiles five ultro, five inviti cogebantur retinere ad fe, fuamque gentem à reliquis fecernendam. IV. Tandem *à Dignitatibus*, aut *Artibus* Majorum, Cognominum originem repetit Muratorius. An verò is argumentum exhauferit, vix fibi quifque perfuaferit: funt enim alia plura, quibus Originem fuam cognomina debent: ipfa Urbium, aliorumque locorum nomina, unde quis aliò tranfmigrarit, ei cognomen (quod cognominum genus ufitatiffimum nunc videmus) efficere folebant: Ab ipfa etiam propriæ Urbis regione, quam quis incoleret, adfcitum fibi, vel ei tributum cognomen oftendit Beneventanus Civis *Roffridus à Porta Aurea* à noftro Falcone fuperiùs memoratus. Quantis etiam Cognominibus fola ambitio originem præbuit? fed non hæc nunc agimus, ac plura fortaffe, quàm par erat, Sipontinæ Chartæ non immeritò illuftrandæ jam dedimus.

ſtat. Qui primus à memorato Pontifice Sipontinus Antiſtes inſtitutus fuit, Leo appellatus traditur; qui quum Eccleſiam Sipontinam non ſolùm ad priſtinum Epiſcopatus titulum revocatam, verùm etiam Archiepiſcopali nomine, àtque jure, ob Archangeli Michaelis reverentiam adauctam probè noſſet, tum in grati animi argumentum, tum pro ſui muneris ratione, tum denique veteri Beneventanorum Præſulum exemplo edoctus, ita Garganicam Baſilicam excolere cœpit, ut ſedem ibi, quàm Siponti, conſtituere ſibi maluerit, ac ſicut olim illi Beneventani, ac Sipontini, ita is Sipontinus, & Garganicus Archiepiſcopus appellari gauderet. Leonem verò in ea re non ſatis prudenter ſe geſſiſſe oſtendit poſtea inconſultior Garganici Cleri adverſus Sipontinam Eccleſiam concertatio, qua ſibi æqua, & planè communia cum Sipontinis Archiepiſcopalia jura aſſerere cœpit: Diuturnam litem vehementi partium contentione agitatam Pontifex Innocentius III. tandem definivit, edita Decretali Epiſtola, ex qua pauca hæc deſcribere libet, quibus ſuperiùs dicta comprobabimus: *Benedictus Leonem quendam Sipontinum Archiepiſcopum, non in Sipontinum, & Garganicum, ſed in Sipontinum tantùm (licet obtentu Angeli) ſe aſſerit promoviſſe* (1).

Sed poſt primi Archiepiſcopi Leonis obitum (nam & id heic noſſe præſtat) iterum Eccleſia Sipontina ad Beneventanos Archiepiſcopos rediit: Manifeſta res eſt ex Pontificio Diplomate, quo Sanctus Leo Papa IX. Beneventi degens anno MLIII. Ulderici Archiepiſcopi electionem, Beneventanæque Eccleſiæ antiqua jura confirmans, *ad ejus* (inquit) *jus, & proprietatem revocamus, atque in perpetuum ſubdimus, & tradimus, videlicet Eccleſiam S. Michaelis in monte Gargano poſitam, & ipſum Caſtellum, ubi jam dicta ſacra, & venerabilis ſita eſt Eccleſia, atque Sipontinam Eccleſiam cum omnibus juſtitiis ſibi legaliter pertinentibus &c.* (2). Etſi verò paullò poſt, anno ſcilicet MLXVI. ab Alexandro II. proprium Archiepiſcopum Eccleſia Sipontina receperit, Gerardum Monachum Caſinenſem, poſt quem Sipontinorum Archiepiſcoporum ſervata ſucceſſio eſt, id tamen ex Leonis Diplomate argumentari licebit, Sipontinam Eccleſiam, propriis Paſtoribus quamvis commiſſam, non omnino à Beneventanæ auctoritate ſe ſubtraxiſſe, in eo ſaltem obnoxiam, ut ſuis deficientibus Paſtoribus, ad antiquam, ſatiſque ſibi ſalutarem Beneventanorum Archiepiſcoporum juriſdictionem revocaretur, aut etiam convolaret. Cæterum quum Eccleſia Sipontina à Beneventana ſejungeretur, novumque ſimul Archiepiſcopatus honorem recepiſſet, decus Beneventanæ Eccleſiæ id fuit, ut ea dignitate auctam à ſe dimiſiſſe videretur. Merebatur id profectò Sipontina ob Archangeli reverentiam, ſive *obtentu Angeli*, uti Innocentius III. ajebat: ſed, ut Archiepiſcopalis eſſet, etiam Beneventani Archiepiſcopi jamdiù effeciſſe videbantur. Pontifex Johannes XIII. in Diplomate erectionis Archiepiſcopatus Beneventani anni *969.* ita Landulfum Archiepiſcopum compellat: *Johannes Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectiſſimo nobis Landulfo venerabili, atque merito honorabili Beneventanenſis, & Sipontinæ Sanctæ Eccleſiæ, & amodo per noſtræ auctoritatis Apoſtolicæ conceſſionem Archiepiſcopo*; Hunc ſibi Titulum deinceps ſervarunt Beneventani Archiepiſcopi, qui ſicut olim Sipontinos ſimul Epiſcopos, ità deinceps utriuſque Eccleſiæ Archiepiſcopos ſe appellare conſueverunt. Ex veteri igitur conſortio, atque ex Beneventanæ Eccleſiæ præſtantia factum eſt, ut Sipontina Eccleſia pari nomine *Archiepiſcopalis* audiret, atque alienæ dignitatis ſplendore colluceſcere lætaretur; dum verò propriis unaquæque Præſulibus diſtinguenda erat, proſpiciendum quoque fuit, ne deterior poſthac Sipontina appareret, æquumque fuit viſum, ut ad illius amplificationem Beneventanæ merita redundarent.

At jam rerum, temporumque ſeries ad Landulfum nos perduxit, primum omnium, quem Pontificia auctoritas ad Metropolitanæ dignitatis plenitudinem provexit, Beneventanum Archiepiſcopum. Satis igitur heic ſit cum Pontifice Johanne XIII. Landulfum ſalutaſſe, ejuſque audito tantùm nomine, finem ſecundæ huic Epochæ impoſuiſſe. Novum decus, quod Eccleſiæ Beneventanæ ex ſolemni Archiepiſcopatus erectione acceſſit, felicia tertiæ Epochæ auſpicia, ac nobiliora pertractandarum deinceps rerum argumenta præſtabit.

CAPUT

(1) Inter Opera Innocentii III. tom. I. edit. Baluzii. Vid. Ughellum, & ad illud notas Lucentii in Epiſcopis Sipont. tom. VII. pag. 821., & 830. edit. Venet.

(2) Ex originali Diplomate exiſtente in noſtra Bibliotheca Tubo VIII., & ex exemplari Bullarii Selecti pag. 86.

## CAPUT III.

*Archiepiscopatus Beneventani erectio in Concilio Romano à Johanne PP. XIII. celebrata. Prima omnium in Italia Cistiberina Ecclesia Beneventana ea dignitate prædita. Suffraganeorum numero alias dein Ecclesias Metropolitanas olim antecelluit, hodieque superat. Quæ fuerint eorundem Suffraganeorum erga Archiepiscopum Beneventanum obsequia. Veteres ipsorum Archiepiscoporum de gestanda Tiara coronata, & præferenda SS. Eucharistia prærogativæ; ad hæc Plumbei Sigilli, cujus usus hodieque obtinet, privilegium pluribus observationibus illustratur.*

BEneventanos Antistites, etsi Episcopali nomine, Metropolitana tamen potestate perfunctos, non ab an. 668., quo Pontificis Vitaliani Literas S. Barbatus accepit, uti Viri doctissimi, gravissimique censuerunt (1), sed ab ipso, quo Christianæ Ecclesiæ pax, & libertas restituta est, Sæculo IV., tum quando Samnii Provincia Romano Imperio parebat, tum verò maximè, quum Longobardos Beneventani Ducatus institutores, Dominos habere cœpit, hactenus uno, & altero Capite, duobus scilicet Beneventanæ Ecclesiæ Epochis in anteceſſum constitutis, atque satis operosè illustratis, superiùs demonstravimus. Id verò Ecclesiæ Beneventanæ dignitati debebatur, ut manifesto Archiepiscopalis, ac Metropolitanæ nomine, ac titulo, reliquisque Metropolitanæ potestatis juribus, atque insignibus ornata tandem fulgesceret. Sæculo X. id factum constat; ac seriùs fortasse factum, quàm res postularet, quispiam arbitrabitur: Sed si supremam illam Romani Pontificis Metropolitanam in universas Urbicarias Provincias auctoritatem, adhuc illa ætate vigentem, animadvertamus, nihil serum Ecclesiæ Beneventanæ contigisse videtur, quod primùm sibi concessum, atque ante alias omnes Cistiberinæ Italiæ Ecclesias accepisse promeruit. Accepit autem tantâ solemnitate, ac magnificentiâ, ut nihil honorificentius, atque splendidius excogitari potuerit. De modo igitur, quo res gesta sit, primùm videamus, dein de tempore, quo alias Ecclesias præcessit, sermonem facturi.

Ut Ecclesiam Beneventanam Archiepiscopalem constitueret Romanus Pontifex Johannes XIII. Synodum Romæ coegit: insolens enim, novique exempli, ac gravioris momenti ea res videbatur, de qua non sine Romanæ Ecclesiæ, atque Italicorum Episcoporum, aliorumque Sapientum Virorum consilio, adhibitaque consensione agi, decernique oportebat. Præiverant rei deliberandæ, ac statuendæ non modò interventiones, preces, hortationes Pandulfi Beneventani Principis, verùm etiam Augusti Ottonis I., qui in eadem Synodo astantes, tum præsentia, tum subscriptione peractam comprobarunt. Actorum ejus Synodi (quam in suam Conciliorum collectionem retulit Labbeus (2)) nullus dignior, ac locupletior testis, quàm Pontifex ipse Johannes, ejusque superstes adhuc originale Diploma, quo rei gestæ sincerissimam fidem, ac perpetuam auctoritatem comparavit. Sic igitur Pontifex: *Præsidentibus nobis in Sancta Synodo acta ante Confessionem B. Petri Apostolorum Principis, septimo Kalendas Junias, propositis in medio Sacrosanctis quatuor Evangeliis, præsente Domino Ottone gloriosissimo Imperatore Augusto, Carissimoque nostro Filio, nec non Romanis, atque Italicis, & Occidentalibus Religiosis Episcopis, quamplurimis etiam Catholicis, & Sapientissimis totius Ordinis Viris; hortatu siquidem benigno ipsius præfati Domini Ottonis Clementissimi Imperatoris Augusti, una cum consensu supradictorum Præsulum, atque Sacerdotum, omniumque Ordinum Clericorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, qui inferiùs se subscripserunt, quibus (pariter complacuerunt) Beneventanam Cathedram velle exaltari, intervenientibus videlicet Paldulfo Beneventanæ, & Capuanæ Urbium Principe, seù Spoletini, & Camarini Ducatus Marchione, & Duce, simulque Landulfo Excellentissimo Principe Filio ejus.*



(1) Marius Vipera in *Benevent. Chronol.* pag. 69., Ferdin. Ughellus *Ital. Sacræ* tom. VIII. pag. 91. edit. Rom. Petr. Cantelius *de Metropolitanis Urbibus* P. III. Dissert. III. §. VII., Dominicus Georgius in Differtat. *De Orig. Metropolis Ecclesiæ Benev.* §. V. Romæ 1725.

(2) Tom. XI. pag. 938. edit. Venet.

*ejus* (1). Atque hic quidem modus fuit, quo rem pro sui gravitate, ac dignitate celebrari tunc libuit.

Ad annum quod attinet (nam de Mense, ac die satis liquet), inscriptus & ille in Diplomate fuit, sed quum temporis injuria obliteratus in membrana sit, ex aliis simul adjectis notis Chronologicis facili negotio, certâque sententiâ suppleri, atque statui potest: Datum enim Diploma legitur *die* VII. *Kalendas Junii per manus Widonis Episcopi Sanctæ Silvæ Candidæ Ecclesiæ, & Bibliothecarii Sanctæ Sedis Apostolicæ Anno Pontificatus Domini nostri Johannis XIII., Papæ IIII., Imperii verò Ottonis Majoris VIII., & Minoris II., Indictione supradicta XII., Anno Dominicæ Incarnationis* DCC...... Ex anno igitur *Quarto* Johannis XIII., qui Pontificatum anno *965.* auspicatus fuit, atque ex anno *Octavo* Ottonis I., qui anno *662.*, dejecto Berengario, Imperio potitus est, *Secundo* verò Ottonis II., qui anno *667.* paterni Imperii consortium, ac coronam Romæ accepit, ex Indictione denique XII. Annus dati Diplomatis nongentesimus sexagesimus nonus nitidissimè assurgit.

Atque hunc quidem instituti Beneventani Archiepiscopatus annum rectè agnovit, disertissimèque in sua Chronologia expressit noster *Vipera* pag *69.* injuriâ quidem ab Ughello notatus, quòd in adjecto Diplomate loco anni *969.* annus *964.* cusus legatur: atque Ughellum quidem temperatiorem optassem in iis, quæ heic, ac passim adversus Virum Beneventanæ Chronologiæ parentem, per quem ipse profecit, satis importunè, nonnunquam iniquè, ac falsè objecit (2).

Corrigendus potiùs erit vetustus ille Beneventani Monasterii S. Sophiæ Chronographus, quem è Codice Vaticano à Nicolao Aloisia descriptum, ejus notis illustratum primus omnium Muratorius vulgavit (3). Non enim ad annum *969.*, sed sequentem, factam Beneventani Archiepiscopatus erectionem ipse refert his numeralibus tum anni, tum Indictionis notis, ac verbis: DCCCCLXX. *XIII. Papa Johannes primum consecravit Landulfum Archie-*

(1) Verba recitavimus ex Originali, ejusq. Exemplari, summa fide, diligentiaque descripto in *Bullario Selecto* nostræ Bibliothecæ num. XI. pag. 42., ex quo plura menda detersimus, lacunasque supplevimus, quæ in Labbeana, & Ughelliana editione occurrunt. Integrum verò Exemplar, quod heic non satis commodè insereretur, in Appendice dabimus.

(2) Capite superiori observatum jam fuit, perperam ab Ughello Viperam notatum, quod inter Ursum, & Ayonem Episcopos Carolo, geminoque Johanni locum dederit, *quos* (ille inquit) *ab hac serie expunximus, veluti gratis ab eodem suppositos*: etenim de altero saltem Johanne, cui Ajo successit, satis luculentum habetur Chronici Cavensis testimonium. Nunc quod attinet ad Erectionis annum, de quo agimus: *Corrigendus* (ait Ughellus) *est Vipera, qui hanc Archiepiscopatus erectionem asserit fuisse factam anno 964., ut ex Diplomate per eum transcripto, & in sua Chronologia relato, liquidò apparet: quod puto accidisse Typographorum incuria, vel saltem eorum qui correctioni typographicæ adstiterunt; ipse namque Vipera, ut qui jam senex ægræ valetudinis, hoc munus per se explere non potuit, sed aliis (ut verum fatear) incuriosis viris eam demandavit curam, ex quo factum puto, quod tot in ea Chronologia irrepserint errores, quibus maximè inter alia scatet erectionis Privilegium, quod a me accuratissimè cum suo exemplari collatum heic subnectere judicavi*. Sed non ipsum Ughellianum exemplar errorum expers, quorum numerus ex nostro exemplari in Appendice edendo facilè constabit: Quid quod in describendis ejusdem Diplomatis notis Chronologicis ipsum Ughellum peccasse deprehendit Cl. Georgius in dicta Dissertatione §. IX.: *Annus* (inquit Georgius) *Dominicæ Incarnationis* DCCCCLXIX. *in ipso autographo exaratus erat, licet carie consumptum fuisse testatur Ughellus pag. 93., qui illud inspexit. Sed non sine mendis exscripsit annos Imperii Ottonis Augusti Senioris: Septimus enim in Diplomate per ipsum vulgato notatur, quùm octavus notari debuisset: Otto major Imperator Romæ initio anni 962. à Johanne XII. coronatus fuerat, ex Baronio ad hunc annum*. Sed post probatum Diplomatis suum exemplar, quid adhuc de Vipera Ughellus subdat, audiamus: *Falsò divinavit Vipera, vel Typographus hoc loco ponendo notas numericas indicantes 964. quum ipse Vipera in principio asserat, erectionem fuisse factam de anno 969., qui quidem est verus annus*. Si igitur Vipera verum annum 969. jam agnoverat, affirmaveratque, cur tantum irarum ex eo, quod in edendo Diplomate Typographicæ curæ negligentes fuerint? Quis sibi à Typographicis erroribus cavere omninò potuit? Ipsè certè Ughellus imprimis hanc veniam dare, ac petere vicissim debebat, de quo hæc pronunciat Muratorius Antiq. Med. Ævi tom. VI. pag. 386. occasione Diplomatis Caroli Magni pro Ecclesia Arettiva: *In Privilegio illo occurrunt, quæ non immeritò suspicionem ingerant confictæ mercis, si tamen errores non transferendi sunt in Ughellium, quem in describendis, & evulgandis vetustis monumentis sæpissimè necessaria diligentia defecit, quum non rarò in ejus libris Diplomata dissentiant ab ipsis Archivorum membranis*. Utut de aliis sit, de nostris Chartis verissimum Muratorii judicium reperio, ut jam monui, ac deinceps monere opportunè pergam.

(3) Muratorius Antiq. Med. Ævi tom. I. post Diss. V. pag. 254., qui de eodem Chronico hæc præfatur pag. 248. *Quum facta mihi supra fuerit mentio Ducum, & Principum Beneventanorum inter Italiæ Principes diù eximiorum, quamquam eorum seriem multis pertractatam habeamus ab Historicis nonnullis, quorum opuscula Camillus Peregrinius evulgavit, atque ego rursus edidi P. I. tom. II. Rer. Ital. nihilo tamen secius tenebris subductum heic volo breve Chronicon, quod acceptum refero Nicolao Aloisiæ amico viro, & Antiquitatum Medii Ævi præcipuè amantissimo. Descripsit ille Opusculum hoc è pervetusto MS. Codice Bibliothecæ Vaticanæ, notasque etiam addidit, quas simul Lector accipiet.*

*Archiepiſcopum Beneventanum*. Ex lacuna, quæ in dicto Chronico occurrit, antecedentis anni DCCCCLXIX., qui omnino defideratur, errorem hunc non Chronographi, ſed Deſcriptoris fuiſſe putaveram, qui rem geſtam ad ſequentem annum oſcitanter rejeciſſet: at ipſe Aloiſia præſtò fuit, ſic ad eum locum commentatus: *In Concilio Romano Metropolitani Dignitas Beneventana primùm acceſſit Eccleſiæ, poſtquam Capuana ea prærogativa fuerat inſignita; quiquid perperam in Retractatione ſua dicat nuperus eruditus Criticus. Extat tom.* IX. *Conciliorum col.* 1238. *editionis Labbeanæ Epiſtola Johannis XIII. Papæ, data Romæ* VII. *Kal. Junii, Indictione* XII., *Pontificatus anno* IV. *Quare in antecedentem annum protrahenda ſunt ea, quæ ad hunc annum* (ſc. DCCCCLXX.) *Chronographus noſter conſignavit*. Probavit igitur diligentiam ſuam Aloiſia; qui Chronographi errorem animadvertit, caſtigavitque; at erravit is certè, dum Beneventani Archiepiſcopatus erectionem anno 970. antiquiorem, ſed Capuani Archiepiſcopatus erectione poſteriorem, nuperi eruditi Critici retractationi illudens, pronunciat. Inter Beneventanam, & Capuanam Eccleſiam ſummo partium ſtudio diù lis iſthæc agitata eſt, cujus graviora momenta heic referre operæ pretium erit, brevi tamen ſtilo, ne æquos Lectores, quorum debet eſſe judicium, audiſſe pigeat (1).

Litis inſtituendæ auctor, innoxius fortaſsè, Leo Oſtienſis fuit, qui in ſuo Chronico Caſinenſi Archiepiſcopatus Capuani erectionem à Johanne quidem Papa XIII. factam commemorat, ſed quoto anno, quave occaſione facta ſit, incertum reliquit. Oſtienſis locum ex Veneta editione anni 1513. ſic recitat Baronius ad annum 986. num. 9. *Hujus Abbatis* (Aligerni) *anno* XIX. *Johannes Papa Roma pulſus exilio Capuam venit, & à memorato Principe* (Pandulfo) *rogatus, tunc primùm in eadem Civitate Archiepiſcopum conſtituit, conſecrato Fratre ipſius Principis Johanne in Archiepiſcopum*. Conveniunt de Aligerni Abbatis anno *decimonono* poſteriores Oſtienſis editiones, tum quæ à Laureto Neapoli ann. *1616.*, tum quæ à Nuceo Pariſiis ann. 1668. curata eſt; neque in reliquo, niſi *συνωνυμίᾳ* à Veneta diſcrepant. Quid verò ad Oſtienſem Baronius? *Porro* (inquit) *conſignatum tempus non ad Johannis exilium, quod longè ante contigit* (videlicet anno 965. ut idem ipſe ex indubiis monumentis jam ſtatuerat) *ſed ad collatam illi Eccleſiæ Archieſcopatus dignitatem referri neceſſariò debet*. Baronius itaque, quæ ſimul geſta ab Oſtienſe narrantur, quatuor annorum intervallo inter ſe diſcriminanda, ac ſcindenda decernit; ſicque Oſtienſis fidem de ea re vel ſuſpectam, vel maletutam agnoſcens de Archiepiſcopatus Capuani erectione ad dictum Abbatis Aligerni annum XIX., Æræque Chriſtianæ 968. referenda, nonniſi ſubtimidè, atque accuratiorem



(1) Ejus litis exordia, progreſſus, fata, patroni, ſtatus potiùs, quàm exitus, ſic ſe habent. Primus Eccleſiæ Capuanæ eam prærogativam Baronius aſſeruit, quem Camillus Peregrinius ſequutus eſt. Utrique, etſi rem ipſam non ſatis certa, ac meditata ſententia affirmanti, Marius Vipera Beneventanæ Eccleſiæ Archidiaconus, editâ Præſulum Beneventanorum Chronologiâ, adjectiſque pleriſque Beneventanæ Eccleſiæ monumentis, facto potiùs, quàm verbo occurriſſe ſtatim viſus eſt. Sed Capuanis de ea prærogativa adhuc ſibi blandientibus, longo poſt tempore ſilentium impoſuit Pompejus Sarnellius Epiſcopus Vigilienſis, qui anno 1691. eandem Viperæ Chronologiam caſtigatiorem vulgavit. Ac ſiluere quidem Capuani ad triginta & ampliùs annos, Sarnellio, qui Beneventanæ Eccleſiæ cauſſam egregiè peregerat, acquieſcentes; donec anno 1721. V. C. Dominicus Georgius occaſione Hiſtoricæ Exercitationis *De Antiquis Italiæ Metropolibus*, ſcilicet *Civilibus*, obiter quidem, ſed ſatis operosè, ſtudiosèque de Eccleſiaſtica Capuæ Metropoli, poſthabito Sarnellio, Baronium, ac Peregrinium ſequi maluit: At non diù licuit Capuanis novum Patronum inveniſſe Georgium, qui mox anno 1725. re rurſus ipſa ad ſincerius examen revocata, Diſſertationem edidit *de Origine Metropolis Eccleſiæ Beneventanæ*, illo Epilogo uſus: *Fruſtra opinionem eximii præſulis Vigilienſis Pompei Sarnellii vexavimus, qui primam omnium in Neapolitano Regno Beneventanam Eccleſiam ad Metropoliticæ Dignitatis faſtigium erectam tradiderat: Neque nos pudet, palinodiam canere, quam recantare toties parati ſumus, quoties nos erraſſe conſtiterit*. Atque hunc illum eſſe *nuperum eruditum Criticum* jam noſcis, ſuperiùs ab Nicolao Aloiſia memoratum, cujus retractatio haud certè Muratorio, qui (ut in ſuperiori nota diximus) nihil in Chronici Sanſophiani editione addidit, ſed Aloiſiæ ipſi, nullam reddenti rationem, diſplicuit: at non equidem V. C. Franciſco Orlendio diſplicuit, qui in ſuo *Orbe Sacro, & Prophano P.*II. *lib.*4. *cap.*20. Georgii Palinodiam probans, pro Eccleſia Beneventana ſententiam ſuam tulit. Litem, ut videtur, jam judicatam, hoc in ſtatu ego inveni, quùm priori Tomo Beneventanarum Antiquitatum adlaborarem, eoque in Opere, dum de *Metropoli Civili* Samnii differerem, ſatiùs habui quoad *Eccleſiaſticam* Metropolim (nondum enim ejus loci, temporiſque ratio id tunc agendum ſinebat) Georgii Diſſertationem laudare pag. 155. not. 6. ad quem Lectorem ablegavi. Paucula hæc tunc ego, nec omninò mea, neque tanti profectò, ut Capuanos ad controverſiam inſtaurandam excitaſſe viderer, niſi id legiſſem, in ejus Operis Præfatione, quod poſt ſuperiorem librum meum Romæ an. 1754., non ann. 1756. (uti falsò ibi aſſeritur) editum, quinquennio poſt, vernaculè, prolixèque obloquutus Franciſcus Pratillus edidit *Della Origine della Metropoli Eccleſiaſtica della Chieſa di Capua. Napoli* MDCCLVIII. Prætereundum mihi ſilentio Pratilli opus duxeram, quòd iis libris adnumerandum viderem, quibus tunc ſolùm, ſi illos confutaveris, & famam, & pretium feciſſe videaris; ſed meminiſſe tantùm conſilium fuit, ne, ſi ex induſtria diſſimulatum putaretur, hac una re prodeſſem Capuanis, quibus id opus nec ſatis probatum intelligo: Beneventanis certè nihil incommodi, aut detrimenti attulit, quibus in optima, ac manifeſta cauſa, nonniſi pauca, & vera modeſtè, ac præclarè loqui mos fuit.

ea in re operam adhibendam oſtendens, concludit: *Prima omnium, quod invenerim, Eccleſia Capuana ea Archiepiſcopatus dignitate in Regno Neapolitano fuit illuſtrata* (1). Camillus autem Peregrinius in ſerie Abbatum Caſinenſium de Aligerno agens, Baronio aſſentitur, tum de Johannis exilio anno 965., tum de Capuano Archiepiſcopatu anno 968., ſed veritus, ne non ex ſcripto Oſtienſis loco ejus fides periclitari videretur, Baronio ingenioſiorem ſe oſtendere voluit, ac non novo quidem exilio iterum Johannem Roma expulſum dicto anno 968., ſed novam exilii vocabulo, quo Oſtienſis uſus eſt, ſignificationem excogitavit: *Exulare enim* (inquit), *ut ſexcenta alia prolixiora omnis ævi exempla miſſa faciam, Servio ad Æneid. lib.* II. *propriè dicuntur, qui extra ſolum eunt*. An hæc citra abſurdum dici queant, judicium Grammaticis relinquimus, quorum quæſtiones non hujus loci ſunt. Oſtienſis certè non *extra ſolum iviſſe*, ideſt ſpontè Româ abſceſſiſſe, ſed Româ pulſum exilio, vel, ut aliæ editiones habent, *exiliatum* Johannem, atque adeò invitum, Capuam veniſſe ſcribit. Hoc apparatu inſtructus Peregrinius Capuanos ſuos alacriores reddere ſtuduit, ut eam ſibi prærogativam affererent; at rem non ſine controverſia futuram prævidens, contradicturos Beneventanos, ut ſua tandem monumenta proferrent, amariùs, quàm par erat, laceſſivit: *Nec de futili* (inquit) *nunc dicam quorundam recentiorum argumentatione, qui neſcio quas etiam nullius, vel minimi momenti Chartulas, nec ſibi quidem viſas, alicubi ſervari teſtantur, quibus ſe demonſtraſſe jactent, Capuanam Eccleſiam non omnium antiquiſſimè in Regno Neapolitano fuiſſe Archiepiſcopali honore exornatam; quod fortè verum: ſed integras illas, ſolemnique pariter approbatione roboratas ad rem tantam contradictoribus non vacuam, ſtabiliendam produci oportuiſſe negabit nemo* (2).

Quæ Capuanam Eccleſiam *non omnium antiquiſſimè in Regno Neapolitano fuiſſe Archiepiſcopali honore exornatam* demonſtrent, Chartæ à Beneventanis producendæ fruſtra petuntur; producere ipſi debebunt Capuani, qui eam prærogativam ex maleſano Oſtienſis loco ſibi conquirentes, maletutam cauſam hactenus egiſſe videntur. Satis Beneventanis fuerit, ea Diplomata Pontificia produxiſſe (eidem Peregrinio dein perſpecta occaſione Chronologiæ, à noſtro Vipera editæ, atque ab eodem Peregrinio alibi probatæ (3)), quibus à Sæculo ſaltem VII. jus Metropoliticum Eccleſiæ Beneventanæ vindicatum eſt, Archiepiſcopale tandem nomen, atque dignitas anno 969 in Romana Synodo, Literiſque Pontificis Johannis acceſſit. Donec igitur Capuani locupletioribus, ac ſincerioribus monumentis aſſertum annum 968. comprobaturis, meliorem, ac veriſimiliorem cauſſam ſuam efficiant (4), fas, juſque

(1) Non etiam defuiſſe Baronio aliquod Capuanæ Eccleſiæ gratificandi ſtudium ex iis apparet, quæ eodem loco ſubnectit: *His verò diebus, quibus hæc ſcribimus (quod non tacendum) maximum acceſſit eidem Eccleſiæ ornamentum, dum vacante eadem Sede obitu Cæſaris Coſta Archiepiſcopi, mei in Jure Civili publicè interpretando olim in Urbe præceptoris, delectus eſt à SS.D.N. Clemente PP. VIII.* (die 25. Februarii anno 1602.) *ad nobiliſſimæ Eccleſiæ regimen Vir doctiſſimus, ac religioſiſſimus Robertus Bellarminus S. R. E. Cardinalis, virtutum meritis toto Chriſtiano Orbi conſpicuus, exoptatus votis, collaudatus ſuffragiis, atque exceptus plauſu, illud ſacro Collegio conclamante:* Dignus Dignæ.

(2) In ſerie Abb. Caſin. opp. to. v. p. 155. edit. Neapol. 1754., & inter Scriptor. Ital. Murator. to. v. p. 183.

(3) In Diſſert. *De finibus Ducatus Benev. ad Septemtr. tom.* v. *pag.* 273. ubi de Pontificis Vitaliani Literis ad S. Barbatum Epiſcopum Beneventanum datis agit, *quas* (inquit) *recitat Marius Vipera lib.* I. *Chronologiæ Epiſcoporum, & Archiep. Beneventi, etſi in multis adeò corruptas, ut de illarum ſinceritate ſuſpicari meritò quis poſſet, niſi ex pluribus aliis fidelioribus monumentis ab eodem Vipera relatis p.* 61. 63. 70. 81. *&* 85. (ſcilicet literis aliis Pontificum Marini, Agapiti II. Johannis XII.) *aperiretur, Gargani Montis Specum, & Sipontinam Eccleſiam diù etiam poſt Vitaliani tempora Præſulibus Beneventanis commendatas manifeſtè*, immo ſubditas fuiſſe cum aliis Epiſcopalibus Eccleſiis, uti ex dictis Literis præclarè habetur: ſed vide, quæ uberiùs de Vitaliani Literis, & Peregrinii obſervatione dixi ſuperiore Cap. II.

(4) Sunt quidem alii veteres Chronographi, qui Archiepiſcopalem Capuanæ Eccleſiæ erectionem commemorant, Oſtienſi tamen ſuppares, atque ex eo fonte haurientes, rem ipſam, uti Oſtienſis, ipſi æquè turbidam nobis tradiderunt.

Johannes Monachus Vulturnenſis, qui ſui Monaſterii Chronico conſcribendo laborabat anno MCVIII. (de quo vide Muratorium in Præf. ejuſd. Chron. inter Script. Ital. tom. I. P. II. pag. 322.) Oſtienſis ætate poſterior, illius ex Chronico Caſinenſi verba in ſuum Opus derivavit, ſic ajens lib. II. pag. 462. *Tunc temporis Johannes Papa de Roma exiliatus venit Capuam, & rogatus à Pandulfo Principe tunc primum Archiepiſcopum in eadem Civitate conſtituit, Johanne ejuſdem Principis Fratre inibi conſecrato*: ubi vides à Chronographo Vulturnenſi Oſtienſis locum totidem verbis deſcriptum, præteritis tantummodo Aligerni annis XIX. ab illo memoratis; ita ut quæ res exilii tempori, ex Baronii, ac Peregrinii ſententia, alligari nequit, neſcias prorſus ex eo Chronographo, cui anno tribuenda ſit.

Incertum quoque annum reliquit Romualdus Archiepiſcopus Salernitanus, anno 1181. defunctus, qui in ſuo Chronico (tom. VII. Script. Ital. pag. 163.) inter annum DCCCCLXVII., & annum DCCCCLXXVI. tum Imperatoris Ottonis, tum Pontificis Johannis res geſtas, nullo facto interjacentium annorum diſcrimine, ſimul complexus, hæc ab exilio quidem omninò ſejuncta ſubdit: *Hic etiam Papa Johannes nobilitavit Capuam Archiepiſcopatu, in qua Civitate tunc principabatur Pandulfus cognomento Capudferreus*.

Sequi-

jusque Beneventanis semper erit, ut Ecclesiam suam, quam anno *969.* Archiepiscopatu auctam, luculentissimè constat, primam omnium Regni Neapolitani, sive veriùs Italiæ Cistiberinæ Archiepiscopalem affirment.

Id verò legitimum, ac tutissimum Beneventanis semper fuerit; quorum possessionem Viri gravissimi, doctissimique, non solùm nullo partium studio detenti, sed Capuanæ Ecclesiæ addictissimi justissimam declararunt. Ludovicus Thomassinus *de erectione novarum Metropoleon* ex instituto agens, rem scilicet ipsam penitiùs, ac seriò perscrutatus, post perspectam, perpensamque utriusque Metropolis tum Beneventanæ, tum Capuanæ erectionem, alteram Synodi Romanæ decreto, ac Pontificis Johannis XIII. Diplomate, alteram Leonis Ostiensis testimonio memoratam, Capuanæ Beneventanam antetulit, primam omnium pronuncians Metropolim Beneventanam, quam & rei tum celebratæ solemnitas, & superstitis monumenti perspicuitas, satis insignem, ac testatam reddebant (1). Michael Monachus, domo Capuanus, Capuanæque Ecclesiæ eruditus illustrator, Capuanam Metropolim non ante annum 971. erectam, propportereaque Beneventanæ secundam statuit, quam ab anno *969.* ea prerogativa decoratam probè norat (2). Liceat nunc mihi (fas enim pro re præsenti erit) Baronio, qui, *quod invenerit*, affirmare se ait, quique Johannis Diploma nondum norat, Thomassinum opponere, qui novit, ponderavitque: liceat Peregrinio opponere Monachum: liceat demum Ostiensis mendosissimo loco Romanæ Synodi, ac Pontificis Johannis auctoritatem opponere: & nemo non licere Beneventanæ Ecclesiæ jam demum pronunciabit, ut eam dignitatis simul, ac temporis prærogativam jure sibi, meritoque tribuendam contendat.

Beneventanæ Ecclesiæ caussam, quam paucis hisce superiùs animadversis confectam dedimus, amplius peragere ipse idem videbitur Pontifex Johannes, si erectionis *modum*, quem servavit, *precatores*, quos admisit, *verba*, quæ effatus sit, *caussas* denique, quibus motus fuit, paullò diligentiùs observemus.

Primò igitur Pontificis Johannis XIII. ætate, nova Archiepiscopatus alicujus erectio, præsertim in Italia, novi, ut diximus, exempli, gravissimique momenti res erat, quam non

Sequitur *Atinensis* Ecclesiæ Chronicon ab Ughello primùm vulgatum ad calcem to.I., nunc tom.X., atque à Muratorio cum altero Chronico majori Monasterii *Fossænovæ* recusum inter Script. Ital. tom.VII. pag.912., de quo hæc idem Muratorius præfatur: *Chronico huic* (idest Fossænovæ) *adjeci alterum breve Chronicon Atinensis Ecclesiæ ab eodem Ughello evulgatum. Huic quoque sphalmata non pauca animadvertas, quorum partem adscribas Auctori, seù Auctoribus in vetustissima Historia non satis peritis, reliquam Ughello, atque amanuensibus ineptis utenti, aut non eam diligentiam adhibenti, quæ eruditum Virum decet, quùm aliena describit, ac edit.* Et sanè si rem præsentem spectemus, nihil mendosius, aut etiam mendacius scribi potuit: Audi Chronicon: *Tempore Aligerni Abbatis Casinensis decimooctavo anno, Johannes XVII. Papa de Roma profectus venit Capuam, & rogatus à Pandulfo Principe, tunc primum in eadem Civitate Archiepiscopum constituit, consecrato ibi Johanne Fratre ejusdem Principis Archiepiscopo. Cui etiam tradidit cum multis aliis Civitatibus Episcopum Atinensem, & ordinatus est in eodem Episcopatu ab Atenulfo Capuano Episcopo Leo Episcopus, qui vixit in Episcopatu annis viginti octo.* Audisti Chronographum Atinensem (quem Cœnobii forsan Fossænovæ Monachum circa annum MCC., vel paullò post floruisse putat Guil. Caveus Hist. Lit. pag.603. ad annum 1200.) Ostiensis verba mutuatum, sed in Aligerni annis ab Ostiensi aberrantem, Pontificem Johannem XVII., pro XIII. obtrudentem; eundem non *exiliatum*, sed *profectum* affirmantem; Atinensem Ecclesiam Capuanæ *traditam*; in qua tamen non *Johannes* primus Archiepiscopus, sed mox nullo intervallo *Atenulphus*, qui post Leonem, & Gerbertum Johanni successit, Leonem Episcopum ordinavit. Quis inter has tenebras institutæ Metropoleos Capuanæ annum divinabit?

Superest Chronicon *Cavense*, non illud quidem à Muratorio vulgatum inter Script. Ital. tom. VII., sed alterum nuper in lucem editum in nova editione Operum Peregrinii tom.IV. ubi ad annum 966. pag.415., sic legitur: *Papa Johannes per multos menses ægrotavit in Capua, & in solemnitate Deiparæ Virginis post Id. Aug. cum multis Episcopis, & Abbatibus Johannem germanum Pandulfi Principis fecit Capuæ Archiepiscopum, subjiciens illi decem Episcopos.* Habes ex hoc Chronico Pontificem non Capuæ *exulantem*, sed *ægrotantem*; habes diversum tempus, idest annum 966. erecti Capuani Archiepiscopatum: habes denique *decem* subjectos Episcopos, quos nemo unquam novit. Si ista ex ipsius Chronographi manu sint (quod suspicari licebit) non aliud efficient, nisi ut corruptum, vel certè falsum dicamus.

(1) De Ecclesiæ Disc. P.I. lib.I. cap. XLV. num. III. ubi hæc habet: *Joannes XIII. Beneventanæ Ecclesiæ Archiepiscopatus dignitatem contulit ad preces Imperatoris, Episcoporum, Cleri Romani, in Concilio Romano, sollicitante in primis Principe Capuæ, & Beneventi: Hortatu* (sunt verba Concilii, seù Diplomatis, quæ Thomassinus recitat, atque ad ejus loci marginem hæc notat: *Anno 969. Concil. tom. IX. pag. 1359.*) *Clementissimi Imperatoris, cum consensu Præsulum, omniumque Clericorum S. R. E. qui inferiùs subscripserunt, interveniente Pandulfo Beneventanæ, & Capuanæ Urbium Principe &c.* mox idem Thomassinus Beneventani Archiepiscopatus erectioni Capuanam adjecit: *Capuani Principis precibus donavit Johannes Papa Capuæ Urbis promotionem in Metropoliticum honorem*, atque Ostiensis testimonium in margine notat. Notandus tamen in eo videtur Thomassinus, quod qui in recitati Diplomatis textu legerat Pandulfum Beneventanæ, & Capuanæ Urbium Principem, *erroneè* is fecerit Principem Capuæ, & Beneventi, Benevento Capuam præponens, quæ vel subdita, vel secunda semper fuit.

(2) In Sanctuario Capuano P.III. pag.382.

non modò vetabat Romana Metropolis, ſed nec patiebatur aliarum Eccleſiarum prærogativa, quibus ſive detrimentum, ſive injuria parari videbatur. Hinc Pontifex Gregorius V. ſub ejuſdem Sæculi x. exitum, ac paucis poſt Beneventanæ Metropolis erectionem annis, Placentinam Eccleſiam à deceſſore Johanne XVI. Archiepiſcopalem erectam, propterea quod aliena jura, nulla ex juſta cauſſa, imminuta fuiſſent, Ravennatis Eccleſiæ ſuffraganeam rurſus declaravit, ità ad Ravennatem Præſulem ſcribens: *Placentinam Eccleſiam injuſtè tibi à meo Anteceſſore ablatam, & contra Canones ſub nomine Archiepiſcopatus locatam, tibi, tuiſque ſucceſſoribus refutamus in perpetuum* (1). Nec poſteriori ætate, quando jam novarum Metropoleon numerus excreverat, à veteri Canonum obſervantia remittendum re ipſa docuit Innocentius III., qui de Eccleſia Pragenſi in Metropolim erigenda exoratus, *oſtendenda* (inquit) *nobis eſt priùs, & urgens neceſſitas, & utilitas evidens, quæ fieri hæc expoſcat; facultas, & voluntas Eccleſiæ, in qua Sedes Metropolitana debet ſtabiliri, & utrum in Bohemia Dioeceſes poſſint ſtatui competenter, ſtatuendæ Metropoli ſupponendæ: præterea conveniendæ, & commonenda ſuper hoc eſt Eccleſia Moguntina* (2). At ſupervacuè aliundè ejuſmodi exempla quærimus, quæ ex eodem Pontifice Johanne XIII. præſtò nobis ſunt, ac ſatis profectò illuſtria, ac memoranda, tum ex Magdeburgenſis, tum ex Beneventani Archiepiſcopatus erectione, quorum alterum anno 967 in Synodo Ravennatenſi, alterum anno 969. in Synodo Romana conſtituit. Plurimas Sclavorum nationes ultra flumen Albiæ ſuo Imperio, ac Chriſtianæ Legi Imperator Otto ſubjecerat, quibus in ſuſcepta religione confirmandis, tum Epiſcopos, tum Archiepiſcopum dari poſtulavit. Imperatoris preces ad Ravennatenſem Synodum delatæ ſunt, quæ dicto anno 967. celebrabatur, *reſidentibus Domno Johanne Summo univerſali Pontifice, & pluribus Italiæ, Germaniæ, ac Galliæ Præſulibus, & de ſtatu Eccleſiæ tractantibus*: poſt maturam rei diſcuſſionem placuit omnibus, apud Civitatem Magdeburg Archiepiſcopalem ſtatui Cathedram; idque Imperator, qui etiam præſens aderat, *privilegio Apoſtolicæ Sedis corroborari, dignum duxit, quod & actum eſt, & à Summo Pontifice, omnibuſque Præſulibus Italiæ, Galliæ, & Germaniæ, qui aderant, propriis manibus corroboratum. Ceterum quia Præſul Halberſtadenſis Synodo huic non adfuit, cauſſæ clauſulam in ejus adventum differre placuit, ut Civitatem ipſe à debito ſubjectionis abſolveret, & tunc demum Privilegium, & ſubſcriptio illibata fieret* (3). Hanc rei perficiendæ ſolemnitatem adhibendam duxit Pont. Johannes; eandem biennio poſt ſervatam voluit, quum pari exemplo Beneventanum Archiepiſcopatum erexit, ut ſcilicet ejuſdem Auguſti Ottonis, Beneventanique Principis Pandulfi preces præmitterentur, reſque ipſa ad Synodi deliberationem, ac ſuffragium remitteretur, ac Privilegium exindè promulgandum omnium ſubſcriptionibus communiretur. Habet itaque Eccleſia Beneventana, quemadmodum Archiepiſcopalis facta ſit; ac Magdeburgenſi temporis prærogativam libenter concedit, quæ una eundem erectionis modum, quo Johannes XIII. uti ſoluit, ac debuit, oſtendere hodièque poteſt.

Ac *precatores* quidem ſi diligentiùs attendamus, præter Auguſtum Ottonem, Pandulfus ſe prodit *Beneventanæ, & Capuanæ Urbium Princeps*, in erectionis Diplomate appellatus. Ad Capuanæ Urbis Principatum quod attinet, quid de eo titulo ſentiendum ſit, Camillus Peregrinius, qui rem hanc ſatis curioſè inveſtigandam ſibi ſuſcepit, præclarè nos docet: *Res* (inquit) *eſt ſatis explorata, Campanum Comitem Atenulfum adripuiſſe Principatum Beneventanum, ex quo exortus eſt Campanus, anno nongenteſimo ..... at noviſſimi hujus Principatus Dynaſtiam tunc pariter à priori fuiſſe diſcretam, ſuumque habuiſſe exordium, peculiareſque Capuam habuiſſe Principes, haud facilè conſenſerim*. Manifeſtam rem Atenulfus ipſe, aliique ab eo progeniti Principes efficere videntur, qui ad Beneventani Principatus occaſum uſque permanſerunt, ac licet plures ſimul Principatum adminiſtrare conſueverint, nunquam tamen divi-

(1) Concil. tom. x. pag. 752.

(2) Rainal in Annal. ad annum 1204. num. 53.

(3) Apud Labbeum Concil. tom. xi. pag. 911. edit. Ven. Hoc monumentum erecti Magdeburgenſis Archiepiſcopatus ex MS. Chronico Anonymi Saxonis deſcriptum cum inſcriptione certi anni, in quo res geſta fuit, ſcilicet nongenteſimi ſexageſimi ſeptimi non viderat Baronius, qui eandem rem retulit ad annum 971. Adami tantum veteris Chronographi teſtimonium nactus, qui nullo certo indicato anno, *ipſo tempore*, ait, *magnus Otto, ſubjugatis, Chriſtianæque Fidei copulatis Sclavorum gentibus, inclytam Urbem Magdeburg: ſuper ripam Albiæ fluminis condidit, quam Sclavis Metropolim ſtatuens Adelbertum ſummæ Sanctitatis Virum ibidem conſecrari fecit Archiepiſcopum &c.* Hæc apud Baronium d. ann. 971. num. xi. ubi nihil Pagius, qui jam ad d. annum 967. plura de Concilio Ravennatenſi obſervat, num. ii. & iv., duo Ravennatenſia diſtinguens Concilia, alterum d. anno 967., alterum ſequenti anno 968. poſt Septembrem menſem celebratum, in quo, adventu, ac conſenſu Præſulis Halberſtadenſis Magdeburgenſis Archiepiſcopatus erectio conſtabilita fuit.

divisisse leguntur; quin & eundem, quo olim superiores Beneventani Principes utebantur, titulum retinuere, ut scilicet non Beneventanorum, neque Capuanorum, sed *Gentis Longobardorum* Principes nuncupari, atque inscribi gauderent: atque ex his uberiùs observatis, comprobatisque, illud Peregrinius statuere *non abnuit, nomen Campanorum Principum sensim coepisse audiri ex vulgi usu, etsi non dum Campanus Principatus seorsim institutus fuisset; siquidem Capuæ commorantes Principes novo nomini ansam dedere* (1). Ex vulgi itaque usu factum est, ut (quod à re ipsa alienum erat) novæ nuncupationis mos, à plerisque dein Scriptoribus receptus facilè fuerit, quo se vulgari appellationi accommodantes, res quasque lucidiùs enarrandas susciperent: Sic apud Ostiensem, Liutprandum, aliosque, Beneventanos simul, Capuanosque Principes memoratos invenies: à quo tamen vulgari usu abstinere voluit Anonymus Salernitanus, qui rei fidem, veritatemque sectari malens, nunquam Capuæ, Capuanique Principatus mentionem Beneventano adjecit. Sic Cap. CLX. *Dum ipse Landulfus præfuisset Samnitibus annos .... ab hac luce subtractus est. Beneventanorum Principatum ejus filii Pandulfus* (de quo nobis sermo est), *& Landulfus bifariè* (idest consortes simul) *regebant*: de quo Pandulfo mox cap. CLXIII. idem habet his verbis: *statimque & Princeps Beneventanus Pandulfus in ejus* (Imperat. Ottonis) *venit occursum &c.* Libuit verò Pontifici Johanni in suo Diplomate vulgarem retinere nuncupationem, eundemque in Diplomate Pandulfum *Beneventanæ, & Capuanæ Urbium Principem* appellare; in qua tamen nuncupatione ità vulgi usus, sive Scriptorum mos servatus videtur, ut Beneventanorum priùs, (uti revera, atque unicè erat) quàm Capuanorum Princeps Pandulfus appellatus legatur. Hæc quum ita sint, nulla erat caussa, cur Pandulfus (qui de Pontifice optimè promeritus jam fuerat) Beneventani Principatus Dominus, vel, si mavis, *Beneventanæ, & Capuanæ Urbium Princeps*, Capuanam Urbem potiùs, quàm Beneventanam, antiquissimam scilicet, atque splendidissimam Principatus sui Sedem, Archiepiscopatus honore præcellentem voluerit. Fuit hæc olim, Sæculo antecedenti, Landulfi Episcopi Capuani ambitio, qui Imperat. Ludovici II. gratia, auctoritateque fretus, *Archiepiscopatum totius Beneventi* (ut ait Erchempertus) *omni aviditate, & ut Capua Metropolis fieret, quæsivit*. At Capua tunc à Beneventanis Principibus jam desciverat, suorumque *Comitum* tyrannide magis, quàm justo Imperio parebat; quamobrem Landulfus, qui ex eorundem Comitum familia erat, eam prærogativam in proprio Territorio sibi, suisque affectabat: *sed* (ut pergit Erchempertus) *non Domino sinente ad perfectum minime pervenit* (2). Quod igitur tunc effectu caruit, quia Benevento injuriosum, quam Urbem Capua, suis licet Comitibus subdita, adhuc suam Metropolim agnoscere censebatur; admisissetne, sequuto Sæculo, Princeps Pandulfus? Is, inquam, Pandulfus, qui non Capuæ Comes (quamquam Capuam ipsam adhuc tunc Comitatus titulo tantummodo distinguendam, nuncupandamque affirmare licet), sed *Beneventanorum*, sive *Gentis Longobardorum* Princeps amplissimo universi Principatus, in quo Comitatus ille continebatur, imperio patiebatur: qui propterea præclarissimæ Principatus sui Metropoli Benevento eam prærogativam, non modò invidere, sed jamdiù ex primævis juribus, superiori Capite demonstratis, comparatam, impetrare debuit: Quod si secùs Pandulfus cogitasset, Pandulfi consilium non admisisset certè Pontifex Johannes, qui Pandulfum priùs Beneventanæ, dein Capuanæ Urbis Principem agnovit; agnovit scilicet Beneventanam Urbem Principatus Caput, atque Sedem, ejusque Ecclesiam non solùm in Civili Metropoli constitutam, sed pluribus ad id tempus Ecclesiasticæ Metropoleos juribus præditam: agnovit denique Beneventanam Ecclesiam Capuanâ majorem, cui (dum utriusque Urbis Principi annuendum esset) Archiepiscopalis dignitas præcipuè debebatur.

Quod autem faciendum satis noverat, factum à Pontifice Pontifex ipse præclarè testatur. Post memorata in suo Diplomate amplissima Ecclesiæ Beneventanæ promerita, præstantiam, prærogativas, *debemus itaque* (inquit) *ex ardore charitatis, ac studio Divini cultus eam, causa honoris, ac reverentiæ, sublimiorem inter cæteras ordinare*. Quibus sanè verbis Beneventanæ Ecclesiæ caussam, quam plerique dubiam facere hactenus ausi sunt, confecisse Pontifex, atque ab ipso rei exordio peregisse videtur. Etenim Pontifex præclarissimis declarat verbis, se Beneventanam Ecclesiam *sublimiorem inter cæteras ordinandam statuis-*

(1) In notis ad Anonymi Salernitani Chronicon cap. 158. pag. 273., & seqq. tom. II. Opp. edit. Neapol. anni 1750.

(2) Hist. cap. XXXV. Vide, quæ ad hunc Erchemperti locum superiori Capite uberiùs observavi.

*statuisse*. Quæ autem cæteræ illæ fuerint Ecclesiæ, si paullùm rem omnem attendamus, facili negotio intelligemus. Non ad cæteras, quæ in Orbe Christiano universo essent, neque etiam ad illas omnes Ecclesias, quæ amplissimis Suburbicariarum Provinciarum finibus, Romanæ Metropoli subjectæ, continebantur, (quamquam & hoc posterius dicere non omnino absurdum esset) sed ad eas omninò Ecclesias, quæ intra Beneventani Principatus terminos consistebant, respexisse Pontifex debuit. Falsus alioqui convinceretur, si, quum Capuam Beneventani Principatus Urbem, ac Benevento loci propinquitate satis proximam anno antecedenti Archiepiscopatus dignitate exornasset, mox sequenti anno ipsam postmodum Beneventanam Ecclesiam consimili honore, vel (ut ipse loquitur) *causa honoris, & reverentiæ sublimiorem inter cæteras ordinare velle*, dixisset. At nefas, mendacem opinari Pontificem, qui nec recentissimæ rei, si gessisset, immemor esse poterat. Verum itaque, certissimumque illud perpetuò manere debet, quod ipsius Pontificis ore perspicuè testatum audivimus, Beneventanam Ecclesiam *sublimiorem inter* Beneventani Principatus Ecclesias, quibus Capuana accensebatur, *ordinatam* fuisse; ita ut prima omnium in Regno Neapolitano, sive Principatu Beneventano, aut in Italia Cistiberina, ipsa fuerit Beneventana Ecclesia, quæ Archiepiscopatus dignitate præfulserit.

Demonstratam rei veritatem, manifestiorem adhuc efficeret, si non periisset, subsequuti Capuani Archiepiscopatus Diploma: in eo certè Diplomate idem Pontifex Johannes, qui in Beneventani Archiepiscopatus erectione Beneventanam Ecclesiam *sublimiorem inter cæteras ordinasse* declaraverat, rei ab se gestæ meminisse debuit, audiremusque hodieque Pontificem eo exemplo usum, ut Capuanam Ecclesiam, adhuc ipso *Beneventanæ, & Capuanæ Urbium Principe* Pandulfo rogante, eodem honore condecoraret. Sed satis jam erit Beneventanæ Ecclesiæ Diplomate suo, Capuanâ, ceterisque *sublimiorem* sese ab anno 969. constitutam probasse; satius etiam Capuanæ fuerit, si ab anno 971. erectionis suæ Epocham repetat, quam sincerior rerum gestarum series, atque fides ei tribuit, adjudicatque doctissimorum, ac gravissimorum Virorum auctoritas, qui rem ipsam diligentiùs fuere perscrutati.

Insignis fuit is annus sæpiùs comemmorati Pandulfi Principis Beneventani liberatione, & reditu. Receperat Pandulfus ab Imperatore Ottone anno 969. (dum Romæ simul morarentur Synodo præsentes, uti ex Archiepiscopatus Beneventani Diplomate satis compertum habuimus) Imperialis Exercitus partem, suis sub auspiciis in Græcos ducendum, qui nonnulla Beneventani Principatus loca occupaverant: infelix admodum illius expeditionis exitus fuit, Pandulfi captivitate, qui à Græcis victoribus Constantinopolim missus ab Augusto Nicephoro primùm iniquè, acerbèque habitus, à successore demum Johanne Tzimisce gratia, & libertate donatus ad suos rediit. Pandulfi reditum lætiorem effecit Foedus, tunc pariter inter eundem Johannem, & Imperatorem Ottonem firmatum, quo Theophania, Romani II. Græci Imperatoris filia, Ottoni II. præfati Ottonis magni filio conjux tradita est, ac Romæ à Pontifice Johanne coronata (1). Tunc igitur factum videtur, ut Pandulfus, qui triennio ante Principatus sui Metropolim Beneventum in Archiepiscopalem Cathedram erigendam curaverat, adhuc Capuam, olim Majorum suorum Comitatus Sedem, eâdem prærogativâ, eodemque Ottone adprecante, ornandam à Pontifice impetrarit: ac tunc quidem res gesta statuenda est Blondi Flavii testimonio, qui licet universam rei seriem non satis diligenter tradat, postremum tamen omnium Capuani Archiepiscopatus erectioni locum assignat. *Constat nobis* (Blondus inquit) *Ottonem II. Theophaniam Johannis CPolitani Imperatoris sororem* (neptem) *in matrimonium accepisse; quam Johannes XIII. Pontifex simul cum ipso in Patriarchio Lateranensi coronavit: Nam Otto Pater Filium Ottonem, re in Saracenos, Græcosque benè gesta, reversum, consortem Imperii ascivit, voluitque in Imperatorem à Rom. Populo ex prisca consuetudine acclamari; quem Pontifex inunctum imperiali Diademate insignivit: eaque in Ottonis II. Coronationis celebritate Johannes* Pon-

(1) Fusè, ac distinctè hæc narrantur ab Anonymo Salernitano cap. CLXIV. CLXV., & seq., quem Baronius ad annum DCCCCLXXI. num. IV. laudat nomine *Chronici Benevent. Longob.*, atque hæc ex eo habet: *Eodem anno Imperator Otto firmato foedere cum Johanne Græcorum Imperatore, & Pandulfo Beneventano Principe restituto, qui captivus à Nicephoro detinebatur, recessurus ab Italia Ravennam venit: celebratis priùs Romæ eodem anno Ottonis filii cum Theophania nuptiis*: uti ad Baronii locum rectè animadvertit Pagius num. V., qui hæc scribit: *Cùm foedus inter Ottonem M., & Johannem Tzimiscem hoc anno firmatum sit, ut ostendit Baronius num. IV. apparet Theophaniam hoc tantum anno ab eodem Tzimisce uxorem datam esse Ottoni II. Ottonis Magni filio, & rectè scripsisse Chronographum Hildesheimensem, cujus verba anno superiore retulimus, eam sequenti tantùm anno Romæ receptam esse &c.*

*Pontifex Capuanam Ecclesiam ob Pandulfi Principis merita Metropolitanam fore constituit*. (1) Secundi Ottonis coronationem, quam anno 967. celebratam satis constat, cum Theophaniæ nuptiis, proindeque anno 971. Blondus conjungens, aut is priorem coronationem ignorasse, aut cum ipsa Conjuge tunc primùm coronata, coronatum denuò Ottonem existimasse videtur; illud tamen certò affirmat, non ante Theophaniæ nuptias, sed in eadem nuptiarum, coronationisque celebritate Capuam à Johanne Pontifice Metropolim constitutam, ac mox subjicit: *Paullò post eodem tempore Johannes tertius decimus Pontifex Romæ, Otto primus in Vienna Austrasiorum, obierunt*: qua demum re illud luculentiùs nobis comprobat, postremam rerum tum Johannis Pontificis, tum Ottonis Imperatoris, Capuanam erectionem fuisse; quorum alterum octavo Idus Septembris anni 972., alterum nonis Maji anni 973. obiisse scimus; itaut tum ex paullò post sequuta utriusque morte, tum ex Theophaniæ nuptiis annus 971. Capuanæ erectioni ex Blondi sententia assignari debeat: Quem quidem annum, & Michael Monachus (2), & Matthæus Lauretus (3), & Abbas Fuliensis (4), & Ludovicus Thomassinus (5), ac ipse demum Petrus de Marca (6) Capuano Archiepiscopatui assignarunt: Nec Capuana Ecclesia (cui prærogativæ suæ originem, mendoso, fallacique Ostiensis testimonio obtenebratam, illustriorem præstitimus) eum annum, seque ipsam Beneventanæ Ecclesiæ secundam diffiteri amplius debet: quandoquidem Beneventana Ecclesia haud certè imprimis hanc temporis prærogativam ostentare opus habet, illustrior certè, ac præstantior ex iis *Caussis*, quibus illam promeruisse visa est.

Ad caussas itaque (missa jam Capuana Ecclesia) observandas gradus nobis modò sit, quas Pontifex Johannes Beneventanæ Ecclesiæ peculiares, seù præcipuas agnovit, suoque in Diplomate explicavit, quare ipsam Archiepiscopatus collata dignitate *sublimiorem inter ceteras* constituerit. Prima illa est, quòd Beneventana Ecclesia divini cultus studiosissima erat, eximiamque in divinis laudibus persolvendis religionem servare eniteretur. Adjecta simul altera caussa est obsequii, reverentiæque, quibus Romanam Ecclesiam ad exuberantiam usque prosequi consueverat. Utramque rem sibi præsenti probatam, ac coram perspectam Pontifex testatur: *& quia*, (inquit) *Beneventanensis Ecclesia in exercendis Dei laudibus magno conatu, pia religione insistit: atque erga reverentiam Sanctæ, & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ præcipuè exuberasse cognovimus; quod nobis olim apud eam manentibus omnino constat inventum*. Quando Johannes XIII. Beneventi manserit, facilè assequemur, si ejus exilium, initio Pontificatus toleratum, animadvertamus, quo decem mensium circiter spatio in Campania versatus non semper Capuæ constitisse, sed aliquando Beneventum Principatus Metropolim satis brevi itinere advenisse, ibique aliquandiù mansisse potuit: Sed & iterum Johannem anno 967. Beneventum contendisse, testis est locupletissimus Chronographus S. Sophiæ, qui etiam adventus mensem, ac diem nobis compertum reliquit, sic ajens: DCCCCLXVII. (idest anno) X. (idest Indictione, quæ præsignato *anno* currebat) *Septima die intrantis Mensis Septembris venit Papa Johannes in Beneventum* (7): Ex frequenti igitur ejus Pontificis, vel certè iterato in Beneventanam Urbem accessu, morâque ibi factâ, perspecta ei certè fuerunt, quæ in suo Diplomate commemorat, Beneventanæ Ecclesiæ promerita: ac singulare quidem

ALTER Y y Bene-

(1) Blondus Flavius Hist. Declinat. Imper. Decad.II. lib.III. edit. Venet. an. 1484.

(2) L. l. ubi ait: *Juxta recentiorem Chronici Casinensis editionem anno nongentesimo septuagesimo primo Johannem cum Ottone iterum Capuæ manentem, ut gratiam Principi Capuano referret, Archiepiscopatum Capuanum instituisse*: Atque in anno quidem statuendo rectè se habet Monachus, in reliquo falsus, ut ex superiùs observatis palam est.

(3) Leonis Ostiensis Chronicon Abbas Matthæus Lauretus edidit Neapoli an. 1616. ex Archetypo Casinense fidelissimè expressum, quò veterem editionem Venetam a mendis repurgaret, cui & notas aliquas adjecit. Laureti editionem Angelus de Nuce Ostiensem iterum editurus (uti fit) cruento stilo insectatus est, ut suam probaret; cui Muratorii judicio, immo Lectorum sententia, *complura utilia adnotavit, verum inutilia etiam multa commentatus est, ut qui intemperanti prurigine scribendi premeretur, & Librum vellet nobis opportunè, ac importunè prægrandem, suoque ex penu auctum dare*. Quod nunc attinet, concedat is, oportet, Laureto, qui ad Ostiensis lib. II. cap. IX. pag. 194. ubi Archiepiscopatus tunc primùm Capuæ instituti mentio est, eadem quæ Nucei editio, verba profert, sed Nuceo diligentior depravato Ostiensis loco opportunam, optimamque medelam afferens annum 971. adnotavit.

(4) Carolus à S. Paulo Abbas Fuliensis in Geographia Sacra edita Paris. 1641., quam Sarnellus laudat.

(5) Nihil de anno apud Thomassinum, qui tamen (uti superiùs observavimus) Capuanam Metropolim secundo loco post Beneventanam, erectam statuit.

(6) In Concord. Sacer., & Imp. lib.I. cap.VII. num.IV. ubi ait, Capuam *pristinam Metropolis dignitatem circa annum* DCCCCLXX. *recuperasse beneficio Johannis Papæ*: adeòque post Beneventanæ Metropolis erectionem: Falsum autem *Marcam* superiori Capite demonstravi, qui antiquam *Civilis* Metropolis prærogativam pro *Ecclesiastica* accepit.

(7) Chronicon Monasterii Beneventani à Cl. Muratorio vulgatum in Antiq. Med. Ævi tom. I. pag. 255.

Beneventanæ Ecclesiæ decus est, in maximi momenti re testem, laudatorem, remuneratorem habuisse Romanum Pontificem: *Digna siquidem notatu* (inquit Ughellus) *sunt verba illa Pontificis*: ET QUIA BENEVENTANENSIS ECCLESIA IN EXERCENDIS DEI LAUDIBUS MAGNO CONATU, PIAQUE RELIGIONE INSISTIT &c. *Ex quibus præclarum deducitur testimonium, etiam antiquitus in psallendis, concinendisque Divinis laudibus semper, & tunc præcelluisse Clerum Beneventanum, quod inde evenisse puto ex numero nedum Canonicorum, ceterorumque servitio Chori mancipatorum, sed quia cùm retroactis temporibus Ecclesia Beneventana sæpè fuerit domicilium, asylusque Romanorum Pontificum, ex eorum assidua præsentia mirifica in persolvendis Dei laudibus inoleverit modulatio, qua delectatum esse hunc Pontificem Johannem clarè demonstrant illa verba: Quod nobis apud eandem manentibus omnino constat inventum*. Hactenus Ughellus: cui, quæ in Pontificio testimonio notatu digna erant, dicendi partes libenter reliqui; ut quæ alieno ore profecta haberetur, sincerior Beneventanæ Ecclesiæ laus splendesceret. Ac splendidissimum profectò non tam Ughello notante, quàm Pontifice præclarissimè testante, id decus olim, id studium fuit, à quo non modò nunquam Beneventana Ecclesia defecit, sed etiam novis incrementis maximam sibi celebritatem comparavit. Hinc recenti Patrum nostrorum memoriâ, (quæ non tam honoris, quàm disciplinæ gratia heic mihi adnotanda Lector indulgebit) ex extremis Lusitaniæ oris ab eo inclyto, religiosissimoque Rege IIII. Viri ablegati Beneventum advenerunt, ut exactissimam Sacrorum Rituum, Cæremoniarumque Ecclesiasticarum quàm maximè florentem praxim coram inspicerent, in suasque Ecclesias derivandam uberiùs imbiberent (1). Debuit id Ecclesia Beneventana Majorum suorum exemplis, Pontificis Johannis XIII. præconio ad sempiternam posterorum tum memoriam, tum imitationem commendatis: debuit tum maximè alterius æquè immortalis memoriæ Pontificis Benedicti XIII. singulari curæ, qui post triginta, & octo annos Præsulatus Beneventani ad sollicitudinem omnium Ecclesiarum meritò evocatus, Ecclesiam Beneventanam, adhuc sibi sponsam pretiosis hisce monilibus ornatam retinuit, atque mox ex supremo Petri Solio transmissis amoris, honorificentiæque refertissimis Apostolicis Literis, tum ex aliis, tum ex hoc capite præclarè collaudavit: quas *in forma Brevis*, ut vocant, Benedicti PP. XIII. Literas in Appendice dabimus, dignas quidem, ut cum illustrioribus Antiquitatis monumentis, quibus Ecclesia Beneventana exornatur, conferantur; immo quæ ornatissimam faciant; erit id certè non modò Ecclesiæ Beneventanæ luculentissimum omnium decus, sed ejus quoque erga optimum Pontificem, Archiepiscopumque suum grati animi evulgatum monumentum; erit denique, quod assiduè ob oculos haberi mereatur, ad eandem laudem promerendam vehemens incitamentum, ac perpetua cohortatio. Hæc igitur viderint, hæc animadvertant præsentes, posterique, quos meritorum suffragiis Ecclesia Beneventana in suum Senatum adlectos habet, habebitque in ævum. Videant, animadvertant, ne Majorum suorum degeneres sint, quorum, *in exercendis Dei laudibus magno conatu, piaque religione* factum fuit, ut Ecclesia Beneventana Archiepiscopatus honore augeretur, factum etiam, ut sacrorum Rituum, Cæremoniarumque præstantiâ aliarum Ecclesiarum Magistra efficeretur: Animadvertant, inquam, in exercendis Dei laudibus, *magnum* sibi ostendendum *conatum*, quo (quod sui muneris est) Dei cultus alacri animo, indefessâ operâ impleatur; adhibendam etiam *piam religionem*, eximiam scilicet (quod rei caput est) *Canonicæ* vitæ sanctitatem; quâ forma universi Cleri facti ex animo, qui *tanta auctoritate pollent* (uti de Canonicis statuit Synodus Aquisgranensis) *& aliis se imitabiles præbeant* (2): id magis postulat propriæ Ecclesiæ dignitas, cui satis nunquam erunt facturi, nisi peculiari, ac perpetua illa laude insignes præfulgeant, *magno* scilicet *conatu, pia* quoque *religione Dei laudes in Beneventana Ecclesia exerceri*.

Alteram caussam erigendi Archiepiscopatus ex Corpore S. Bartholomæi Apostoli, quod in Ecclesia Beneventana servabatur, subjecit Pontifex: *& quoniam* (inquit) *Sancta Sedes est, ubi Beati Bartholomæi Apostoli Corpus requiescit, meritò decet augmento cultus amplioris decorare*. De Translatione ejus Corporis è Lipera Insula Beneventum sub Sicardo Principe, egimus in Differt. II. Cap. VI. Illud ipsum esse Sanctissimi Apostoli Corpus, quod tunc translatum fuit, quodque nunc Beneventi servatur, peculiari demonstravimus Dissertatione, Venetiis edita in Tomo IX. Collectionis Calogerianæ anni 1762.

Post

(1) Ejus rei præcipuè meminit idem Cardinalis Ursinus Beneventanus Archiepiscopus, dein Benedictus XIII. Pont. Max. in Epistola ad Johannem V. Regem Lusitaniæ, qua illi Synodicon Beneventanum editum Beneventi anno 1723. nuncupavit.

(2) Anni 716. can. 115.

Post Romam, singulare tunc temporis inter cæteras Italicas Ecclesiæ Beneventanæ decus erat, Apostoli Corpus servare. Longè post S. Bartholomæi Corporis translationem Beneventum factam, S. Matthæi Apostoli Corpus Salernum translatum fuit, cujus sive translatio, sive inventio sequuto Sæculo sub S. Gregorio PP. VII. celebrior esse cœpit (1). De translatione S. Andreæ Apostoli facta Amalphim, extare in illius Ecclesiæ Archivis rei gestæ monumenta, tradit Baronius, nullo tamen tradito anno, quem nonnisi post millesimum reperire erit (2). Seriùs multò, nempe anno 1258. Orthonenses S. Thomæ Apostoli Corpus in suam Ecclesiam translatum fatentur (3). Romæ igitur tantummodò secunda, cæteras tunc temporis Italicas Ecclesias ejus Sacri Corporis possessione Beneventana Ecclesia præcellebat, cui condignos honores, præcipuo sibi patrono adscito Bartholomæo, exhibere satagebat: quid ni igitur, quam sibi sedem, ubi Corpus suum perpetuò requiesceret, Apostolus delegerat, eandem Pontifex dignam existimarit, *augmento cultus amplioris præ aliis Ecclesiis decorare*, idest Archiepiscopalem constituere? Atque amplificatâ Beneventanæ Ecclesiæ dignitate, augendo pariter ejus Apostoli honori prospexit Pontifex: quandoquidem in universam Beneventanam Provinciam propagatus Bartholomæi Patronatus fuit; cujus rei præclarum illud argumentum esse cœpit, quod Beneventani Antistites Suffraganeos Episcopos ea lege devinctos habuerunt, ut singuli ad Sacra ejus Limina accedere, præsentesque adorationem suam exhibere quotannis tenerentur: Sed de hac re paullò inferiùs agemus.

Fuit denique erigendi Beneventani Archiepiscopatus causa, vetusta ipsius Beneventanæ Ecclesiæ prærogativa, qua cæteris Principatus Ecclesiis non solùm dignitate præstabat, sed Metropolitica quadam auctoritate jamdiù præesse videbatur: Nihil hac re certius affirmari potest, quam superiori Capite uberrimè comprobavimus: nihil etiam eadem re exploratius Pontifici Johanni esse debuit; cui proindè nihil facilius, atque æquius visum fuit, quàm ut Ecclesia Beneventana eandem prærogativam, qua veteri jure potiebatur, collatâ tandem, novo Apostolicæ Sedis benificio, Archiepiscopali dignitate, cumulatiùs explicaret. Perspicuum id fit ex illarum Episcopalium Ecclesiarum recensione, quas Pontifex Landulfo instituto tunc primùm Archiepiscopo, ejusque Successoribus subjectos declaravit: *Tribuentes* (inquit) *potestatem, & honorem Archiepiscopatus, ità ut Fraternitas tua, & Successores tui infra suam Dioecesim in locis, quibus olim fuerant, semper, & in perpetuum Episcopos consecret, qui vestræ subjaceant ditioni: scilicet Sanctæ Agathæ, Abellini, Quintodecimi, Ariani, Asculi, Bibini, Vulturariæ, Larini, Thelesiæ, Aliphæ ..... Confirmamusque Tibi, Successoribusque tuis similiter Sipontum, & Ecclesiam B. Michaelis Archangeli in Monte Gargano &c.* Habes itaque in descriptarum Ecclesiarum numerum relatas Ecclesias Sipontinam, Asculanam, Bibinensem, Larinatem, quas (uti suo loco demonstravimus) ab anno 668. Pontifex Vitalianus S. Barbato Episcopo Beneventano subdiderat. Prætereà ante Archiepiscopatus institutionem, *Thermulanam*, ac *Triventinam* Ecclesias Beneventano Antistiti subditas novimus ex Literis Pontificis Agapiti II. anni 946., quibus, qui tunc iisdem Ecclesiis ordinati fuerant Episcopi, depositione damnantur, propterea quod eorum electioni, ordinationique Beneventani Episcopi auctoritas defuisset; cui Beneventano Episcopo dictas Ecclesias, *pariterque omnes alias Ecclesias, quæ constructæ, vel construendæ sunt infra terminos istarum, & aliarum per Civitates, & Castra, cunctaque loca, Beneventani Principatus ditioni subjecta*, adhuc subditas, Agapitus declaravit.

Scio, Ughellum nostri Viperæ sententiæ, quam priùs probaverat, moderationem quandam adhibendam duxisse: statuerat ille (quod ipsius Ughelli verbis proferam) usque ad primum Archiepiscopum Landulfum *Beneventanos Antistites nomine Episcopali notatos (ut benè* (inquit) *notat Marius Vipera) licet revera potestate veluti Metropolitana functos fuisse in Ecclesiis eorum jurisdictioni subjectis ab anno 668., ut videre est ex Privilegiis datis à Vitaliano primùm, deinde à Marino, & tandem à Johanne XII. suo loco relatis.* At post recitatum Johannis tertiidecimi Diploma, quo Archiepiscopatus Beneventani institutio promulgatur, hæc post alia adnotat Ughellus: *Ex hoc itidem Privilegio apparet, loca jampridem Beneventano Episcopo subjecta, ut Abellinum, Asculum &c. per longa temporis intervalla Episcopali*



(1) Vid. Baronium in notis ad Martyrolog. ad diem 6. Maji.
(2) In d. notis ad diem 9. Maji.
(3) De Translatione S. Thomæ reliquiarum Orthonam facta, *nondum aliquid ad me perlatum est*, inquit Baronius *l. l.* ad diem 3. Julii. De *illa* agit Ughellus in Episcopis *Orthonensibus*. Tom. VI. *Ital. Sacr.* pag. 774. edit. secundæ.

*pali caruisse regimine*, hoc namque indicant verba illa: *Itaut Fraternitas tua, Successoresque tui infra suam Dioecesim in locis, quibus olim fuerant, semper in perpetuum Episcopos consecret: Ex quibus verbis videtur etiam, illarum Civitatum Sedes potiùs unitas, quàm subjectas fuisse suffraganeo* (fort. suffraganeè) *Beneventano Episcopo: unde non omninò est admittendum, quod ait Vipera in Appendice ad suam Chronologiam, cui ex parte assentio, si non in nomine, in re solùm Beneventanos Episcopos per longa temporis intervalla Archiepiscopali functos esse officio in Beneventana, & Sipontina Dioecesi* (1). In Ughelli opinionem Archiepiscopus Tria descendere nuper visus est, qui tamen nullum nobis negotium facessit (2). At de Ughello nefas mihi duxerim illud cogitare, quod ex *Dioecesis* vocabulo, quod à Johanne in suo Diplomate usurpatum legerit, occasionem sibi fecerit opinandi eas Ecclesias Episcopales Antistiti Beneventano, non uti Archiepiscopo, sed tanquam Episcopo traditas, quasi Diœcesis eam tunc, quam dein sequior ætas invexit, significationem haberet, ut proprium Episcopi Territorium demonstraret: immo potiùs ex primæva, nativaque Diœcesis appellatione, manifestum Ughello esse debuit, non quidem *unitas potiùs* (ut ait), *quàm subjectas*, sed contrà *subjectas potiùs, quàm unitas* Beneventanæ Ecclesiæ illas Sedes fuisse: id profectò monente, ac suadente memorato à Pontifice *Dioecesis* vocabulo, quo potissimum appellabatur Provincia, cui Metropolitanus, vel Archiepiscopus præerat (3).

Illud verò ab Ughelli calamo excidisse magis displicet, ex potestate à Pontifice facta Beneventanis Archiepiscopis, Episcopos *in iis locis, quibus olim fuerant*, consecrandi, eadem loca *per longa temporum intervalla Episcopali caruisse regimine*. Falsum enim id demonstrant tum ipsa Pontificis verba, tum indubia rerum gestarum monumenta. Ac primùm ex quo Pontifex Episcopos in locis, quibus olim fuerant, consecrandos concedit, non illud sequitur, & omnes enumeratas Ecclesias, & diutissimè sive per longa temporum intervalla suis Episcopis destitutas mansisse, in eoque diuturnæ viduitatis statu Beneventano Archiepiscopo traditas, ut futuros sibi Suffraganeos Episcopos in illis iterum inducendos, consecrandosque curaret. Inepta siquidem hæc Ughelli argumentatio est, cui etiam satis inverisimile, difficillimumque videri debuit, ut decem Sedes Episcopales in Diplomate enumeratæ, omnes tunc & antiquo tempore vacantes reperirentur. Poterat certè aliqua ex iis Ecclesiis suo orbata Episcopo tunc reperiri, sive id populi negligentia, sive loci calamitate, sive temporum injuria factum contigerit, uti de Episcopali Ecclesia Sanctæ Agathæ ab eodem primo Archiepiscopo Landulfo mox instaurata indicare videtur ejusdem Landulfi Diploma, de quo plura inferiùs observanda erunt: At simul omnes eodem fato intermortuas cogitare, atque affirmare absurdum erit. Illud itaque ex Pontificis verbis veriùs consequitur, non aliter Beneventanis Archiepiscopis Episcoporum consecrationem tributam, nisi ut in iis Ecclesiis, quæ Episcopales essent, idest legitima auctoritate in Episcopatum antiquitus erectæ, consuetos Episcopos constituere pergerent; ità ut, quæ antiquæ Sedes Episcopales essent, ab Archiepiscopis Beneventanis Episcopos accipere deinceps deberent; nefas verò iisdem Archiepiscopis esset novos Episcopatus creare. Falsi præterea Ughellum vetera monumenta convincunt, ex quibus liquet, tempore erecti Beneventani Archiepiscopatus plerasque ex iis Ecclesiis, quæ in Diplomate recensentur, à viventibus tunc Episcopis

(1) Tom. VIII. col. 91., & 95. edit. Rom.

(2) Cl. Tria Episcopus Larinensis, dein Archiepiscopus Tyri *in Hist. Ecclesiast. Larinen.* lib. III. cap. II. pag. 174. Viperæ, ac Sarnellii sententiam de Vitaliani Literis respuens, *Piu'tosto* (inquit) *che il Papa unisse tutte le suddette Chiese di Bovino, Ascoli, Larino, e Siponto a quella di Benevento ugualmente, e principalmente*, o sia *all' usato motto de' Giuristi*, æquè principaliter; *poichè dopo qualche matura considerazione non sappiamo figurarci, come vogliono dire questi due, per altro eruditi Cronisti, che il Papa soggettasse le dette Chiese a quella di Benevento*, quoad effectum, & jurisdictionem *di Metropolita, quandochè i Vescovi di Benevento* pleno jure *hanno esercitato la loro autorità in esse fino al tempo della di loro dismembrazione; lo che non può controvertersi da veruno Scrittore, e si osserva da' medesimi Registri Beneventani*. At contrarium (uti superiùs ostendimus) ex Regestis, seù monumentis Beneventanæ Ecclesiæ observare licet: Qui verò ante nos controverterit, Scriptor inventus est doctus, & gravis, scilicet Cl. Angelus Andreas Tortora Præpositus Canusinus, qui *in Hist. Ecclesiast. Canusinæ cap.* VII. §. I. *pag.* 116. sic Triæ occurrit: *Optima hæc animadversio nunc benè procedit juxta stylum hodiernum Romanæ Curiæ, quæ Cathedralium uniones adhibet, sed in illis temporibus, cùm variæ destitutarum Civitatum Ecclesiæ visitationi alicujus proximi Episcopi subdebantur, potiùs dici debet, quod Episc. Beneventanus præfatarum fuerit visitator Ecclesiarum, non autem quod Beneventanæ ipsius Ecclesiæ quocunque modo illæ unitæ fuerint vigore prædictæ Bullæ PP. Vitaliani*: Sed nec Præpositus Tortora rem ipsam confecit. Vide nostra superiùs.

(3) Vide Cangium in Glossar. v. Diœcesis, ubi plurima habentur antiquitatis exempla, quibus is mox subjicit: *Abusivè postmodum Dioeceses appellari Episcoporum districtus, qui proprio vocabulo Parochiæ passim nuncupantur*.

pis suis rectas fuisse. Nam Azzonem Episcopum Larinensem, & Adelchisum Episcopum Lucerinum (quæ duæ Ecclesiæ inter alias à Pontifice Archiepiscopo Beneventano subjectæ declarantur) meminit paullò ante annum XIX. Aligerni Casinensis Abbatis, ideft annum 968. Leo Ostiensis (1). Sed nec alios aliarum Ecclesiarum Episcopos percurrere opus erit; quandoquidem satis perspicua res est, Ecclesias illas Episcopales, quæ olim Antistiti Beneventano, veluti Metropolitano subjectionem præstabant, easdem (si Sipontinam excipias, de qua vide, quæ in superioris Capitis fine dicta à me sunt) aliasque tunc primùm additas eidem Antistiti, uti Archiepiscopo subjectas, non uti Episcopo unitas, easdem non Beneventanæ Parochiæ, sed Diœcesi, ideft Provinciæ attributas fuisse. Non igitur Ughellum deinceps audiemus, nisi quum illam, quæ à Vipera rectè pronunciata est, sententiam indiscriminatim consectetur: quam sententiam post Sarnellium VV. CC. Dominicus Georgius, & Petrus Cantelius omninò probarunt, communi suffragio statuentes, Beneventanos Præsules *ab anno 668. revera potestate veluti Metropolitana functos esse in Ecclesiis eorum jurisdictioni subjectis: & jam inde à temporibus Vitaliani, Metropolitani non quidem nomine, sed juribus usos*. Quamobrem Pontifex Johannes erigendi Beneventani Archiepiscopatus promptam occasionem (ut initio ajebam), justamque caussam sibi effecit, ut quod veteri jure, reque ipsa Beneventanus Antistes obtinere videbatur, appellatione tandem, atque insignibus exercendum largiretur.

At inquiet quis, quid Beneventano Antistiti, Metropoliticis juribus jamdiù gaudenti, Pontifex præstitisse potuit? ampliora quidem præstitit, quæ amplissimæ licet illius prærogativæ adhuc deesse videbantur, ac sine Romani Pontificis permissu, indulgentiaque comparari nequibant. Præter enim Archiepiscopi appellationem, præcipuum, atque splendidissimum Archiepiscopatus insigne, *Pallium* attributum fuit: *Usum Pallii* (inquit Pontifex ad Landulfum) *tibi præfate Præsul ad sola Missarum solemnia peragenda concessimus &c.* & infra: *Posteri verò tuæ Ecclesiæ Rectores post obitum tuum consecrationem ipsius Archiepiscopatus, & honorem Pallii ab hac Sancta, & Apostolica, cui Deo auctore deservio, Sede percipiant*. Norunt omnes, & Archiepiscopi nomen, & Pallii usum in Suburbicariis Provinciis tunc insuetum, atque inauditum, propterea quod Ecclesiæ omnes Episcopales intra illarum fines contentæ, unum Archiepiscopum, sive Metropolitanum agnoscebant Romanum Pontificem: Pallio dumtaxat ante Sæculum X. utebantur Mediolanenses, Aquilejenses, Ravennates Episcopi, quibus propter veterem illarum Sedium prærogativam id insigne à Romanis Pontificibus accipiendi mos, statutisque diebus, locis, officiisque gestandi facultas fuit: Johannem Episcopum Ravennatem, qui Pallio præter legem sibi datam utebatur, graviter redarguit S. Gregorius M. monens, *ut nihil sibi amplius ausu temerariæ præsumptionis erogare debeat, ne dum in exteriori habitu aliquid inordinatè arripitur, ordinatè etiam, quæ licere poterant, amittantur* (2). At de Pallii usu plurima nobis dicenda servamus, quum Portam Æneam nostræ Beneventanæ Ecclesiæ, ubi Beneventanæ Provinciæ Episcopi Pallio insigniti, anaglyptico opere insculpti sunt, inferiùs illustrabimus. Interim quanti æstimatum id Insigne fuerit, qua ntusque eidem honos, & auctoritas inesset, non solùm ex eodem Gregorio discimus, qui extra Italiam, nonnisi Metropolitanis, aliis verò Episcopis perrarò, ac nonnisi ob egregia merita, ac post enixissimas preces, ac servato Metropolitani jure, atque honore concedebat (3); verùm etiam vetusta passim Ecclesiastica monumenta, à Viris doctissimis observata, satis demonstrant (4), ut jam videas in Archiepiscopatus Beneventani erectione novum ex accepto Pallii usu decus Beneventano Antistiti accessisse.

Augustior verò potestas illa fuit, tum primùm quæsita, Episcoporum videlicet Ordinatio. Capite superiori jam illud monui, ad Sæculum usque X. Pontifici Romano, velut Metropolitano, seù Patriarchæ Occidentis jus integrum, supremamque auctoritatem fuisse, ut Episcopos omnes ordinaret, qui non solùm in Romana Provincia, verùm etiam in decem Provinciis suburbicariis consistebant (5). Quos paullò superiùs memoravimus Episcopos

(1) Chron. Casin. lib. II. cap. VI.

(2) Lib. V. epist. XI. edit. PP. Benedictin. S. Mauri. De Pallio ab Imp. Valentiniano III., Metropolitanique privilegio Episcopis Ravennatibus præstito commentum jam demonstravit doctissimus Bacchinius in Præfatione, & notis ad Vitas Pontificum Ravennatum ab Agnello conscriptas. Scriptor. Ital. tom. II. P. I.

(3) Vide lib. IX. epist. XI., & epist. CVIII.

(4) Vide Thomassinum *De Ecclesiast. Disc.* P. I. lib. II. cap. 55., & seq.

(5) Apud omnes doctos, & Ecclesiasticæ Disciplinæ peritos satis nunc convenit, non aliud Nicæno Canone agi, quàm de Ordinationibus Episcoporum, eoque juberi, ut sicut Papa Episcopos omnes ordinat plurium totâ maximè Italiâ Provinciarum, ita & Episcopo Alexandrino, Antiochenoque jus idem in suis Provinciis incolume haberetur. Vid. d. Thomass. l.l. cap. VIII. num. I., ac Petrum de Marca *De Concord. Sacer. & Imp.* lib. I. cap. VIII.

ſcopos Ravennatem, Aquilejenſem, Mediolanenſem ſingulari Privilegio Pallii honeſtatos, eoſdem etiam reperire duntaxat erit, qui aliquando Ordinationem ſuam non manu quidem, ſed conſenſu Romani Epiſcopi celebrandam impetrarunt. De Mediolanenſi, & Aquilejenſi extat Pelagii I. Epiſtola, à Gratiano relata, ut, *quia pro longinquitate, vel difficultate itineris ab Apoſtolico oneroſum illis fuerat ordinari*, ipſi ſibi invicem ordinationem impenderent (1). Non id tamen affirmari tutò poteſt, eoſdem illorum Epiſcoporum, qui ad ſuam Diœceſim pertinerent, ordinationis jus exercuiſſe. Ravennatis certè Diœceſis Epiſcopos a Romano Pontifice ordinatos præclarè docet S. Gregorii Epiſtola ad Marinianum Epiſcopum Ravennatem, cui eligendi Epiſcopi Ariminenſis ad Ravennatem Diœceſim pertinentis merita perſpicienda duntaxat commendat, jubens, ut à ſe probatum, Romam mittat ordinandum: *Hortamur* (inquit), *ut veſtra Fraternitas eum, quem uno conſenſu omnes elegerint, cauta examinatione diſcutiat..... ad nos eum, cum Decreti pagina, veſtræ quoque addita teſtificationis Epiſtola, deſtinate; quatenus ejuſdem à nobis Eccleſiæ conſecretur Antiſtes* (2). Sed & ipſe Ravennas Antiſtes (quòd Mediolano, Aquilejâque propior Ravenna Civitas Romæ eſſet) poſt ſuam electionem, Romam ordinandus ex lege, & more properare cogebatur: Excuſſerant aliquando hoc onus Ravennates Epiſcopi; at ſub Sæculi VII. exitum priſtina ſua jura reſcripto Imperatorio recuperavit Pontifex Leo II., de quo ſic Anaſtaſius: *Hujus temporibus divali juſſione clementiſſimi Principis reſtituta eſt Eccleſia Ravennas ſub ordinatione Sedis Apoſtolicæ, ut defuncto Archiepiſcopo, qui electus fuerit, juxta antiquam conſuetudinem in Civitatem Romanam veniat ordinandus* (3). Ne tandem in re notiſſima longior ſim, inſtar omnium nobis erit Liber Pontificalis Anaſtaſii Bibliothecarii nomine evulgatus, ubi Pontificum omnium, quorum Vitæ continenti ſerie ad Nicolaum uſque I. deſcribuntur, inter poſtremas res geſtas Epiſcoporum numerus, quos ſinguli *per diverſa loca* ordinaverint, ſpeciatim recenſetur; atque ab ipſo Nicolao, qui ad annum 867. Pontificatum geſſit, Epiſcopi per diverſa loca numero ſexaginta quinque ordinati memorantur (4). Quas quidem Ordinationes, tum ex Epiſcoporum numero, tum ex locorum diverſitate nonniſi de iis Eccleſiis, quæ in Provinciis Suburbicariis Romano Pontifici ſubdebantur, intelligendas quiſque jam videt: ſimulque intelliget, quantum ſtudii, ſollicitudiniſque indeſinenter adhibuerint Pontifices, ut jus illud ſoli exercerent, quantum denique dignitatis Beneventanis Præſulibus acceſſerit, qui primi omnium intra ſuburbicariarum Provinciarum fines, in illius juris communionem admiſſi ſunt, ut in deſignatis Eccleſiis, quibus conſtituta eorum Diœceſis fuit, Epiſcopos eorum ditioni ſubjectos conſecrare perpetuò poſſent.

Quanta verò tum in Pallii, tum in Ordinationum Epiſcopalium conceſſione & dignitas, & auctoritas contineretur, non aliunde penitiùs, ac luculentiùs, quàm ex ipſo Pontifice, qui conceſſit, intelligemus. Audivimus ſuperiùs Pontificem hac lege Archiepiſcopatum Beneventanum erigentem, hoc pacto primum Archiepiſcopum Landulfum inaugurantem, ut ſcilicet *Poſteri Beneventanæ Eccleſiæ Rectores poſt ejus obitum conſecrationem ipſius Archiepiſcopatus, & honorem Pallii ab Apoſtolica Sede perciperent*. Neque id ſemel caviſſe Pontifici ſatis fuit: rata omnia tunc demum fore ſancivit, ſi ea lex ſervaretur: *Decernimus, ut ordinata in ſuo eſſe maneant, ſi tamen, ut ſupra dictum eſt, Succeſſores tui à Sancta Romana, & Apoſtolica Sede Conſecrationem, & uſum Pallii decretaliter percipere non diſtulerint*. Animadvertebat ſcilicet Pontifex de Beneventano Antiſtite agi, cujus Eccleſiæ etſi meritis, ac laudi tribuat, quòd ejus erga Romanam Eccleſiam reverentia ad ea tempora exuberaverit, ex nova tamen honoris, atque auctoritatis acceſſione, cum antiquis prærogativis, Principumque potentia conjuncta, fieri deinceps poterat, ut de veteri, ac debito erga Romanos Pontifices obſequio, ac ſubjectione aliquid decideret. Qui ordinandorum Epiſcoporum poteſtatem acceperat, auderet forſitan Beneventanus Antiſtes ordinationem ſuam non à Romano Pontifice, ac Romæ recipiendam, poſtulare, ſed à ſuis Epiſcopis ſuffraganeis ſibi exhiberi: cujus rei exemplum Ravennenſes Antiſtites reliquiſſe paullò ſuperiùs obſervavimus. Nec de Pallii uſu exemplum deerat, ſatis tunc recens, ac maximè invidioſum, quod in CPolitana Eccleſia patrari contigerat. Teſtem hodièque habemus Luitprandum Epiſcopum Cremonenſem, qui in relatione Legationis ſuæ, qua ad Græ-

(1) In Decreti P. I. Cauſ. XXIV. Quæſt. I. Can. Perdenda. Vide S. Gregorii epiſt. 29. & ſeq. lib. II.

(2) Lib. VII. epiſt. XIX. edit. PP. Benedict. S. Mauri.

(3) Anaſtaſius Bibl. in Vita Leonis II. to. III. Script. Ital. pag. 145.

(4) Id. Anaſtaſius l. l. pag. 261.

Græcum Auguſtum Nicephorum Phocam, anno 968, functus fuit, gravis illius injuriæ meminit, qua Romana Eccleſia anno 834. affecta fuit Alberici tyrannide, cujus operâ Papa Johannes XI. Patriarchæ CPolitano Pallii uſum, citra Romani Pontificis permiſſum, concedere coactus fuit, eaque de re Pontificias Literas mittere, *quarum auctoritate tum ipſe* (Theophylactus Patriarcha), *tum ſucceſſores, abſque Paparum permiſſu Pallio uterentur: Ex quo turpi commercio vituperandus mos inolevit* (ſubdit Luitprandus), *ut non ſolùm Patriarchæ, ſed etiam Epiſcopi totius Græciæ Palliis utantur. Quod quàm abſurdum ſit, cenſere opus non eſt* (1). Patet igitur cauſſa, cur Pontifex Johannes XIII. eam Pallii, Conſecrationiſque à Sede Apoſtolica accipiendæ legem tam disertè, iteratòque ſanciverit: Maxima is, ac ſplendidiſſima, atque unius Romani Pontificis auctoritati ad id tempus in Suburbicariis Provinciis ſervata, Beneventano Antiſtiti in Archiepiſcopum evecto, tunc primùm perfruenda conceſſit: Sed ne illa in ambitionis occaſionem, debitæque erga Pontifices ſummos ſubjectionis, reverentiæque detrimentum verterentur, temperanda quodammodo eâ lege fuerant: ut qui eo eximio honore, ac præcelſa auctoritate deinceps fungeretur, ſeſe Apoſtolicæ Sedis indulgentiâ aſſequutum, ac Romano Pontifici ſubjectum profiteretur.

Hanc ſubjectionem Landulfi ſucceſſores Archiepiſcopi religiosè præſtiterunt: nam (ut Alonem omittam poſt Landulfi obitum Imp. Ottonis II. potentia in Beneventanam Sedem intruſum, ac dein dejectum, cui petenti Pontifex Johannes XIV. anno 984. Literas dedit Pontificiæ gravitatis, ac paſtoralium hortamentorum plenas, quibus Archiepiſcopatus electio, cum Pallii uſu, Epiſcoporumque conſecrandorum poteſtate, confirmatur (2)) de Alfano ejuſdem Landulfi legitimo ſucceſſore ſatis conſtat, illum hæc omnia à Pontifice Gregorio V. impetraſſe anno 998. facto Diplomate, in quo Gregorius ſic ait: *Igitur, quia poſtulaſti à nobis, Venerande Archiepiſcope, quatenus integrum Archiepiſcopatum Sanctæ Beneventanæ Eccleſiæ, cui, Deo favente, præes, concederemus tibi, tuiſque ſucceſſoribus in perpetuum, ac cuncta, quæ à prædeceſſore noſtro Domino Joanne Sanctiſſimo Papa, precatu Domini Ottonis* (ideſt I) *invictiſſimi Imperatoris per Privilegium conceſſa ſunt tuo prædeceſſori Landolfo Archiepiſcopo ejuſdem Sedis, confirmaremus: piis tuis deſideriis faventes, ac noſtra auctoritate id quod à nobis expoſcitur per interventum Domini Ottonis* (ideſt III.) *Imperatoris effectui mancipamus, concedentes tibi, tuiſque Succeſſoribus uſum Pallii, ſicut ſcriptum retinetur: Tribuentes tibi, tuiſque Succeſſoribus in prædicta Dioeceſi in locis, in quibus olim fuerunt, in perpetuum Epiſcopos conſecrare, qui veſtræ ſubjaceant ditioni, ideſt Termulam, Bibina, Quintodecima, Ariano, Trivento, Larino, Luceria, Sancta Agatha, Abellino, Aſculo, Vulturaria, Theleſia, Aliſa, Seſſula. Confirmanteſque tibi, tuiſque ſucceſſoribus Eccleſiam S. Michaelis in Monte Gargano cum ipſa Sipontina Eccleſia...... Concedimus autem Alphano Clerico veſtro Nepoti integrum ipſum Archiepiſcopatum poſt deceſſum tuum habendum &c.* (3) Viventi adhuc Alfano Archiepiſcopo non *Coadjutorem*, uti perperam ſubdit Ughellus, ſed defuncto demum, *Succeſſorem* cognominem Nepotem datum à Pontifice, res eſt rari fortaſſe exempli, quæ etiam effectum ſortita fuit; nam ad poſteriorem hunc Alfanum habentur Literæ Pontificis Sergii IV, quibus ei Archiepiſcopatus Beneventanus confirmatur anno 1011., eademque iiſdem conceptis verbis conceduntur, quæ Alfano Patruo à Gregorio V. conceſſa recitavimus, eo duntaxat addito circa Pallii uſum, *ut in Secretarium tua Fraternitas Pallium induere debeat, & ita ad Miſſarum ſolemnia, vel ad Sancta Synoda proficiſci, & nihil tibi ampliùs auſu temerariæ præſumptionis arrogare, ne dum exteriori habitu inordinatè aliquid arripitur, à proprio, & licito labatur* (4). Quæ verba paullò ante ſcripta audivimus à S. Gregorio M. ad Johannem Epiſcopum Ravennatem contra fas, atque morem Pallii uſu abutentem; ut videas ea pariter in re aliquid immoderatum, inſolenſque à Beneventanis Archiepiſcopis ſenſim admiſſum, quod Pontificiâ cenſurâ corrigendum fuit (5).

Ex

(1) Inter Scriptor. Ital tom. II. P. I. pag. 488. Vide quoque Baronium ad annum 934. num. I.

(2) Apud Ughellum col. 103.

(3) Apud eundem Ughellum col. 109., qui mutilum id Diploma recitat, nam *reliqua* (inquit) *uſque ad calcem haud legi poſſunt: quo autem jure Vipera totum integrum retulerit, ipſe viderit*. Et hæc importunè (ut ſemper) adverſus Viperam Ughellus. Integrum retulit Vipera, quia vel Vipera non adeo ſuo ævo conſumptum legere potuit, vel potiùs deſcripſit ex Tranſumpto authentico anni 1464. de quo inferiùs dicemus.

(4) Ex dicto Tranſumpto authentico anni 1464. & ex Bullario ſelecto Bibliothecæ Beneventanæ pag. 73.

(5) Eadem verba in Diplomate S. Leonis IX. occurrunt, quo is Uldarico Archiepiſcopatum confirmat anno 1053. *Concedimus* (inquit) *etiam fraternitati tuæ*

*Pallii*

Ex Gregorii V. Diplomate ad Alfanum I. dato ità ad Beneventanæ Ecclesiæ singularem deprædicandam dignitatem excitatum se sentiit Ughellus, ut hæc statim subjecerit: *Quantæ, qualisque fuerint existimationis eo tempore Beneventani Antistites, clarè ostendunt verba illa Diplomatis*: Id quod exposcitur per interventum Dom. Ottonis Imperatoris, effectui mancipavimus; *Ex eis namque colligitur Beneventanam Ecclesiam Imperiali protectione fulcitam a Carolo Calvo primùm, postmodum successivè à Ludovico, & ab Ottone primo, & tertio, ejusque munitam Privilegiis, quoad eandemmet ipsorum apud Romanos Pontifices interveniente deprecatione ad Archiepiscopatus dignitatem evexerunt; ità ut videantur certasse Imperatores, & Romani Pontifices in eidemmet Ecclesiæ Beneventanæ gratias, & privilegia concedendo*. Opportunè hæc quidem Ughellus, sed non omnino satis: nam & Carolus Magnus, & Ludovicus Pius amplissimis Diplomatibus suis præiverant, quæ superiùs suo loco memoravimus. Maximum verò Beneventanæ Ecclesiæ illud decus censeri debet; ut pro suæ dignitatis incrementis Augustorum deprecationes, interventiones, munificentias grataner exciperet, potentiam verò, qua libertati, religionique suæ detrimenti aliquid pararetur, generosa despiceret: Illustre ejus rei exemplum Otto II. præstabit, atque ab eo electus Archiepiscopus Alo, seù Alix, cujus mentio paullò ante facta est: *Nam cùm ipse Imperator egressus à Germania, Italiam intrasset, postquam Romanas res, ut sibi videbatur, disposuit, Beneventum adiit, cui Alix* (Diaconus Beneventanæ Ecclesiæ) *ità familiaris effectus est, ut idem Augustus eum eligi in Pontificem* (defuncto jam tunc Landulfo primo Archiepiscopo) *Ecclesia renuente præciperet. Postmodum verò Imperator Romam rediens, Romanum Pontificem eum consecrare rogavit, & consecratum Beneventum remisit..... Ille verò Beneventum rediens, ne moenibus quidem Civitatis appropinquare ausus fuit, sed cum dedecore, illo repulso, alium sibi Cives Pontificem elegerunt*. Hæc domesticus, synchronus, nobilissimusque testis, ac præclarissimum Beneventanæ Civitatis, Ecclesiæque decus, Desiderius Abbas Casinensis, summus deinde Pontifex Victor III. (1), qui statim subdit: *Fecit quidem hæc omnipotens Deus ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum*; liceat mihi addere, ad laudem quoque fecit Beneventanæ Ecclesiæ, quæ non sæculari potentia, humanaque gratia, sed maximis virtutum meritis commendatos, ac sublimissimo in ingentem tunc dignitatem evecto muneri administrando idoneos Antistites, sibi præficiendos curabat. Sed quid adhuc ad Beneventanæ Ecclesiæ splendorem in dictis Pontificiis Diplomatibus, Ughello non observatum, animadvertendum quammaximè sit, videamus.

Qui statutam in Beneventani Archiepiscopatus erectione, Beneventani Archiepiscopi Dioecesim animadvertant, Beneventanam Ecclesiam etsi pluribus tunc eximiis honoris, auctoritatisque titulis auctam, ex eo tamen Capite veteri amplitudine sua deminutam fortasse arbitrabitur. Equidem dum constitutos à Joanne XIII. Beneventani Archiepiscopatus fines inspexerimus, nonnisi angustissimos inveniemus cum illis antiquis comparatos, quo (uti superiore Capite demonstratum est) cum ipso simul Principatu Beneventana olim Ecclesia Metropolitica jura proferebat. At ità tunc factum oportuit, ut decem dumtaxat Episcopales Sedes Beneventanæ Dioecesi, seù Provinciæ accenserentur, quot Pontificis Pelagii II. Decreto singulis Ecclesiasticis Metropolibus attribuendæ jubebantur (2). Quæ res nihil de Ecclesiæ Beneven-

*Pallii usum ad Missarum solemnia celebranda, scilicet his festivis diebus &c. atque in consecratione Episcoporum suffraganeorum, in consecratione Ecclesiæ, ac in Natalitii tui die, sicut ab Antecessoribus nostris tuis institutum, ac largitum est Antecessoribus. In secretarium verò tua fraternitas Pallio induatur, & sic ad Missam proficiscatur: neque plus aliquid temerario ausu præsumas, quoniam dum quidquam exteriori habitu inordinatè arripitur, a proprio, & licito labatur*. Magis igitur verisimile est, illis verbis consuetam formulam contineri, qua non admissus abusus corrigi, sed admittendus præcaveri videbatur. Notandum autem in hoc Diplomate est, Pallii usum in *Natalitii* sui die Uldarico concessum: Quid eo *Natalitii* vocabulo intelligendum sit, facilè decernas ex Diplomatibus Johannis XIII., & Johannis XIV., qui in Pallii concessione facta primo Archiepiscopo Landulfo, & secundo Ajoni, seù Aloni, pro *tui Natalitii die* disertè habent *tuæ consecrationis die*; & sanè ejus vocabuli significatio ad eum diem transducta fuit, quo quis ordinatur Episcopus; sic S. Paulinus Nolanus Episcopus in Epistola XVI. ad Delphinum de Rom. Pontific. Anastasio: *Deinde nos ipsos Romæ quum solemni consuetudine ad Beatorum Apostolorum Natalem venissemus, tam blandè, quàm honorifice excepit: Postea quoque interposito tempore etiam ad Natalem suum, quod cum sacerdotibus suis tantùm deferre solet, invitare dignatus est*. Ubi vides duplicem *Natalem* commemoratum, alterum Apostolorum, quo scilicet ex hac vita migrarunt, solemni consuetudine cum Suburbicariorum Episcoporum accessu Romæ celebrari solitum; alterum ipsius Pontificis *Natalem*, quo scilicet Pontifex consecratus est, cum suis tantùm sacerdotibus celebrari consuetum. Vid. etiam de hoc Episcopali *Natali* Hilarii Papæ Epistolam ad Ascanium, & S. Ambrosii ad Felicem lib. 8. epist. 60. ac Anastasium in Adriano I.

(1) Dialogor. lib. II. pag. 53. edit. Rom. an. 1651.

(2) Refertur a Gratiano in Can. Scitote. Caus. VI. Quæst. III.

neventanæ dignitate detraxit, cui Primatus honos inter universas Principatus Ecclesias, antiquis tamen contentus prærogativis, incolumis mansit; illud autem ex Archiepiscopatus erectione amplius accessit, ut in ea Dioecesi sibi speciatim attributa, ac certis Episcopalibus Ecclesiis, ac limitibus designata, quod antehàc facere vetebantur, Episcopos Beneventani Archiepiscopi consecrarent: An enim Romanus Pontifex ejus Principatus, qui totam ferè Italiam Cistiberinam complectebatur, Episcopos universos à Romana Metropoli præcidere, unique Archiepiscopo Beneventano consecrandos permittere debuisset? Satius igitur tunc visum fuit (servata, ac confirmata Ecclesiæ Sipontinæ unione, seù subjectione) decem Ecclesias Beneventanæ Metropoli propinquiores, scilicet *Sanctæ Agathæ*, *Abellinensem*, *Quintodecimi*, *Arianensem*, *Asculanam*, *Bibinensem*, *Vulturariensem*, *Larinensem*, *Thelesinam*, *Aliphanam*, Dioecesis, seù Provinciæ jure subditas constituere: Sed mox pro Archiepiscopalis Ecclesiæ Beneventanæ dignitate, ejusque Metropolis veteri amplitudine, angusti ejus Dioecesis primùm designatæ fines visi sunt: Hinc Gregorius V. in dicto Diplomate, quo Alfanum I., ac secundum Archiepiscopum confirmavit, amplificandam eam Dioecesim duxit, ac prioribus illis decem Ecclesiis alias quatuor adjecit, scilicet *Thermulanam*, *Triventinam*, *Lucerinam*, *Suessulanam*: ratamque ejusmodi amplificationem habuit Sergius IV., qui Alfano alteri prioris successori easdem ipsas quatuordecim Ecclesias, confirmato consecrandorum Episcoporum jure, Dioecesim assignat, ut ex memorato ejus Pontificis Diplomate præclarum habetur.

Non heic substitit res, quæ hactenus nec illius numeri medietatem attigit, ad quem paullò postea Episcopales Ecclesiæ Metropoli Beneventanæ subditæ pervenerunt: eandem igitur & nos rem persequemur, quæ Ecclesiam Beneventanam, tum aliis titulis, tum hoc præsertim nomine inter cæteras Italicas olim, hodièque sublimiorem constituit. Post Alfanum II. suffectos Archiepiscopos protulit Vipera *Mundum*, & *Alfanum III.*, quibus æquè ac Viperæ injurius Ughellus locum abjudicans, Alfano II. longissima Archiepiscopatus, vitæque spatia usque ad annum 1053. indulgere haud veritus est (1). At quòd Archiepiscopum Mundum Vipera admiserit, ei certè (uti quoque Sarnellio) fraudi fuit cujusdam Oligani Neapolitani Ducis vetusta, sed suspectæ fidei Charta, pluribus ejus Gentis Scriptoribus celebrata (2). De Alfano autem III. luculentissimum testimonium fert Diploma

ALTER Z z Ponti-

(1) Tom. VIII. col. 110., & seq. edit. Rom.

(2) Post Marchesium, & Capacium tum Summontius *Hist. Neapol.* P. II. *pag.* 447. tum Ciarlantius *Hist. Samnii lib.* III. *cap.* 32. recitant literas Ducis Neapolitani ad Mundum Beneventanum Præsulem datas, quibus is Neapolitanæ Urbi annona laboranti opem ferri flagitavit: quòd breves eæ literæ sint, etiam nos recitabimus. *Nos Oliganus Stella dux, Ginellus Capycius, Baldassar Jovanus, & Sarrus Brancacius Consules Magnificæ Civitatis Neapolis, quæ in præsentia est in magna penuria tritici, olei, casei, & hordei, promittimus quibuscumque salmentariis Vallis Beneventanæ, Avellini, & aliorum locorum, qui venerabili in Christo Patri Mundo Præsuli Beneventano subjecti sunt, & pro qualibet salma Farinæ, vel Tritici tarenos duos, pro qualibet salma Hordei tarenum unum, pro qualibet salma Olei, & Casei tarenos tres, qui ipsis in introitu portarum solventur, ultra pretium, quod pro illis rebus accipient, & ideò vobis venerabili Antistiti præsens scripsimus, ut Civitati nostræ gratiam faciatis ad vocem Præconis bandire per omnes vobis obedientes, qui vobis promittimus, & ratum habebimus. Datum Neapoli Indictione 7. sedente Sergio Papa* IV. . . . . . . . . . . . . . Ex notata Indictione, quæ in annum 1009. incidit, occasionem sibi fecit Episcopus Sarnellius in nostra Chronologia pag. 74. opinandi, atque etiam statuendi eo tempore Archiepiscopum *Mundum*, Alfani I. successorem, antequam Alfanus II. Nepos, ad quem sunt literæ Gregorii V. anni 1011., ineundo Archiepiscopatui adolesceret; En verba: *la morte del primo Alfano non si sa: Il Papa dice, che il secondo Alfano era semplice Clerico: dunque era questo Clerico in tale età, che fu spediente conferire intanto l' Arcivescovato ad un altro: e questi fu Mundo Arcivescovo* IV. *Beneventano, e Sipontino, di cui si fa chiara menzione in un Diploma di Oligano Stella Duce di Napoli nel* 1009.. Dormitasse equidem hoc loco bonus Sarnellius videtur, qui ex Alfani Nepotis clericatu puerum illum arguit, id etiam Pontifici Gregorio V. tribuens, ut non modò Patruo *Nepotem*, sed ipsum adhuc tunc *puerum* successorem indulserit. At verius illud (illa præterea ætate) fuerit, ut Ecclesiastici Viri in Clericatu constituti senescerent: nonne etiam Clericatus vocabulo majores quicumque ordines & significantur, & continentur? At dandus Archiepiscopo Mundo locus erat; qui certè Mundus anno 1009., idest ante Alfanum olim Clericum, postea Archiepiscopum, in dicto monumento Beneventanus Præsul memoratur. Novum certè absurdum; quum temporarius Archiepiscopatus, donec Alfanus idoneus esset, tributus Mundo dicatur. Quid verò moror? Nullus quidem locus Mundo dandus est, qui ex supposita charta supposititius Archiepiscopus haberi debet. Inter spurias merces recensenda ea charta est, quam falsi redarguunt recentiora anno 1009. *Vallis Beneventanæ*, atque *Tarenorum* vocabula; insueta illa notæ *Chronologicæ* adjectio: *sedente Sergio PP.* IV.; commissa potiùs Beneventano *Archiepiscopo*, quàm *Principi* (ut par erat) annonæ procuratio; Neapolitanus denique Dux ille *Oliganus*: non enim commentitius iste Oliganus, sed Sergius Ducatum Neapolitanum anno 1009. administrabat, quem ab anno 1006. ad 1036. tenuit, ut constat ex Chronico Neapol. edito inter Opp. Peregrinii T. III. pag. 73., & seqq.

Pontificis Benedicti VIII. datum anno MXIV., quo Pontifex *ob interventum, ac petitionem dilectissimi filii nostri Henrici Imperatoris Augusti* eidem Alfano *concedit, & confirmat* Archiepiscopatum Beneventanum. Mortuus tunc igitur dicendus est Alfanus II., qui ante triennium Archiepiscopatus sui concessionem, confirmationemque à Pontifice Sergio IV. acceperat, ut superiùs probatum est; neque enim is semel Pontificia auctoritate confirmatus, confirmari iterum egebat. Id saltem Benedictus Pontifex expressisset, decessoris sui Sergii commemorato Diplomate. At non illud commemorari opus erat, quandoquidem nova ea fuit concessio, nova confirmatio, quæ diversæ Personæ, scilicet Successori Alfano III. tributa fuit, cui Pontifex, *concedimus* (inquit) *supradictum Archiepiscopatum ex integro, & infra eundem Archiepiscopatum, suamque Diœcesim in locis, quibus olim fuerunt, in perpetuum Episcopos consecrare, qui vestræ subjaceant ditioni, scilicet Bibino, Asculo, Lar no, Trivento, Alife, Suessula, Episcopatum* Lesinensem, *quin & Episcopatum Thermulanum* ex integro: *Confirmamusque etiam tibi, tuisque Successoribus Ecclesiam S. Michaelis Archangeli in Monte Gargano, cum ipsa Sipontina Ecclesia &c.* (1) Audisti igitur inter Episcopales Ecclesias in antecedentibus Pontificiis Diplomatibus concessas, nunc primùm memoratum Episcopatum Lesinensem, qui quintodecimo loco Beneventanæ Diœcesi adjectus fuit.

Eundem Episcoporum Suffraganeorum numerum confirmavit S. Leo PP. IX., qui anno 1053. Beneventi degens, Uldericum electum Archiepiscopum ibidem consecravit. Sanctissimi hujus Pontificis memorandum heic mihi Diploma fuit, immò etiam in hujus Tomi Appendice, velut merces inter alias pretiosissima, erit proferendum. Edidit noster Vipera, sed plurimis fœdatum mendis: edidit etiam Ughellus, sed truncato capite, ac lacunarum plenum, quale ex ipso Autographo ab Ab. Cœlestino Guicciardinio descriptum accepit, subdens: *Totum hoc Privilegium integrum recitat Vipera in sua Chronologia pag.* 87., *licet ubique mendis scatens, illudque desumpsisse opinor ex quodam transumpto ab Autographo facto, jussu Arnaldi Archiepiscopi anno* 1334., *& licet tunc temporis prædictum Diploma integrum extaret, & nunc sit corrosum, libuit tamen nostro Coelestino ex eo transcribere illa, quæ potuit, & venerandas exuvias, ut ita dicam, illius summi, ac verè Sanctissimi Pontificis propriis manibus contrectare* (2). Insimulandus certè Vipera, qui aureum Diploma, maculatum prodire in lucem passus sit; Sed magis indignus venia Ughellus, qui frustrum, nec ipsum mendis vacuum prodere maluit. Integrum igitur ex dicto Transumpto cum Autographo diligentiùs collato nos in Appendice dabimus, operæ quidem pretium facturi, quòd monumentum ipsum præ aliis Pontificiis Chartis, maxima hodièque attulit Ecclesiæ Beneventanæ emolumenta, ob confirmatam Literarum Pontificis Vitaliani fidem, plerisque, quos superiore Capite refutavimus, controversam, quas literas non tantùm Leo commemorat, sed & *diligentissimè inspexisse* affirmat (3).

Age nunc cœptam semel semitam prosequamur, quandoquidem ad quindecim hactenus perlustratos, septemdecim alii Episcopatus, quibus Beneventana Metropolis amplificata subindè fuit, perquirendi nobis restant. Leonis IX. Successor Stephanus IX., alios X. Episcopatus prioribus adjecit, facto ad eundem Archiepiscopum Uldaricum Diplomate *sub datum in Monte Casino 9. Kal. Febr., Indict.* XI., *Pontificatus anno* I., idest anno 1058., in quo ei Ecclesias Episcopales XXV., idest Episcopos Suffraganeos XXV. hisce nominibus appellatos, ac distinctos subjecit, facta etiam Litterarum Pontificis Vitaliani mentione (4): *Sub jure* (inquit de Garganica Basilica) *S. Beneventanæ Ecclesiæ perpetuò permaneat secundum tenorem Privilegii Beatæ memoriæ Vitaliani Prædecessoris nostri. Deinde Sipontinam Ecclesiam cum omnibus sibi legaliter pertinentibus, pariter quoque Luceriam, Asculum, Bibinum, Trojam, Draconarium, Civitatem, Montemcorvinum, Tortibulum, Viccarim, Florentinum, Larinum, Termolam, Triventum, Vulturariam, Bibinianum, Alifas, Thelesiam, S. Agathen, Toccum, Abellinum, Montemmaranum, Quintumdecimum, Montem de Vico, Arianum* ..... „ cum singulis „ proprietatibus, justitiis, Parochiis, seù Diœcesibus suis, nihil excipimus, sed omnia, sicut ....... „ justi-

(1) Ex dicto Transumpto, atque ex Bullario Selecto pag. 80.

(2) In d. T. VIII. col. 120.

(3) Verba Pontificis Leonis heic subjicere præstat: *Diligentissimè itaque nostrorum antiquorum Prædecessorum Privilegia perscrutantes, Vitaliani videlicet, aliorumque S. Romanæ Ecclesiæ Præsulum, atque justitiam S. Beneventanæ Ecclesiæ considerantes &c.*

(4) Ex Bullario Selecto nostræ Bibliothecæ pag. 93.

„ justitia eorum est, huic jam sæpè nominatæ Beneventanæ Ecclesiæ in honorem S. Dei Genitricis Mariæ dedicatæ, ubi pretiosissimum Corpus Beatissimi Bartholomæi requiescit; *quod auctoritate S. Sedis Romanæ, & Apostolicæ Sedis concessimus, & irrevocabiliter in perpetuum confirmamus*. Habemus igitur prioribus, quibus ad S. Leonem IX. Beneventana Provincia constiterat, additas à Stefano IX. Episcopales Ecclesias X., scilicet *Trojanam*, *Draconariensem*, *Civitatensem*, *Montis Corvini*, *Tortiberis*, *Viccariæ*, *Florentinatem*, *Tocci*, *Montis Marani*, *ac Montis Vici*.

Post dictum annum 1058., & ante annum 1075. Episcopalium Ecclesiarum numerum auxerunt Ecclesiæ *Bovianensis*, & *Guardiensis*, nusquam hactenus in supradictis Pontificiis Diplomatibus memoratæ. De harum duarum Ecclesiarum adjectione ad Beneventanam Provinciam subsequuta Pontificium Diploma desideratur, quod periisse putandum est: nam qui Stephano IX. successerunt, Nicolaus II., Alexander II., ac Gregorius VII. Beneventum frequentarunt, ubi & Nicolaus Concilium celebravit anno 1059. (1), ut horum Pontificum aliquem binos illos Suffraganeos Archiepiscopo Beneventano ampliùs subjecisse, certum sit: subjectos enim manifestè ostendit Provinciale Beneventanum Concilium à S. Milone Archiepiscopo anno 1077. celebratum *cum Coepiscopis, & Abbatibus ad nostram Dioecesim pertinentibus, scilicet Bernardo Agathensi*, *Alberto* Bovianensi, *Petro* Guardiensi *&c.*, qui & inter alios ita subscribunt: *Ego qui supra Albertus Bovianensis Episcopus*: *Signum Crucis † factum per manum supradicti Petri Guardiensis Episcopi* (2).

Fuerunt deinde & alii quinque adjecti Suffraganei Episcopi, qui numerum XXXII. impleverunt. De hoc numero, ad quem Beneventana Ecclesia Metropolitanorum jurium latissimos fines aliquando produxit, præclarum testimonium reliquit Archiepiscopus Ugho II. in Provinciali Concilio, quod anno MCCCLXXIV. celebravit: *Hæc* (inquit) *Ecclesia pro nunc Suffraganeos viginti tres habet, & alio tempore, prout in Privilegiis ejus antiquis legimus, habuit triginta duos; quod de alia Metropolitana non legitur, & in libro Provinciali reperitur* (3). Haud secus Archiepiscopus Cardinalis Jacobus Sabellus in Prooemio Provincialis Concilii anni MDLXVII.: *Augebat* (inquit) *solicitudinis nostræ pondus ipsius Ecclesiæ Beneventanæ insignis magnitudo, ac nobilitas; cùm ipsa Ecclesia latissimam habeat Dioecesim, & Provinciam: Viginti enim, & quatuor Ecclesias Suffraganeas habet, sicut in Æreis Valvis ipsius Metropolitanæ Ecclesiæ insignis memoria extat: in quibus nomina Ecclesiarum, & Episcoporum Suffraganeorum simulacra conspiciuntur, licet olim triginta duos habuisse, & Apuliæ Metropolim appellatam esse, antiquissimis ipsius Ecclesiæ monumentis constet* (4).



(1) Hoc Concilium à Nicolaö PP. II. anno 1059. celebratum *apud Beneventum extra ipsam Civitatem intra Ecclesiam S. Petri juxta fluvium Sabbati* ex Tomo IX. pag. 1105. collectionis Labbeanæ, & ex Chronico S. Vincentii de Vulturno relato ab Ughello T. VIII. col. 121. in suum Synodicon Provinciale Beneventanum excepit Card. Ursinus Archiepiscopus Beneventanus, dein Benedictus PP. XIII., primoque loco edidit, notisque illustravit inter alia Concilia à Rom. Pontificibus, atque Beneventanis Archiepiscopis Beneventi celebrata, Beneventi 1693.

(2) In eodem Synodico Beneventano pag. 21. ex subscriptione ab Episcopo *Guardiensi* signo Crucis facta, Eminentissimus editor Ursinus arguit ejusdem Episcopi, hominis omninò illiterati ruditatem; quam in rem plurima exempla ex Decretali Honorii III. *cap. fin. de ætate, & qual. Ordin.*, atque ex Mabillonio *De re Diplom. lib. 2. cap.* 22. congessit, lacrymabilem per eas ætates Ecclesiasticorum inscitiam testantia. At vera licet illa sint, non idem tamen de hoc Episcopo Guardiensi ex solo, quo is subscripsit, signo Crucis affirmari potest: immò contrarium statuendum est ex Milonis Archiepiscopi subscriptione (ad quam Vir summus non animadvertit) eodem signo Crucis facta. Moris tunc erat in quibusque solemnibus Actis, quæ a Viris etiam suprema dignitate pollentibus subscribebantur, signum Crucis adhiberi; uti à me in Dissert. *De re nummaria* cap. III. uberrimè probatum est. Præstat autem heic aliqua de nostro Archiepiscopo S. Milone observare, qui Sæculo XI. non solùm Ecclesiam Beneventanam sanctitate, sapientia, aliarumque pastoralium virtutum splendore illustravit, sed de universa Christi Ecclesia è schola sua discipulum S. Stephanum ordinis Grandimontensis Fundatorem proferens, optimè promeruit. De S. Milone agit Vipera tum in Chronologia, tum in Catalogo Sanctorum Beneventanorum ad diem XXIII. Februarii pag. 88., in eo tamen lapsus, quod ab anno MLIII. Archiepiscopum statuat, qui non ante eundem annum MLXXV., quo Concilium celebravit, vel antecedentis exitum electus fuit, atque ei Successorem det Aurelium, qui decessor fuit. Meminit etiam S. Milonis Cl. Bollandus ad d. diem XXIII. Februarii in notis ad Vitam supradicti S. Stephani Grandimontensis adiectis, quæ *aliqua castigatione indigere* notat Ughellus col. 137., sed incastigata reliquit. Duodecim Archiepiscopatus Beneventani annos, Viperæ fortasse fidem incautè sequutus Bollandus Miloni attribuit. At dignissimo Præsule tandiù frui Ecclesia Beneventana non meruit; quùm is biennio haud integro optimè administratam deseruerit, ad cœlestia præmia translatus.

(3) In Conc. Archiepiscopi Ughonis II. Tit. IX. *de Sacramento Ordinis* cap. XIII. pag. 143. Synodici Beneventani edit. Benevent. 1695., recusi Romæ 1726.

(4) In eodem Synodico pag. 309.

De Æreis noſtræ Eccleſiæ Valvis ab Archiepiſcopo Cardinali Sabello memoratis, ac nomina XXIV. Eccleſiarum, totidemque Epiſcoporum ſimulacra exhibentibus agendum nobis poſtremo hujus Diſſertationis Capite erit, ubi de ejuſdem Eccleſiæ Ædificiis ſermonem facturi, eaſdem Valvas, æri inciſas, ſpectandas dabimus, ac ſtudioſè illuſtrabimus. Qui verò reliqui hi ſint Epiſcopatus quinque, qui cum viginti ſeptem illis ſuperiùs comprobatis definitum triginta duorum numerum impleant, vetera produnt monumenta; nam & Epiſcopatum *Aquæ putridæ*, *Limuſanenſem*, ſive *Muſanenſem*, *Ordonenſem*, *Frequentinum*, *Sepinenſem* (quos inter ſuperiores viginti ſeptem præteritos invenies) memoratos in poſterioribus indubiæ fidei monumentis habemus, additos ſcilicet Archiepiſcopo Beneventano Suffraganeos (1). Ac de Archiepiſcopi Ughonis, Cardinaliſque Sabelli, de XXXII. numero affirmantium, teſtimonio dubitare nefas erit: illud potiùs obſervandum, an qui Ughonis ævo, XXIII. duntaxat reliqui erant Suffraganei, Sabelli ætate ad XXIV. aucti rurſus eſſent, quos ipſe ex Ænearum Valvarum aſpectu præſentes effecit. Sed haud numerum tunc extantem, qui longè minor, quàm Ughonis tempore erat, ſed quem Valvæ ipſæ præferrent, Sabellus indicavit. Quare ſic ſtatuendum erit, ut numerus XXXII. Suffraganeorum poſt annum MLXXV. ad ſequentis Sæculi exitum ſteterit, quo tempore dictæ Valvæ (ut ſuo loco dicemus) fuerunt conſtructæ: Ad XXIV. dein redactus is fuit, quem numerum eædem Valvæ oſtendunt, à quo numero unus tantùm defecit Archiepiſcopi Ughonis ævo, qui anno MCCCLXXIV. Suffraganeos XXIII. tunc habere affirmavit: Sed ab eo tempore is quoque numerus ad XVI. Suffraganeos paulatim decrevit, qui hodieque conſiſtit. Minuendi cauſam præbuerunt ſequuti plùrium Epiſcopatuum occaſus, qui ex Civitatibus, vel in tenuiorem ſortem, vel ad extremum fatum redactis, aut ipſi Metropolitanæ Eccleſiæ, aut ejuſdem Provinciæ Epiſcopatibus aliis attributi, ſive uniti fuerunt; uti ex ſubjecta Tabula manifeſtum erit (2). Quare illud affirmari tutò poteſt, in præſenti XVI. Suffraganeorum numero, eoſdem adhuc veteres XXXII. Epiſcopatus contineri, nihilque de antiquis ſuis finibus Beneventanæ Metropoli deminutum: Illud adhuc ſingulare ejuſdem Eccleſiæ decus eſt, non modò quum Suffraganeos XXXII. olim numeraret (*quod de alia Metropolitana non legi*, Archiepiſcopus Ugho verè ajebat) ſed & quum ſolos XVI. hodiè numeret, amplitudine ſua adeò eſſe inſignem, ut cæteras, quæ Italiæ

(1) Vide Epiſcopum Sarnellium in ſuæ Chronologiæ *Appendice*, ubi peculiarem tractationem inſtituit *de Provincia Beneventana* a pag. 219. Sunt, qui dictum numerum XXXII. Epiſcoporum augent, nam & Epiſcopatum *Montis Viridis* inter Beneventanos Suffraganeos recenſet Barboſa *de Pot. Ep. P. 1. cap. 2. Contradus in calce Operis de Diſpenſ. Apoſtolic.*, *Mazzella pag. 415.* Plerique adhuc Epiſcopatum *Cannenſem* addiderunt: At nos ſtatuto numero contenti ſumus, quem vetuſta melioris, atque omninò indubiæ fidei monumenta confirmant.

(2) BENEVENTUM METROPOLIS,

cui adjecti ſunt Epiſcopatus

I. Leſinenſis
II. Limuſanorum
III. Tocci.
IV. S. AGATA, cui adjectus Epiſcopatus
V. Seſſulanus.
VI. ALIPHAE
VII. ARIANUM
VIII. ASCULUM, cui adjectus Epiſcopatus
IX. Ordonenſis.
X. ABELLINUM, cui adjecti Epiſcopatus
XI. Frequentinus
XII. Aquæ Putridæ
XIII. Quintodecimi.
XIV. BOVIANUM, cui adjectus Epiſcopatus
XV. Sepinenſis.
XVI. BOVINUM
XVII. GUARDIA Alferia
XVIII. LARINUM
XIX. LUCERIA, cui adjecti Epiſcopatus
XX. Florentinenſis
XXI. Tortibolenſis.
XXII. MONS MARANUS
XXIII. TELESIA
XXIV. TERMULAE
XXV. TRIVICUS
XXVI. VULTURARIA, cui adjectus Epiſcopatus
XXVII. Montis Corvini.
XXVIII. TROJA, nunc exempta, ſed Synodo Provinciali intereſſe obſtricta, cui adjectus Epiſcopatus
XXIX. Viccari.
XXX. TRIVENTUM, nunc exemptum, cujus loco Suffraganeus Beneventano Archiepiſcopo aſſignatus eſt à Gregorio XIII. recens Epiſcopatus
S. SEVERI, cui adjecti Epiſcopatus
XXXI. Civitatenſis.
XXXII. Draconarienſis.

Italiæ universæ finibus continentur, florentissimas Metropolitanas Ecclesias antecellat.

Cur tam lati fines Beneventanæ Metropoli accreverint, tantusque Episcoporum numerus uni Beneventano Archiepiscopo paruerit olim, hodièque subsit, promptum ex his intelligere erit, quæ superiùs de Beneventanæ Ecclesiæ dignitate uberrimè differuimus: nam quæ in Longobardici Cistiberinæ Italiæ Principatus Metropoli constituta, inter universas ejusdem Principatus Ecclesias Primatus prærogativam innumeris aliis ornamentis condecoratam præferebat, digna à Romanis Pontificibus fuit habita, ut non modò omnium prima Archiepiscopatus nomine, & auctoritate donaretur, verùm etiam inter subortas dein Metropoles alias, hac Provinciæ suæ amplitudine potiretur, qua inter cæteras sublimior pristinæ dignitatis splendorem adhuc referre videretur. Accessit publici boni ratio: quandoquidem experientiâ probatum mox fuit, Episcopatus illos, qui à Campaniæ finibus ad extremam Apuliam vigebant, à Romana Metropoli nonnihil dissitos, à Beneventano Archiepiscopo, qui velut in medio positus præsentiorem, solicitioremque se præberet, in majorem Ecclesiasticarum rerum felicitatem adductos. Ejus felicitatis origo fuit suffraganearum Ecclesiarum Visitatio, quæ ad Beneventanum Archiepiscopum, uti Metropolitanum pertinere cœpit, ab eoque sedulò, crebròque agi consuebat: cujus rei (ut alia mittam exempla) illustre testimonium, à Pontifice Gregorio IX. in Corpore Juris Canonici adhuc servatum habemus (1). Sed præcipuus fons annua Synodorum celebratio esse cœpit, ad quos Suffraganei accedere tenebantur, de suarum Ecclesiarum statu relaturi, de morum disciplina, aliisque negotiis Ecclesiasticis consultaturi, ac statuta promulgaturi. Accedebant autem quàm frequentiùs ad novam propinquiorem Metropolim, quàm olim Romam, quò ne assidui olim essent, varia impedimenta, excusationesque parabantur. Celebrandarum ejusmodi Provincialium Synodorum, quòd è re Ecclesiæ maximoperè essent, admodum solicitos fuisse Beneventanos Archiepiscopos ostendunt eæ Synodi, quæ ex remotissima antiquitate, ac paullò post Archiepiscopatus institutionem gestæ ad nos pervaserunt; nam & Uldericus Archiepiscopus Concilium Provinciale habuit anno MLXI., habuit etiam sequuto anno MLXII., atque quotannis habuisse satis probat S. Milo Archiepiscopus, qui anno MLXXV. primum Concilium Provinciale primo sui Archiepiscopatus anno celebraturus, id *ex more Ecclesiastico* agere affirmat (2). Quanta vero Provincialium Episcoporum erga Metropolitanum suum fuerit observantia, quale tunc enituerit obsequium, declarant vetusta Acta inventionis Corporis S. Prisci, hæc de Episcopo Frequentino narrantia: *Inter hæc a Beneventana Sede, sub cujus Diœcesi universa loca, quæ commemoravimus in præsenti lectione, consistunt, Legatus Frequentino Episcopo mittitur*, loquens, *ut omni sublata occasione, ad Beneventanum Archiepiscopatum properaret*. Susceptum inveniendo Corpori iter, piumque opus distulit Frequentinus Episcopus, *qui sui Archiepiscopi mandata metuens, omnibus relictis curis, religionis, atque obedientiæ studium exercens, Beneventanam adivit Sedem* (3). Sed quibus præsertim obsequiis Suffraganeos suos Beneventani Archiepiscopi sibi obstrictos haberent, primus omnium Archiepiscopus Landulfus illustre Successoribus suis, ac posteritatis memoriæ documentum reliquit.

Landulfus igitur Archiepiscopus, mox eâ usus facultate, quam a Pontifice Johanne XIII. Beneventani Archiepiscopatus institutore acceperat, Episcopos ordinandi in iis Beneventanæ Provinciæ Ecclesiis, ac locis, *ubi olim fuerunt*, Episcopatum in Civitate S. Agathæ instauravit, eique Maldefridum Episcopum præfecit; Extat etiamnum de ea re Landulfi Diploma, inscriptum *Clero, Ordini, & Plebi consistenti in S. Agatha dilectissimis Filiis; datum anno sui Archipræsulatus II. Mense Decembri,* XIV. *Indictione*. Ait Landulfus se, illis petentibus, consecrasse Maldefridum Episcopum, cujus Parochiæ, seù Diœcesi certos, ac circumquaque suis vocabulis descriptos fines assignat, intra quos Episcopale S. Agathæ

(1) Decretal. Lib. III. Tit. *de Censib., & Exaction.* cap. XXV., ubi Gregorius IX. sic ait: *Cùm nuper Archiepiscopus Beneventanus Beneventanam Provinciam visitaret*; & infra: *Mandamus quatenus quum eundem Archiepiscopum sive Auctoritate propria, sive nostra Beneventanam Provinciam contigerit visitare, Procurationes ratione visitationis debitas juxta facultates Ecclesiarum vestrarum exhibeatis eidem.*

(2) In d. Synodico Provinciali Beneventano a Card. Ursino edito pag. 21., ubi hæc Archiepiscopus Milo: *Cùm ego Milo Domini nutu Beneventanæ Provinciæ Archiepiscopus primo anno nostri Præsulatus, more Ecclesiastico solemniter Synodali auctoritate in Basilica SS. Dei Genitricis, & Virginis Mariæ agerem cum Coepiscopis, & Abbatibus ad nostram Dioecesim pertinentibus &c.* Porro Archiepiscopi Ulderici Synodos exhibet idem Synodicon pag. 15. & 17.

(3) Apud Episcopum Sarnellium in Chronol. pag. 128.

thæ Territorium deinceps contineri deberet : ut primùm videas ſuffraganearum Eccleſiarum terminos Beneventani Archiepiſcopi arbitratui, ac definitioni commiſſos, atque ſubjectos : Addit Landulfus, ut *quoties ibidem Epiſcopus conſecrandus eſt, ſemper ab hac Metropolitana Sancta Beneventanenſi Eccleſia, cui Deo auctore deſervio, conſecrationem percipiat*; Eadem verba à Landulfo uſurpata legis, quæ a Johanne XIII. in Beneventani Archiepiſcopatus inſtitutione prolata ſuperiùs audiſti; nam idem de Suffraganeis ſuis cautum ſibi voluit Landulfus, quod Romanus Pontifex de Beneventanis Archiepiſcopis; ut nempe quemadmodum hi a Romano Pontifice, ita illi a Metropolitano ſuo conſecrandos ſe ſcirent; quâ quidem conſecratione manifeſta, ac perpetua præſtandæ ſubjectionis profeſſio continebatur : Subjectionis autem præcipuum caput erat, ut Synodo ſe ſiſterent, atque a Metropolitano ſuo ſervandas ſibi leges acciperent; Fateor quidem non id tunc novum; quandoquidem vetus ea diſciplina fuit, ut Synodo ſe ſiſterent Epiſcopi apud eum, a quo Conſecrationem, ſeù Ordinationem accepiſſent : Unde profectum eſt, ut pertinere ad alicujus Concilium, vel ad Conſecrationem promiſcuè, & paſſim dicantur Epiſcopi, qui a Primatibus pendent : atque hùc, Canones ſequutus, Juſtinianus reſpexit, illud edicens, *ut debeant convenire apud Beatiſſimos Patriarchas, illos, qui ab ipſis ordinati ſunt* (1). At cùm eâdem monente diſciplina, nonniſi ſingulis annis ſingulæ Synodi celebrari conſueſſent; ampliùs à Suffraganeis ſuis Landulfus exegiſſe probatur, nam ad Synodalem Conventum quinquies, ut conſecratus tunc Epiſcopus, poſterique omnes S. Agathæ Antiſtites, Metropolitano ſolemnioribus diebus adſtituri, Beneventum adirent, ſpeciali ſanctione conſtituit : *Simulque* (inquit) *ſancimus, ut Præſules S. Agathenſis Eccleſiæ quinquies in anno Beneventum veniant, ut participes feſtivitatum ſubſequentium ..... ea inter nos, quæ mos Eccleſiaſticus exigit, confirmemus; ſcilicet in Feſtivitate Pentecoſtes, & B. Bartholomæi Apoſtoli, & Natali Apoſtolorum Petri, & Pauli, & in Conſecratione noſtri Archiepiſcopatus, & in Ordinatione noſtrorum Epiſcoporum* (2).

Nimius certè fuiſſe videtur Landulfus, qui *quinquies* in anno Metropolim à Suffraganeis frequentandam ſancivit : obſervata initio Lex; quæ tamen ſenſim, ut videtur, moderationem accepit; eòque tandem perducta eſt, ut ſemel Metropolim quotannis adiiſſe, ſatis videretur. Quantum detrimenti Sæculo XIV., Pontificia Sede Avenione locata, Eccleſiaſticæ res accepiſſent, nemo eſt, qui neſciat : Enunciat Pontifex Gregorius XI., vehementiùs dolens, quod Clerus *ab honeſtate ſui primævi ſtatus non modicum exciderit, multipliciterque in devia declinarit* : Huic malo opportunum remedium allaturus, non id citiùs, & efficaciùs haberi poſſe animadvertit, quàm *per novas celebrationes Conciliorum Provincialium*, quas, datis anno 1373. Encyclicis Literis, a Metropolitanis ſingulis in morem revocandas præcepit. Miſſæ ad Metropolitanos alios, miſſæ ad Beneventanum Metropolitanum Literæ, non hunc certè invenerunt ejus muneris obliviosum, ſed veteri Eccleſiæ ſuæ more annua Provincialia Concilia in ſolemnitate S. Bartholomæi Apoſtoli ſtudioſè celebrare conſuetum, *de qua re* (inquit Archiepiſcopus Ugho II. in fine Concilii anni 1374. ſuperiùs commemorati) *non videtur Dominus Papa fuiſſe certificatus, per ſuas Apoſtolicas Literas* (quas etiam recitat) *noſtrum omnium officium excitando*. Morem igitur uſque tunc ſedulò ſervatum, religioſiùs ſervandum, Apoſtolicis Literis permotus Ugho edixit : *Statuentes* (inquit), *& antiquam ſuper hoc editam Conſtitutionem confirmantes, ut futuris perpetuò temporibus Provinciale Concilium annis ſingulis celebretur in Feſto glorioſi Apoſtoli, & Patroni noſtri Bartholomæi de Menſe Auguſti, quo tunc etiam ad viſitandum ejus Limina omnes Suffraganei, & alii de Diœceſi venire tenentur : licet in eodem Feſto etiam retrò temporibus conſueverit celebrari* (3). Labebatur jam ab Archiepiſcopo Ughone Sæculum, quum anno 1474.

(1) Novella CXXXVII. cap. IV. Vide Marcam de *Concord. Sac., & Imp.* lib. I. cap. 7. n. 3.

(2) Apud Ughellum T. VIII. pag. 494., qui ex *Agathenſis* Eccleſiæ Tabulario exceptum Landulfi Diploma exhibet, eique annum 970. attribuit : ſed notas Chronologicas (ex quibus dictum annum collegiſſe debuit) oſcitanter omiſit. Nos ex Sarnellio ſuperiùs recitavimus, qui de anno 970. cum Ughello convenit; ſed cum anno ſecundo Archiepiſcopi Landulfi indictio XIV. convenire nequit, quæ a menſe Septembri anni 971. decurrere cœpit; unde quùm Diploma datum afferatur Anno Archipræſulatus 2., menſe Decembri, 14. Indictione : vel Archipræſulatus annus III., vel Indictio XIII. in Diplomate ſcripta eſſe debet, ut de dicto anno 970. affirmari poſſit.

(3) In Provinciali Synodico Eccleſiæ Beneventanæ pag. 290.

no 1474. Archiepiſcopus Corradus Capycius, ne veterem morem violaſſe impune eſſet, aſperiores pœnas ab Epiſcopis Suffraganeis ſubeundas ſancivit, edita in Provinciali ejuſdem anni Concilii Conſtitutione, quam lectu dignam inferiùs deſcripſimus (1). Ejus Sanctionis cauſſa fuiſſe videtur contumacior quædam Suffraganeorum negligentia, qui paucis ante annis juſto impedimento detenti, ne Beneventum accederent, eo ſublato, accedendi obligationem adhuc diſſimularent: Extant ſiquidem ſub Archiepiſcopo Gaſpare Columna, qui anno 1430. ſedere cœpit, quamplures Provincialium Epiſcoporum Epiſtolæ, originales adhuc in noſtra Bibliotheca ſervatæ, quibus ob ingruentia Bella in Regno Neapolitano ſeſe excuſant, quominùs, ut moris erat, ſingulis annis ad viſitanda Limina B. Bartholomæi Apoſtoli accedere permitterentur. Excitandam igitur non omnium quidem (nam plures ei Concilio interfuerunt), ſed plurium Suffraganeorum deſidiam duxit Archiepiſcopus Corradus, ne quod legitimo impedimento permittendum ſemel fuerat, in perpetuam antiqui moris ceſſationem verteretur. Viguit itaque idem mos, ſervataque ad ſeram uſque ætatem ea Provinciæ Beneventanæ lex eſt, cum ipſa Archiepiſcopatus inſtitutione, Metropoliſque Beneventanæ natalibus orta, donec novum jus, quod nova temporum ratio, præſenſque Eccleſiaſtici Ordinis ſtatus tunc poſtulabant, invectum a Sacr. Concilio Tridentino fuit: Metropolitanis quibuſque relictum deinceps, atque imperatum, ut Concilia Provincialia cogere *quolibet ſaltem triennio* poſſent, & deberent: at *ne Epiſcopi Comprovinciales prætextu cujuslibet conſuetudinis ad Metropolitanam Eccleſiam in poſterum accedere inviti compellerentur* (2). Sed qui exinde pro univerſa Provincia eſſe deſiit, permanſit tamen vetus mos Beneventanæ Eccleſiæ, ſolemnis quidem, nec non ſaluberrimi, imitandique exempli, quo univerſis Diœceſanarum Eccleſiarum Paſtoribus, aliiſque Eccleſiaſtici Ordinis primoribus ineluctabile incumbit onus, ut ad dictam diem Feſto S. Bartholomæi præcedentem, Beneventum accedant, atque in Metropolitana Eccleſia Pontificali Miſſæ interſint, in eademque SS. Euchariſtiam ſumant, ac denique Leges audiant, quæ in Synodali Conventu ritè, ac ſolemniter quotannis promulgantur (3). A Suffraganeorum acceſſu ad Metropolim annis ſingulis olim peragendo non ante diſcedam, quàm obſervationem ea de re ab Ughello factam ſubjiciam: Ex excuſationis Literis ſub Archiepiſcopo Columna a Suffraganeis tranſmiſſis obſervat quidem Ughellus, Archiepiſcopos Beneventanos *per omnia imitatos eſſe Romanos Pontifices* (4). Verum id profectò, ſi legem utram-

(1) Ibid. Conc. Provinc. Archiepiſcopi Capycii anni 1474. cap. VIII. pag. 295. *Item ſupplentes, adjungentes, & adjicientes Conſtitutioni noſtrorum Prædeceſſorum, quo cavetur, quod omnes, & ſinguli, tam Epiſcopi, quàm Abbates ſuffraganei, & ſubditi, quàm etiam Archipresbyteri, Procuratores, Præpoſiti, & aliarum Eccleſiarum Rectores Civitatis, & Dioeceſis noſtræ Beneventanæ, annis ſingulis uno die ante Feſtum S. Bartholomæi de Menſe Auguſti ad Civitatem Beneventanam ſe conferre, & in eadem perſonaliter permanere teneantur ad Concilium celebrandum ſub poena pecuniæ, prout in ipſa Conſtitutione continetur, ad quam referimus: ſtatuimus, præcipimus, & ordinamus, quod dicti Domini Epiſcopi ſuffraganei teneantur, & debeant venire, ut ſupra, ſine alia monitione, & vocatione, ſed ſolùm præſentis Conſtitutionis tenore cum libris Provincialibus, & Conſtitutionibus ſub poena, & ad poenam interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, & Sacerdotalibus Miniſteriis, quam contravenientes ipſo facto incurrant, ceſſante tamen legitimo impedimento, præter aliam poenam pecuniariam, noſtro, & noſtrorum ſucceſſorum arbitrio imponendam.*

(2) Conc. Trid. ſeſſ. XXIV. cap. II.: Plura in eam rem refert Card. Pallavicinus in Hiſt. ejuſdem Concil. P. III. lib. 23. cap. 8. n. 21., cap. 10. n. 5.

(3) Splendidiſſimum ſervati ejus moris monumentum habetur in Synodico Diœceſano Beneventano ab Archiepiſcopo Card. Urſino edito Beneventi anno 1723., in quo octo ſupra triginta Synodi (totidem reſpondentes annis, quibus Eccleſia Beneventana præſentem Archiepiſcopum habuiſſe lætata eſt, ad univerſæ Chriſtianæ Eccleſiæ regimen dein tranſlatum) digeſtæ habentur, in quibus ea exhibetur Eccleſiaſticæ diſciplinæ, Chriſtianæque Pietatis eruditio, ea Paſtoralis ſolicitudinis, effuſæque in Perſonas, Ædeſque ſacras munificentiæ monumenta præſtant, ut ingentis tum molis, tum pretii Codex omnium legentium, atque utentium judicio, cum Actis Eccleſiæ Mediolanenſis a S. Carolo Borromæo editis, jure merito comparari poſſit. Summus dein Pontifex, ac Beneventanus ſimul Archiepiſcopus, Beneventum adveniens, Concilium Provinciale anno 1725. coegit, annuaſque Synodos per ſuos Adminiſtros ad annum 1729. celebravit: quod & ejus Deceſſores, Succeſſoreſque Archiepiſcopi præſtiterunt; præſtabuntque pro eo veteri more, ex quo tum eximium Eccleſiæ Beneventanæ decus, tum maxima Civitati, Diœceſique utilitas aſſiduè comparatur.

(4) T. VIII. col. 247. Luculentum ejus rei teſtimonium in ſuperioribus notis attuli ex S. Paulini Epiſcopi Nolani Epiſtola ad Delphinum: *Deinde noſipſos Romæ, quum ſolemni conſuetudine ad Beatorum Apoſtolorum natalem veniſſemus tàm blandè, quàm honorificè Pontifex Anaſtaſius ſuſcepit*; & paullò infra: *Denique ſi Dominus nobis commeatum donaverit, ut ad eum uſitato ſolemniter nobis tempore recurramus &c.* Poſt ſchiſma Ravennatenſis Eccleſiæ, quod Maurus conflaverat, ab Archiepiſcopo Theodoro ſublatum, indulſit Romanus Pontifex Leo II., *ut in die Natalis Apoſtolorum Legatum ex Sacerdotibus mitteret, & Ravennenſis Pontifex eſſet quietus*; uti narrat Agnellus in Lib. Pontificali P. II. inter Script. Ital. T. II. P. I. pag. 153.

utramque consideres, qua quemadmodum Provinciarum Suburbicariarum Episcopi Romam in natali SS. Apostolorum Petri, & Pauli ad eorum visitanda Limina, Synodumque celebrandam se sistere tenebantur, æquo jure omnibus Beneventanæ Provinciæ Episcopis ad S. Bartholomæi Apostoli Limina visitanda, Synodalemque Conventum habendum, Beneventum adeundum erat: Verum itidem illud, tum in ea re, tum in aliis plerisque Beneventanos Archiepiscopos, Romanorum Pontificum tum auctoritatem, tum majestatem sibi imitandam proposuisse; non id tamen generatim, seù, uti Ughellus ait, *per omnia*, verum affirmari debet; immò falsum id constantissimè dixerim, si in iis etiam, quæ imitatos fuisse constat, vel ambitionis labes, vel affectationis studium, admissa intelligantur; Longè id profectò fuit a Beneventana Ecclesia, quæ ornamentis, prærogativis, juribusque suis ita resplenduit, ut non modò cum Romana Ecclesia nunquam decertare, numquam ab illius obsequio deficere fas sibi duxerit, sed etiam laudem illam, quam à Pontifice Johanne XIII. promeruit (ut scilicet *erga reverentiam Sanctæ, & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ præcipuè exuberasse* deprædicaretur,) Archiepiscopatus dignitate aucta, novis, ac luculentioribus *reverentiæ*, ac *subjectionis* argumentis jure veluti suo perpetuò sibi debitam comprobarit. Quare & illud factum est, ut perpetuum quoque erga Beneventanam Ecclesiam Romanorum Pontificum studium extiterit; quibus consuetum, ac prope quotidianum Sæculo XI., ac XII. fuit Beneventum adire, longasque ibi trahere moras, ac Concilia (quæ usque ad sex numerantur) celebrare, ut meritò Ecclesia Beneventana Romanorum Pontificum domicilium, & Asylus dicta fuerit (1). His igitur præstitutis, fas mihi nunc fuerit, ut liberiore stilo eas denique prærogativas persequar, quibus ornati Beneventani Archiepiscopi, Pontifices Romanos imitati probantur, talem scilicet, tantumque splendorem a Pontificia Majestate sibi mutuantes, quo sese non Pontificum quidem æmulos, sed Metropolitanorum quorumlibet præclarissimos duntaxat ostenderent.

Ducem sequar eundem Archiepiscopum, scilicet Hugonem II., qui Ecclesiæ suæ Privilegia in Concilio Provinciali anni 1374. opportunè recensuit, paullòque superiùs de Provinciæ Beneventanæ amplitudine, atque ingenti (*quod*, inquit, *de alia Metropoli non legitur*) Suffraganeorum numero præire nobis cœpit. Pergit itaque eodem loco noster Hugo, atque *inter alia plura, maximaque Privilegia, quibus Ecclesiam Beneventanam fuisse, & esse insignitam* affirmat, de Mitra, ejusque forma, qua Beneventani Archiepiscopi uterentur, hæc habet: *Romanus Pontifex in signum Imperii utitur Regno, idest Corona Imperiali, & in signum Pontificii utitur Mitra semper, & ubique; sed Regno non semper, & ubique, sed die, qua coronatur, quia Pontificis Auctoritas prior, & diffusior est, & dignior, quàm Imperialis potestas. Sic & nos pro nostra Ecclesia Beneventana, quæ cæteris Ecclesiis Metropolitanis majori, digniori, & præcellenti Regno, sive Thiara, ad modum Summi Pontificis utimur, quod hic* Camaurum *vocatur* (2). Quæ de Romani Pontificis Regno, atque Mitra Archiepiscopus Hugo habet, excepit is ex Pontifice Innocentio III., cujus etiam verba sibi usurpat (3). Quod ideò mihi observandum duxi, ut appareat eodem Regno, cujus Innocentius meminit, ad nostri Archiepiscopi ætatem Romanos Pontifices usos fuisse. Pontificium Regnum a Pontificia Mitra distinctum fuisse certum est, non Innocentii tantùm, ac Hugonis nostri testimonio, sed certa fide Veterum Librorum Ritualium Romanæ Ecclesiæ, quibus *Ordo Romanus* nomen est (4). Quod ad Mitram attinet, celebris inter Eruditos de illius origine

(1) Ita Ughellus dicto T. VIII. col. 95. Non est quod de sex illis Conciliis à Rom. Pontificibus Beneventi celebratis disseram, quæ collegit, edidit, notisque illustravit sæpiùs, sed nunquam satis laudatus Archiepiscopus Ursinus in dicto Beneventano Synodico Provinciali. De eorumdem Rom. Pontificum accessu ad urbem Beneventanam (ut de anterioribus temporibus nunc sileam) satis constat a S. Gregorio VII. ad Innocentium IV. neminem, si duos excipias, fuisse, qui non Beneventum adveniens, ibidem aliquandiù consedisse memoretur.

(2) In dicto Synodico Provinciali pag. 143.

(3) Ex Serm. I. de S. Silvestro: ex quo etiam Mimatensis Episcopus Durandus, (qui floruit post medium idem Sæculum XIII.) retulit in suum rationale Div. Off. lib. III. cap. XIII. n. 8.

(4) Plura, ac illustriora Ordinis Romani exemplaria edidit Cl. Mabillonius, ex eisque Tomum secundum sui itineris Italici, præmisso satis operoso, eruditoque Commentario, conflavit. Paris. 1684.: Itaque in Ordine Romano, auctore *Cencio Cardinali*, qui postea Pontifex Honorius III. fuit, sic habetur pag. 168. *Dominus Papa, deposito Regno, accipit Mitram*. In alio ordine Romano auctore *Jacobo Cajetano* Cardinale, Bonifacii PP. VIII. nepote, sic legitur pag. 258.: *Papa omnia pretiosa ornamenta habebit, & Pallium, & Mitram optimam, & Chirothecas, & Anulum pastoralem, & sic cum omnibus venit, vel ad portam, vel*

origine controversia est, quam alii recentem, alii contrà vetustissimam esse contendunt; posteriorem sententiam strenuè propugnat Andreas de Saussay; evertere conatur Hugo Menardus (1). Conciliandas facilè eas sententias arbitratur Cardinalis Bona, si Mitræ, seù peculiari cuipiam Capitis ornamento antiquitas statuatur; ea verò, quæ nunc obtinet, Mitræ forma, nuperum Sæculi circiter x. inventum dicatur. Quare Vir sapientissimus de Mitris Sanctorum Silvestri, Augustini, & aliorum Episcoporum, qui in Occidente ante annos mille, & amplius floruerunt, ab hodiernis non multùm dissimilibus, & inter Lipsana quarundam Ecclesiarum asservatis, aliis judicandum modestè relinquit (2).

Pontificiam *Mitram* cum Pontificio *Regno* confundere videtur Vir Ecclesiasticæ antiquitatis alioqui consultissimus Johannes Mabillonius, dum aliam Pontificum Romanorum, aliam cæterorum Episcoporum Mitram fuisse statuit: Quippe (*inquit*) Romanis ante Bonifacium PP. VIII. in usu erat Mitra *oblonga in acumen desinens ad instar Saccarei panis*, qualis hactenus visitur in lapidea S. Petri effigie ad Portam Basilicæ S. Petri Corbejensis, ab ipsius Monasterii (ut videtur) origine, id est ab annis ampliùs mille erecta. Eandem Pontificiæ Mitræ formam exhibet effigies Johannis PP. XV. apud Ughellum tom. v.: At verò Episcopi Mitra *bicorni, seù bifida*, haud paullò, quàm nunc, humiliori ab antiquo usi sunt, qualem præfert S. Germani Parisiensis Episcopi effigies ad majorem Portam ejus Basilicæ in Monasterio S. Germani à Pratis cum aliis posita: Unde fortassis quis hæreat in explicando Theodulfi carmine (lib. 1. carm. 3. v. 610.) ubi de Episcopali Capitis ornamento ita canit.

*Aurea Pontificis cingebat lamina frontem,*
*Qua bis binus apex nomen herile dabat.*

& infra:

*Illius ergo caput resplendens Mitra tegebat.*

ex quibus versibus *quatrifidam* olim fuisse Mitram Episcoporum nonnemo forsan colligeret: At numericum adverbium *bis* non cadit in adjectivum *binus*, sed in verbum *dabat*; ita ut sit sensus, *binus apex bis dabat herile nomen*, nempe jus (ut puto), quod vocant *spiritale, & temporale* (3). Hæc Mabillonius, qui (uti diximus) non aliam Romanorum Pontificum Mitram agnoscit, quàm *oblongam*, & ad instar *saccarei panis acuminatam*, quam veluti augustiorem à breviori, seù humiliori, bifidaque Episcoporum reliquorum Mitra distinguit. At præter illam, fuisse etiam Romanis Pontificibus in usu Mitram ipsam, si non ornatu, eâdem certè formâ cum aliis Episcopis communem, jam superiùs probatum est, ostendique etiam posset ex vetustissima S. Silvestri Papæ Mitra, adhuc superstite, de qua in antecedenti nota diximus. Quamobrem, quam Mitram Mabillonius affert, describit, appellat, diversum quidem agnoscere, ac vocare debebat, peculiare omninò Romanis Pontificibus Capitis insigne, adeò à Mitra distinctum, ut hac *Tiara* (inquit Auctor libri Ceremoniarum) *utatur Pontifex in magnis solemnitatibus eundo ad Ecclesiam, & redeundo; sed nunquam illa utatur in Divinis* (4), atque uti habet Durandus: *Regno quidem non utitur, nisi certis diebus, & locis, nunquam intra Ecclesiam, sed extra* (5). De hac igitur Tiara, quæ *Regnum* appellatur, aliqua carptim observare præstat.

Ejus Tiaræ formam à Mabillonio descriptam audivimus, qui tamen præcipuum Coronæ,



*vel ad gradus Ecclesiæ, & ibi prior Diaconorum Cardinalium extrahit sibi Mitram, & ponit ei Coronam, quæ vocatur Regnum, in capite, toto populo acclamante &c.* De Pontificiis Mitris Cerimoniale Romanum, editum jussu Gregorii X., ita habet ibid. pag. 232. *Primò notandum est, quod Dominus Papa tres Mitras diversas habet, quibus diversis temporibus utitur, scilicet unam albam totam, unam cum aurifrigio in titulo cum circulo, & Mitram aurifrigiatam in circulo, & in titulo &c.*

(1) Alter in *Panopliæ Episcopalis* lib. 1. Alter in Notis ad *Sacramentarium* S. Gregorii not. 947.

(2) Rer. Liturg. Lib. 1. cap. XXIV. n. XIV. S. Silvestri Papæ Mitram, sive anteriorem ejus partem, Romæ ad S. Martinum in Montibus asservatam, quæ coloris viridis, holoserica, non villosa, phrygiana est, & acu satis imperitè picta, ærea tabula insculptam exhibet Episcopus Angelus Rocca, olim Sacrarii Apostolici Præfectus T. II. ejus Opp. pag. 379.

(3) Præfat. in Sæcul. IV. Benedict. num. 183. edit. Venet. 1740.

(4) Lib. III. Sect. V. cap. 9. apud dictum Angelum Rocca T. I. Opp. pag. 7., ubi *de Tiaræ Pontificiæ, quam Regnum Mundi vulgo appellant, origine, significatu, & usu* tractatiunculam habet.

(5) In Rational. lib. III. cap. 13. n. 8.

ronæ, eandem Tiaram ambientis, unde & illa in sublime assurgit, ornamentum præteriit. Non aliunde præclariùs, ac fideliùs formam didicerimus, quàm ex vetustis Actis Alexandri PP. III., quæ ab ejus temporis auctore satis fideli conscripta ex Codice Vaticano magnus Cardinalis Baronius recitavit: Alexander enim, *praeunte Spiritus Sancti gratia, consecratus est in Summum Pontificem, & secundùm solitum Ecclesiæ morem, Regno de more insignitus, Mitra turbinata scilicet cum corona* (1): Similem Diademati illi dixeris, quod primus omnium Imp. Constantinus invenit, suoque Capiti adhibere cœpit, *Camaleucium* appellatum, Coronam scilicet cum Mitra, quæ Caput operiret (2): atque ex ejus quidem Augusti ævo, ejusdemque indulgentia, datum Pontificibus Romanis ajunt, ut eodem insigni, quo Sacerdotalis, & Regia potestas indicaretur, sacrum Caput decorarent (3): Quamquam alii ex Regis Francorum Chlodovæi ætate Pontificii Regni originem ducant, ea occasione, quòd is (Hincmaro teste) *coronam auream, cum gemmis, quæ Regnum appellari solet, B. Petro, S. Remigio suggerente, direxerit* (4). Quod etiam ab Anastasio Bibliothecario memoriæ proditum est, qui Pontificis Hormisdæ tempore *venisse Regnum cum gemmis pretiosis a Rege Francorum Clodovao Christiano, donum B. Petro Apostolo*, affirmat (5). Quare hoc Francis Regibus antiquum decus vindicare maluit, de Constantino prorsus silens Cangius, ut scilicet *exinde (ut par est credere) Pontifices Romani in publicis ceremoniis hac Corona à Clodovæo sibi indulta, uti cœperint* (6).

At neutram ego sententiam probandam duxerim; nam neque id Chlodovæi Diadema, quod ἀνάθημα B. Petro oblatum inter res sacras censendum erat, in suum usum Pontifices convertissent; neque ejusdem formæ fuisse traditur, quam Pontificalis Tiara præferebat; si quidem ex *Regni* vocabulo, quod (eodem docente Cangio) commune cujuslibet Coronæ Regalis nomen fuit, ad Pontificium Regnum argumentari non licebit. Constantinum verò Romanis Pontificibus, ut Regalis Sacerdotii (uti S. Petrus appellat) insignia gestarent, auctorem fuisse fatemur, non quòd ejus indulgentiâ, sive munere res ipsa obtineri cœpisset, sed ex ipsius potiùs Christiana professione, quam primus Imperatorum publicè amplexus est; qua profectò factum est, ut pace Ecclesiæ restituta, quæ priùs Persequutoribus sævientibus oppressa delituerat, Pontificia dignitas sese explicuerit, atque in propriam, nativamque majestatem seipsam erexerit. Hinc sapientissimus Pontifex Innocentius III. de Consecratione sua sermonem habens, ab ipsa Romana Ecclesia, quod ejus perpetui juris ab suis natalibus fuit, collatam sibi cum suis Insignibus Pontificatus Maximi potestatem agnoscens, *Hæc sponsa* (inquit) *non nupsit vacua, sed dotem mihi tribuit absque pretio pretiosam, spiritualium videlicet plenitudinem, & latitudinem temporalium, magnitudinem, & multitudinem utrorumque. Nam ceteri vocati sunt in partem sollicitudinis, solus autem Petrus assumptus est in plenitudinem potestatis. In signum spiritualium contulit mihi Mitram, in signum temporalium dedit mihi Coronam: Mitram quoque pro Sacerdotio, Coronam pro Regno, illius me constituens Vicarium, qui habet in vestimento, & in fœ-*

(1) Card. Baronius in Annal. ad Annum MCLIX. n. XXXIII. Ex eodem Codice ejusdem Pontificis Vitam hausit, potiùs quàm descripsit Cardinalis de Aragonia, qui eundem locum sic recitat: *& secundùm Ecclesiæ morem Papali Regno solemniter coronatus*. T. III. P. I. Scriptor. Ital. pag. 449.

(2) Agit de hoc *Camaleucio* Cangius in Dissert. *De infer. ævi numism. n.* XVII., & fusè in Dissert. 24. *ad Janvillam*, ac dein *in Glossario*.

(3) S. Bruno Signiensis Episcopus *de Vestimentis Episcopalibus*, ita habet: *Summus Pontifex propter hoc, & Regnum portat (sic enim vocatur) & purpura utitur non per significationem, ut puto, sed quia Constantinus Imperator olim B. Silvestro omnia Romani Imperii insignia tradidit*. S. Petrus Damianus in Dissert. Synodali inter Regis Advocatum, & Romanæ Ecclesiæ Defensorem, quod est Opusculum IV. T. III. Opp. edit. Venetæ 1743. de eodem sic habet pag. 27. *Beato Silvestro, suisque Successoribus* (Imp. Constantinus) *obtulit, ut regali more, & aurea Corona plecterentur in Capite, & ceteras regii cultus infulas usurparent. Verùm B. Silvester, ornamenta, quæ Sacerdotali congruere videbantur officio, in proprias usus assumpsit, Coronam verò, vel cetera omisit*. Ad quem Damiani locum videnda *scholia* ab erudito editore Constantino Cajetano adjecta, qui satis luculenter Mitræ usum ante Constantinum a Romanis Pontificibus usurpatum probat, atque ipsius S. Silvestri Mitram memorat, quam Eugenium IV. *Romam Avenione delatam a Vaticano in Lateranum detulisse*, Platina refert. Porrò Coronæ usum ex veteris Legis summo Sacerdotio in Christianam, & Romanam Ecclesiam jure translato, ampliùs confirmat, quemadmodum triplicem Coronam a Bonif. VIII. etiam jure adhibitam probat, laudatque libellum Marci Antonii Maratonii *De Tribus Rom. Pontificum Coronis*.

(4) In Vit. S. Remigii: eadem habet Flodoardus Lib. I. Hist. Remens. cap. 15.; Flodoardus in Chron. ad ann. DL., Aimonius, sive Annonius Hist. Franc. lib. I. cap. 28.

(5) In vita Hormisdæ pag. 125. Tom. III. P. I. Script. Ital. ubi alii veteres Anastasii Codices, *pro Regno* scriptum habent *Sigerum*.

(6) In Glossario verb. *Regnum*.

*in foemore suo scriptum : Rex Regum , & Dominus Dominantium , Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (1).

Non igitur mirum, si ab annis amplius mille (uti superiori Sæculo ajebat Mabillonius) S. Petri effigies, eâdem, de qua nunc agimus, Tiara decoratus conspicitur; non quòd illam vivens gestarit, sed quòd gestandi jus, atque arbitrium habuerit; quod (quum temporum, Ecclesiasticæque Politiæ rationes ferrent) Successoribus suis integrum reliquit. An enim Petro, ejusque successoribus minùs Tiara, sive *Regnum* convenit, quàm Claves congruant, Christi oraculo sibi datæ, ac in splendidissimum multiplicis quidem Imperii Pontificalis Insigne continenter assumptæ? Non *binas* tantùm Claves (nam plurali numero Christus uti voluit) Petro attribuunt vetustissimæ illius Imagines, passim occurrentes, sed plura sunt quoque monumenta, tum apud Latinos, tum etiam Græcos, in quibus Petro *tres* simul Claves gestandæ assignantur; cujus rei rationes jamdiù à Viris eruditis observatas reperio (2). Ex harum igitur Clavium numero triplicem Petri, ejusque successorum Romanorum Pontificum potestatem demonstrante, optimam rationem deducendam video, quare, quæ unâ antiquitùs coronâ redimeretur, mox secundam, ac denique tertiam Pontificia Tiara receperit. Uti enim Petro unica aliquando Clavis (qua tamen sola ejus potestas universim indicata videbatur) plerumque duæ, ac non rarò tres (quo præclarius haberetur ejusdem potestatis indicium) traditæ probantur: ita par visum fuit, ut ternis Clavibus totidem responderent Coronæ, quarum secundam Bonifacius VIII., tertiam denique Urbanus V. Pontificiæ Tiaræ addidisse feruntur (3). Paulus verò II. &



(1) Serm. III. *de Consecratione Pontif. Max.*: Sed & in Sermone *de S. Silvestro* in eandem rem sic præclarè loquitur: *Fuit B. Silvester Sacerdos non solùm magnus, sed maximus, Pontificali, & Regali potestate sublimis. Illius quidem Vicarius, qui est Rex Regum, & Dominus Dominantium, Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, ut spiritualiter possit intelligi dictum ad ipsum, & Successores illius, quod ait B. Petrus Apostolus primus, & præcipuus Prædecessor ipsorum. Hos enim elegit Dominus, ut essent Sacerdotes, & Reges. Nam Vir Constantinus egregius Imperator, ex revelatione Divina fuit per B. Silvestrum a lepra in Baptismo mundatus; Urbem pariter, & Senatum cum hominibus, & dignitatibus suis, & omne Regnum Occidentale ei tradidit, & dimisit, secedens & ipse Bizantium, & Regnum sibi retinens Orientis. Coronam verò Capitis sui voluit illi conferre, sed ipse pro reverentia Clericalis Coronæ, vel magis humilitatis caussa noluit illam portare; veruntamen pro diademate Regio utitur aurifrigio circulari ...... Romanus itaque Pontifex in signum Imperii utitur Regno, & in signum Pontificii utitur Mitra: Sed Mitra semper utitur, & ubique: Regno verò nec ubique, nec semper: quia Pontificalis auctoritas, & prior est, & dignior, & diffusior, quàm Imperialis. Sacerdotium enim in Populo Dei Regnum præcessit, cùm Aaron primus Pontifex Saulem primum Regem præcesserit.*

(2) In Lateranensi *Triclinio*, ut Anastasius vocat, a Leone III. constructo musivo opere depictus visitur S. Petrus, qui tres claves super genua habet: nam dextrâ Leoni Pallium, sinistrâ Carolo Magno Lanceam tradit. Ejusdem Petri imago tessellato itidem opere ad tumulum Imp. Ottonis Magni cernitur, qui Crucem dexterâ, sinistrâ tres claves præfert, uti videre est apud Nicolaum Alemannum *De Lateran. Pariet.* pag. 88., qui etiam pag. 86. ex veterrimo Bibliothecæ Vaticanæ Codice Græco picturam exhibet, in qua S. Petrus pariter cum tribus clavibus effingitur. In visione Barocii Monachi, quam fusè refert Mabillonius in Annal. Benedict. Lib. XVI. n. 89. S. Petrus tres Claves manu gestans, apparuisse traditur; ea forma, quam ære incisam idem Mabillonius profert n. 91., ubi de caussa curiosiùs inquirens: *Cur*, inquit, *verò tres illæ S. Petri Claves? Duabus prioribus potestatem ligandi, atque solvendi significari nemo negaverit; tertiam verò Alemannus pag. 87. putat adhibitam fuisse ad denotandum munus illud, quod ex ligandi, atque solvendi jure consequi, ait, nempe secularia ad spiritualia dirigendi auctoritatem. Si conjecturas hic meas proponere licet, verisimilius puto, idcirco S. Petro, cui Christus Claves Regni Coelorum dedisse memoratur, tres ejusmodi Claves affictas fuisse, quod coelesti Civitati Jerusalem in quadro positæ ex parte qualibet tres portæ apud Ezechielem, & in Apocalypsi B. Johannis assignentur: quibus aperiendis tres illæ claves B. Petro aptatæ sunt. Nisi quis compendiosiùs dicat, tribus illis clavibus significari Coelum, Purgatorium, & Ecclesiam militantem, aut certè tres orbis partes tunc notas (nam America tunc ignota erat) in quas S. Petri extendebatur auctoritas. Hæ conjecturæ meæ: alii fortè melius divinabunt*: Hactenus Mabillonius. Sed ante Mabillonium, non solùm Alemannus, sed etiam Raynaudus *de tribus S. Petri Clavibus* luculenter disseruit in Tractatu *De Corona Romani Pontificis* Prænot. IV.: egit postea Mabillonii ignarus Cl. Ciampinus *in veter. Monum. cap.* XXVIII. *pag.* 272., *& seqq.* Hæc de tribus Clavibus: ad tres quod attinet Coronas, libet heic afferre, quæ scribit Franciscus Longus *in Breviario Chronologico*. Lugduni 1623. ad an. 514. pag. 160., ut videas easdem ferè omnes rationes, quas Mabillonius tribus Clavibus assignavit, diù ante tribus Coronis ab aliis accommodatas: *Diadema* (inquit Longus) *triplici corona distinctum Summis Pontificibus imponitur, ut dignitatis illius, quæ omnes amplitudine superat, indicium esset certissimum. Hoc verò Diadema susceperunt, quia Pontificia illa Tiara, quæ a Josepho describitur, tribus coronis erat circumdata, aut ut Ecclesiam Europa, Asia, Affrica, tribus præcipuis, quæ tunc cognitæ erant, terrarum oris sparsam significarent &c.*

(3) Ita apud omnes Scriptores, eruditosque, quos sciam, convenit, laudatos scilicet Pontifices ejus rei auctores extitisse. Præstat audire doctissimum P. Conradum Janningum, qui in operoso commentario *De Basilica S. Petri* edito T. VII., seù P. II. Junii Operis Bollandiani, de Apside ejusdem Ecclesiæ agens hæc habet §. 3. n. 278. *Notari meretur, quod Phrygium, sive Tiara Ponti-*

pretium, & usum auxit, optimè, ac sapientissimè ratus, hæc non inanis pompæ spectacula esse, sed Religionis ornamenta, quibus (præter mysticas significationes (1)) Summus Christianæ Ecclesiæ Pontifex, eam potestati, majestatique suæ venerationem conciliare videtur, quam Deus supremo prioris Legis Sacerdoti, dignitate licet longè inferiori, attributis ejus capiti, pectori, reliquoque corpori splendidissimis insignibus, indumentisque, comparatam voluit (2).

Hæc de Pontificia Tiara observanda mihi erant, ut semel proposito argumento fieret satis; at non eadem omnia ad nostrorum Præsulum Archiepiscopalem Tiaram referenda sunt. Fuit quidem nostris Archiepiscopis jus, sive mos, a Romanis certè Pontificibus, sive indultus, sive probatus, ut ad eorum Tiaræ exemplum, suam illi Mitram componerent, acuminatam videlicet, sed unicâ tantùm coronâ perpetuò contentam, quæ ipsorum inter Metropolitanos quoslibet præstantiam ostenderet. Scimus etiam eidem Tiaræ majorem ex Gemmis, aliisque ornamentis splendorem, ac majestatem comparatam. Extat in nostra Bibliotheca Inventarium membranaceum Thesauri Ecclesiæ Beneventanæ sub Archiepiscopo Donato de Aquino anno 1411. confectum, ubi inter Sacras Supellectiles primo loco Archiepiscopalis Tiara hisce verbis describitur: *In primis Camaurum unum de perlis cum lapidibus preciosis, cum suace de argento deaurato, quo utitur Prælatus* (idest Archiepiscopus) *in officio exercendo*. Quæres nunc, cur, ac quando Beneventani Antistites ejusmodi prærogativâ exciderint? Refert Ughellus, anno 1476. à Sixto PP. IV. adempta Archiepiscopo Conrado Capycio, ejusque Successoribus, tum gestandi *Camauri*, tum præferendæ *Eucharistiæ*, tum *Sigilli Plumbei* privilegia (3). De Camauro, ac Sigillo negat Vipera. Sarnellius Baronii continuatorem Raynaldum affert, affirmantem ad annum 1466. n. 20. Paulum PP. II. Archiepiscopo Nicolao Piccolomineo Camauri, & Eucharistiæ usum vetuisse: at quia Pontifex Paulus *Camaurum*, idest Mitram *Triregnalem* vetare ait, censet Sarnellius, nihil de Mitra Regnali, idest unica Corona contexta, immutatum, quam solam omni retrò ævo à Beneventanis Archiepiscopis gestatam, diu post Pauli II. ætatem Arichiepiscopus Maximilianus de Palumbaria, sedem anno 1574. auspicatus, Romæ reficiendam curavit (4). Quum ego de hac re vetera nostræ Bibliothecæ monumenta diligentiùs perscrutarer, vera, quæ Raynaldus affirmavit, comperii; nam Literarum Pauli, quibus Archiepiscopo Piccolomineo, ejusque Successoribus Triregnalis Mitræ, sive Camauri usus, nec non Eucharistiæ delatio interdicta fuit, authenticum exemplar mihi præsto fuit: sed id etiam occurrit, post Pauli interdictionem non omninò desuetum Beneventanis Archiepiscopis veteris Mitræ usum. Præclarissimum ejus rei monumentum suppeditant autographæ S. Pii PP. V. Literæ *motu proprio*, uti vocant, emissæ, ejusque Sanctissimi Pontificis manu subscriptæ, quibus is Archiepiscopum Cardinalem Sabellum, propterea quod *in Ecclesia Beneventana Camauro, seù Mitra Triregnali, seù Regnali diebus solemnibus etiam pluries usus fuerit, à Censuris, aliisque Pœnis, quas Paulus sanciverat, absolutum declaravit*. Utrasque tum Pauli, tum Pii Literas, lectu quidem dignas, in Appendicem rejecimus. Interim ipse idem Paulus Secundus, qui Romanorum Pontificum Tiaram (uti superiùs observavimus) splendidiorem efficere studuit, Beneventanorum Archiepiscoporum Mitram,

*Pontificis tempore Innocentii III. nondum duplici, necdum triplici coronamento supernè sit clausa, ac talis planè, qualem scribit Sugerius S. Dionysii Abbas in Vita Ludovici Crassi apud Du-Chesnium* T. IV. *pag.* 238., *dum ait, in solemni die Paschatis ministros Pontificios, more Romano præparatos, Innocentii* PP. II. *tunc in Gallia morantis capiti impositum Phrigium ornamentum imperiale, instar galeæ, circulo aureo circinnatum. Alterum coronamentum Tiaræ additum videtur à Bonifacio* VIII., *tertium verò ab Urbano* V.

(1) De Mysticis significationibus Pontificalium vestium, cæterorumque ornamentorum tum veteris, tum novi Testamenti uberrimè agit Pontifex Innocentius III. *in Sermone de S. Gregorio* PP. I.

(2) Libet heic subjicere, quæ de hac re scribit Michael Cannesius in vita dicti Paulli II. T. III. P. II. Scriptor. Ital. p. 1010.: *Sacræ Religioni, Divinisque Officiis deditus admodum fuit.... In cultu Divino splendidissimus, & ceremoniosissimus fuit.... Tiaram, quam Mitram, seù Regnum appellamus, tam ingenti auri, gemmarumque electissimarum sumptu, & splendore confecit, ut omnium antecessorum Pontificum industriam, ac impensam evicerit.... Quum autem ipse in Natali die solemnia Missarum pro sua consuetudine celebrare in Templum Apostoli Petri descenderet, eandem Tiaram capite gestans, quàmmulti fuere, quibus lapidum, gemmarumque usus notior erat, qui pro tantorum excellentia lapidum, atque gemmarum ipsam Tiaram ducenta millia aureorum, & amplius æstimarent. At verò quum ceteri Pontifices vix semel in anni decursu Tiaræ usu delectati sunt, ipse primus pro rerum, ac dignitatis conditione frequentiùs, atque id solemnioribus anni diebus eam magna cum majestate deferre solebat.*

(3) In Archiepiscopo Conrado Capycio col. 251.

(4) In Chronol. Ben. pag. 140.

Mitram, quæ ad illius formam accedere videbatur, interdicendam sibi duxit; ac licet Triregnalem, ac Camaurum duntaxat expresserit, exinde tamen factum est, ut etiam Regnalis, saltem post Archiepiscopi Sabelli ætatem, ab usu recesserit, id tantùm Beneventanis Archiepiscopis sibi tribuentibus, ut vetustæ Mitræ acuminatæ, coronatæque effigiem in suis gentilitiis insignibus, sigillisque apponant, superstes tantæ rei, ac velut præsens præstantissimæ, cui præsunt, Metropolitanæ Ecclesiæ monumentum.

Quum autem Pontifex Paulus II. non modò Mitræ *Triregnalis*, sivè *Camauri* usum, verùm etiam *Eucharistiæ* delationem Beneventanis Archiepiscopis interdixerit, jam illud planè constat, hanc etiam illis ad Sæculum usque XV. prærogativam fuisse, ut Romanorum Pontificum exemplo, præviam in itinere Eucharistiam deferrent. Quanti pretii ejusmodi prærogativa fuerit, non ex antiqua Ecclesiæ disciplina, sed ex sequutis postea moribus æstimare licebit. Fuit olim in Veterum Christianorum more, institutisque positum, ut Sanctissimam Eucharistiam non modò domi servarent, verùm etiam iter facturi secum deferrent, præsentem scilicet in extremo discrimine, vel Tutelam, vel Viaticum futurum, luculentum certè eorum fidei, religionisque argumentum, quibus Divinum id Sacramentum prosequebantur (1). Hanc piam consuetudinem, sicut fervens religio invexit, ita & religio æquè sancta abolevit: permittebat id sibi tunc Fides, quod postea reverentia prohibuit; ac laudabilior postea ipsa fides, quæ majorem Eucharistiæ reverentiam adhibendam existimavit. Ubi verò ex personarum conditione Sacramenti reverentia in tuto esset, perseveravit ipse mos, Eucharistiam in itinere, terra, marique, sudario involutam gestandi. De Episcopis illustre è Sæculo VII. prodit exemplum, insigni quoque miraculo nobilitatum: nam Pontifex Honorius I. Birino Episcopo Dorcestriensi ad prædicandam Britannis Christianam Fidem ablegato, Eucharistiam pallâ involutam, gestandam tradidit, quam ille collo suspensam deferens, ac tum, quùm sacrum faceret, in eodem altari deponere consuetus, fortè oblitus, maris, quod transegerat, spatium, ut illam repeteret, itu, redituque pedes cursitavit (2).

At ævo posteriore uni Pontifici Romano servatum est, ut iter facturus præviam sibi Eucharistiam haberet: quum enim illam collo appensam, vel secretò gestari nefas visum fuerit; publicè autem præferri nonnisi cum debita reverentia, eoque, quo illa digna est, apparatu oporteret, vix fieri poterat, ut id muneris ab Episcopis præstaretur, quod tamen Pontificibus, perrarò etiam, ac gravi de causa iter facturis, implendi facultas erat. Hæc autem existimanda prior causa est, cur ejus rei observantia, quæ ab omnibus olim Christifidelibus frequentabatur, dein in ipsis etiam Episcopis obsoleta, apud solos Pontifices Summos perseverarit. Sed & à Viris doctis alias quæsitas caussas invenio, quare hoc Antiquitatis Ecclesiasticæ monumentum sanè pulcherrimum in Ecclesia hæserit omnium principe, & magistra, alibi prorsus obliteratum: Atque Angelus Rocca Episcopus Tagastensis, Pontificii olim Sacrarii Præfectus, peculiarem Commentarium conscribens, *De Sacrosancto Christi Corpore Romanis Pontificibus iter conficientibus præferendo*, non aliam opinatur ejus rei rationem, quàm ut Pontifici peregrè se habenti, quum fortasè opus est, præsto sit Sacri Viatici administratio: quam ipse opinionem pluribus argumentis, atque exemplis tueri conatur (3). Aliam Thomassinus de eadem re sententiam protulit, ratus ex reali Christi præsentia, qui Pontifici viam præit, ac præmonstrat, pompam illam, quæ in Pontificio Comitatu resplendere solet, sacram, & religiosam omnibus reputandam ostendi, nec cujusquam menti occurrere debere, Romanum Pontificem, tamquam Principem aliquem

(1) Non solùm persequutionum tempore id factum, uti de S. Tarsicio constat, cujus memoria in Rom. Martyrologio ad diem 15. Augusti recolitur: sed longè etiam post Christianam pacem; uti de Satyro S. Ambrosii fratre ipse Ambrosius testatur *in Orat. de illius obitu*: & de Maximiano, Syracusano dein Episcopo, tradit S. Gregorius M. Dialog. lib. 3. cap. 36. & Jo. Diaconus in ejusd. Gregorii Vita lib. 1. cap. 33., Vid. Mabillonium *in Annal. Benedict.* lib. VII. n. XVII., & Angelum Roccam in Tractatu: *De Sacrosanto Christi Corpore Romanis Pontificibus iter conficientibus præferendo*. T. 1. ejus Opp. pag. 40., & seqq.

(2) Surius T. VI. in S. Birini Vita ad diem 3. Decembris. Sic, quæ priùs frequens consuetudo erat, Eucharistiam consepeliendi mortuis, post Concilium Chartaginense III., & Trullanum, quorum can. 3., & 83. improbata est, adhuc in Episcopis saltem Græcis servatam ostendit Theodorus Balsamon: cujus in dicto can. 83. hæc sunt verba: *Quod autem sanctus Panis Antistitibus post mortem tradatur, & sic sepeliantur; existimo hoc fieri ad avertendos Dæmones, & ut per ipsum tanquam Viaticum deducatur ad Coelum, qui magna, & Apostolica benedictione dignus est habitus.*

(3) Part. 1. §. ult.

aliquem temporalem, aut terrenum, sed ut Christum ipsum, cujus cœleste Regnum est, nec aliter pompam omnem, qua circumfulget Pontifex, spectandam esse, nisi ut religiosam pompam, ejus generis omninò, cujus & ea, quæ in Templis Deo, Deique Ministris exhibetur: Quo enim demum cumque loco sit Christus, in Principe Ministro, & Vicario suo sessitans, Templum illud est, Ecclesia est, Sacrariumque religioni, & Sanctitati dicatum (1). Et Roccam, & Thomassinum veri fortasse similia, sed non omnia, ac præcipua excogitasse dixerim: Mihi illud primum in mentem venit, rectissimam, quam semper Ecclesia tenuit, tenebitque, Eucharistiæ Fidem eo maximè argumento adversus subortos Hæreticorum errores comprobatam iri, quòd illam domi servari, illam foris gestari Veteres Christianos in more habuisse, exploratissimum sit: Dum morem aboleri reverentia suasisset, manere tamen debuit apud Romanos Pontifices præferendæ Eucharistiæ ritus, perpetuum Orthodoxæ Fidei argumentum, quo Illa cum ipso Catholicæ Ecclesiæ Pastore, ac ipsius Christi Vicario religiosâ cum pompa circumducta perpetuum de hostibus triumphum agere videatur. Cogitare & illud subit longè rarum illud fuisse, ac fore, ut Romani Pontifices longo itineri se committant; id verò factum tum contingit, quùm Ecclesiæ, reique publicæ Christianæ necessitas postularit, quùm demum Dei honos in caussa sit (2). Quid ni igitur Pontifices ipsum Christum, ac Deum, qui in Eucharistia præsentissimus inter homines manet, cujus ipsi vices in terris gerunt, solum & suscepti itineris, & rei gerendæ auspicem, ducem, auctorem præmonstrent?

Atque hæc postrema, quæ de Romanis Pontificibus adducta mihi est, non ipsa quidem posterior caussa fuit, cur Beneventani Archiepiscopi singulari vel privilegio, vel more ad suam usque ætatem præferendæ sibi Eucharistiæ ritum retinuerint. Non enim extra proprium Territorium, neque suo arbitratu, levibusque ex caussis id sibi permittebant, sed eo prorsus tempore, eoque in itinere, quo in Diœcesi, Provinciaque sua Pastoralis Visitationis munus prosequebantur. Rem ita se habuisse vetusta Beneventanæ Ecclesiæ monumenta declarant, testanturque, præter Ughellum, ac domesticos alios Scriptores, disertè sæpiùs laudati *Rocca*, & *Longus*, qui post obsoletum, vetitumque gestandæ privatim, publicève Eucharistiæ morem, id Romanis Pontificibus reliquum, id præterea Archiepiscopis Beneventanis, dum suam Diœcesim visitarent, singulari prærogativa, exemploque, ad Pauli II. tempora licuisse affirmant (3). At dignum tunc illud quidem, satisque congruum, si non tam ad Beneventanæ Ecclesiæ præstantiam referas, quàm si ipsum Sanctæ Visitationis munus spectes, in quo quum præcipua, maximèque salutaris Pastoralis officii pars contineatur, nec sine administrorum, aliorumque Ecclesiasticorum religioso comitatu peragatur, non solùm debito cum honore, ac reverentia, sed non sine summo pietatis, religionisque emolumento Sacratissimum Christi Corpus præferebatur; cujus præsenti numine Pastoris Zelus ferventior, alacriora Gregis obsequia reddebantur. Sed jam hæc olim fuere; perpetuum tamen Beneventanæ Ecclesiæ decus erit, hanc Romano duntaxat Pontifici communem prærogativam diutiùs servasse.

Age nunc de illa itidem singulari, atque adhuc superstite prærogativa videamus, qua Beneventani Archiepiscopi Diplomata sua, sive Bullas, plumbeo appenso Sigillo, instar Romanorum Pontificum obsignare, ac communire solent. Rem ipsam in præsentium Archiepiscoporum Diplomatibus passim inspicere, ac contrectare promptum est; præteritorum non ante Sæculum XII. monumenta habentur. Quos Archiepiscopum Hugonem II. Ecclesiæ suæ privilegia enarrantem audisse superiùs delectavit, non eos certè Archiepiscopum Cardinalem Sabellum audire nunc pigebit, qui post alia ejusdem Ecclesiæ privilegia, de ipsa re sic loquitur: *Ipsius verò Ecclesiæ Præsulem ea habere privilegia, quæ nulli alterius*

(1) De Eccl. Discipl. P. II. Lib. III. cap. LXVI. n. VII.

(2) Exempla Rom. Pontificum, quibus longum iter agentibus Eucharistia prælata est, indicavit Franciscus Longus in *Brev. Chronol.* ad annum 1592. pag. 433. Eandem rem prosequutus accuratiore stilo est laudatus superiùs Angelus Rocca in suo Commentario P. II. §. 1. à Stephano III. exorsus (qui anno 752. *Cristo prævio* (ut inquit Anastasius) in Gallias ad Pippinum profectus fuit), in Clementem VIII. desinit, qui anno 1592. Ferrariam Sedi Apostolicæ recuperatam petiit, quo in itinere ipse Rocca Pontificii Sacrarii Præfectus ea omnia curavit, quæ in Eucaristia præferenda opus fuere, ac distinctè describit, additis etiam æreis tabulis, & modum, & pompam gestati Sacramenti repræsentantibus.

(3) In locis laudatis pag. 42., & pag. 433.

*alterius Ecclesiæ Præsuli hactenus concessa reperiuntur, & cum Signo, & Plumbo, Romanorum Pontificum more, Literas expedire, nemo est, qui ignoret: cùm multa antiquissima Veterum Beneventanæ Ecclesiæ Præsulum plumbatæ Bullæ reperiantur, quarum præcipuè cæteris antiquitate præcellit, quæ est Lombardi Archiepiscopi, confecta anno à Christo nato* MCLXXV. *Alexandro III. Summo Pontifice; quæ omnia ejus prærogativam, & nobilitatem ostendunt* (1). Ne cui autem mirum sit, haud remotiorem ejus rei, quàm Sæculi XII. antiquitatem afferri posse; neque enim altior plumbei Sigilli generatim antiquitas est, cujus circiter eam ætatem invectus mos, statim Beneventanorum Præsulum etiam mos esse cœpit, quamquam & olim ipsi Diplomata emittere, signoque ptoprio munire antiquitùs consuessent. Rem igitur ipsam, quò illustrior evadat, a sua origine repetere præstabit.

Primum omnium, quod ad posterorum manus, memoriamque pervaserit, Diploma Archiepiscopi Alfani II. anni 1012. Ughellus deprædicat, ac pro magna re habuit, illius exemplar *in gratiam Antiquitatis*, ac Beneventanæ Ecclesiæ decus in lucem emittere: *Hic* (inquit) *inserere libet concessionem quandam ab hoc Alfano factam, quia quum sit primum monumentum, quod reperire potui de expeditione Bullarum Beneventanorum Antistitum in gratiam antiquitatis, illud exarandum duxi eadem de Bibliotheca Beneventana fascic. 16. Bullarum num. 153. Lit. Q.* Eo autem recitato mox subdit: *In gratiam antiquitatis, ut præfatus sum, hujusmodi rubigines jamdiù naufragantis, & penè obliteratæ latinitatis transcribo, licet minus erit fortasse, quod mireris in jam relato Diplomate, cum majorem barbariem deprehendet, quicumque Beneventanorum Principum monumenta pervolvet* (2). Horret certè Charta barbaricis fæcibus, sed longè horridior editoris negligentiâ effecta, lucem optare visa est meliorem, quam, quia lectu digna est, eidem libenter præstitimus (3). Sed mirum magis illud,

(1) In Literis indictionis Concilii Provincialis anni 1574. Synod. Prov. Ben. pag. 309.

(2) T. VIII. col. 112. Venet. edit.

(3) Ex Originali membrana nostræ Bibliothecæ, atque ex Bullario Selecto n. XVIII. pag. 79.: *Nos Alfanus nutu Dei Sanctæ Beneventanæ, ac Sipontinæ Sedis Archiepiscopus. Per rogum Malgepotonis* (a) *dilecti nostri Diaconi, concessimus tibi Alfarani Clerico filius Pauli Clerici, tibi, tuisque hæredibus semper Ecclesiam vocabulo Sancti Johannis Baptiste, quæ sita est circa Porta Foliarola cum rebus, & pertinentiis suis, ut potestatem habeatis, tu, tuisque hæredibus ordinare Præsbiterum in eadem Ecclesia, secundùm vestram voluntatem sine nostra, nostrorumque Successorum aliqua contradictione, vel molestatione, aut cujuscumque requisitione, & quoscumque Dominus in eadem Ecclesia per suos fideles dederit, totum, & inclitum* (b) *maneat vestræ potestati. Et pro hoc statuimus, ut omni anno in Nativitate Domini detis ad partem Sacri nostri Archiepiscopi* (c) *una pario de Oblate, & uno Cereo* (d) *similiter in Pascha Domini uno Cereo, & uno pario de Oblate, & sussequenter in Nativitate Beati Johannis Baptiste, uno pario de Oblate, & uno Cereo. Si quis autem quod absit (ausu) nefario hoc nostrum Præceptum irritum facere voluerit, anathematis vinculo religetur in perpetuum, & a Corporis, & Sanguinis Domini Nostri Jesu Cristi perceptione sit semper extorrens, & cum Juda Domini Nostri Jesu Cristi traditore eternis incendiis sit exurendus, & ibidem semper cruciandus. Quod videlicet Præceptum tibi superius dicto Malgepotoni Diacono, atque Bibliothecarii scribere injunximus. Datum Beneventi in Sacratissimo Archiepiscopio pro Indictione decima.*

✠ *Ego qui supra Alfanus Archiepiscopus.*

---

(a) Ughellus habet *Magnifici Potonis*: at in Charta præclarè legitur, *Malgepotonis*; Malgepoto proprium nomen legitur etiam in Diplomate Archiepiscopi Landulphi paullò post recitando; ubi etiam *Magenolfus*, & *Castelpotus* occurrunt. Sic apud nostrum Falconem ad an. 1134. *Rolpoto*, & ad an. 1137. *Potofridus*; quæ nomina ex duobus vocabulis conflata Longobardicam barbariem præseferunt.

(b) Fortè scribi debuit *integrum*. Ughellus habet *illibatum*.

(c) Ughellus: *Sacrarii nostri Archiepiscopi*.

(d) Ughellus diverso charactere, sic habet: *Uno paro de Bucellate, & uno Cereo*, quasi indicatum legenti voluerit, hæc ita scripta in charta, ut eam, quæ nunc obtinet, Italam, vulgaremque linguam, ab ipso ineunte Sæculo XI. usurpatam ostenderet: At ejus linguæ vestigia, non ipsam linguam in iis verbis licebit tantum agnoscere, de quo argumento latè disseruit Cl. Muratorius *in Antiq. Medii Ævi* T. II. Dissert. XXXII.; pluribus etiam Cl. Fontaninius in Lib. *Dell' Eloquenza Italiana*, in Præfatione, ubi eam linguam ante *loquutione*, quàm *scriptione*, antè *carmine*, quàm *Prosa*, non autem ante Sæculum XIV. adolevisse ostendit. Quæ autem in nostro Diplomate sunt verba, non solùm quoad dialectum, verùm etiam quoad vocabula ipse Ughellus deformavit; nam pro *uno paro de bucellate*, quæ is comminiscitur, charta habet, *uno paro de Oblate*. Quamquam autem vocabulum *Bucellate* non ita absonum sit; nam *Bucelletum* genus panis est bis cocti, quo milites in Castris pasci solebant, cujus mentio in *Leg. 1. Cod. De Erog. milit. an.* atque ideò *frumentum ad usus diuturnitatem excoctum* à Marcellino appellatum Lib. XVII. Quò etiam allusit S. Paulinus in Epist. 36. ad S. Augustinum: *de Bucellato Christianæ expeditionis, in cujus procinctu quotidiè ad frugalitatis annonam militamus, Panes quinque tibi misimus*: Congruentiùs tamen, quod reipsa in Charta legitur, *Oblatæ* vocabulum est; quo Panes illi significantur, qui à Fidelibus,

illud, non eo Diplomate antiquius aliud Ughello occurrisse; antiquiora certè, immo antiquissima prodere nobis licebit, quibus Ughelli partim oblivionem, partim ignorantiam supplebimus.

Sunt igitur, quæ recitatam Archiepiscopi Alfani II. Chartam quatuor Sæculorum antiquitate præstant anteriora Beneventanorum Præsulum Diplomata: Prioris Alfani Episcopi, qui tempore Ducis Arichis I. floruit, Diploma superiori Capite illustravimus; idque anni 615. (quo vigesimus quartus Arichis annus, ibidem memoratus, decurrebat) vetustatem sibi vindicat. Porro sequuto Sæculo, atque Arichis II. tempore, bina habentur eorundem Antistitum Beneventanorum Diplomata: Alterum Episcopi Johannis, cujus Arichis ipse meminit in suo Præcepto patronatus Ecclesiæ S. Mariæ, & S. Marciani: *secundum qualiter* (inquit) *per suum membranum firmitatis & absolutionis, quod Johannes Venerabilis Episcopus Sanctæ Sedis Ecclesiæ nostræ Beneventanæ suo anulo sigillatum emisit* (1): Alterum Episcopi Davidis Chronicon Vulturnense nobis servavit, insigne illud quidem, & non modò lectu, verùm etiam observatione dignissimum, quod heic describimus (2):

*In nomine Domini Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi. Temporibus Domini Viri gloriosissimi Grimoaldi Summi Ducis Gentis Longobardorum, Anno felicissimi Ducatus ejus, Deo propitio, octavo, Mense Novembris, Indictione quarta.*

*Ego David Servus Servorum Dei Episcopus Sanctæ Beneventanæ Ecclesiæ Anno Episcopatus nostri quartodecimo.*

*Episcopali auctoritate, & antecessorum meorum consuetudine fretus ob salutem, & statum Sanctæ nostræ Ecclesiæ, & pro mercede animæ nostræ concedimus, atque largimur in Monasterio S. Mariæ sito loco sano, ubi Aulada Religiosa Abbatissa regimen tenere videtur, Ecclesiam S. Felicitatis longa jam vetustate corruptam, loco in Monte Mariano, cum parvula terra, quæ circa ipsam Ecclesiam est. Eo tenore in præfato Monasterio eam subdidi, atque tradidi, ut in potestate sit perpetuis temporibus Præpositorum ipsius Monasterii, sic tamen, ut ipsa Ecclesia restauretur, & Cellam ibi, sicut voluerint, constituant, & in sua eam providentia, sicut ceteras Cellas proprias, habeant, & à nullis nostris Successoribus, vel quibuslibet Sacerdotum Ordinibus, aut Auctoribus Sanctæ nostræ Ecclesiæ in eadem Ecclesia inferant oppressionem, vel molestiam, sed sicut eam tradidimus, libero nomine absque qualibet commotione ipsum Monasterium, & Rectores ejus habere, possidere, & finire valeant. Quod verò Privilegium nostræ concessionis, & largitatis dictavimus Luparis, Subdiaconos, & Notarios Sanctæ nostræ Ecclesiæ tradidimus ad scribendum. Actum Benevento in Sacratissimo nostro Beneventano Episcopio, astantibus Sacerdotibus nostris, & Clero ad firmandum nostram donationem, & largitatem, anulo Sanctæ nostræ Ecclesiæ firmavimus roboratum, ut stabile, & firmum permaneat.*

Habes primùm in hujus Diplomatis titulo Episcopum Davidem, *Servum Servorum Dei* sese appellantem: quod ne putes æmulatione quadam factum, ut nempè hac quoque in re Romanos Pontifices Beneventani Antistites imitari contenderint. Jamdiù ante nostrum Davidem eundem titulum Romanis Pontificibus hæreditarium, ac peculiarem effecerat S. Gregorius Magnus, qui *primus omnium*, scilicet Romanorum Pontificum (uti testatur Johan. Diaconus Lib. II. Vitæ Cap. I.) *se in principio Epistolarum suarum Servum Servorum Dei scribi, satis humiliter defi-*

delibus, vel ad Sacrificii, vel Clericorum usum offerri solebant: de quibus eruditè disseruit Cl. Mabillonius *in Præfat. ad Sæc.* III. *Bened.* §. VI., & in Differt. *de Azimo* cap. VIII.

(1) In Chronico S. Sophiæ P. III. cap. 23.

(2) Chronic. Vulturnense Lib. II. pag. 375.; Inter Scriptor. Ital. Murator. T. I. P. II. Exhibuit etiam hoc Davidis Diploma Ughellus col. 46. sed non modò mendosum, verùm etiam capite truncatum; quare de anno se prorsus ignarum fatetur: *Qualis autem* (inquit) *fuerit annus Salutis, ignoratur, nec conjecturari quidem potest, cùm in documento Indictio, & annus Christi non apponatur*. Sed appositam Indictionem, appositum etiam non Christi annum, qui nondum apponi solebat, sed Ducis, sive Principis Grimoaldi, qui tum Beneventi regnabat, ex d. Chronico satis constat: ad quam notam Chronologicam hæc Muratorius adjecit: *Anno 788. Grimoaldus Principatum iniisse creditur, eamque sententiam Historiæ ipsæ confirmant. Accedat nunc & istud monumentum, in quo rectè convenit Annus octavus (Grimoaldi) in annum 795., cujus Novembri decurrebat Indictio* IV.

*definivit*; qua velut pia arte Pontifex Sanctissimus tum Johannis Patriarchæ Constantinopolitani, se Oecumenicum jactitantis, thrasonicam ostentationem, & fastum sugillavit, tum suis Successoribus (ut idem subdit Diaconus) *documentum suæ humilitatis hæreditarium reliquit* (1). Sed non solùm ante Gregorium eundem titulum sibi SS. Augustinus, atque Fulgentius usurparunt (2), verùm & frequentiùs post Gregorium alios Episcopos, immò & Reges, ac Principes eâdem hac appellatione, seù titulo: *Servus Servorum Dei*: usos, plurima docent antiquitatis exempla, perdiligenter a Cangio collecta (3), quibus jam nostri Episcopi Davidis Chartam addere licet; cui certè Davidi, quemadmodum ceteris, haud in mentem venerit, eximium illud humilitatis exemplum, quod in summis Ecclesiæ Præsulibus coruscare videbant, in propriæ arrogantiæ argumentum convertere; sed potius consentiebant illi omnes Augustino, ejusdem tituli exemplo, hujusque doctrinæ voce cunctis præeunti: *Hominibus in illo pacis ordine, quo alii subjecti sunt aliis, sicut prodest humilitas servientibus, ita nocet superbia dominantibus* (4). Consentiit certè Roffridus Beneventanus Archiepiscopus, qui etsi ex Longobardorum Principum genere ortus, tamen in Diplomate anni 1078. hunc titulum usurpavit: *Roffridus humilis Archiepiscopus hujus Sanctæ Sedis Beneventanæ*: in fine verò: *Tibi Johanni, Clerico, & Notario, atque Advocatori Sanctæ nostræ Sedis scribere, ego quamvis indignus Archiepiscopus Roffridus taliter jussimus* (5).

Animadvertenda nunc verba illa sunt, quibus Episcopus David Diplomati suo exordium facit: *Auctoritate* (inquit) *Episcopali, & Antecessorum nostrorum consuetudine fretus concedimus, & largimur &c.* Conficiendi Diplomatis duplex affertur potestas, *Episcopalis auctoritas*, *Antecessorum consuetudo*. Utraque profectò Beneventanorum Antistitum veterem fuisse morem demonstrat, ut quæ ad propriam Jurisdictionem pertinerent, pleno jure administrarent; largitionesque suas, eodem ritu, ac pari formularum solemnitate, qua supremi quique Principes utebantur, factis Diplomatibus celebrarent; utraque (uti ex Davidis Diplomate argumentari licet) eorundem Antistitum piam solicitudinem commendat, ut quod è re Ecclesiæ suæ, atque ad Divini cultus instaurationem, atque incrementum pertinere videretur, auctoritate sua constituere consueffent. Id verò, quod ubique, & ab omnibus, & perpetuò servandum imperabant, æquâ, ut dixi, qua Principes, auctoritate, similique Charta, sivè Præcepto constituebant. Hinc Davidem vidisti Diplomati suo Beneventani Ducis, suique pariter Episcopatus annos in notis Chronologicis adhibuisse, atque uti ab illo *Palatium*, ita ab ipso *Episcopium*, meliori fortasse jure *Sacratissimum* appellatum; videas demum Davidis Diploma: *Anulo Sanctæ* (inquit) *nostræ Ecclesiæ firmatum, ac roboratum, ut stabile, & firmum permaneat*; quæ res, quum ad *Plumbei* Sigilli institutum argumentum accedat, viamque sternat, erit curiosiùs illustranda.

Episcopi Alfani I. Diploma anno DCV. conscriptum, superiori Capite illustratum, ac paullò superiùs iterum nobis memoratum, adhuc nobis memorandum se offert, observandaque heic præbet verba illa, quæ in fine habet: *Quod monumentum* ....... *& ut robur habeat, effigiem Sanctæ Crucis affiximus*. An ejus Crucis effigies ipsius Episcopi manu exarata ibi fuerit, vel aliquo certo, stabilique Sigillo impressa, non ità facile decerni potest; neque enim insuetum, immò solemne planè fuit Sacris ipsis Antistitibus subscriptiones suas à Crucis prævio signo exordiri, uti in Differt. *de Re Nummaria* latè dixi, probatque Beneventani Archiepiscopi Milonis Concilium Provinciale anni 1075., quod in præsenti Capite memoravimus. Certum illud est, Diploma alterum, seù *Membranum* Beneventani Episcopi Johannis ab Arichi II. memoratum illius *anulo* sigillatum fuisse: quem quidem anulum non in familiarem, privatumque ejus Episcopi usum fuisse, sed ad ipsam Beneventanam Ecclesiam, Archiepiscopalis auctoritatis velut insigne, ac publicæ, perpetuæque rerum gestarum, monumentorumque omnium fidei testem, pertinuisse satis indicat recitatum Epi-



(1) Vide quæ in hanc rem satis opportunè, eruditèque observant PP. Benedictini S. Mauri in Præfat. ad ejus Gregorii Epistolas n. XI. T. II. Opp. pag. 481. edit. Venet.: Vide etiam Thomassinum *De Vet. Eccl. Disc.* P. I. Lib. I. cap. XII. n. XVI.

(2) S. August. Epist. 217. ad Vitalem: *Augustinus Episcopus, Servus Christi, & per ipsum servus servorum ipsius.* S. Fulgentius Epistolam V. sic inscribit: *Domino Sancto Fratri, & Compresbytero Eugyppio Fulgentius servorum Christi famulus.*

(3) In Glossario Med., & infim. latin. verb. *Servus servorum Dei*. Vide de eodem titulo Matthæum Westmonast. ad an. 605., Serrarium ad Epist. 2. S. Bonifacii Ep. Mogunt., Gussanvillæum, & Altaserram ad ejusdem Gregorii Magni Epistolas.

(4) De Civit. Dei Lib. XIX. cap. XV.

(5) Chron. S. Sophiæ P. VI. N. V.

ſcopi Davidis Diploma, qui proximus Johannis ſucceſſor, *anulum Sanctæ noſtræ Eccleſiæ* adhibuiſſe affirmat. Ad hæc præfatus Archiepiſcopus Milo, præter Crucis Signum ei Diplomati ſubſcriptum, quo Provincialis ſui Concilii authenticum, ac perpetuum documentum reliquit, Sigillum etiam eidem Diplomati adjeciſſe teſtatur: *Præterea* (inquit) *noſtra Benevolentia omnibus quidem obnoxia, ſed maxime Dominum timentibus, & domeſticis Fidei Comis, & devota* (1) *decrevit in eadem Synodo cum omnium aſſenſu ſecundùm Canonum auctoritatem fieri Præceptum ad partem dicti Monaſterii, & noſtro Sigillo corroborari, & propria manu ſignari, ac confirmari &c.* Qui verò Miloni ſucceſſit, Roffridus Archiepiſcopus in ſuo Diplomate paullò ſuperiùs memorato ſimilia habet hiſce verbis: *Ut hoc perpetualiter, & ſtabile permaneat, & ab omnibus obſervetur immobiliter, noſmetipſi propria manu ſubſcribendo Signo Sanctæ Crucis illud corroboravimus, & Sigilli noſtri impreſſione inſigniri præcepimus, & demandavimus, & ſigilli noſtri inſignia appendi voluimus.* Hanc noſtri Archiepiſcopi Roffridi Chartam indicavit diligentiſſimus, ac eruditiſſimus Cangius, de *penſilium* Sigillorum perantiquo uſu agens in ſuo Gloſſario, illud tamen incertum relinquens, qua ex materia Roffridi Sigillum fuerit: *Verùm* (inquit) *cereumne, an plumbeum fuerit, ex his non liquet.* De materia mox videbimus: nunc de Sigilli forma, ſeu characteribus agendum eſt.

Dum itaque *Anuli*, ac *Sigilli*, quibus Diplomata ſua muniebant, Beneventani Antiſtites meminerunt, utrobique certum eſt characteres, ſive Symbola quædam inſculpta fuiſſe, quæ ceræ, vel plumbo repræſentata indubiæ fidei facerent Chartam, cui vel impreſſa, vel ſuſpenſa inhærerent, ad Eccleſiam Beneventanam, ejuſque Præſules pertinere. Otioſum prorſus fuerit id exemplis comprobare, quæ ex univerſa antiquitate præſtò ſunt, dum apud privatos quoſque homines, nedum Principes, Magiſtratus, ceteroſque poteſtate præditos, anulorum, quos *Signatorios*, aut etiam *Sigillaritios* appellabant, uſum perpetuum, frequentiſſimumque fuiſſe conſtat; quos in ſignandis publicis, privatiſque tabulis, epiſtolis, teſtamentis &c. adhibebant, ſuis cujuſque ſignis, ac hieroglyphicis notatos, ac ſumma cuſtodia ſervatos (2). Præſtat itaque, Beneventanæ Eccleſiæ Anulo, ſeu Sigillo quid repræſentaretur, noviſſe. Non id certè in ipſis archetypis, quos vorax tempus abſumpſit, intueri nobis datur; neque ex relatis hactenus Johannis, Davidis, Milonis, Roffridi Diplomatibus certi aliquid elucet. Suppetit tamen ex altero Johanne ejus nominis tertio Beneventano Epiſcopo didiciſſe, qui prior ejus Anuli figuras, ac characteres in ſuo Diplomate anni 928. ſatis præclarè, ac diſtinctè deſcribit: Sic enim habet: *Ut hæc ab omnibus incunctanter ſerventur, anulis Sanctæ Genitricis, figurantibus in una parte Signum Sanctæ Crucis cum arcu in utroque Crucis latere, cum duabus Columbis aſtantibus, atque in altera parte nomen Sanctæ Mariæ in Cruce affixum depinximus roboratum.* Recitat hanc Chartam Ughellus ſemel, atque iterum; tum ſcilicet in Chronico S. Sophiæ Part. VI. num. 1. col. 699., tum in eodem Epiſcopo Johanne col. 69., quo loco corruptum Chronici exemplar, novis ipſe maculis inquinavit, ſic habens: *& ut hæc ab omnibus incunctanter anulis imaginem Genitricis figurantibus in una parte &c.* ubi noſcis omiſſum: *ſerventur*; perperam verò adjectam: *imaginem*. Haud melior ſe habet Ughellus in recitando altero primi Archiepiſcopi Landolfi Diplomate anni 975., ubi ejuſdem Anuli deſcriptio occurrit, in hæc quidem verba, col. 98., & 700.: *Et ut ab eis incunctanter credatur, anulis Sanctæ Dei Genitricis figurantibus in una parte ſignum Sanctæ Crucis cum arcu, in alteroque* (in utroque) *Crucis latere duabus Columbis aſtantibus, & in altera parte nomen Sanctæ Mariæ in Cruce depictum affiximus roboratum.* In priore igitur Anuli deſcriptione ex Epiſcopi Johannis Diplomate recitato delenda vox illa eſt: *imaginem*: non enim imago Deiparæ ibidem habebatur, ſed ejus duntaxat venerandum Nomen in altera Anuli facie Cruci adſcriptum, ſeu *depictum*, aut *affixum*. Anulum igitur adhibuit tum Epiſcopus Johannes, tum Archiepiſcopus Landolfus, aut, ut vocant, *anulos Sanctæ Dei Genitricis figurantes in una parte &c.* quibus verbis patefacerent, Anulum illud ad Eccleſiam Beneventanam pertinere, quæ Sanctæ Dei Genitrici, ſeù S. Mariæ à ſuis initiis dicata, ejuſdem nomine, ac titulo appellari ſemper gloriata fuit; ita ut qui Anulus Sanctæ Dei Genitricis dictus eſt, idem ipſe Eccleſiæ Beneventanæ intelligendus ſit.

Sed deteriora adhuc nobis Ughellus obtruſit. Quid enim illud ſit in utroque Diplomate

(1) Ita emendandum pro monſtroſis illis *Comes in remota*, uti habet Ughellus T. VIII. col. 136., & 703., & ex ipſo noſtrum Synodicon Provinciale ab Urſino editum pag. 22.

(2) Vid. Joh. Kirchmannum in Tractatu de Anulis cap. V., XIII., & XIV. edit. Francof. 1672.

mate recitatum; atque in antica Anuli parte descriptum *Signum Crucis cum arcu in utroque Crucis latere*, nemo certè divinaverit. Sed non mihi Oedipo fuit opus; ut hanc Ughellianam Sphingem interpretrarer. Adfuit enim, adestque laudati Archiepiscopi Originale Diploma anni 971., unicum quidem illius monumentum, ætatem adhuc ferens, ac in nostra Bibliotheca servatum, in quo sic præclarissimè is locus legitur: *Et ut hæc ab eis incunctanter credantur, anulis Sanctæ Dei Genitricis figurantibus in una parte Signum Sanctæ Crucis cum A, & ω in utroque Crucis latere &c.* atque ità planè in aliis ejusdem Landolfi, atque etiam Episcopi Johannis Diplomatibus legendum ex eadem Autographa Charta omninò discimus; discimus, inquam, ex ejus Chartæ verbis, non verò ex Sigillo, quod in Diplomatis fine, & ante aliorum subscriptiones ceræ rubræ impressum, vetustate consumptum, sua tantùm vestigia reliquit, ac membranæ incisionem in Crucis formam factam, unde utriusque partis cera conglutinabatur, & utramque Sigilli faciem ab interiori scilicet, exteriorique Chartæ facie repræsentabat. Sed ferendam nobis Sigilli jacturam Archiepiscopus Landolfus voluit, qui illius Characteres ita diligenter exposuit, ut Sigillum ipsum ob oculos posuisse videatur. Ut Landolfi igitur Diploma, Ughello ignoratum, ac nusquam hactenus editum in lucem proferatur, æquum est (1); qua pariter luce ipsum



(1) Servatur id Diploma in nostra Bibliotheca inter alia Diplomata Originalia inclusum Tubo 111., ejus verò exemplar extat in Bullario Selecto n. 12. pag. 49.: Ex ipso verò Originali à me descriptum ita se habet.

*In nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi. Vigesimo octavo Anno Principatus domni Paldolfi eximii Principis, & tertio anno domni Landolfi gloriosi Principis filii ejus, mense Aprilis, quartadecima Indictione, nec non & secundo Domni Landolfi venerabilis Archiepiscopi, quo, Deo favente, Beneventane, & Sipontine Ecclesie Archipresul ordinatus est. Nos Landolfus in prefata Sancte Dei Genitricis sede Archipontifex prelatus. Sicut sacre nobis commendant Scripture, nulli Episcoporum licitum est, quamlibet plebem alie subdere, vel aliquid unius auferre tituli, & alio addere. Sed cogente nos aliqua necessitate tulimus de hoc nostri Archipresulatus Hospitio res quantascumque habuit infra Castaldatu Tockensi, & in Caudim ad pontem Ursi. Quamobrem nos præfatus Landolfus Archiepiscopus ad revocandum in ipso Xenodochio quod exinde abstulimus, precatu Johannis ipsius nostri Hospitii Abbatis cum consensu Sacerdotum, & Levitarum, omniumque ordinum Clericorum per hoc nostrum roboreum Preceptum concessimus in jam fato Hospitio Ecclesiam Sancti Cipriani, que esse noscitur super Valvam cum omni sua pertinentia, & cum titulanis suis Ecclesiis, & cum omnibus earum pertinentiis. Addentes insuper eidem nostro Hospitio quantum actenus habuimus de Ecclesia Sancti Vitaliani, exceptantes ex ea, quantum nuper per vicariam tulimus a Malone filio Magelpotonis. Adjicientesque ibidem Ecclesiam S. Petri loci Centiole, quam in beneficium ab hac nostra Sede tenet Johannes Bibinensis Episcopus, & Ecclesiam S. Angeli de loco Quascirano, quam tenet Roffrid Clericus in beneficium, post obitum eorum scilicet. Iterumque concessimus ibidem hæreditatem de finibus Petre Sturmine, quam per offertionem habemus à quodam Gaidenardo jam fate Petre habitatore. Igitur & quia tulimus de predicto Hospitio silvas, quas habuit in finibus Tamari fluminis, ideo volumus, & sub eo sint terre, quas habemus ultra Pontem S. Valentini, loco qui dicitur ad plana, quo nunc videntur teneri a Johanne Presbitero cannitano, & Isclam quam tenet Gaideris Diaconus citra prædictum Pontem cum posta in aqua illi adherente, ea scilicet ratione, ut amodo, & deinceps prefata omnia perpetuis temporibus inconcusse maneant in ipso Hospitio sub potestate Abbatum ejus absque predicta omnia, que nonnisi post supra nominatorum discessum ibi evenienda concessimus. Et ut a nullo ex nostris Successoribus hoc removeri per DeumOmnipotentem Simplum, & Trinum, ejusque Sanctos omnes adjuramus: & ut ab eis incunctanter credatur, anulis Sancte Dei Genitricis figurantibus in una parte signum Sancte Crucis cum A & ω in utroque Crucis latere duabus Columbis astantibus, & in altera parte nomen Sancte Marie in Cruce depictum affiximus roboratum. Quod videlicet Preceptum tibi Aloni Diacono scribere injuncsimus, nec non & propriis manibus Sacerdotes, reliquosque Cleros nostros se subscribere jussimus, & pro confirmatione predictorum omnium secundum consuetudinem Preceptorum manu nostra subscripsimus.*

*Actum Beneventi in Sacratissimo Archiepiscopio.*

LANDOLFUS ARCHIEP.

Locus Sigilli

† *Ego Leo Archipresbyter ex jussione Domini Landolfi Archiepiscopi me subscripsi.*

† *Ego Magenolfus Archidiac. ex jussione Domini Landolfi Archiepiscopi me subscripsi.*

† *Ego Madelmus Diaconus ex jussione Domini Landolfi Archiepiscopi me subscripsi.*

† *Ego Adelferius Diaconus ex jussione Domini Landolfi Archiepiscopi me subscripsi.*

† *Ego Smaragdus Presbiter ex jussione Domini Landolfi Archiepiscopi me subscripsi.*

† *Ego Petrus Presbiter, & Abbas ex jussione Dom. Landolfi Archiepiscopi me subscripsi.*

† *Ego Petrus Presbiter ex jussione Domini Landolfi Archiepiscopi me subscripsi.*

† *Ego Rodogarius Presbiter ex jussione Domini Landolfi Archiepiscopi me subscripsi.*


† *Ego Lazarus Presbiter ex jussione Domini Landolfi Archiepiscopi me subscripsi.*

† *Ego Castelpoto Presbiter ex jussione Domini Landolfi Archiepiscopi me subscripsi.*

† *Ego Andoaldus Presbiter ex jussione Domini Landolfi Archiepiscopi me subscripsi.*

† *Ego Leo Presbiter ex jussione Domini Landolfi Archiepiscopi me subscripsi.*

ipſum Sigillum donavimus , cujus utramque effigiem , qualem Landulfus depinxit, ærea tabula expreſſam , heic Lector ſpectabit : neque enim ( quum alio dein Sigillo Eccleſia Beneventana uti cœperit ) perire illud vetuſtum , atque inſigne monumentum paſſi ſumus ; quod non ſolùm immortali memoriâ , verùm etiam opportunis obſervationibus illuſtrari dignum videri debet .




Ac primùm illud animadvertimus , nullum in eo Anulo , vel Sigillo fuiſſe Archiepiſcopi Landolfi vel nomen , vel aliud inſigne . Non id enim ambitioſum fuiſſet , dum Epiſcopis in iis Anulis , Sigillis , Bullis , quibus Chartas ſuas confirmabant , ſuum inſculpſiſſe nomen ea , quæ hodieque ſervatur , conſuetudo ſemper fuit . Hinc Concilium Cabilonenſe II. anni 813. can. 41. Literas publicas , ſeù *patentes* meminit , *in quibus ſint nomina Epiſ-*

✝ *Ego Johannes Archiſubdiaconus ex juſſione Dom. Landolfi Archiepiſcopi me ſubſcripſi .*
✝ *Ego Petrus Subdiaconus ex juſſione Domini Landolfi Archiepiſcopi me ſubſcripſi .*
✝ *Ego Muſo Subdiaconus ex juſſione Domini Landolfi Archiepiſcopi me ſubſcripſi .*
✝ *Ego Johannes Clericus , & Abbas ex juſſione Dom. Landolfi Archiepiſcopi me ſubſcripſi .*
✝ *Ego Johannes Subdiaconus ex juſſione Domini Landolfi Archiepiſcopi me ſubſcripſi .*
✝ *Ego Maghenolfus Subdiaconus ex juſſione Domini Landolfi Archiepiſcopi me ſubſcripſi .*
✝ *Ego Petrus Subdiaconus ex juſſione Domini Landolfi Archiepiſcopi me ſubſcripſi .*

✱ BE NE VA LE TE .

Characterum formam , ac ſpecimen , quibus tum Diploma , tum Subſcriptiones conſcriptæ ſunt , dabimus in Diſſertatione ſequenti , ubi *De Re Litteraria* ſermo erit . Quæ autem in hiſce ſubſcriptionibus Cleri Beneventani in varias dignitates , ordineſque diſtinctio elucet , in ſequenti Capite , ubi de ipſo Clero ſermo erit , uberiùs illuſtrabitur . Ex notis Chronologicis huic Diplomati inſcriptis , nempe Anni *ſecundi* , *ex quo Landolfus* , *Deo favente* , *Beneventanæ* , *& Sipontinæ Eccleſiæ Archipræſul ordinatus eſt* , nec non Indictionis *decimæ quartæ* , quæ Menſe Aprilis anni 971. decurrebat , luculentiùs comprobatur Epocha erecti Archiepiſcopatus Beneventani , Menſe ſcilicet Maii anni 969.:Formulam BENE VALETE , qua noſter Landolfus Diploma ſuum claudit , integra dictione , Syllabis tamen ( uti ſuperiùs viſitur ) inter ſe brevi ſpatio disjunctis adjectam voluit . Varius certè ejus exprimendæ formulæ mos fuit . Papias Grammaticus in ſuo Lexico , ſeù *Elementario* V.: *Formata* : de Privilegiis Summorum Pontificum loquens : *Habent* ( inquit ) & *Privilegia Prologos* , *& Monogrammata hujuſcemodi in fine* BTE , *quòd eſt* : *Bene Valete* . *Signum autem in Privilegii exordio vel Criſmen* , *vel Crux Dominica &c.* Quod tamen Crucis ſignum non in exordio noſtræ Chartæ , ubi Chriſti tantùm invocatio habetur , ſed ipſam formulam *Bene valete* anteire videtur , quaſi majorem ei vim conciliet : eique ſalutationi reſpondet , qua Pontifices in ſuis olim Epiſtolis in fine ſic habebant : *Optamus vos in Chriſto bene valere* . Vid. Ep.104., & alias Johannis VIII.

*na Episcopi, & Civitatis plumbo impressa*: ac Flodoardus Hist. Remens. lib. 3. cap. 17. missas ad Nicolaum PP. ab Actardo Episcopo Literas tradit, *quas Bulla sui nominis sigillavit*. Statutum Ottonis Cardinalis Legati in Anglia anni 1237. apud Matthæum Parisi, & Linderodum: *Habeat unusquisque Archiepiscopus, & Episcopus &c. Sigillum, puta nomen Dignitatis, Officii, seù Collegii, & etiam illorum proprium nomen, qui dignitatis, vel officii perpetui gaudent honore, insculptum notis, & characteribus manifestis, sicque sigillatum authenticum habeatur*. Sed nec aliis exemplis rem probare opus fuerit, quam omnium ætatum, omniumque personarum sigilla manifestam præseferunt; in quibus rarum admodùm illud fuerit, proprium nomen non occurrere, vel præclaro, seù integro vocabulo, vel saltem Monogrammate expressum. Landolfi itaque modestiam intueri potiùs, quàm nomen licebit, qui licet è Longobardorum genere ortus, ac primus omnium Archiepiscopali dignitate auctus, nonnisi veteri Sigillo, quod superiores Beneventani Episcopi adhibebant, uti voluit, hanc non tam Decessoribus suis, quàm Sanctæ Dei Genitrici reverentiam testatus, cujus ipsum esse Sigillum, seù Anulum affirmat, unde Ecclesia Beneventana, ejusque Antistites, summum sibi honorem, perpetuamque monumentis suis fidem, atque auctoritatem comparabant.

Est igitur in antica ejus Sigilli parte affìcta Crux, cujus ad utrumque latus A, & ω adscripta, binæ quoque sunt astantes Columbæ. De Siglis illis Cruci adjectis, notior res est, quàm ut longiùs explicetur post ea, quæ a me in Dissertatione *de Re Nummaria*, ac plurima, quæ ab aliis passim observata sunt. Vetus is mos, ritusque fuit, vel ad Crucis Signum, vel ad Christi Monogramma Characteres illos adjungere, quibus ipse Christus Apocalypsis 1. 8. se ipsum commendat inquiens: *Ego sum Alpha, & ωmega, Principium, & Finis*: ut doceret, quem Fideles sui profiteri lætantur, Deum se esse, qui Homo factus est, Crucifixus pro nobis; ut propterea salutari illi Signo, divinum opus, mysteriumque repræsentanti, adjectæ illæ Divinitatis notæ divinos exhibendos honores ostenderent. Astantes verò eidem Cruci adduntur Columbæ, illam veluti adorantes, ut iisdem, quibus cœpta est, Symbolis res tota conficeretur. Columbas in Templis, Tumulis, Anulis, Sigillis insculpere solemne, jucundumque Christianis fuisse, innumera monumenta demonstrant, ab Aringho (1), Mabillonio (2), Fabretto, Boldetto, aliisque passim celebrata. Illarum verò imagine ipsi se Christiani effingere gestiebant, Christi auctoritatem sequuti, qui Columbæ simplicitatem sectatoribus suis imitandam proposuit. Adorantes verò in nostro Anulo adstant Columbæ, ut qua mente exhibendus Deo cultus a Christianis sit, ostendatur; quod etiam, qui falsa religione imbuti erant, servandum volebant, *puras manus*, non tam sordis, quàm sceleris expertes, ad Cœlum tollendas monentes (3). Cæterum quæ de sua Cruce, Columbisque in Nolanæ Ecclesiæ aditu dextrâ, lævâque superpictis, binis Epigrammatibus eleganter cecinit S. Paulinus Episcopus, eadem nos de Ecclesiæ Beneventanæ Anulo satis aptè recitabimus:

*Ardua florifera Crux pingitur orbe Coronæ,*
*Et Domini fuso tincta cruore rubet.*
*Quæque super Signum resident cœleste Columbæ,*
*Simplicibus produnt Regna patere Dei.*

Hæc in dextrâ; in læva verò:

*Hac Cruce nos Mundo, & nobis interfice Mundum,*
*Interitu culpæ vivificans animam.*
*Nos quoque perficias placitas tibi Christe Columbas,*
*Si vigeat puris Crux tua pectoribus* (4).

Ad posticam Anuli faciem quod attinet, *Nomen Sanctæ Mariæ in Cruce depictum* ibi fuisse Archiepiscopus Landolfus commemorat; quod & nos ita effingendum curavimus, ut literæ non continenter scriptæ, sed in ipsa Cruce distributæ haberentur. Quum enim id no-

(1) Rom. Subter. lib. VI. cap. I.
(2) De Cultu SS. Ignotor. cap. XXIII.
(3) Vide Brisson. de Formul. lib. I. cap. IV.
(4) Epist. XII. ad Severum: in ultimo versu editiones habent: *Pars tua*: at nullus dubito scribendum: *Crux tua*: uti jam scripsi: quo vocabulo sensus magis constat, & usus certè videtur Paulinus.

id nomen non supra, nec subter, neque ab utroque latere depictum dicatur, in media autem Cruce, sive recta, sive transversa linea inscribi potuisse, vel debuisse, nullo modo dicendum sit, consilium fuit, ut Cruci, quemadmodum spectandum dedimus, affixum exhiberetur. Consilii ratio fuit, quòd in eandem formam Monogrammata tunc temporis à nostris præsertim Longobardis Principibus exarari consueverint, dum Nominis sui signum Diplomatibus adscriberent: de qua re latè egimus in Differt. *De Re Nummaria*, quo loco eorum Monogrammatum diversas effigies ære incisas dedimus; in quibus Nomen ita Cruci adpictum visitur, ut illius literæ in varias partes, omnesque angulos distribuantur. Eodem itaque ævo, eodem quoque more, atque exemplo nomen *Sancta Maria in Cruce depictum* Episcopalis Anulus præseferre debuit, Monogrammatis instar, quod tamen nullo negotio *Sanctam Mariam* legendam exhiberet. Sed de veteri Beneventanæ Ecclesiæ Anulo, seu Sigillo jam satis: de posteriore nunc, eoque *plumbeo*, Sigillo dicemus.

Non *aurei* tantùm, *argenteique*, verùm etiam *cerei*, ac *plumbei* Sigilli, (quod etiam *Bullam* appellabant) usum Constantinopolitanos Imperatores habuisse, omnium vice testis erit Codinus, qui in *De Officiis* illius Aulæ cap. 5. num. 27. Augustos ad Uxorem, Matrem, Filium Imperatorem scribentes *cerea*, ad Despotas, Patriarchas, & reliquos honoratiores Principes bullâ *plumbea* uti solitos tradit. Porrò ab iisdem Augustis, Magistratibus suis ad Provinciarum administrationem cum imperio missis, *plumbeo* Sigillo, seù Bulla utendi facultatem factam præclarè docent Diplomata a Symbaticio Patricio, dum Beneventi anno 892. dominaretur, tum pro Ecclesia Beneventana (1), tum pro Monasterio Casinensi facta (2). Patriarchas autem Constantinopolitanos, non solùm in cera *prasina* (nam *rubra* ad Augustos pertinebat), verùm etiam *Plumbo* Bullas suas signare solitos ostendunt illorum Sanctiones quamplures, quas inter illa Germani hæc habet in fine: *Habuit scriptum Mense Junio, Indictione* v., *Patriarchali, & Divina Manu. Pendebat autem infernè Plumbea Bulla, habens ex una parte Sanctissimam Deiparam, ulnis gestantem Dominum nostrum Jesum Christum, ex altera autem has Literas: Germanus Dei miseratione Archiepiscopus Constantinopoleos novæ Romæ, & Oecumenicus Patriarcha* (3).

Ad Romanos Pontifices quod attinet, (nam de aliis Principibus non heic aliorum observationes repetam (4)) quando Bullâ uti cœperint non omninò convenit. Sunt enim, qui ad S. Silvestrum I. eum usum extollant, ejusque Bullam in Ecclesiæ Arretinæ Archivo servatam affirmant (5): alii contrà, non ante Sæculum XI., atque ab Alexandro II. eundem receptum usum arbitrantur (6); quos tamen antiquiora indubiæ fidei redarguunt Summorum Pontificum *plumbea* Sigilla adhuc extantia, quæ ad medium Sæculum octavum pertinent. Quare veri satis simillima Polydorus Virgilius nobis tradidit, ajens Agathonem PP. in *Cera* Anulo impressisse sigilla; verùm postea cùm Summus Pontifex multa irrogaret Privilegia, ut Diplomata diuturniora forent, placuisse Stephano III., & Adriano I. Tabulas Apostolicas plumbo obsignari; nec antiquius Sigillum plumbeum reperiri opinatur: & sanè primum omnium, quod Muratorius spectandum dedit, est Pauli I., qui inter Stephanum, & Adrianum Pontificatum iniit anno 757. (7). Vera etiam nobis tradidit Dom. Raynaldus, observans in plumbeis vetustiorum Pontificum Sigillis non impressas fuisse Imagines SS. Petri, & Pauli, sed tantùm Pontificis illius nomen, cujus Literæ obsignabantur: nam (si supradicti Pauli I. sigillum excipias, in cujus altera facie Apostolorum

(1) De hoc Diplomate, quod recitat Ughellus col.68. non sine mendis in ipso etiam *Symbaticii* nomine, quod in *Cosmam Autium* mutat, alibi egimus. Nunc quæ in ejus fine leguntur, atque ad rem propriam pertinent, tantùm describemus: *Et ad confirmandam, & credendam hanc meam Enthelmam plumbea Bulla fecimus eam bullare juxta nostram consuetudinem*.

(2) Meminit Leo Ostiensis Chron. Casin. Lib. I. cap. 49, ubi ipsius Symbaticii dignitates, seu munera, quibus fungeretur, recenset, quæ etiam in ejus Diplomate, seù *Entilma* leguntur: in ejus autem fine asseritur, *bullatum cum Bulla plumbea*, ut ex regesto Petri Diaconi n. 136. notat Angelus de Nuce ad dictum Ostiensis locum. Gregorius etiam, sive Georgius Symbaticii successor Monasterio S. Vincentii ad Vulturnum suum quoque dedit Diploma, seù *Entilma* relatum in Chronico d. Monasterii T. I. P. II. Scriptor. Ital. pag. 413.: *Cùm residerem* (inquit) *intus Palatio Beneventi*; & in fine: *Quam verò Entilmam nostram bullavimus cum bulla nostra plumbea Mense Augusti, decima Indictione*.

(3) Tom. I. Juris Græco-Rom. Lib. I. Sent. Synodalium Germani Patriarchæ pag. 286.: Alia exempla ex eodem Tomo exhibet Joh. Kirchmannus *De Anulis* cap. VIII.

(4) Vid. Cangium in Glossario.

(5) Dom. Raynaldus apud Leonem Allatium Lib. I. cap. 6. *De perpetuo cons. Occid., & Orient. Eccl.*. At Muratorius in Differt. *De Sigillis Med. Ævi* T. III. Antiq. pag. 91. Arretinum Archivum oculis perscrutatus, nihil tale deprehendisse testatur; unde etiam Raynaldi somnia esse putat de plumbeis aliis Bullis Leonis I., & Gregorii I. ab eo laudatis.

(6) Petrus Boerius in Glossis ad Vit. Pontificum apud Muratorium l. l. pag. 90.

(7) In d. Differt. pag. 131.

rum vultus, in altera verò ΠΑΥΛΟΥ nomen occurrit), quæ ad Honorium II. anno 1124. Pontificatu potitum, ab eodem Muratorio exhibentur Sigilla, ex una proprium nomen, ex altera verò parte PAPÆ titulum præseferunt (1). Quamquam ex ipsis sigillis id definire haud tutum sit, quum non omnia ad manus haberi, nec ad posteros evasisse potuerint. Hinc Raynaldus ipse non ante Adrianum IV. adhibitas Petri, & Pauli effigies se reperisse ait, ideſt circa annum 1155., quod tamen alii ad Paſchalem II. referendum censent (2).

Certum autem illud affirmari debet, Romanos Pontifices hunc plumbei sigilli, sive Bullæ usum non aliis quidem, sed sibimetipsis, suæque Pontificiæ auctoritati acceptum retulisse, itaut supremæ suæ potestatis jure, hoc quoque, uti alia quæque sibi congruentia majestatis insignia, dum opportunum visum fuisset, sibi attribuerint; non alio autem pretiosiore metallo (3), quàm plumbo usi, de qua re libet heic referre illa, quæ vetustus Sæculi XIII. Poeta a Mabillonio vulgatus cecinit:

*Dic, facunde Comes, de quo sit Bulla metallo?...*
*Credo, quod ex fulvo, nec mirum, splendeat auro;*
*Conveniens tanto est aurea Bulla Patri.*
*Aurea si non est, argento clara refulget?*
*Ære figurari non leviore potest....*
*Non auro, non argento Sacra Bulla refulget:*
*Insignit Chartas plumbea forma sacras....*
*Malleus imposita vix dat tria verbera massæ,*
*Et subito plumbum se novat ære novo....*
*Virtus verborum Papæ sic imperat æri,*
*Ut faciat, quicquid verba sacrata jubent* (4).

Adeo verò, ut dixi, certum est proprio jure, ac quidem supremo, plumbeam Bullam ad Pontifices Romanos pertinuisse, ut aliis, nonnisi Privilegii loco, usurpandam indulserint. Audi Ptolomæum Lucensem in Annalibus brevibus ad An. MLXIV. ita loquentem: *Eodem anno Alexander II. Papa Civitatem Lucensem nobilitat. Nam primò ei tribuit Bullam plumbeam pro Sigillo communitatis, ut habet Dux Venetorum* &c. Ad Ducem verò Venetorum quod attinet, scio Marinum Sanutum juniorem Historiæ Venetæ Scriptorem, id memoriæ tradidisse, Emmanuelem scilicet Græcorum Imperatorem privasse Ducem Venetum Privilegio bullandi plumbo, quæ prærogativa ab aliis Imperatoribus ei concessa fuerat (5). At qui inclytæ ejus Reip. res gestas præclarè persequutus est Sabellicus, ut Venetorum Duces Literas, & monumenta publica *plumbo* obsignent, id inquit Alexandro Pontifici acceptum ferri, qui, *cùm Ducem Literas ad Fridericum Imperatorem de fide Legatis habenda cera obsignantem conspexisset, in Ciani, & aliorum gratiam mandavit, ut Ducariæ deinceps Literæ* plumbo *munirentur* (6). Quanquam ex Obbone veteri Historico is ipse Sabellicus paullò post affirmat, *duplici Venetos Principes ad eam diem signandi forma usos fuisse, ut publica monumenta plumbo, Epistolas, ac reliquos libellos cera communirent: sed tunc primùm Alexandro auctore receptum, ut in his quoque plumbo illi uterentur*; & sanè longè ante Alexandrum plumbeo Sigillo Duces Venetos usos, probat Sansovinus (7).

Utcumque autem res isthæc fuerit, haud certè probanda Muratorii sententia est, qui plumbeas Bullas nactus, in queis & Theophylacti Presbyteri, & Gaudentii Primicerii, & Theodori

(1) L. l.

(2) Sub Paschali II., qui labente Sæculo XI. Pontificatum iniit, SS. Apostolorum in plumbeis sigillis effingendorum morem cœpisse censet Doubletus pag. 471. apud Cangium. Victoris II. (qui post medium idem Sæculum floruit) ex Archivo Casinensi *plumbeum* sigillum profert Muratorius l. l. pag. 98., in cujus antica visitur Imago solius S. Petri, cui porriguntur Claves, cum hac Epigraphe in circulo: *Tu pro me navem liquisti, suscipe Claves*. In postica Urbis Romæ facies, cui supra: *Aurea*: subtus: *Roma*: in circulo: *Victoris Papæ II.*

(3) Bulla aurea Romanos Pontifices usos ait Raynaldus in confirmatione Romani Imperatoris. Sed & Spelmannus refert, Clementis VII. Diplomati, quo *Defensoris Fidei* titulum Henrico VIII. Regi Angliæ contulit, appensam esse Bullam auream.

(4) Mabillonius Veter. Analect. pag. 376. edit. Parif. an. 1723.

(5) Hist. Venet. sub Sebastiano Ziano Duca. T. XXIII. Scriptor. Ital. Muratorii.

(6) Hist. Venet. Dec. I. Lib. VII.

(7) Hist. Venet. Lib. II. Vid. Kirchman. l. l., & Renatum Choppinum *De Dominio Galliæ* Lib. II. T. II. pag. 224. n. 8.

dori Notarii, aliorumque privatæ conditionis hominum nomina occurrunt, ſuſpecta exinde ſibi fieri ait vetera, quæ afferuntur, conceſſi *plumbei* ſigilli privilegia, cujus ſigilli uſum paſſim honeſti quique viri habuiſſe probantur (1). Satius enim Muratorio fuiſſet, ſi haſce ad inferioris ordinis, privatæque ſortis homines pertinentes, plumbeas Bullas in earum cenſum retuliſſet; quas hodiedum a Mercatoribus in ſuis obſignandis mercibus paſſim adhibitas ſpectamus: aliud enim eſt plumbo uti in eo ſigillo effingendo, quod privatis quibuſque hominibus in ſuis Epiſtolis, aliiſque domeſticis rebus apponere fas ſemper fuit, aliud verò, ut qui juriſdictione fungantur, in Diplomatibus, Edictiſque ſuis ejuſmodi ſigillum adhibeant, quod ſupremæ poteſtatis indicium eſt, atque ſummi Principes ſibi unis vindicaſſe noſcuntur. Quare nonniſi eximiam, magnique æſtimandam illam prærogativam, ſive Privilegium cenſebimus, plumbeum ſigillum, ſeù Bullam Diplomatibus appendendi, quo Beneventani Antiſtites pluribus ab hinc Sæculis prædici, etiamnum potiuntur.

Cœptum eum morem, vel potiùs iſtud illis privilegium conceſſum putaverim labente Sæculo XI., quo maximè Romani Pontifices Beneventanam Urbem adire conſueverunt; itaut diù ante Archiepiſcopum Lombardum a Cardinali Archiepiſcopo Sabello ſuperiùs memoratum, Archiepiſcopus Roffridus, qui anno 1076. ſedere cœpit, plumbei Sigilli uſum invexiſſe videatur, ejus Diplomate ſatis tutam conjecturam præbente, ubi ſui *Sigilli inſignia appendi* voluit, quo *appendendi* verbo haud certè alii Archiepiſcopi uſi ſunt, qui ſigilli *impreſſione* ſua Diplomata confirmaſſe teſtantur: hinc quemadmodum imprimendi verbum ad Ceram, ità appendendi ad Plumbum congruenter referendum erit. Certum verò illud eſt, *inſignia* ipſa a Roffrido memorata, diverſa planè ab illis fuiſſe, quæ olim Beneventanæ Eccleſiæ Anulus, ſive Sigillum, nobis ſuperiùs illuſtratum, proferebat. Poſterioris Sigilli, ſeù Bullæ Characteres exhibet ſupradicti Archiepiſcopi Lombardi Diploma originale in noſtra Bibliotheca ſervatum, datum anno ejus Archiepiſcopatus quinto, ideſt anno 1175., in quo Diplomate præter ejuſdem Archiepiſcopi ſubſcriptionem adeſt Signum circulare, quod hæc ambiunt verba: *Cuſtodi nos Domine ut pupillam oculi*: in area verò ejuſdem circuli:

| | |
|---:|:---|
| Sancta | Maria |
| Scs Bar | tholomæus |
| Lombardus | Benevent. |
| Archie | piſcopus |

Tum membranæ affixa eſt cordula ſerica appenſam retinens Bullam plumbeam; in cujus antica facie Crux inſculpta eſt, atque hinc a pectore ſurſus Imago Deiparæ, inſcriptis ſupra ejus Caput his Literis S. M., & ab altero latere Imago S. Bartholomæi cum S. B.: in poſtica verò viſitur effigies ipſius Archiepiſcopi Tiaram, ſeù Regnum in Capite geſtantis, cum hac circulari Epigraphe: *Lombardus Ben. Archiepiſcopus*. Servata deinde eſt ejuſdem plumbeæ Bullæ forma, excepta duntaxat Archiepiſcopi effigie, cujus loco pars poſtica ſolùm ipſius nomen inſculptum præferre cœpit. Ejus poſterioris Bullæ exemplar (cujus uſus hodieque obtinet) ſupradicto veteri Anulo in eadem ærea tabula adjectum Lector aſpiciet. Placuit itaque in eo Sigillo, quod olim Anulus Sanctæ Dei Genitricis appellabatur, pro Ejus nomine effigiem ipſam inſculpere; placuit & S. Bartholomæi alteram adpingere; cujus rei exemplum ab ipſis Romanis Pontificibus profectum videri poteſt, qui tunc temporis SS. Petri, Paulique Imagines ſuis Sigillis adhibere maximè conſueverunt: At quæ in Pontificio Sigillo Apoſtolo Paulo tribuitur, ſervata in noſtro Deiparæ Virgini dextra eſt (2). Qui verò a læva adſtat Apoſtolus Bartholomæus, hanc ſui præcipui patronatus notam, hanc Beneventanæ Eccleſiæ erga ſe reverentiæ teſſeram accepit. Sed jam de Eccleſiæ Beneventanæ, ejuſque Antiſtitum prærogativis, etſi non omnino pro eorum dignitate, pro inſtituti tamen operis ratione hactenus dicta ſufficiant.

CA-

(1) In d. Diſſert. *De Sigillis Med. Ævi* T. III. p. 135.

(2) Cur in Bullis Romanorum Pontificum S. Pauli Imago dextram, S. Petri ſiniſtram partem occupent, pluribus diſſerit Leo Allatius *De conſenſu utriuſque Eccleſiæ* Lib. 1. c. 6., & Nicolaus Alemannus in *Lib. de læva, & dextra*. Poſt alios rem ipſam confecit Cl. P. Janningus T. VII., ſeù P. II. Menſis Junii operis Bollandiani, ubi de SS. Apoſtolis Petro, & Paullo, & de Baſilica Vaticana uberrimum commentarium nonnullis interjectis Diſſertationibus inſtauravit: de ea verò re agit in Altaris ad Abſidem antiquam Vaticanam *De poſitione Imaginum SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli dextra, lævaque inter ſe* pag. 162., adjecto etiam *Franciſci Mucantii* Libello.

## CAPUT IV.

### DE CLERO BENEVENTANO.

*Plures è Clero Beneventano Sanctorum fastis adſcripti. Quæ antiquitùs ejuſdem Cleri forma, gradus, diſciplina. In exercendis Pſalmodiis perpetuum ſtudium. An in eodem Clero fuerit aliquando vita communis, & Regularis obſervantia. Beneventani Canonici Regulares quando, à quo inſtituti, & quandiù perſtiterunt. Collegium S. Bartholomæi, nec non Sancti Spiritus. In Cathedrali Eccleſia quot Clericorum gradus, & dignitates. Canonicorum Beneventanorum vetuſta monumenta: Numerus: Veſtes. Archidiaconi prærogativæ. Primicerii duo, & quare. Theſaurarius, & Eccleſiæ Beneventanæ Theſaurus: Bibliothecarius, & Eccleſiæ Beneventanæ Bibliotheca illuſtrantur. Univerſi Capituli prærogativæ in eligendis Canonicis, & Dignitatibus, in Juriſdictione Epiſcopali, in Pontificalium Veſtium uſu.*

POſt compendiariam de Beneventanis Antiſtitibus tractationem ſuperiori Capite abſolutam, æquum videtur, ut de Beneventano Clero etiamnum diſſeramus: Neque enim ſola Præſulum ſuorum dignitate, ac prærogativis ſatis præclara Eccleſia Beneventana cenſebitur, niſi toto effulgere corpore ſuo videatur, atque illuſtriorem illam portionem ſuo Capiti adhærentem proprio adhuc ſplendore conſpicuam, paribuſque, pro ſui gradus ratione, ornamentis, atque decoribus inſignem oſtendat. Clariſſima ejuſdem Eccleſiæ Sidera, nobis è Cœlo etiamnunc, atque in perpetuas æternitates radiantia, ſuperiùs jam demonſtravimus, Feſtum videlicet Diaconum, ac Deſiderium Lectorem eâdem, qua celeberrimus Beneventanus Epiſcopus Januarius, martyrii palmâ præclaros: tum Benignum Archidiaconum, ejuſdem quoque cum Epiſcopo ſuo Cadoco, ſeù Sophio Martyrii conſortem: Paulum denique Diaconum, Æmilii Epiſcopi quoque ſui in Conſtantinopolitana Legatione Socium, ac Confeſſoris merito illuſtrem. Addemus nunc tum S. Piatum, de quo egimus in Tomo I. Diſſert. III. pag 113.: tum S. Evaſium, quem Beneventana Eccleſia Aſtenſi Epiſcopum dedit, Aſtenſis Cœlo Martyrem: tum denique S. Barbatum, qui ante Epiſcopatum ejuſdem Beneventanæ Eccleſiæ Presbyter, deletis Longobardorum gentilium ſuorum ſuperſtitionibus, omni virtutum genere Clericis reliquis, collegiſque ſuis verbo, & exemplo præfulſit. Maximum profectò iſtud Eccleſiæ Beneventanæ decus videri debet, ejuſmodi Viros è Clero ſuo protuliſſe, quorum numero, ac dignitate, & quibuſque aliis præſtantiorem Eccleſiis, & hac una magis re, quàm ceteris ſuis prærogativis, nobiliſſimam ſeſe probare ſufficiat. At percurriſſe alia operæ pretium erit, ut ex ipſa decorum omnium varietate formoſior ejuſdem Eccleſiæ aſpectus colluceſcat.

Ut igitur rem ipſam ab ſua origine repetam, hoc magnum, ac præcipuum inter Beneventanæ Eccleſiæ laudes ponendum invenio, quod ſi alia deeſſent univerſæ Eccleſiæ Antiquitatis documenta, latuiſſetque adhuc, quæ à Chriſtianæ Religionis primordiis fuerit primæva Cleri forma, quæ Diſciplina, qui gradus, quæ munera, qui honores, ac cetera hujuſmodi, longo opere à Viris eruditiſſimis paſſim explicata, jamnunc ex una Eccleſia Beneventana explorata haberemus omnia; dum nihil ferè eſt, quod non ex vetuſtis ejuſdem Eccleſiæ monumentis in lucem proditum, ſatis manifeſtam univerſæ ejus rei imaginem nobis repræſentet. Primum itaque illud probè conſtat, ubi Sedes eſſent Epiſcopales, illic & Sacerdotes, & Diaconos, quos ipſius Cleri primores, ac præcipuos Epiſcoporum adminiſtros Apoſtolica tempora, atque inſtituta agnoverunt, illic & poſtmodum reliquos Clericos adfuiſſe, in partem ſolicitudinis Epiſcopalis vocatos: atque his quidem univerſis Eccleſiaſtica conſtabat Reſpublica, Sacrumque quoddam Collegium conſtituebatur, a quo ſub Epiſcopo, & cum Epiſcopo ipſa Civitas, hujuſque Parochia, ſeu Diœceſis regebatur: quare nihil majoris negotii, quod ad Epiſcopi munus, auctoritatemque pertineret, fas ei erat decernere, niſi Cleri ſui conſilium, atque ſuffragium acceſſiſ-

ſet (1). Rem hanc, ſive veterem hunc morem, atque inſtitutum ex Beneventana Eccleſia didiciſſe erit; nam quod primum ad nos pervaſit, haud tamen omnium fortaſſe primum, Beneventani Epiſcopi Alphani Diploma Anni DCXV., quo Traſemundo exemptionem Eccleſiæ S. Martini ab eo ædificatæ concedit, promulgatum legitur, *adſtantibus Sacerdotibus noſtris, vel cuncto Clero*. David quoque Epiſcopus eoſdem Sacerdotes, eundem Clerum ſibi adſtantes commemorat in ſuo Diplomate anni DCCLXIII., quo Eccleſiam *S. Mariæ de loco ſano cum parvula terra* ad ſuam quidem Epiſcopalem Eccleſiam pertinentem Aufladæ religioſæ Abbatiſſæ *ob ſalutem, & ſtatum noſtræ Sanctæ Eccleſiæ largitur* (2).

Ex eodem etiam Clero, qui communi Epiſcopi, Clerique univerſi judicio idonei cenſebantur, Sacerdotes ad regendas inferiores ejuſdem Urbis, Parochiæque, ſeu Diœceſis Eccleſias mittebantur, quibus præpoſiti, nequaquam ab matricis Eccleſiæ gremio, neque ab Epiſcopalis Cleri conſortio divulſi, ſed adhuc communi omnibus jure, prærogativiſque utebantur (3). Giſulfus Princeps Salernitanus exemptionem tribuit Presbyteris, quos Beneventanus Epiſcopus ad adminiſtrandas, quæ ſui juris eſſent, in Salernitano Principatu Eccleſias ablegabat: *Concedimus* (inquit) *in prædicta Sancta Sede* (Beneventana) *ut Preſbyteri, qui Regimen tenere videntur in Eccleſiis ſubditis, atque pertinentibus ejuſdem Sanctæ Sedis, quas habet infra pertinentia noſtri Principatus, ut & ipſi ſimiliter ſint defenſi ab omni ſervitio, & datione publica, & ſi ſine herede quislibet eorum mortuus fuerit, aut res ſuas injudicatas reliquerit, quicquid paraverit, quomodocumque ſive mobile, ſive immobile, ab illo die, quo Pars prædicti Epiſcopii eum ordinaverit, totum eveniat ad poteſtatem dictæ Sanctæ Sedis, ſicut ad poteſtatem Sacri noſtri Palatii evenire debuit*. Hæc inter alia plura Eccleſiæ Beneventanæ Giſulphus conceſſit in ſuo Diplomate Anni DCCCCLIV., quod originale in noſtra Bibliotheca ſervatur incluſum Tubo II.: ex quibus habes, ab Epiſcopo Beneventano Presbyteros in eas quoque Eccleſias adminiſtrandas miſſos, quæ extra Beneventanæ Diœceſeos fines ſitæ, ad ejus tamen Antiſtitis jus pertinerent; eoſque Presbyteros ab eodem Epiſcopo *ordinatos*; qua quidem ordinatione non ſolùm Beneventani Cleri collegio accenſebantur, verùm etiam Eccleſiæ Beneventanæ ita erant obnoxii, ut illorum ab inteſtato hæredem eandem Eccleſiam, ceſſis ex Longobardorum Lege Fiſcalis ſucceſſionis juribus ſibi ſpectantibus, Giſulphus declararit.

Qui tandem cum Epiſcopo unum corpus in eadem Eccleſia componebant, in eoſdem quoque Clericos, veluti in neceſſaria, ac nobiliora membra enutrienda confluere, ac derivare debebant, quotquot congrui ad illorum ſuſtentationem viderentur Eccleſiæ ipſius reditus, atque emolumenta. Statutam à Sanctiſſimo Epiſcopo Barbato Legem vetuſtus ejus Vitæ Scriptor commemorat; qua is *in quatuor partes cunctum Eccleſiæ reditum omni tempore ſanxit fideliter diſpertiri, unam egentibus, ſecundam his, qui ſedulas in Eccleſiis Domino exhibent laudes, tertiam pro Eccleſiarum reſtauratione diſtribui, quartam ſuis peragendis utilitatibus Epiſcopus habeat* (4). Quod Barbatus certa Lege conſtituit, jamdiù in Beneventana Eccleſia ex more, inſtitutoque majorum ſervatum putari debet, ut alibi, quum de eodem Barbato accuratè agerem, demonſtravi: Quare ejus, quæ (Gregorio Magno teſte) in Eccleſia Romana antiquitùs obtinebat, Eccleſiaſticæ Diſciplinæ exemplum ex Eccleſia Beneventana univerſum Clerum ad communem ſuorum redituum participationem admittente, comprobaſſe licebit.

Sed ex recitatis Biographi verbis alterum quoque colligere proderit, quod ad commune

(1) Vid. Lud. Thomaſſinum Vet. Eccl. Diſcipl. P. I. Lib. III. cap. VII. n. 2., & ſeqq.

(2) Hæc duo Diplomata ſuperiori Capite recitavimus. Ne autem Lectori dubium, aut faſtidium faciat illa particula *vel*, quæ disjunctionis vim, ac rationem ex primæva ſignificatione obtinere videtur, jam illud conſtat, ſequiori ætate pro particula *conjunctiva* fuiſſe uſurpatam; quemadmodum heic, & in aliis Beneventanæ Eccleſiæ chartis in hac Diſſertatione, atque in Appendice relatis paſſim occurrit: quod ſemel meminiſſe ſatis ſit, ac Cangium indicaſſe, qui in ſuo *Gloſſario med., & infim. Latin.* in ipſomet vocabulo *vel* rem ipſam plurimis exemplis, atque obſervationibus certiſſimam ſtatuit.

(3) Vid. eund. Thomaſſinum l. l. cap. VIII. n. VI., & ſeq.. Inſignis de hac re eſt Imper. Juſtiniani locus in Novell. 3. cap. I., ubi ait Clericos omnes tam majoris CPolitanæ, quàm aliarum ſub eadem conſtitutarum Eccleſiarum, unum, eundemque Clerum eſſe; quare eundem frequentiſſimum haberi oportebat: *Non enim* (inquit) *ſufficient tantis Eccleſiis parvi conſiſtentes, quoniam quidem non proprios Clericos neque una quidem harum trium habeat Baſilicarum, ſed communes ſunt, & ſanctiſſimæ majoris Eccleſiæ, & earum; & omnes circumeuntes ſecundùm quendam ordinem, & circum miniſteria in eis celebrant*.

(4) Acta S. Barbati apud Ughellum T. VIII. pag. 29. edit. Rom., & apud Bollandum ad diem XIX. Februarii. De hac re uberrimè egimus Diſſert. II. Cap. III., ubi ejuſdem Barbati res geſtas illuſtravimus.

mune ejuſdem Beneventani Cleri munus ſimul, atque decus pertinebit: Non enim is aliis verbis Clericos indicat, quàm eorum nomine, qui *Domino ſedulas in Eccleſiis exhibent laudes*. Primus fuiſſe traditur Chrodogangus Metenſis Epiſcopus, qui Regulam Clericorum conſcripſit, in Concilio poſtea Moguntino Anni DCCCXIII. commendatam: Ac Chrodogangus quidem inter alia Clericos ſuos ad Divinas Laudes in Choro canendas inſtituit, indignum ratus Clericali vita, quod Monachi in Eccleſiis ſuis præſtare probabantur, non idem Clerici, Monachis ipſis digniores, atque in digniori Eccleſia, ideſt Epiſcopali, pari ſtudio exequerentur (1). At non eſt, cur Chrodogangum in reliqua Clericorum inſtitutione alioqui laudandum, ex eo tamen capite falſa laude cumulemus. Etenim, ut nunc prætеream, quæ de S. Ignatio Martyre refert Evagrius Hiſt. Eccl. Lib. VI. cap. 8., cum pleriſque Scriptoribus Græcis, ab ipſo nempe Ignatio morem alternis vicibus cantandi in Eccleſiam Antiochenam inductum fuiſſe, indeque promanaſſe ad ceteras omnes Eccleſias; quæ ſententia, graviorum Auctorum teſtimoniis contraria, Valeſio quoque ipſi Evagrium commentanti diſplicuit, diſcuſſaque diligenter fuit à Mabillonio *De Curſu Gallicano* §. I.; id tamen rectè conſtat, jamdiù rem ipſam in Romana Eccleſia fuiſſe conſuetam, uti docet S. Gregorii Magni Lex in Romana Synodo promulgata, quæ ſic ait: *Conſtituo, ut in hac Sede Sacri Altaris Miniſtri cantare non debeant, ſolumque Evangelicæ lectionis officium inter Miſſarum ſolemnia exolvant. Pſalmos verò, & reliquas lectiones cenſeo per Subdiaconos, vel ſi neceſſitas fuerit, per minores Ordines exhiberi* (2). Sed hæc, inquies, ad eximiam Gregorii pietatem, atque ad ejus, quæ omnium Eccleſiarum magiſtra erat, Romanæ Eccleſiæ diſciplinam, ac religionem pertinebant: immò verò ad ceteras quoque Eccleſias non ipſe tantùm mos, aut exemplum, ſed Pontificia Lex diù ante Gregorii ætatem obtinuerat. Certè ſtatutum à S. Damaſo Pontifice ſcimus, ut *quod pluribus jam locis erat in uſu, Pſalmi per omnes Eccleſias diù, noctuque ab alternis canerentur*. Quod ne de aliis ſolius Romanæ Urbis Eccleſiis ſancitum putes, audi Anaſtaſium ita de eodem Damaſo, reque ipſa ſcribentem: *Hic conſtituit, ut Pſalmos diù, noctuque canerent per omnes Eccleſias; qui hoc præcepit Presbyteris, & Epiſcopis* (3). Morem autem hunc, ſive legem in ſingulis Epiſcopalibus Eccleſiis ubique ſervatam haud præſtare auſim: Sat mihi fuerit de Beneventana Eccleſia certum præſtitiſſe; ubi S. Barbati ævo, ideſt Sæculo VII. univerſus Clerus Divinas Laudes perſolvere conſuebat: univerſum quidem affirmavi Clerum; nam ſi quarta pars Epiſcopalium redituum illis fuit attributa, qui *ſedulas Domino laudes exhiberent*, non hi certè Cleri portio, ſed Clerus ipſe omnis fuiſſe debuit, cui univerſim partem illam obtinere jus fuit; itaut quos ex eo pſalmodiæ munere laudatos, ſibique commemorandos voluit Biographus, haud dubium ſit, eoſdem omnes ceteris profectò ſuperiùs nobis deſcriptis muneribus perfunctos pariter fuiſſe. Sed qui in Beneventana Eccleſia ſedulas Domino laudes exhiberent, ante Barbatum fuiſſe, illud ſanè oſtendit, quòd is non de illis inſtituendis, ſed de quarta redituum ipſis ſtatuenda ſollicitus tantummodo fuerit. Poſt Barbatum verò eoſdem perſtitiſſe idem Biographus, Sæculo IX. ſcribens, teſtatur. Sed luculentius Sæculo X. nobis ſuppetit ejuſdem rei teſtimonium: nam Pontifex Johannes XIII. in erectione Archiepiſcopatus Beneventani inter plures cauſſas, quibus Eccleſiam Beneventanam *ſublimiorem inter ceteras ordinare* ſtatuiſſet, hanc quoque in ſuo Diplomate expreſſam omninò voluit, quòd ſcilicet *Beneventanenſis Eccleſia in exercendis Dei laudibus magno conatu, piaque Religione ſemper inſiſteret; quod nobis* (inquit) *apud eam manentibus omninò conſtat inventum* (4).

Hactenus Beneventani Cleri formam, munera, diſciplinam delineavimus; qualem Eccleſiaſticæ Antiquitatis monumenta de aliis præclariſſimis Eccleſiis, ubi quammaximè Clericorum inſtitutio, ac religio floruiſſet, proponere videbantur. Illud modò inveſtigandum erit, an ex his omnibus comprobata videri poſſit illa communis menſæ, regulariſque vitæ conditio, quam aliquando ab ipſo Clero ſervatam fuiſſe, conſtat: Quid enim? Aſſidere Epiſcopo tum ſacra operanti, tum leges ferenti, tum reliqua munia exercenti; ad hæc perſolvendis Divinis laudibus in Epiſcopali Eccleſia aſſiduam operam præſtare; Epiſcopalium redituum ſtatutam partem in communem Cleri ſuſtentationem conferri; hæc quidem ſimul omnia conjecturæ loco haberi poſſunt, ut quandam vitæ communis,



(1) Mabillonius in Præfat. Sæculi II. Benedictini §. III. n.34.: Muratorius in Differt. De Canonicis T.V. Antiqu. Med. Ævi pag. 187.

(2) In Synodo Rom. Cap. I. in Appendice ad Epiſtolas Gregorii N. V. ex edit. PP. S. Mauri.

(3) Anaſtaſius in vita Damaſi. T. III. P. I. Scriptor. Ital. pag. 114.

(4) De hoc Diplomate jam plura diximus in antecedenti Capite hujus Diſſertationis, ubi de noſtri Archiepiſcopatus erectione ſermo fuit.

claustralisque instituti imaginem nobis referant. Fuit etiam Gabrielis Pennoti sententia, Beneventanam Ecclesiam ex Canonicis Regularibus constitutam olim fuisse (1). At plura sunt, quæ & nostram conjecturam, & Pennoti auctoritatem nihili habendam suadeant.

Clericos, seù Canonicos cujuspiam Ecclesiæ Canoni, seù matriculæ adscriptos sub certa regula, eodemque tecto viventes à Sæculo v., ut ab aliis domi suæ, suoque arbitratu viventibus, *Sæcularibus* dictis discriminarentur, *Regulares* appellatos fuisse constat (2). A Sæculo IV., atque ex Italia, ab Viro scilicet sanctissimo Eusebio Vercellensi Episcopo illorum originem *æquiùs arcessendam* strenuè contendit Muratorius (3), contra quàm censuisset Thomassinus, qui quos Eusebius in unam domum aggregatos ad communis, religiosiorisque vitæ disciplinam informavit, non Clericos illos putavit ad Monachorum mores compositos, sed Monachos potiùs, qui ad Episcopi obsequium comparati, Clericorum muneribus fungerentur (4). Utut de Eusebii Clericis, Monachisve res sit, in eo certè Thomassinus, Muratoriusque conveniunt, Regularem illam morum, vitæque communis normam, quam S. Augustinus in Hipponensem Ecclesiam invexit, nullimodè ad Monachos (neque enim ipse Augustinus unquam Monachum egisse videtur), sed ad Clericos omninò pertinuisse, quos ipse, Presbyteros scilicet, Diaconosque Ecclesiæ suæ inservientes, in suam domum, mensamque admissos, Clericorum quoddam veluti Monasterium, seù potiùs Seminarium effecit. Testis est Possidius in Augustini Vita; Testis ipsemet Augustinus, cujus illa sunt: *Nimis dolendum, si ad tam ruinosam superbiam Monachos surrigamus, & tam gravi contumelia Clericos dignos putemus, in quorum numero sumus; cùm aliquando etiam bonus Monachus vix bonum Clericum faciat* (5). Testes denique ipsi Monachi, quorum unus universam Augustini familiam Clericalem agnoscens, sic Augustino scribens salutabat: *Omnes filios Apostolatus tui Dominos nostros Clericos digneris officio nostro salutare* (6). Hinc illa mihi insedit sententia, ex hoc Augustini fonte derivatum, ut quando sequutis temporibus ad corruptissimos Ecclesiasticorum mores reformandos, Clericorum sub certa Regula, ac communi mensa viventium Congregationes institui cœperint, qui illas profiterentur, *Canonici Regulares S. Augustini* appellati sint, velut Augustinum sectantes, qui tum proprio exemplo, tum receptis, probatisque suæ Ecclesiæ institutis, aliis omnibus præisse videbatur. At de his Clericis, seù Canonicis Regularibus ad S. Augustini exemplum, regulamque apud Beneventum institutis mox videbimus.

Interim diutissimè fuit, quum Ecclesia hasce Clericorum Congregationes, sive ab Eusebio, sivè ab Augustino in suis Episcopalibus Sedibus institutas desiderare debuit; nam ob corruptissimos, quos dixi, Ecclesiasticorum mores subsequutos, quibus Cleri disciplinam universim labefactatam ingemiscebat, nullum validius remedium, nullum opportunius subsidium sibi reliquum animadvertit, quàm Clericos ipsos à paternis laribus, idest è Sæcularium consortio, ac contubernio in claustra coactos, tum communis vitæ rationibus, tum certis, statutisque vivendi regulis, Clericalis ordinis dignitati, ac sanctitati congruentibus, obnoxios habere. Hinc illa Pontificis Eugenii II. Constitutio in Concilio Romano anni DCCCXXVI., qua *necessarium* fore declaratur, *ut juxta Ecclesiam claustra constituantur, in quibus Clerici disciplinis Ecclesiasticis vacent: Itaque omnibus unum sit Refectorium, ac Dormitorium* (7). Clericos autem heic intelligas eos omnes, qui Ecclesiæ inserviebant, Sacerdotes præsertim, Diaconosque cuilibet Ecclesiæ ministerio deputatos: Jam verò instare cœperant Pippinus, Carolusque Magnus, adnisus dein vehementiùs Ludovicus Pius, ut Clerici omnes in conventibus vitam communem agerent, Regulamque amplecterentur Chrodogangi, cujus paullò ante meminimus. Piissimorum Principum studium plura exin Concilia decretis suis provexerunt; visaque tunc plerisque in Cathedralibus Ecclesiis nova, ac felicior Reip. Ecclesiasticæ elucescere facies: erantque hæc Collegia verè Senatus Ecclesiæ, & antiquissimi Cleri imagines luculentæ, unde ejusmodi Clericorum Claustra ob servatum religiosioris vitæ institutum, ac probatam virtutum omnium exercitatio-

(1) Histor. Canonicor. Regular. Lib. II. cap. XXIX. n. 4.: Quibus verò documentis id affirmet Pennotus, cùm ad manus non sit, nondum novi: hac enim de re laudatum inveni apud Gonzalez in Commentar. Cap. XXV. *De Censib. & Exactione*.

(2) Chopinus de sacra Politia T. III. n. 6.. Deridet Ludovicus Vives in notis ad S. Augustinum De Civ. Dei Lib. III. cap. 15. hanc Canonicorum Regularium appellationem: *Idem* (inquit) *est Regularis, ac Canonicus a Canone. Hinc quidam Monachi D. Augustini, ne non sicut putentur Regulares, ita vocari gaudent*. At vide, quæ nos superiùs de hac re generatim observavimus.

(3) Differt. de Canonicis T. V. Ant. Med. Ævi p. 187.

(4) Discipl. Eccl. P. I. Lib. III. cap. IV.

(5) Apud eund. Thomassinum l. l.

(6) Ibidem.

(7) Conc. Rom. sub Eugenio II. Can. VII. apud Labbeum T. VIII.

tationem, *Monasteriorum* nomine persæpè appellabantur, sive decorabantur (1). Sequuto Sæculo x., infelicissimo scilicet, quàm unquam, Ecclesiæ tempore, præclariùs aliis gentibus fortasse Italia se habuit: Nam Theodoricus, ac Grimoaldus Pisani Archiepiscopi, quum communem Canonicorum suorum vitam, qualem eorum decessor Johannes instituerat, ob temporum procellas jam naufragio proximam animadverterent, eam solicitiori deinceps opera, & impendiis suis sustinere, ac fovere cœperunt: insigne hanc in rem ipsius Grimoaldi Diploma est, datum anno Berengarii junioris, & Adalberti Regum VIII., Indictione III., ideſt Anno Chr. DCCCCLIX. (2). Adalbertus item Episcopus Bergomas Anno DCCCCVIII. sancivit, ut in S. Vincentii Cathedrali Ecclesia ab se condita Canonici ex communi convictu vitam traducerent (3). Eandem vivendi formam in Cæsenate Ecclesia, labente eodem Sæculo, à Sergio Episcopo institutam in ejus Charta etiamnum legimus (4). Idem quoque præstitere sub Ottone Magno in suis Ecclesiis Albertus Episcopus Aretinus (5), & Rodulphus Urbevetanus (6): Atque, ut alios præteream, Zenobius Fesulanus Episcopus eo nomine secundus, Canonicorum suorum numerum adaugens, eos ad communem vitam compositos voluit, datis ea de re Literis Anni DCCCCLXVI., in quibus ejus quadripartitæ Ecclesiasticorum redituum divisionis, quam in Beneventana Ecclesia servatam novimus, & ipse de sua Fesulana Ecclesia testimonium reddit (7).

At, ut verum fateamur, non id universim, immo paucis sanè in Ecclesiis obtinuit: Impedimento primùm fuit bonorum inopia: Non enim singulorum Episcoporum tam uberes fuere facultates, ut, etsi quartam suorum redituum partem in eam rem conferrent, tantum præstitisse viderentur, quantum alendis communem vitam agentibus Clericis opus esset: Concilium Moguntinum (quo, maximè commendante, ac jubente, adnitenteque, atque urgente Ludovico Pio, Chrodogangi Regula omnibus Episcopalibus Ecclesiis servanda proponebatur) ejusmodi difficultatem animadvertens, hanc suæ præceptioni conditionem addendam duxit: *ubi Episcopis id faciendi facultas suppetit*. An verò tantum oneris congruè sustinendi, Ecclesiæ Beneventanæ facultates per ea tempora ferre possent, meritò dubitabimus; præsertim quum nullum Episcopo relinqueretur arbitrium de reliquis redituum partibus disponendi, quas tum in suam quoque sustentationem, tum in Pauperum alimoniam, tum denique in Ecclesiarum instaurationem, caussas scilicet æquè necessarias, erogare debebat (8).

Altera quoque res impedimento fuisse videtur, ne Clericalis Regula, quoad præcipuum communis vitæ Caput in Beneventana Ecclesia admitti potuerit. Nullus in Ecclesia Beneventana Clericorum inservientium numerus fuit olim definitus; aut si unquam definitus, res rursum ipsa ad veterem morem, seù disciplinam recidebat, ut scilicet quotquot Clericali militiæ nomen dedissent, licet multò frequentiores, quàm prisca ætate haberentur, in eandem tamen Ecclesiam, velut agmen facturi, in aliorum certo numero adscriptorum album, ac societatem irrepere conabantur. Extat Canon II. Concilii, quod Pontifex Urbanus II. Anno MXCI. in ipsa Beneventana Urbe celebravit, in quo *Capellani, qui contra statutum numerum in Ecclesiis sine consensu sui Episcopi militaverint, ab officio, & Beneficio interdicuntur* (9). Capellanos autem heic intelligas, non quos postrema ætas vulgò

(1) Vid. Thomassinum l. I. cap. IX.

(2) Apud Ughellum Ital. Sacr. Tom. III. col. 412. edit. Rom.

(3) Apud eundem Ughellum T. IV. col. 608.

(4) Apud eundem Ughellum T. II. col. 458.

(5) Apud eundem Ughellum T. I. col. 462.

(6) Ibidem col. 383.

(7) Tom. III. col. 275.

(8) Quid verò, si ubi hæc Regula obtinuit, sub ipso Ludovico Pio, vel statim collapsam, vel mox ruituram viderimus? Fragmentum Historicum Concilii Aquisgranensis, præsente eodem Ludovico, præsente etiam Pontifice Gregorio IV. celebrati, apud Mabillonium Veter. Analect. pag. 149. edit. Paris. an. 1723. id memorat statutum *pro Canonicis, qui tunc sub Præpositis vivebant, quia Præpositi temporalia malè tractabant, & nobiliores, fortioresque Canonici possessiones usurpabant, ut quilibet Canonicus, personis ad certum numerum redactis, suum temporale proprium possideret, & ut de communi camera cuilibet distribueretur, prout in choro Divinis Officiis resideret*.

(9) Apud Labbeum T. X. Concilior. pag. 484., & in Synodico Provinciali Beneventano ab Archiepiscopo Ursino edito pag. 7.: Concilii Præfatio sic se habet: *Anno Dominicæ Incarnationis* MXCI. *Indict.* XIV. V. *Kal. Aprilis celebrata Synodus Beneventi, præsidente Domino Papa Urbano, præsentibus Episcopis, & Abbatibus, quorum numerus facilè numerari non potest*. In numero Abbatum nullimodè reticendus est S. Petrus Abbas Cavensis, cui cum aliis Abbatibus in eodem Concilio residenti, Pontifex Mitram misit, qua nudum caput operiret, simulque virtutum merito id ornamentum acciperet. Vid. Surium in Vit. ejusd. Petri, ac Baronium ad d. Annum. Atque hoc primum habetur exemplum, ut Mitræ usus Abbatibus indulgeri cœperit. Leo IX. Abbati Casinensi alia quidem Episcopalia insignia præter Mitram concesserat Anno MLIX., uti refert Ostiensis Lib. II. cap. 80.: Ipse Urbanus II. sequenti Anno MXCII. Madelmo Abbati S. Sophiæ (uti legitur in Diplomate Chronici ejusd. Monasterii P. V. n. IV.): *ex Apostolicæ Sedis peculiari benignitate id muneris persona-*

vulgò appellare ex peculiari eorum munere cœpit, sed *omnes illos Clericos, qui Ecclesiæ inserviebant, ac rerum ad sacra ministeria spectantium curam habebant*; uti commentatur Archiepiscopus Ursinus (1), vel *Canonicorum veluti substitutos, & Coadjutores*, quemadmodum locum ipsum Beneventani Concilii explicat Thomassinus (2). Etsi verò generatim ea Lex ab Urbano Pontifice promulgata videtur, conjicere tamen facile est, in ipsa quoque Ecclesia Beneventana, ubi id Concilium celebrabatur, ejusmodi abusum fuisse corrigendum. Sed frustra id fuisse, sequuti mox Sæculi monumenta declarant: Neque enim dissimulandum mihi illud erit, quod ab Archiepiscopo Lombardo anno MCLXXVI. statutum invenio. Is enim coercendam illam Clericorum turmam, quæ sine ullo delectu, immò non sine aliqua personalis infamiæ nota in Beneventanæ Ecclesiæ Clerum sese intrudere consueverant, latâ Lege sancivit, ut, nisi lapso exin triennio, nemo ullus, posthac verò nunquam ampliùs Spurii, necnon Clericorum filii, ac denique extranei, peregrinique admitterentur: *Quia nobis* (inquit), *& Venerabili Fratri nostro Rainulpho Beneventanæ Ecclesiæ Archidiacono, aliisque sanioris partis Fratribus idoneum visum est, & assensu Capituli adprobatum, statuimus, ut hinc usque ad trium annorum spatium, nullus tam Civis, quàm extraneus locum quemlibet in Choro Beneventanæ Ecclesiæ ex novo obtineat: Item stabilivimus, ut Spurii, & Filii Clericorum tam ipsius nostræ Ecclesiæ, quàm aliarum, nec non Abbatum, & extraneus quilibet unquam ex novo de cetero locum in Choro ejusdem nostræ Ecclesiæ sortiantur* (3): Atque hæc quidem per eam ætatem, ab aliis fortasse non absimilis, haud aliis certè deterior atque tenebrosior nostræ Ecclesiæ facies: dum universis catervatim ingredientibus ostia pandere, gremiumque suum promiscuis, indignisque Clericis non tam implere, quàm onerare, ac fœdare cogeretur: Quamquam id quoque in hac tanta Ecclesiasticarum rerum infelicitate compertum sit, Beneventanam scilicet Ecclesiam non modò Senatu suo nequaquam caruisse, sed etiam floruisse: Ipse siquidem Archiepiscopus Lombardus præter Archidiaconum Rainulphum egregiæ virtutis Virum (4), adhuc *saniorum Fratrum partem* commemorat, quorum consilio, ac suffragio se eam legem tulisse fatetur, quibus etiam *Fratrum* nomen impertit, *Regularis*, vel saltem observantioris Vitæ indicem, atque argumentum (5).

Quæ cum ita sint, nulla probabilis superesse conjectura videtur, immò contraria prorsus argumenta nobis superiùs emerserunt, quæ, ut de instituta aliquando in Beneventana Ecclesia Regulari Clericorum vita cogitemus, omninò vetant. Est tamen tum optimæ fidei, tum maximi pretii monumentum, quod, nisi intra ipsius Beneventanæ Ecclesiæ septa, intra tamen Beneventanæ Civitatis mœnia, hoc ipso, in quo versamur, Sæculo XII. Canonicos Regulares nobis spectandos offerat. Auctor, institutorque fuit Albertus de Morra, qui Beneventi (ubi ejus Familia, inter Regni Neapolitani Proceres clarissima, summo loco adhuc floret) nobilissimo genere natus, haud meliùs Patriæ suæ, Beneventanoque Clero prodesse potuit, quàm ut pietatem, munificentiam, auctoritatem denique ex splendidissima Dignitate comparatam, in eam rem statuendam conferret. Ex Cister-

*sonaliter* indulget, *ut per Annum quinquies, idest in die Resurrectionis, & Pentecostes, & Natalis Domini, & SS. Duodecim Fratrum, & S. Mercurii ad Missarum solemnia Chirothecis, atque etiam Calupagis* uteretur. Non id itaque obtinuit Beneventanus Abbas Madelmus, quod Beneventi anno superiori Cavensis Abbas Petrus acceperat, ut videas Mitræ usum in Beneventano Concilio cœptum, Abbatum merito potiùs, quàm dignitati initio datum.

(1) In notis ad dictum Concilium.

(2) Eccl. Disc. P. I. Lib. III. cap. X. n. 16., ubi & ejusdem Concilii Beneventani verba recitat.

(3) Ex originali Charta in nostra Bibliotheca servata, & ex Bullario selecto p. 150.: Hujus Chartæ haud meminit Ughellus, qui bina tantùm Archiepiscopi Lombardi Diplomata profert, in quorum altero Lombardus Rainulpho heic memorato Beneventanæ Ecclesiæ Archidiacono plura largitur, suumque *Vicarium* constituit: *ut liceat* (inquit) *tibi vice nostra per Parochiam Beneventanæ Ecclesiæ pergere ad Presbyterorum, & Clericorum corrigendos excessus, eorumque conversationem laudabiliter emendandam*.

(4) Florebat etiam supradictus Rainulphus Archidiaconus sub Archiepiscopo Henrico Lombardi Decessore, qui ab Apostolica Sede Legatus Constantinopolim, Beneventanæ Ecclesiæ curam ei reliquit, ut constat ex Instrumento anni MCLXVI. Beneventani Monasterii S. Victorini apud Ughellum pag. 184.

(5) Canonicos sæpissimè *Fratres* satis apto, ac decoro vocabulo appellatos, testantur passim Historiæ, atque Chartæ Medii ævi. Videsis Chartam Friderici I. anni MCLII. apud Muratorium d. Dissert. LXII. T. V. pag. 212., ubi satis appositè idem Muratorius observat, *nunc apud multos Italicorum* Fratris *nomen penè sordere; ita ut relegatum videatur intra Mendicantium Religiosorum claustra: Immo ne ibi quidem tutus est locus, quum* Patris, *non* Fratris *titulum ea quoque gens cariorem habeat. Monachos etiam Benedictinos* Fratrum *appellationem minimè dedignatos fuisse; cujus rei innumera prostant exempla, quæ utique consonant* Fratris, *seù* Fratrum *titulo, quo asseclas suos in Monastica sua Regula nuncupavit Sanctissimus eorum Pater Benedictus*.

Cisterciensi Monacho, in cujus prioris vitæ instituto tum sanctitatis, tum sapientiæ exemplis maximam nominis celebritatem sibi peperit, S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis ab Hadriano IV. anno MCLVIII. creatus, Cancellarii etiam munere functus fuit, *Vir literarum, facundiaque præclarus, sed & puritate vitæ, animique integritate præclarior, suique vehemens castigator*, tantus certè, & talis, ut anno MCLXXXVII. post Urbani III. obitum difficillimis illis temporibus, quando ad ceteras calamitates amissam Hierosolymam Resp. Christiana ingemiscebat, ad Summum Pontificatum evectus fuerit. Accepto Gregorii nomine, quo is *Octavo* licet loco, *Primi* virtutes sibi æmulandas proposuit, *in primis ad subventionem Hierusalem totis inhiat animis; ad concitandos Principes, Populosque per Occidentis Provincias tam Literas destinat, quàm legatos; sed proh dolor! in suo mox ortu flos decorus exaruit. Post Mensem* I. *Dies* XXVII. *dum Pisas venisset, & inter Pisanos, & Januenses feraliter antea dissidentes sopisset discordiam, pacemque firmasset, in instanti Nativitatis Domini rebus humanis eximitus, scilicet Orbi Christiano ostensus, mox in Cœlum raptus, in eadem Urbe honorificè sepelitur eodem anno* MCLXXXVII. (1)

Albertus itaque Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & Cancellarius, illud animo reputans, ardentique contendens studio, ut suorum Civium Ecclesiasticorum mores Beneventanæ Ecclesiæ Dignitati responderent, difficillimi autem negotii rem fore arbitratus in ipsa Ecclesia Beneventana, in qua pro Clericorum numero ingentes opes necessariæ videbantur, Canonicam Vitam instituere satiùs duxit, si tantum opus ab ejusdem Beneventani Cleri parte auspicaretur. Primùm itaque ære suo Ecclesiam condidit cum adjacentibus Ædibus, sive Claustro sub nomine S. Andreæ Apostoli, cui etiam amplissimos reditus comparavit, impetratâ anno MCLXXXII. à Guilielmo Siciliæ Rege concessione Castri *Capraria cum Startia Turris Palatii* (2). Tum locum ipsum aliquot Clericis Beneventanis attribuit, qui Canonici Regulares S. Augustini appellati, communis vitæ instituto, morumque sanctissimorum exemplo, non solùm universo Clero Beneventano præluceient, verùm etiam reliquos ad Ecclesiasticæ Disciplinæ observantiorem Cultum incenderent. Hinc Leges, Constitutionesque statutas voluit, ab ejus loci Alumnis, seù ejus Canonicæ Vitæ Professoribus servandas, quas, ut sacratiores efficeret, ab ipso Petri Solio Apostolica auctoritate promulgandas curavit. Ecclesiæ S. Andreæ conditorem, & locupletatorem deprædicasse satis habuit Ughellus, vix etiam meminit Sarnellius; apud quos de institutis ab Alberto Canonicis Regularibus altissimum silentium. Sed non modò non silenda res erat, sed etiam ante alias majori laude celebranda: ac nobis certè jucundum accidit, egregii Operis, ejusque Auctoris intermortuam penè memoriam instaurare. Extat Pontificis Urbani III. originale Diploma in nostra Bibliotheca servatum, ac Tubo XIV. inclusum, datum anno MCLXXXVII. ad *Johannem Præpositum, & Fratres S. Andreæ de Benevento Canonicam vitam professos*, quo Pontifex *Religiosam Institutionem per Albertum Tit. S. Laurentii in Lucina Presbyterum Cardinalem, & Cancellarium factam*, ratam habens, atque sub Apostolica Protectione suscipiens, præscribit Constitutiones ab iis *Canonicam Vitam secundum Deum, & B. Augustini Regulam* professuris, eorumque Successoribus perpetuò servandas. Ex hisce Constitutionibus duo tantùm heic animadvertemus, statutum videlicet vigintiquatuor Canonicorum numerum, quibus Præpositus præsit: *Canonicorum numerus professorum, excepto Præposito, vigesimumquartum numerum non transcendat*. Præpositum verò ab ipsis Canonicis, sed *coram duobus ex melioribus, & majoribus Ecclesiæ Majoris*, idest Cathedralis eligendum, atque ab Archiepiscopo confirmandum; ut videas in his Canonicis Regularibus Beneventani Cleri partem omninò agnoscendam. Ceterum nihil hisce Constitutionibus congruentius, nihil sanctius, prudentiusque haberi potest, quo confœderatis Ecclesiasticorum, Monachorumque institutis communis Clericorum vita foveri, atque efflorescere queat. Tantum veteri Chrodogangi Regulæ fortasse præstant, quantum ipsi Chrodogango Albertus; qui instituti auctor, ac Pontificio Diplomati pro suo Cancellarii munere subscribens, easdem quoque Constitutiones suo quidem tum calamo, tum spiritu dictasse dicendus est. Diploma ipsum, in quo dictæ Constitutiones continentur, ex originali membrana quàm diligenter descriptum, adjectis opportunis observationibus in hujus Libri Appendice proferemus.

Eodem

(1) In vitis Romanorum Pontificum ex MS. Bernardi Guidonis. T. III. P. I. Scriptor. Ital. pag. 478.

(2) Regis Guilielmi Diploma, in quo etiam Alberti Laudes continentur, recitatur ab Ughello T. VIII. col. 292. edit. vet.

Eodem fermè tempore, eodemque fortaſsè exemplo, quo Cardinalis Albertus ex Beneventano Clero Canonicos Regulares S. Andreæ inſtituit, illuſtris alter Beneventanus Civis, Eccleſiaſtici ordinis Vir, nomine Abdenago, in altera Eccleſia ſimillimum Clericorum Collegium ſub vocabulo, ac præſidio Sancti Spiritus aggregavit. Neque enim ſolùm (ut rectè Muratorius obſervavit (1)) in Cathedralibus Templis, ſed & in aliis Urbium præſtantioribus Eccleſiis Canonicorum Collegia inſtitui conſueverunt: *hoc eſt, qui Clerici in aliqua illuſtri Baſilica Deo inſerviebant, communi vitæ, unique Clauſtro ſeſe obligantes, novas Congregationes antiquitùs etiam efformarunt; hinc ergo ortum habuere, quæ nunc vulgo Collegiatæ appellantur*. Id certè de altera hac, cujus meminiſſe cœpimus, Beneventana Eccleſia factum conſtat, in qua laudatus Abdenago Abbas dici, atque eſſe cœpit; quo quidem nomine illum omninò deſignatum fuiſſe conſtat, qui aliis communem, regularemque vitam agentibus præerat; unde Dignitates, quæ in Sæcularibus quibuſdam Eccleſiis eo nomine decorantur, argumento ſunt, has ipſas Eccleſias fuiſſe olim Regulares (2): Amplius verò liquet ex vetuſto ejuſdem Eccleſiæ Necrologio, in ejus Archivo adhuc ſervato, cujus hoc eſt exordium: *Anno M. C. Nonageſimo octavo, & Primo Anno Pontificatus Domini Noſtri Tertii Innocentii, & univerſalis Papæ Menſe Aprili Prima Indictione Ego Petrus Abbas Sancti Spiritus cum ceteris Fratribus noſtræ Congregationis fecimus fieri hunc Librum &c.* (3) Viget, ac floret hodieque Beneventi, etſi non eodem loco, neque iiſdem antiquis Vitæ communis inſtitutis, iſthæc *Sancti Spiritus* Eccleſia, *Inſignis* quidem Collegiata, cui & Abbas præeſt, Mitrâ, aliiſque Pontificalibus inſignibus præditus, ac decoratus, quem tres aliæ ſubſequuntur Dignitates, atque octo Canonici, quibus ex primævo inſtituto eligendi Abbatem, ab Archiepiſcopo confirmandum, integrum adhuc, atque incolume jus eſt. Adnumerandum etiam eſt alterum pluribus pariter nominibus inſigne S. Bartholomæi Apoſtoli Collegium, quod hodieque in ejus Baſilica eodem duodenario numero effloreſcit, atque olim Regularis Vitæ inſtitutis effloruiſſe quoque videtur, manentibus nunc tantùm præter octo Canonicos inferiores, Prioris, Præpoſiti, Primicerii, Decanique titulis, ac Dignitatibus (4), jureque eas eligendi apud ipſos Canonicos adhuc perſeverante.

(1) Muratorius l. l. pag. 201.

(2) Thomaſſinus P. I. Lib. III. cap. 68.: *Si quibus in Sæcularibus Eccleſiis* Abbates *quidam ſunt inter Dignitates eorum, ut patet ex Decretali* Ex Tranſmiſſa De Renunciatione *non improbabiliter creditur Regulares olim eas fuiſſe Eccleſias, & tum à fervore primævo, tum à Regulari ſtatu deſciviſſe*.

(3) De origine, juribus, ac prærogativis Eccleſiæ Collegiatæ S. Spiritus Libellum edidit Anno 1688. Pompejus Sarnellius ejus Abbas, dein Epiſcopus Vigilienſis. Quamquam verò de ejus Eccleſiæ Necrologio ſuperiùs meminimus, libet heic aliqua de eo animadvertere, quæ tum ejus pretium, tum eam, ob quam inſtitutum fuit, cauſſam nobiliorem reddant. Eſt ſiquidem is Codex membranaceus, non ſolùm illam, quam ſuperiùs recitavimus, ſuſcriptionem præferens, unde de ejus ætate præclarè conſtat, verùm etiam Picturâ inſignis, in qua Abbas Eccleſiæ ipſius, Fratreſque aliquot *Barbati* viſuntur, rudi quidem forma, quæ tamen ejus ævi habitus nobis ſpectandos offerat. Adnotatur in eo Codice Abbatis Abdenago ejuſdem Eccleſiæ fundatoris obitus ſub die VIII. Id. Auguſti anni MCLXXXIII., ac ſubinde aliorum defunctorum Fratrum nomina: Adſcriptæ ſunt Preces, Rituſque, quibus Fratres in ſodalitatem recipi conſuebant: Adjectæ denique tum Urbanarum, tum Diœceſanarum Parochiarum nomina, quæ eidem Confraternitati aggregatæ ad id tempus fuerunt. Quod verò obſervatione dignius eſt, Confraternitas ipſa Laicorum videtur, cujus cauſſa Necrologium conſcribi cœpit. Primum Laicorum Sodalicium, cui Confraternitas nomen, anno MCCLXVII. Clemente IV. ſuis Apoſtolicis Literis annuente, Romæ natum ſtatuit Odoricus Raynaldus in Annal. Eccleſ. ejus anni num. 84. *cujus exemplo condita alia pia Sodalicia, & à Summis Pontificibus, accendendæ Pietatis ergo, approbata fuiſſe* ſubdit. Raynaldo præivit Thomas Baſilius *De Signis Eccl.* Lib. IX. cap. 7. Heinc, ſi vera nobis uterque dixerit, antiquioris originis prærogativam noſtra Confraternitas ſibi jure vindicabit, quippe quæ an. ſaltem MCXCI. inſtituta, ut ex ſuo Necrologio manifeſtum fit, exemplum magis aliis præſtitiſſe, quàm ipſa ab aliis excepiſſe dicenda eſt. Certè Muratorius, qui cum ipſis *Piis Laicorum Confraternitatibus* Tomum VI., ideſt ingens Opus Italicarum Antiquitatum medii Ævi abſolutum voluit, nonniſi leviſſima, rariſſimaque earumdem Confraternitatum veſtigia ſe ante Sæculum XIII. reperiſſe teſtatus, cauſſam repetit ab temporum infelicitate, quæ bellis civilibus exagitata, haud ejuſmodi hominum cœtus coire ſinebant, ex quibus major turbarum occaſio, metuſque eſſe poterat: *Quare nil mirum* (inquit) *ſi Confraternitatum piarum inſtitutio multis in locis nunquam recepta, probataque fuerit, ſive in aliis radicata, demum exaruerit. Atque in Italia præſertim, quæ ſub bellis, diſſidiis, factionibus poſt Sæculum Chriſti* X. *laborare coepit . . . Si Venetiarum Urbem excipias . . . in reliquis Italiæ Urbibus Sæculo* X. *ac duobus ſubſequutis nullius piæ Confraternitatis memoria certa, aut nomen ſe nobis offert, quod ſciam*. Si Beneventanam Confraternitatem ſciſſet Muratorius, auro contra profectò æſtimaſſet originale hoc Necrologium, indubium ſcilicet illius multò ante tempus ab ſe definitum inſtitutæ monumentum, quo Diſſertationem ſuam non tam locupletiorem, quàm illuſtriorem reddidiſſet. Lætandum igitur de hac re nobis erit, dum, etſi eandem ipſam Confraternitatem cum ipſa Eccleſia S. Spiritus Terræmotus vi collapſam, oſtendere non detur, alteram tamen cum ipſo Inſigni Collegio in Eccleſia S. Mariæ CPolis ſubortam demonſtrare, atque, quod rei caput eſt, antiquiſſimam ante alios Italicos populos Beneventanorum pietatem in ea adeò ſtudioſè, ritèque inſtituenda Confraternitate comprobaſſe jam liceat.

(4) Vid. eund. Thomaſſinum, qui ex iis vocabulis par argumentum ad veterem alicujus Eccleſiæ Regularem inſtitutionem deducit ibidem Cap. LXVI. n. II. & ſeq.

te. Libet heic ad utriusque Ecclesiæ laudem ( quæ sanè laus & in ipsam redundabit Cathedralem ) ea describere, quæ Johannes de Castrocœlo S. R. E. Cardinalis, & Beneventanus Archiepiscopus quatuor ab hinc Sæculis ajebat: *Beneventana Matrix Ecclesia Sponsa nostra multas longè, latèque peperit Filias honorabiles, & fœcundas, quæ cum Virginibus ceteris in ympnis, & canticis Regi jubilant Assuero*, ( ideft Christo ), *Reginæ vestes, & ipsam Reginam* ( ideft Cathedralem ) *sustentantes* (1).

De Canonicis verò Regularibus, quos perpetuò duraturos tot, tantisque sanctissimarum Legum, temporaliumque Opum, Pontificiæque auctoritatis, protectionisque comparatis undique subsidiis, Cardinalis Albertus instituit, quid actum sit, fortasse quæres. Evanuit quidem ( uti humanarum rerum conditio fert ) tantum opus, itaut nullis remanentibus vestigiis, Ughellum quoque, Sarnelliumque, ut dixi, latuisse videatur. Hæc autem ejus fuere fata: Stetisse hi Regulares Canonici usque ad annum MCCCXCV. videntur, quo anno Pontifex Bonifacius IX. Laurentium de Cava ejus loci Priorem, propthereaquod Pseudopontifici Clementi VII. cum suis fratribus adhærere, favereque esset ausus, loco suo movit, privavitque, ac *Prioratum* ipsum Bartholomæo Barbato Archidiacono Beneventano *ad suum beneplacitum in Commendam* concessit; Anno exinde MCCCCI. Mensæ Archidiaconali perpetuò *univit* (2). At locus cum Ecclesia ( non enim Deus religiosissimi Conditoris studium omninò irritum voluit ) in Clericale Beneventanæ Ecclesiæ Seminarium cessit, quod Jacobus Sabellus S. R. E. Cardinalis, ac Beneventanus Archiepiscopus mox post S. Concilii Tridentini decretum ibidem locandum, atque instituendum curavit; ut ipsa Ecclesia, ipsæque Ædes, ubi olim Canonicæ, Regularisque vitæ observantia resplenduit, ejusdem Ecclesiasticæ Disciplinæ Tyrones, Alumnosque claustris suis confoverent, atque ad commune Civitatis, Diœcesisque bonum enutrirent.

Sed ad ipsam rursus ( quæ rei caput est ) Beneventanam Ecclesiam, unde pervagata tantisper oratio nostra est, redire operæ pretium erit. Quæ fuerit prioribus sæculis Beneventani Cleri forma, jam dictum est; qualis medio ævo deinde obtinuerit ejusdem Cleri gradus, sive ordo, ostendit Originale Diploma primi Archiepiscopi Landulfi, anno DCCCCLXXI datum, ac superiori Capite a nobis editum, in quo hæ subscriptiones heic iterum recitandæ leguntur.

† *Ego Leo Archipresbyter ex jussione D. Archiepiscopi me subscripsi.*
† *Ego Magenolfus Archidiaconus ex jussione D. Archiepiscopi me subscripsi.*
† *Ego Madelmus Diaconus ex jussione D. Archiepiscopi me subscripsi.*
† *Ego Adalferius Diaconus ex jussione D. Archiepiscopi me subscripsi.*
† *Ego Smaragdus Presbyter ex jussione D. Archiepiscopi me subscripsi.*
† *Ego Audoaldus Presbyter ex jussione D. Archiepiscopi me subscripsi.*
† *Ego Leo Presbyter ex jussione D. Archiepiscopi me subscripsi.*
† *Ego Rodegarius Presbyter ex jussione D. Archiepiscopi me subscripsi.*
† *Ego Lazarus Presbyter ex jussione D. Archiepiscopi me subscripsi.*
† *Ego Castelpoto Presbyter ex jussione D. Archiepiscopi me subscripsi.*
† *Ego Petrus Presbyter ex jussione D. Archiepiscopi me subscripsi.*
† *Ego Johannes Archisubdiaconus ex jussione D. Archiepiscopi me subscripsi.*
† *Ego Petrus Subdiaconus ex jussione D. Archiepiscopi me subscripsi.*
† *Ego Muso Subdiaconus ex jussione D. Archiepiscopi me subscripsi.*
† *Ego Johannes Clericus, & Abbas ex jussione D. Archiepiscopi me subscripsi.*
† *Ego Johannes Subdiaconus ex jussione D. Archiepiscopi me subscripsi.*
† *Ego Maghenolfus Subdiaconus ex jussione D. Archiepiscopi me subscripsi.*
† *Ego Petrus Subdiaconus ex jussione D. Archiepiscopi me subscripsi.*

Habemus igitur Sæculo X. quatuor ordines Clericorum in Beneventana Ecclesia constitutos, sive potiùs ex eo monumento discimus, hunc à multis retrò temporibus fuisse recensendi ejus Cleri morem, atque institutum; videlicet *Archipresbyterum* cum suis Presbyteris, *Archidiaconum* cum suis Diaconis, Archisubdiaconum cum suis Subdiaconis, *Clericum, & Abbatem* cum reliquis Clericis. De Archidiacono, qui secundo loco subscribit, ac de Archipresbytero ( quæ hodienum majores Ecclesiæ Beneventanæ *Dignitates* sunt ) inferiùs agemus. Ad Archisubdiaconum quod nunc attinet, non insuetam olim, nunc verò desue-



(1) In ejus Diplomate anni MCCCLXXXVIII, quod originale servatur in Archivo Ecclesiæ S. Spiritus: Exemplar habetur in Bullario selecto nostræ Bibliothecæ p. 183.

(2) Utrumque Bonifacii IX. Diploma extat originale in nostra Bibliotheca Vol. sign. §. IV. n. 40.

desuetam Ecclesiarum Cathedralium Dignitatem, jam ex ipso vocabulo liquet, id munus ab eo Subdiacono cum honoris prærogativa fuisse gestum, qui cæteris ejusdem ordinis præses constituebatur: Sic Ordo Romanus II. à Mabillonio vulgatus De Missa Pontificali n. 13.: *Archidiaconus levat Calicem, & dat eum Archisubdiacono, quem tenet juxta cornu Altaris dextrum, & accedentes Subdiaconi cum Acolytis &c.* (1). Per eadem tempora in Ecclesia Capuana Archisubdiaconum extitisse, probat Charta Adenulphi Antistitis, cui *Petrus Archisubdiaconus* subscribit (2); sive quod illa Beneventanæ Ecclesiæ exemplum, sive quod utraque Romanæ disciplinam consectata sit. An verò eodem Sæculo x., quum Subdiaconi, eorumque Archisubdiaconus in Beneventana Ecclesia peculiarem Cleri Ordinem constituisse probentur, Ordo tunc ille *Sacer* haberetur? haud otiosum, neque à præsenti argumento omninò alienum erit explicasse: Siquidem in Beneventana Ecclesia primum prodiit, quod ad definiendam ejus Ordinis conditionem pertinere videtur. Concilii Beneventani ab Urbano II. anno MXCI. celebrati superiùs meminimus, cujus etiam Canonem II. laudavimus: Primus autem Canon vetuit, Episcopos eligi, nisi ex iis, qui Sacris Ordinibus initiati jam essent, ideſt ex Presbyteris, & Diaconis, qui primævæ Ecclesiæ Ordines sunt; ex Subdiaconis verò nullatenus eligendos, nisi necessitas subsit, ac Pontificis, Metropolitanique accedat dispensatio. Edidit inter alia Beneventana, a Summis Pontificibus celebrata, hoc Concilium Cardinalis Ursinus Archiepiscopus (3); Sed ipsum Canonem I. foedè corruptum profert, qualem contentus fuit à Labbei Collectione excepisse, qui Labbeus transmissos sibi Româ ejus Concilii Canones ex veteri MS. Codice exscriptos vulgavit; sic enim habet: *Nullus deinceps in Episcopum eligatur, nisi qui in Sacris Ordinibus religiosè vivens inventus est; Sacros autem Ordines dicimus Presbyteratum, & Diaconatum: Hos siquidem solos primitiva Lege Ecclesia ..... super igitur præceptum his solis habemus Apostoli ...... Subdiaconus verò, quia & ipsi Altaribus administrant, opportunitate exigente, concedimus, sed rarissimè, si tamen spectatæ sint religionis, & scientiæ: quod & ipsum sine Romani Pontificis, vel Metropolitani licentia non fiat.* Oscitanter tum Labbeum, tum Ursinum se egisse, dicere liceat, quibus nullo fortasse labore, Canoni illi integram, sinceramque lectionem restituere paratum, ac satis obvium erat. Extat siquidem nullâ lacunâ, nulloque mendo corruptus, sed integrâ, genuinâque loquutione relatus ab Ivone in suo Decreto sub nomine *Concilii Beneventani* (4): transtulit etiam in suum Decretum Gratianus sub nomine tantùm *Urbani Papæ* (5); intexuit denique Decretali suæ Innocentius III. (6): atque hi omnes, quanquam de auctore, temporeque non conveniant, singulique errasse probentur (7); consonis tamen verbis sic legendum exhibent: *Nullus in Episcopum eligatur, nisi in Sacris Ordinibus religiosè vivens fuerit inventus: Sacros autem Ordines dicimus, Diaconatum, & Presbyteratum: Hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia: Subdiaconos verò, quia & ipsi Altaribus ministrant, opportunitate exigente, concedimus, si tamen spectatæ sint Religionis, & Scientiæ. Quod ipsum non sine Romani Pontificis, vel Metropolitani licentia fieri permittimus.* Innocentius itaque III., quum ævo suo adhuc *hæsitari* videret, an scilicet Subdiaconus in Episcopum eligi posset, quod est, an Subdiaconatus inter Sacros Ordines referendus esset,

(1) Mabillonius Musei Ital. T. II. pag. 49. Qui licet eum Ordinem eundem ac Gelasianum a Gregorio Magno emendatum existimanti Panvinio non assentiatur, antiquissimum tamen censet, utpotè quem Amalarius per partes explicavit.

(2) Apud Michael. Monachum in Sanctuario Capuano pag. 575.

(3) In Synodico Provinciali Beneventano pag. 7. edit. Rom. 1695.

(4) Decreti Parte v. cap. 82., & Panormiæ Lib. III. cap. 5.

(5) Distinctione LX. cap. IV.

(6) Cap. A' multis. IX. De Ætat. Qualit., & Ord. Præficiendorum.

(7) Ivo Carnutensis l. l. eum Canonem in Synodo quidem Beneventana, sed Urbano III. attribuit. Gratianus tantummodo Urbani Papæ meminit, nullo adjecto numero; quem postea Innocentius III. Urbanum I. asserit l. l. Qui sub Gregorio XIII. emendationi Gratiani operam dederunt, Gratianum æquè, ac Innocentium corrigendum duxerunt, his ad Gratiani locum prænotatis: *In Cap. A multis extra de Ætat., & Qual. tanquam Decretum Urbani I. citatur: Apud Ivonem verò, & in Panormia ex Synodo Beneventana, quæ tempore Victoris III., cui Urbanus II. successit, habita fuit; nam Urbanus I. centum plus minus annis Nicænam Synodum antecessit.* At id quoque falsum: nam alia fuit Beneventana Synodus anno MLXXXVII. à Victore III., alia ab Urbano II. an. MXCI. Beneventi pariter celebrata. Ignota autem iis fuit Beneventana Synodus Urbani, unde ad Victoris Synodum confugerunt, majori quidem falsitate, quam ipsa Victoris Synodus a Leone Ostiensi recitata prodit, ubi Canon ille, seù Decretum nullimodè legitur. Exhibet, præter laudatos Labbeum, & Ursinum, hoc Beneventanum Urbani II. Concilium Stephanus Balutius in Addit. ad Petrum De Marca *De Concord. Sacer., & Imp. Lib. VIII. cap. XIII.*, affirmatque à se descriptum ex veteri Cod. MS. Monasterii Anianensis in Bibliotheca Colbertina servato, atque ex aliis Codicibus antiquis emendato; atque ibidem Canon I. iisdem omninò verbis conscriptus legitur, quibus superiùs à nobis ex Ivone, Gratiano, & Innocentio recitatus est: De Concilii autem anno Balutianum exemplar discrepat; nam non anno MXCI. sed inscripto titulo præfert sic: *Habitum Anno* MXC.

set, id *innuere* inquit *Decretum Urbani I.*, idque *expressum* subdit *verbis Urbani II.*, *ut hodie Subdiaconatus* inter *Sacros Ordines computaretur*. An in duplici laudando Pontifice Urbano lapsus ipse memoriâ Innocentius fuerit, vel potiùs Amanuensis error censendus sit, cui facilè in primo scribendo Urbano, secunda excideret nota numeralis, incertum adhuc crediderim (1): Illud verò certum, ex Urbano II., atque ex Concilio Beneventanò ea omnia præstituta, ac præfinita extitisse, quibus innixus Innocentius *hæsitationem* illam suo ævo subortam dispellens, de Subdiaconatu inter Sacros Ordines statuendo generalem, perpetuamque Legem edixit. Quare & illud certum, ut in ipsa Beneventana Ecclesia Sæculo x. Subdiaconi cum suo Archisubdiacono non distinctum modò ab inferiori Clero Ordinem, sed etiam eâdem, qua sibi superiores Presbyteri, Diaconique, Religione tenebantur, & ipsi, præmonente Concilii Beneventani Canone, Sacro Ordine insigniti censerentur.

Inferiores autem Clerici suum quoque locum, & Ordinem in eadem Ecclesia obtinebant: Quare factum est, ut Archiepiscopi Landulfi Diplomati Johannes Clericus, & Abbas subscripserit: Quid verò ille *Abbatis* additus titulus sibi velit, nonnisi conjecturâ explicare licebit: Non enim de vera *Abbatis* significatione, potestateque rectè judicabimus, quibus, transducto usque tunc à prioribus Sæculis more, illi vocabantur, qui Monasticis Congregationibus præerant: minùs etiam ex hoc solo vocabulo, ad Canonicam, seù Regularem Vitam in Ecclesia Beneventana tunc fortasse temporis à minoribus Clericis institutam congruum argumentum, aut etiam divinationem quampiam aucupabimur. Restat igitur, ut quemadmodum ex eodem Diplomate Presbyteri emergunt cum suo Archipresbytero, Diaconi cum suo Archidiacono, cum ipso denique Archisubdiacono Subdiaconi, ita quoque reliqui inferiores Clerici suum Principem, Caputque habere debuerint; cui certè *Abbatis* nuncupationem, Monasticorum institutorum exemplo, accommodatam fuisse videtur, propterea quod is reliquos Clericos tum Ordine, tum ætate minores, ac proindè disciplinæ adhuc indigos, suæ curæ, regiminique commissos, in Ecclesiasticis studiis, moribus, ceterisque clericalibus officiis erudiendos curaret. Archiepiscopus Henricus in suo Diplomate Anni MCLIX. confirmat Romualdo Primicerio Ecclesiæ Beneventanæ ipsum *Primiceriatum cum Scholis*. In vetustis Constitutionibus ejusdem Ecclesiæ, de quibus mox agendum erit, inter Primicerii munera illud recensetur: *Item habet ponere Magistrum in Scholis prædictæ Ecclesiæ, & ipse Primicerius, & Magister per ipsum ibi positus habent exinde onus, & emolumentum sine contradictione alicujus*. In Instrumento anni MCCXLVII. Friderici II. Imperatoris jussu celebrato de Prandiis à Beneventano Archiepiscopo; certis anni diebus, tum Clero Beneventanæ Ecclesiæ, tum Basilicæ S. Bartholomæi parari consuetis, occurrit semel, atque iterum *Magister Scholarum Episcopii* (2).

Sed cur factum fortasse quis quærat, ut hactenus nulla *Canonicorum*, qui Ecclesiæ Beneventanæ adscripti essent, mentio nobis occurrerit? Immò quos hactenus memoravimus sacros Beneventanæ Ecclesiæ administros, in quatuor Ordines distributos, eosdem nonnisi ipsiusmet Ecclesiæ veros, propriosque *Canonicos*, si non nomine, titulove, re certè ipsa, suoque munere agnoscere fas erit. Canonicorum nomen, cujus etymologiam superiùs tradidimus, à sexto saltem Sæculo in Ecclesiis quibusdam audiri occœpit, uti ex Gregorio Turonensi probari potest (3): Non eandem vetustatem, si solam appellationem spectemus, Ecclesia Beneventana ostendere potest, sive quòd vetustissima perierint monumenta, sive quòd serò id nomen iis usurpasse libuit, qui jamdiu munere, & dignitate perfungebantur. Quum verò & ipsa cum aliis passim illustrioribus Ecclesiis Cathedralibus, eo præsertim nomine suos administros distinguere, decorareque maluisset, jam illud singulare, aut certè majoris præstantiæ argumentum sibi adscivit, ut non solùm Canonicos haberet, verùm ipsos etiam in *Majorum*, ac *Minorum* ordines, seu classes distingueret. Id mihi compertum, ac persuasum omninò fuit ex Diplomate Pontificis Alexandri III. ad Cardinalem Lombardum Archiepiscopum Beneventanum: *Venientibus* (inquit Alexander) *ad præsentiam nostram quibusdam de majoribus Canonicis Beneventanæ Ecclesiæ pro par-* te



(1) Quod Urbanus I. in Decretali Innocentii legatur, non ipsius Innocentii, sed perspicuum Amanuensium errorem censet Thomassinus P. I. L. II. cap. XXXII. n. 2.: *Beneventano enim Concilio* (inquit) *præfuit Urbanus II., non I. Deinde cùm Innocentius ait: Urbanus ad statum primitivæ Ecclesiæ se referens, perspicuè declarat de Urbano II. se verba facere: Quippe nihil opus erat, ut ad primitivæ Ecclesiæ splendidiora tempora se referret Urbanus I., quum esset eorum ipse Sidus eximium*. In eo tamen Thomassinus Innocentio adversatur, quod is fundamenta suæ Constitutionis ab Urbani Decreto repetat, quum potiùs Urbanus Innocentio *prælusisse* dicendus sit, ita ut *non alius verè, quàm Innocentius III. ipse* Subdiaconatum in Ordines Sacros, & majores primus omnium retulerit.

(2) Extat originale in nostra Bibliotheca, Cod. signato §. 4. n. 39. Diplomate XIV.

(3) In vitis Patrum, & Lib. x. Hist. Franc.

*te sua, & aliorum, & nobiscum de ordinatione ejusdem Ecclesiæ diligentem tractatum habentibus* (1). Habemus igitur Beneventanæ Ecclesiæ Canonicos *Majores* nuncupatos, ex quibus alios *Minores* extitisse, idoneum argumentum sumere licet; quod & comprobare videtur Diploma Cardinalis Rogerii Archiepiscopi anni MCCXVII., ubi post binos Ecclesiæ Beneventanæ Primicerios, post Sacerdotes, Diaconos, Subdiaconosque postremo loco subscribit *Jacobus Ecclesiæ Beneventanæ Canonicus* (2); ut videas Jacobum hunc ad *minorum* Canonicorum classem pertinuisse, quam veri quidem simillimum est, ex reliquis inferioribus Clericis ejusdem Ecclesiæ Canoni, seu matriculæ adscriptis constitisse.

Cæterum quod ad Beneventanos Canonicos generatim attinet, longè ante Archiepiscopum Rogerium, atque Alexandrum III. aliis monumentis illorum nomen, memoriamque celebratam invenire erit in Diplomate Archiepiscopi Petri II. anni MCXLVII., qui concedit Marino Abbati Monasterii Cavensis Ecclesiam S. Nicolai de Civaria cum onere solvendi quotannis Beneventanæ Sedi in die Assumptionis B. Virginis quatuor denarios Papienses in signum subjectionis; in quo Diplomate *Petrus Beneventanæ Ecclesiæ Canonicus* subscriptus occur-

(1) Dignum est hoc Pontificis Alexandri Diploma, quod originale in nostra Bibliotheca servatur, ut a mendis Ughellianæ editionis expurgatum, novam lucem, meritasque observationes excipiat:

*Alexander Episcopus Servus Servorum Dei. Venerabili Fratri L. quondam Beneventano Archiepiscopo salutem, & Apostolicam Benedictionem. Venientibus ad præsentiam nostram quibusdam de majoribus Canonicis Beneventanæ Ecclesiæ pro parte sua, & aliorum, & nobiscum de ordinatione ejusdem Ecclesiæ diligentem tractatum habentibus, Nos volentes necessitati tuæ secundùm facultatem ejusdem Ecclesiæ honestè prospicere, de communi Fratrum nostrorum Consilio, Tibi molendinum in pede suburbii situm, de quo sex coscinos frumenti unoquoque mense, & alia quædam proveniunt, ita quod de Cellario, vel aliunde si quid defuerit de sex coscinis suppleatur, & sexaginta saumas puri vini per annum cum vegetibus, in quibus possit reponi, quatraginta & octo Romanatos de Paradiso, & de Altari tantum quod viginti quatuor uncias auri compleat, de consensu ipsorum Canonicorum concessimus toto vitæ tuæ tempore annuatim cum integritate habenda. Addidimus postea prædictis Canonicis præsentibus, ut Saumario, quem habueris pro lignis ferendis, annona de Ecclesia ministretur. Indulgemus etiam tibi, ut de Libris tuis, & indumentis disponendi quicquid volueris in vita, & in morte plenam habeas potestatem. Statuimus etiam, ut Domus de Turricella tibi ad habitandum ibi, quandiu vixeris, assignetur. Ut autem hæc nostra concessio, & dispositio firma, & illibata permaneat, eam auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Statuimus, ut nulli omnium hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & SS. Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Amen. Amen. Bene Valete. Locus ✻ Sigilli. Ego Alexander Catholicæ Ecclesiæ Episcopus. † Ego Ubaldus Ostien. Episcopus. † Ego Petrus Tusculanen. Episcopus. † Ego Arduinus Presbyter Cardinalis Tit. S. Crucis in Jerusalem. † Ego Mathæus Presbyter Cardinal. Tit. S. Marcelli. † Ego Laborans Diaconus Cardinalis Tit. S. Mariæ in Porticu. † Ego Gratianus Diaconus Cardinalis SS. Cosmæ & Damiani. † Ego Johannes Diaconus Cardinalis S Angeli subscripsi. † Ego Mathæus S. Mariæ Novæ Diaconus Cardinalis. † Ego Bernardus Diaconus Cardinalis S. Nicolai in Carcere Tulliano. Datum Signiæ per manum Alberti S. R. E. Presbyteri Cardinalis, & Cancellarii, sexto Kal. Augusti Indict. XII. Incarnationis Dominicæ Anno MCLXXIX. Pontificatus Domini Alexandri PP. III. Anno vigesimo.*

Lombardum hunc Patria Placentinum, S. Thomæ Cantuariensis exilii socium, sacrorum Canonum peritissimum, Fidei Zelo, & Pietate præclarum ab Alexandro III. S.R.E. Cardinalem, & Beneventanum Archiepiscopum renunciatum testatur Baronius ex tripartita Historia Codicis Vaticani. Archiepiscopatu se abdicasse palam est ex recitato Diplomate, in quo Pontifex ipsum *quondam* Archiepiscopum appellat, ac necessarios sustentationi reditus ex ipsa Beneventana Ecclesia eidem indulget. Abdicationem ante mensem Martium ejusdem anni 1179. factam ostendit Concilium Romanum ab eodem Pontifice dicto mense celebratum, cui decem & octo Beneventanæ Provinciæ Suffraganeis subscribentibus, Archiepiscopi tamen subscriptio desideratur. Vacabat adhuc in mense Augusto, (quo Diploma datum fuit) Archiepiscopatus, cui tandem sub ejusdem anni exitum suffectus fuit Rogerius Monachus Casinensis, & S. R. E. Cardinalis. Quid caussæ fuerit, ut Lombardus Archiepiscopatum dimiserit, omninò latet: Honestam certè fuisse caussam, ut se ad vitæ privatæ quietem fortassè revocaret, illud demonstrat, quod adhuc Beneventi considerit, ubi Domum *de Turricella* habitandam obtinuit, ac præterea reditus in alimentorum caussam necessarios; idest sex menstruos frumenti *coscinos*, sexaginta annuas Vini *saumas*, quadragintaocto annuos *Romanatos*, idest nummos aureos à CPolitano Augusto Romano Diogene cusos, ac denique viginti quatuor auri uncias: quæ omnia simul collecta vix ducatos trecentos nostræ monetæ attingent; quæ satis tunc Lombardo Cardinali olim, & Archiepiscopo pro ejus modestia, ac temporum ratione videbantur. *Coscinam*, seu Coscinum mensuræ frumentariæ speciem etiam Cangius docet ex hac una nostra charta, modio circiter, quo nunc utimur, respondentem. *Saumam* quoque Vini, eam esse scimus, quam appensis ad latera vasis equi ferre solent, *Saumarii* propterea appellati. *Saumarium* etiam nostra Charta commemorat, qui ab eadem Beneventana Ecclesia alendus eidem Lombardo pro lignis ferendis permittitur: Inde patet Asinis, quos hodiè *Somari* vulgus appellat, nomen factum: uti etiam à *Sauma*, quod nunc obtinet *Soma*, derivatum apparet. Sed quum in hasce minusculas res sermo evasit, *Saumam* quoque audisse jucundum fortasse cuiquam fuerit ex nostro Falcone, qui ad annum 1124. *tantam Beneventi fertilitatem vini fuisse* narrat, *quòd nobis, & multis aliis videntibus, centum Saumæ pro triginta denariis venderentur.*

(2) Ex originali Pergamena in nostra Bibliotheca servata, & in Bullario selecto p. 158.

occurrit (1). Frequentissimam exin Beneventanorum Canonicorum mentionem sequutæ mox ætatis monumenta præstabunt; ex quibus bina tantùm heic memoranda ducimus. Alterum prodit ex decretali Epistola Innocentii III. *ad Henricum, & Vitalem Canonicos Beneventanos*, qui in caussa sibi delegata consulendum Pontificem duxerunt, an legitima proles habenda esset illius, quæ ignorans, matrimonium cum Viro superstitem adhuc uxorem habente contraxerat, ut eadem proles ad paternam successionem admitti posset; quibus Pontifex ad favorem potiùs prolis *declinandum* arbitratus, eandem *tanquam legitimam reputandam* rescripsit (2). Alterum occurrit in Additamento Libri Censuum Romanæ Ecclesiæ à Cincio Camerario compositi, in quo sic legitur: *Anno Domini* MCCXXXIII. *Pontificatus Domini Gregorii IX. Papæ anno* VII. *Kalendis Julii, Ecclesia S. Thomæ de Plano Rubi, sita in Muranensi Diœcesi concessa est Johanni Leoni Canonico Beneventano, salvo censu unius obuli auri, quem Domini Papæ Cameræ tenetur solvere annuatim* (3).

De Beneventanorum Canonicorum numero variæ sunt ætates distinguendæ. Diu namque fuit, ut ingens, ac nullo fine coercitus illorum fuerit numerus; siquidem, quotquot Clericali militiæ nomen darent, in Album Clericorum ejusdem Ecclesiæ censebantur, itaut ex ipsa numeri effreni licentia, ea Canonicorum multitudo, ac veluti colluvies promanaret, quæ (uti superiùs observavimus) in ipsius Ecclesiæ dedecus, divinique cultus detrimentum redundare probaretur. Heinc illa, quæ etiam superiùs memorata nobis fuit, Archiepiscopi Lombardi solicitudo, promulgataque ab eodem Constitutio, qua, adnitentibus *Archidiacono, aliisque sanioris partis Fratribus*, quibusdam ad tempus, quibusdam perpetuò interdictum, *ne locum in Choro Beneventanæ Ecclesiæ sortirentur*. Consultum ea lege fuit, ne temerè, promiscuèque, idest contra Sacrorum Canonum instituta admissiones fieret, ne scilicet externi, seu peregrini Clerici, quique ob natalium, criminumve infamiam ab Altaris ministerio arcerentur, in aliorum Collegium irreperent: Interea verò nihil de certo, definitoque aliorum numero statutum fuit. Anno MCCCXVI. Ecclesia Beneventana Canonicos sex supra octoginta numerabat; nam defuncto Petro de Tobio Archidiacono *quinquaginta quatuor* tum præsentes Canonici, absentes alios *triginta duos* speciatim commonendos censuerunt, ut statutâ die ad novi Archidiaconi electionem veteri jure, rituque peragendam convenirent, *tractaturi, & processuri de prædicta electione, & ad prædictam electionem cum continuatione .... & quòd nisi venerint in termino prædicto, procedetur in ipsius electionis negotio, ipsorum, vel quorumcumque ex ejus absentia non obstante* (4). Scio plures, laudis, decorisque loco habendum existimasse, quod Ecclesia Beneventana hunc olim amplissimum Canonicorum numerum fovisse, atque ostentare potuerit. At hi vehementer errare videntur: dum ex eo monumento non qui certâ lege statutus esset, sed qui ex extante tunc Clero componebatur, numerus deduci tantummodò potest; itaut etiam major, minorve, prout Clerici Beneventi adessent, contigisse potuerit. Quamquam nihil caussæ nobis suppetere debeat, ut de numerositate gratulemur, quæ disciplinæ contraria est, aliorumque gravissimorum incommodorum præsens occasio. Heinc benè, ac sapienter Majores nostri post dictum annum MCCCXVI. in eam iverunt sententiam, ut certus denique, statutusque Canonicorum deinceps haberetur numerus, quem tum decori, tum famulatui Beneventanæ Ecclesiæ satis esse existimarunt.

Ejus instituti numeri primum, ac præclarum monumentum occurrit anno MCCCLXXV., ex quo scimus jamdiù in Ecclesia Beneventana obtinuisse, ut triginta duntaxat Canonici in eam adligerentur: Eo siquidem anno ipsimet triginta Canonici, *antiquum* (uti ajunt) *statutum, & consuetudinem* ab Archiepiscopo Ughone confirmandam petunt, ut ipse tricenarius numerus inviolatè in posterum servaretur, confirmationisque decretum ab eodem obtinent; quare non tunc primùm, uti falsò Sarnellius ait pag. 126., lata est de eo numero constitutio, sed approbatio duntaxat, solemniorque confirmatio (5). Cur verò in ipsa

(1) Ex originali Diplomate, in Archivo dicti Monasterii Cavensis extante, ex quo exemplar descriptum est in nostro Bullario selecto n. XXVIII. p. 123., datumque legitur *Beneventi per manus Rolandi Sacerdotis Scribæ Domini Archiepiscopi Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quatragesimo septimo, quinto Idus Martii, Indictione decima, Anno Pontificatus Domini Papæ Eugenii secundo, & ejusd. Archiepiscopi secundo*.

(2) Cap. ex tenore. Qui filii sint Legitimi &c.

(3) Ex Libro Censuum S. Rom. Ecclesiæ, quem edidit Muratorius Antiq. Med. ævi Tom. V. pag. 899.

(4) Ex Instrumento coram tribus Judicibus, atque a tribus simul Notariis publicis celebrato die 9. Septembris d. Anni 1316. in nostra Bibliotheca servato in Volumine *Monumentorum circa collationes Canonicatuum* sign. §. IX. sect. IV.

(5) Ex originali charta membranacea in d. vol. sign. §. IV. n. 39. cum appenso plumbeo sigillo Archiepiscopi Ughonis: unde inter alia hæc describenda duximus: *Et supradicti Domini Canonici dicebant d. Domino Archiepiscopo, quòd cùm ab eo tempore, cujus in contrarium*

ipsa majori Ecclesia ante dictum annum numerus Canonicorum non esset definitus, quando ante annos XXV., idest anno MCCCL. Archiepiscopus Stephanus in adjacente Basilica S. Bartholomæi, cujus ministerio, ac famulatui quamplures Clerici *Capellanorum* titulo adscripti numerabantur, *propter nimiam multitudinem evitandam, quæ solet frequenter scandala generare*, illorum numerum ad XII. coercuit? (1). Qui igitur, progrediente Sæculo XIV., definitus esse cœpit, mansit idem Beneventanorum Canonicorum tricenarius numerus ad annum MDC., quo anno Archiepiscopus Maximilianus de Palumbaria trigesimum Canonicatum, sive ejus reditus Patribus Societatis Jesu, Theologum ad Sacræ Scripturæ explanationem in ipsa Cathedrali Ecclesia peragendam suffecturis, perpetuò attributos à Clemente Papa VIII. impetravit (2). Mox verò anno MDCVII. ex XXIX. Canonicis alii duo defecerunt, eorum reditibus ad Collegium Mansionariorum translatis, quod Collegium tunc primùm Cardinalis Arigonii Archiepiscopi operâ, Pontificisque Pauli V. auctoritate, ad majorem Beneventanæ Ecclesiæ, ejusque Canonicorum decorem, famulatumque, ad XVI. Mansionariorum numerum fuit institutum (3). Atque ex eo tempore reliquus XXVII. Canonicorum fuit numerus, qui hodieque perseverat; in quo numero sex recensentur Dignitates, de quibus paullò inferiùs singillatim agemus.

Ad Beneventanorum Canonicorum Vestes quod attinet, nihil singulare, ac præcipuum ab Antiquitate arcessere licebit. Thomassini sententia est, promiscuum olim Clericis, Laicisque *Almutiæ* usum fuisse, idest illud vestis genus, quæ capiti operimentum præbens, in armos simul contegendos descenderet: at laicis desuetas Almutias, tandem Canonicis vendicatas, atque in propria ipsorum insignia cessisse, *nuperi* (inquit) *hujus Sæculi, vel superioris innovatio est* (4). Cæterum Canonicis nonnisi talares vestes sive nigras, sive albas deferre antiquus mos fuit. In Constitutionibus Beneventanorum Canonicorum Regularium S. Andreæ, superiùs commemoratis, hæc de illorum vestibus Urbanus III. præscribit: *Vestimenta Fratrum nigra poterunt esse, vel alba, quæ repellere frigus, & decenter tegere possint nuditatem, & terram in illa parte contingant; Togis etiam, & in Ecclesia, & extra uti valebitis; Qui velaminibus super Caput opus habuerint, Caputiis sint contenti, & alia velamina sæcularia non requirant*. Quod ne de Regularibus tantùm Canonicis constitutum putes; verùm etiam de aliis quibusque. De Herveo Turonensis Ecclesiæ Thesaurario, qui Sæculi XI. initio florebat, hæc Glaber Rodulphus memoriæ tradit: *Suscepta Ecclesiæ cura, vesteque alba tectus more Canonico, mentem tamen, & vitam pleniter possedit monachicam* (5). Alios verò adhibere colores, qui majorem quandam dignitatem præseferrent, tunc demum Canonicis fas erat, quum Pontifex Privilegio facto indulsisset: Sic Sæculo IX. Ludovicus Pius *concessit Canonicis, concordante Domino Papa, habere in domibus libertatem, & judiciariam potestatem, & voluit ipsos vestiri griseis, & variis* (6).

Primum antiquarum vestium Beneventanorum Canonicorum monumentum occurrit Sæculo XIV. sub eodem Archiepiscopo Ughone, qui, uti superiùs diximus, eorundem Canonicorum tricenarium numerum confirmavit: atque Hugo quidem Archiepiscopus Beneventani Capituli Constitutiones ab Archiepiscopo Petro de Pino anno MCCCLV. conditas promulgans, hæc de Canonicorum vestibus edixit cap. XVI.: *Item qui abjectis Vestibus primò congruentibus ordini ....... non erubescunt, eo ipso se reddent indignos, & affectantes sordes laudem non pariunt, sed Clericorum, ipsiusque Ordinis vilescit auctoritas, præsenti Constitutione ordinamus, & præcipimus, ut deinceps omnes Clerici, & Canonici omni tempore vestes Superio-*

*rium memoria non extat .... in d. majori Ecclesia fuisse, & esse certum numerum constitutum Canonicorum, qui vocem in Capitulo, & stallum in choro haberent, & quotidianas distributiones percipiant, videlicet numero triginta .... & quod dum dictus numerus triginta integer perfectè fuit, nullus alius in Canonicum dictæ Ecclesiæ ... per eos foret constituendus, & recipiendus; & cùm aliquis de, & in numero defecerit, per eosdem Canonicos, & majorem, & saniorem partem ipsorum, & d. Capituli fuerit, & sit substituendus, & subrogandus ... & optarent, ac vellent pro ipsorum, & dicti Capituli, ac dictæ consuetudinis, & statuti, & numeri majori robore, & cautela cum consensu, auctoritate, & decreto dicti Domini Archiepiscopi ipsam consuetudinem, statutum, & numerum triginta Canonicorum ratificare &c.*

(1) Stephani Archiepiscopi Diploma recitat Ughellus T. VIII. col. 231.

(2) Ex ejusd. Pontificis Bulla, data die 8. Decembris 1600. Idque munus laudati Patres Societatis Jesu hodieque cum laude præstare pergunt.

(3) Quatuor Canonicatus ad eam rem supprimendos Cardinalis Arigonius à Paulo V. obtinuerat, uti liquet ex Bulla, data 4. Septembris Anni 1607. Quum verò aliunde congruos reditus comparasset, quibus Collegium dictorum Mansionariorum usque ad XVI. commodè erigi posse videbatur, ut constat ex altera ejusd. Pontificis Bulla, data 19. Julii anni 1608., non quatuor, sed duos tantùm Canonicatus supprimere satius duxit.

(4) Eccl. Discipl. P. I. Lib. II. cap. LXII. n. 6.

(5) Glaber Rodul. Hist. Lib. III. cap. IV. apud Mabillon. veter. Analect. p. 217. edit. Paris. 1723.

(6) Fragmentum Hist. de Concilio Aquisgranensi apud eundem Mabillonium l. l. p. 149.

*periores, & Ordini congruentes & apparentes, fractas, viles, nec alias abjectas infra Ecclesiam, & Chorum, seu dum Divinis intererunt Officiis, portare præsumant: & idem de* Almutiis, *sive* Cerfusiis *eosdem exhortantes in Domino, ut eidem in omnibus in suo habitu placere studeant, nec aspectum intuentium offendant, aut Capitis cooperimento suum deturpent Sacerdotium. Si quis verò nostræ præsenti Constitutioni, & monitioni obtemperare contempserit, communione, & ingressu Ecclesiæ tandiu eundem privamus, quousque adimplere procuret, quod in virtute sanctæ obedientiæ ab omnibus præcipimus observari.* Quæ quum ita sint, alii judicent, an fides Thomassino adhibenda sit, qui, uti paullò antea audivimus, *Almutias* pro Canonicorum insignibus, seu propriis vestibus, *nuperi hujus Sæculi, aut superioris innovationem* fuisse statuit. In Beneventana certè Ecclesia medio Sæculo XIV. jam *Almutiæ* Canonicis in usu erant, longè quidem antea, ut videtur, receptæ. Dubitari etiam subit de nostri Viperæ testimonio, qui aliarum Vestium, sive Insignium Canonicalium Ecclesiæ Beneventanæ eundem Hugonem affirmat auctorem, *qui Archiepiscopus* (inquit) *dedit Canonicis suæ Cathedralis Habitum hiemalem, qui vulgò dicebatur* lo Scapezzone, *eratque nigri Coloris cum magno Caputio & longa Cauda, & supra illum patientiam lineam albi coloris vulgariter dictum* lo Sericotto, *quo Habitu usi sunt Canonici usque ad annum* 1607. (1). Nullimodè enim ex dictis Constitutionibus ab Hugone promulgatis, neque ex aliis, mihi frustrà quæsitis, monumentis, ejusmodi Concessionis apparent vestigia: Quinimò in aliis Constitutionibus ab Archiepiscopo Gaspare Columna anno MCCCCXXX., annis videlicet LX. post Hugonem adjectis, atque in eodem Codice antiquarum Constitutionum membranaceo asservatis altum de præfato habitu *lo Scapezzone* silentium, sed rursus *Almutiarum* tantummodò mentio est, hisce verbis p. 7.: *Item quod de habentibus Almutiis, seu Cerfusiis depilatis ex nunc præcipimus, ut usque ad Festum Resurrectionis proxime future habeant nova, alias puniantur secundum in Constitutione* XVI. *fel. mem. Hugonis predecessoris nostri plenius continetur.* Et mox: *Item quod nonnulli Canonici de Capitulo incedunt per plateam extra domum sine Capucio tantùm cum bireto, quapropter precipimus ad penam tarenorum quinque, ut nullus de cetero incedere sic presumat.* Et in fine dictarum Constitutionum: *Nos qui supra Gaspar Archiepiscopus adicientes precipimus & mandamus sub pena tarenorum quinque, ut perpetuis temporibus in Vigilia B. Johannis Baptistæ, dum in ipsa Ecclesia celebrabitis Vesperam, & Missam, unusquisque habeat Superpellicium, & Cerfusium, prout in Choro.*

Recentior itaque dicti Habitus, appellati *lo Scapezzone*, origo, ac fortasse sub ejusdem Sæculi XV. exitum, incertus adhuc auctor videri debet. De ipsius autem usu nostri Viperæ fides omninò constat, qui ejusmodi Habitum ad annum 1607. perdurasse affirmat, ad eam scilicet ætatem, qua ipse non solùm suis inspexisse oculis, sed jam tum fortasse inter Canonicos adscriptus, gestasse etiam potuerit. Videas nunc in hac Canonicali Veste nonnihil ejus formæ inveniri, quæ ab Urbano III. pro Beneventanis Canonicis Regularibus S. Andreæ præscripta olim fuit sub *Togæ* appellatione, cui *Caputium* ad Capitis velamen appositum erat: In illa autem (uti Vipera vocat) *patientia linea albi coloris*, quæ Togæ superimponebatur, non aliud, quàm superpelliceum, seu, quam hodiè appellamus *Cottam*, agnosces. Hæc verò hiemalis vestis Canonicorum fuit: neque enim novum, alias vestes hieme, æstate alias gestari Canonicis permissas. Quùm Nicolaus Papa III. anno MCCLXXVIII. officia, vestimentaque Sacra Canonicorum S. Petri in Urbe Roma novis moderaretur edictis, priscam illorum confirmavit consuetudinem, ut à Pascha ad Solemnitatem Sanctorum omnium *lineis togis superpelliceis, sive cottis absque Cappis utantur*: a die verò Festo Sanctorum omnium ad Pascha, *ut super superpelliceas lineas deferant Cappas nigras de Sergia simplici* (2). Eundem igitur, qui Romæ obtinebat, æmulari morem Canonici Beneventani jam cœperant à Sæculo XIV., quo ex tempore hiemales vestes adhibebant, aliis propterea æstivo tempore usuri.

Sed eadem denique præfato anno MDCVII. (quem Vipera indicavit veterum vestimentorum finem) eorumdem Canonicorum S. Petri augustioris tunc formæ insignia Beneventanis quoque Canonicis attributæ sunt. Nam (ut interim nihil longum faciam de Bireto *Rubeo*, quo Beneventanos Canonicos Cardinalis Laurentius Cybo, Nepos Pontificis Innocentii VIII., ac Beneventanus Archiepiscopus anno MCCCCLXXXIX. decoratos voluit, quippe qui desuevisse statim videtur (3)), ab Ecclesia, inquam, Vaticana ad Beneventanam Canoni-

(1) Eadem Viperæ verba usurpat Ughellus T. VIII. col. 240.

(2) Raynaldus in Annal.ad Annum MCCLXXVIII.n.79.

(3) Eam rem testatam reliquit Ciaconius cum notis Oldoini in Vitis Pontific.,& Cardinal. T. III. hæc inter alia de eodem Cardinali Cybo Beneventano Archiepiscopo scribens: *Hic Canonicis Biretum Rubeum restituit, seù potius donari curavit.*

nonicalium Vestium forma, atque splendor dimanarunt: laudati enim Archiepiscopi Cardinalis Arigonii precibus annuit Pontifex Paulus V., ac singulari tunc Privilegio indulsit, ut *Ecclesiæ Beneventanæ Capitulo, Dignitatibus, & Canonicis loco Almutiarum, seu Vestium, quas hactenus gestare consueverunt, in eorum Ecclesia, & Civitate tàm in Choro, & Capitulo, quàm in Processionibus, & aliis actibus publicis, & privatis, in quibus eos pro tempore intervenire oportuerit; hiemali scilicet, Rochetto, & Cappa violacea pellibus armellinis pellita, æstivo verò tempore Cotta super Rochetto ad instar Canonicorum Ecclesiæ Lateranensis, & Principis Apostolorum, cæterarumque Basilicarum Urbis uti, & cum illis incedere liberè, & licitè valeant* (1): Sed de Vestibus jam satis.

De Dignitatibus nunc instituendus sermo est; quarum senarium numerum superiùs indicavimus: Suntque Archidiaconus, Archipresbyter, Primicerii duo, Thesaurarius, atque Bibliothecarius; quibus singulis, præter proprii, quem annexum habent, Canonicatus reditus, suæ sunt assignatæ Præbendæ. De Archidiacono, atque Archipresbytero, eorumque prærogativis, muneribusque nihil heic attinet dicere; quandoquidem de hisce Dignitatibus obvia cuncta sunt in Juris Canonici libris, eorumque interpretibus; ex quibus discere erit, cur Archidiaconus, ordine licet inferior, Archipresbytero antistet: etsi verò in Diplomate primi Archiepiscopi Landulfi superiùs memorato primus (ut ibidem animadvertimus) *Leo Archipresbyter*, ac post illum *Magenolphus Archidiaconus* subscribat, non heinc tamen deduci potest, aliquandò in Ecclesia Beneventana Archidiaconum secundo loco stetisse: etenim in altero Diplomate Archiepiscopi Henrici anni MCLII. primus subscribit *Rainulphus Beneventanus Archidiaconus*, ac mox *Bartholomæus Archipresbyter* (2): Quamobrem ex solis subscriptionum locis non est tutum, neque certum argumentum definiendi majorem, minoremve cujusque dignitatem, ut satis eruditè ostendit Petrus de Marca (3); docetque exemplum Diplomatis Gregorii Beneventani Archiepiscopi anni MCXLII., in quo post ipsius Archiepiscopi subscriptionem subscribunt Adelferius, & Philippus *Diaconi Beneventanæ Ecclesiæ*; post ipsos verò Diaconos tres suffraganei Episcopi, idest *Petrus Episcopus Montis Corvini, Stephanus Episcopus Tortiboli, & Robertus Florentini Episcopus* (4). Beneventanum igitur Archidiaconum satis constat universi Cleri principem omni ævo fuisse; quare in antiquis Constitutionibus Beneventanæ Ecclesiæ, sive Capituli ab Archiepiscopo Petro de Pino anno MCCCLV. editis, ab Archiepiscopo verò Hugone Guidardio anno MCCCLXXI. promulgatis, atque superiùs memoratis, Archidiaconus non modò ante Archipresbyterum, aliasque Dignitates primo loco recensetur, verùm etiam amplissima ejus Dignitas, Auctoritasque singillatim explicatur. In quos autem fines eadem Dignitas se olim protulerit, quum nosse non solùm jucundum sit, sed planè Ecclesiasticæ eruditionis, nostræque Ecclesiæ decoris planè intersit, eorundem Constitutionis locum infernè descriptum exhibemus, observationibus aliquot opportunè illustratum (5).

Post

(1) Ex originalibus Pontificiis Literis in forma *Brevis* in nostra Bibliotheca servatis in Codice, cui titulus: *Diplomata varia Summorum Pontificum &c.* signato §. IV. n. 39. scriptura I.

(2) Ex originali charta in nostra Bibliotheca extante, & in Bullario Selecto p. 127.

(3) Petr. de Marca de Concord. Sacer. & Imp. Lib. V. cap. VI. n. 5., & Lib. XL. n. I.

(4) In d. Bullario pag. 122.

(5) Ex Antiquis Constitutionibus Beneventani Capituli in Codice membranaceo Bibliothecæ Beneventanæ signato §. IX. sect. I. n. 87. p. 3. à ter.

*Infrascriptæ sunt Jurisdictiones, Constitutiones, Consuetudines, Dignitates, & Officia, quæ pertinent ad Venerabiles Viros Dominum Archidiaconum, Archipresbyterum, Primicerium majorem, Primicerium minorem, Vestararium, Bibliothecarium, nec non ad totum Venerabile Capitulum majoris Ecclesiæ Beneventanæ.*

(1) *In primis hæc est Jurisdictio, Dignitas, & Officium Domini Archidiaconi, seu Archidiaconatus Beneventani.*

(2) *Dominus Archidiaconus Beneventanus habet correptionem in Choro majoris Beneventanæ Ecclesiæ, & etiam in Processionibus tàm Clericorum, quàm Canonicorum Civitatis Beneventanæ, nec non in Comestionibus, & Sessionibus in mensa, & indumentis, & corona, & tonsura.*

(3) *Item habet recipere Clericos in primo choro unà cum Primicerio majore ipsius Ecclesiæ, qui sint de Civitate Beneventana oriundi à primo stallo ad secundum, & tertium semper, ipse Archidiaconus solus tamen habet Canonicos dictæ Ecclesiæ installare, qui sint infra quatuordecim annos.*

(4) *Item habet ipse Archidiaconus cognoscere de caussis matrimonialibus, adulteriorum, incestuum, & dotium tàm in Civitate, quàm in Diœcesi Beneventanis.*

(5) *Item debet expendere cantica Cerei benedicti, si Hebdomadarius non vult, aut non potest dicere.*

(6) *Item similiter potest facere, & debet facere de Lectione Palmarum, Nativitatis Domini, & Evangeliis notatis in Epiphania, Nativitatis Domini, & Lectionibus noctis in Sabbato Sancto.*

(7) *Item potest ipse cantare Evangelium quandocumque vult, etiam invito Hebdomadario.*

(8) *Item debet præsentare Ordinandos Archiepiscopo Beneventano.*

(9) *Item ipse Archidiaconus cum Archipresbytero,*

Primi-

Post Archidiaconum sequitur Archipresbyter, de cujus *Dignitate*, *Officio*, *Jurisdictione* plura in dictis Constitucionibus subnectuntur. At misso Archipresbytero, de quo, ut diximus, plana sunt omnia, majus nobis negotium facessunt binæ simul in Beneventana Ecclesia antiquitùs institutæ, atque etiamnum vigentes *Primiceriorum* Dignitates. Nomen Primicerii antiquissimum, auditumque tum in Aula, tum in Castris demonstrant Juris Civilis Libri, aliique veteres Scriptores: De ejus etymologia variæ sunt doctissimorum Virorum sententiæ; ac neglectis opinationibus tum Veteris Vocabularii, Johannisque de Janua, Primicerium ideò dictum affirmantium, quòd *primum cereum portaret ante Episcopum, vel Regem*; tum Marcelli Donati, conflatum arbitrantis à *primus*, & χεὶρ, idest *manus*, qua voce *potestatem* intelligendam monet, itaut *Primicherius* (uti scribere mavult) propriè is sit, in cujus manu, potestateque res potissimùm sit (1): rem ipsam ad magnorum Virorum Brissonii, Vossiique discordem licet sententiam utiliùs deducemus. Ac Brissonius quidem id omninò statuit, Primicerium non esse, ut quibusdam videtur, junctum



*Primiceriis, & quibusdam aliis Canonicis Beneventanos, qui inveniuntur ibidem, debet examinare ipsos ridinandos.*

(10) *Item debet ipse Archidiaconus dare portiones Vigiliarum Mortuorum in Septimana tantùm.*

(11) *Item habet ipse Archidiaconus Diœcesim distinctam à Diœcesi Archiepiscopi, in quo habet totum jus Archiepiscopale, de qua non debet se intromittere Archiepiscopus, cujus Diœcesis Terræ sunt hæc*

*Castrum Cercelli.*
*Castrum Pagani.*
*Custrum Fercellate.*
*Terra Montis Ursini.*
*Castrum S. Angeli*
*ad Vadicinosam*
*& Vacchetella Quatrani.*

(12) *Item debet facere invitari Capitulum Ecclesiæ Beneventanæ, tamen primò debet conferre cum Archipresbytero, & Primiceriis.*

(13) *Item debet facere primo die Quadragesime primum sermonem, & potest committere faciendum.*

(14) *Item quotiescumque eligitur Archidiaconus Ecclesie Beneventane à Capitulo, debet ipse Archidiaconus post Confirmationem suam facere prandium toti Capitulo Beneventano, & etiam Familiæ Domini Archiepiscopi.*

(15) *Item Archidiaconus in Confirmatione Episcopi debet habere ab eo duos Romanatos.*

(16) *Item in Consecratione Episcopi tantundem.*

(17) *Item in Confirmatione Abbatis debet habere unum Romanatum.*

(18) *Item in Benedictione ipsius tantundem.*

(19) *Item debet habere in Consecratione Episcoporum, & Benedictione Abbatum vasa Vitrea vacua, in quibus defertur vinum.*

(20) *Item quandocumque Archiepiscopus ubicumque est cum Episcopis suis pontificaliter, Archidiaconus, & Archipresbyter Beneventani debent esse juxta ipsum Archiepiscopum, unus à dextris videlicet Archidiaconus, & alius à sinistris videlicet Archipresbyter supra ipsos Episcopos.*

(21) *Item temporibus prohibitis cantare Missam super sponsalibus, Archidiaconus debet dare licentiam quibuscumque Presbyteris, seu Archipresbyteris ad velle ipsius, qui si contrarium facerent, ipse Archidiaconus cantando, vel audiendo potest prevenire eos.*

(22) *Item si per Sedem Apostolicam, vel Capitulum Beneventanum provideatur Ecclesia Beneventana de Canonicatu, ipse Archidiaconus habet installare illum, cui provisum est de dicto Canonicatu in Ecclesia Beneventana.*

(23) *Item si super citationibus, vel excommunicationibus, aut monitionibus faciendis pro parte dicti Archidiaconi, super quibus causis habet cognoscere idem Archidiaconus, aliqui Clerici essent inobedientes sibi de Civitate, & Diœcesi Beneventanis, punit eos.*

(24) *Item quandocumque committuntur furta in Civitate Beneventana, ipse Archidiaconus debet Fures hujusmodi monere, & eos excommunicare.*

*Sequitur Jurisdictio, Dignitas, seu Officium, quæ pertinent ad Archipresbyterum Beneventanum &c.*

Notanda est in num. 3. conditio illa, Clericorum receptioni in Choro ab Archidiacono faciendæ apposita, ut ii scilicet *sint de Civitate Beneventana oriundi*. Eâdem Lege Archiepiscopum Beneventanum teneri in Beneficiorum quorumcumque Collationibus ad ipsum spectantibus sancivit Pontifex Sixtus V. datis Literis Apostolicis anno 1588. in *Appendice* statuti Beneventi pag. 180.: *Omnia, & singula Beneficia cum cura, & sine cura, Sæcularia, & Regularia, Canonicatus, Præbendas, Personatus &c. Civitatis, & Comitatus hujusmodi in mensibus loci Ordinarii pro tempore vacatura, & quorum collatio, provisio, sive quævis alia dispositio quomodolibet ad eum spectabit, solis Civibus originariis Beneventanis habilibus tamen, & idoneis, servata tamen inter eosdem Cives forma Concilii Tridentini, conferantur, & conferri possint, & debeant. Quò verò ad illa Beneficia, quorum collatio ad Nos, & Successores nostros spectabit, sperandum erit, nos Beneventanorum prædictorum ante omnes rationem habituros, & ita speramus facturos esse successores nostros*. Hoc Privilegium confirmatum inter alia fuit à Clemente PP. VIII. ita ad Beneventanorum Legatos, & Oratores rescribente: *De Mandato SS. Domini Nostri Archiepiscopus servet Breve Sixti V. prout jacet*. In eadem Appendice p. 196. De eodem Privilegio extat etiam Decisio 314. S. Rotæ Romanæ coram Peutingerio. Quàm verò Juri, rationique consonum sit, uberrimè ostendit Zaulus *in Comment. ad Statutum Faventiæ observ. ad Prooem. n. 36.* De Archidiaconi Diœcesi descripta, ac confirmata in num. 11. adhuc sub Judice lis est, Archiepiscopis ordinariam Jurisdictionem in illa sibi vindicantibus, relictâ Archidiacono *Quartæ Decimalis* exactione, quæ & ipsius Episcopalis potestatis superstes hodiedum emolumentum est, solis Episcopis servatum in Cap. *Conquerente. De officio Ordinarii*.

(1) In Dilucidatione ad Hist. Ammiani Marcellini Lib. XVIII.

ex duobus vocabulum, ſed idem eſſe ac *Primum*, reliquumque ejus verbi extenſionis loco additum videri: Id ex Suida probat, confirmatque ex Auguſtino, & Baldrico, quorum alter S. Stephanum *Martyrum*, alter S. Petrum Apoſtolorum *Primicerium* appellat (1): Briſſonii ſententiæ ſubſcribit Gothofredus (2). Contrà Voſſius, reprobato Briſſonio, Primicerii verbum prorsùs compoſitum eſſe contendit, atque à *prima Cera* ejus etymon repetit; quippe quum veteres in Cera ſcribere ſolerent, ac ſcriptum aliquem dixerint *in prima, ſecunda, tertia, & ima Cera*, quod ex Suetonii Cæſare, & Aſconio in Verrem planum ſit, certum conſequitur, Primicerium ex eo dictum, quod *primus notaretur in Tabula Cerata*, hoc eſt *Albo*, ſive in Catalogo illorum, qui aliquo munere fungerentur (3): Voſſii ſententiæ calculum addere videtur Cangius, cui Primicerius ille eſt, qui *Primus in Ceram, ſive Tabulam relatus eſt* (4). Utramque ſententiam, quam quiſque contentioſiùs pro ſua parte probabiliorem efficere conatur, in medio relinquimus: Illud certum, Primicerii vocabulum à Rep. in Eccleſiam promanaſſe, quæ in ſacræ Dignitatis, ſive Clericalis muneris peculiarem nomenclaturam, ac ſignificationem extulit. In Monumentis Eccleſiaſticis non ante S. Gregorii M. ævum (5), atque in vetuſtiſſimis *Romanis Ordinibus*, Primicerium, velut Eccleſiaſticam Dignitatem, primùm, quod invenerim, audire eſt (6): Mox in Eccleſiis Cathedralibus paſſim obtinuit, & Nomen ipſum, & Dignitas; itaut, quæ Primicerii partes, muneraque eſſent, Pontifex Gregorius IX. ſpeciali Conſtitutione definiendum, ac declarandum cenſuerit: *Ut Primicerius ſciat, ſe eſſe ſub Archidiacono, ſicut Archipresbyter, & ad ejus curam ſpecialiter pertinere, ut præſit in docendo Diaconis, vel reliquis gradibus Eccleſiaſticis in ordine poſitis; ut ipſe diſciplinæ, & cuſtodiæ inſiſtat, ſicut pro animabus eorum rationem Deo eſt redditurus: & ut ipſe Diaconibus donet Lectiones, quæ ad nocturna officia Clericorum pertinent, & de ſingulis ſtudium habeat, ut in quacunque re capacem ſenſum habuerit, abſque ulla vacet negligentia, aut à quo ipſe juſſerit, inſtruantur* (7).

Fuit itaque in Eccleſia Beneventana antiquiſſima Primicerii Dignitas, immò bini ab omni retro ævo fuerunt Primicerii. Præcipuum autem Munus, quod à Gregorio IX. attributum Primicerio ſuperiùs legimus, ut is ſcilicet ſpeciali cura *præſit in docendo Diaconis, vel* ( ideſt & ) *reliquis gradibus Eccleſiaſticis in ordine poſitis*, ab ipſo Beneventanæ Eccleſiæ Primicerio omnino impletum etiamnum oſtendunt vetuſtæ ejuſdem Eccleſiæ Conſtitutiones, ſuperiùs memoratæ; ubi inter alia ipſius Primicerii *Majoris* munia illud quoque recenſetur: *Item habet ponere Magiſtrum in Scholis prædictæ Eccleſiæ, & ipſe Primicerius, & Magiſter per ipſum poſitus, habent exinde onus, & emolumentum ſine contradictione alicujus*. Meminit obiter ejus Dignitatis, & Muneris Illm̃us Borgia in *Præfat. tom. 1. Memor. Iſtor. Benev. pag. XVI.*

(1) De Verbor. ſignificat. Lib. XIV. in eodem vocabulo *Primicerius*.

(2) In titulo Codicis Juſtin. De Primicerio, & Secundicerio Lib. XII. ubi ſic habet: *Primicerius, Secundicerius, Tertiocerius, Quartòcerius Scholarum, vel Notariorum eſt Primus, Secundus, Tertius, Quartus*. Erius *enim productio eſt verbi &c.*

(3) In Lex. etymol. Ling. Lat. d. vocab.

(4) In Gloſſario med., & infim. Lat. ſub eod. verbo.

(5) Lib. III. epiſt. XXII. ex edit. PP. Benedictin. S. Mauri.

(6) In Ordine Romano cap. 2., & paſſim deinceps apud Mabillon. Muſei Italici Tom. II.

(7) Cap. un. Extra *De Officio Primicerii*. Quum Gregorius dixit à Primicerio docendos *Diaconos, vel Clericos*, utroſque ſimul, tum ſcilicet Diaconos, tum Clericos utique intellexit. Nihil magis Ætati Mediæ ſuetum, ac propè aſſiduum, ut particulam disjunctivam *vel* prò conjunctiva & paſſim uſurparet; quod & de particula *ſeu* uſuvenit. Id jam obſervatum a Gothofredo in notis ad Codicis Theodoſiani Leges, in quibus perſæpe nunc *vel*, nunc *ſeu* ab Auguſtis Legumlatoribus poſt Conſtantinianum ævum ſcribi cœptum eſt. Cl. Marchio Maffejus in Diſſert. *sù i Verſi Ritmici pag.* 183. *Mantova* 1727. hæc habet: *Può eſſere ſoſpetto il* ſive Saturni, *ma ſta per* ſeu, *ovvero* vel, *uſato pro* & *ſin dagli Scrittori dell' Iſtoria Auguſta, e ne' tempi baſſi continuamente; raro è per verità il veder* ſive *in tal ſenſo, non regiſtrato però nel Gloſſario del Cangio, ma non ne mancano eſempj. Ermoldo, che ſcriſſe in verſi elegiaci un' Encomio di Ludovico Pio, per dire*, e Cicerone, e Platone, *dice* Tullius & Marcus Cicero, *ſive Plato*. Sed non ipſi tantùm Scriptores Hiſtoriæ Auguſtæ, ſed & ipſi quoque Auguſtæi ævi Scriptores elegantiſſimi *vel* pro & aliquando uſurpaſſe inveniuntur. Sic Virgilius Æn. VI. ver. 769. *Silvius Æneas pariter pietate, vel armis egregius*: ideſt *pietate, & armis*. Livius L. I. c. 42. *Hunc ordinem ex cenſu deſcripſit, vel paci decorum, vel bello*: At id maximè per inferiorem ætatem obtinuit: qua de re ſatis fuerit heic recitaſſe locum Mabillonii adverſus Ughellum ex Præf. Sæc. IV. Benedict. n. 128. *Neque potior eſt altera Ughelli ratio . . . vel potiùs erratum, quod fundatur in particula disjunctiva* vel *ad hæc verba*: ſub Regula Benedicti, vel Columbani. *At mirum eſt, Virum doctum, & in evolvendis Italiæ ſcriniis apprimè verſatum, non advertiſſe, apud veteres paſſim particulam* vel *conjunctivè uſurpari, ut ſexcentis exemplis probare poſſem, niſi res eſſet, vel mediocriter literatis tritiſſima*. Mihi verò id ſemel obſervandam fuit, ne in re alioqui tritiſſima, lectori fortaſſe cuipiam fraudi ſit eadem particula *vel*, quæ heic, ac centies in aliis monumentis hoc in Opere à me recitatis, vim, ſignificationemque copulativæ habens, occurrit.

*pag.* XVI.; sed minùs rectè illud affirmat, ex ea cura, seù munere ipsum Primicerium *Magistri Scholarum* titulo fuisse insignitum (*perciò s' intitolava* Magister Scholarum, *giacchè à lui si apparteneva deputare il Maestro per le Scuole*): nam si ad Primicerii munus pertinebat Magistrum Scholarum deputare, non idem profectò *Magister* erat, aut appellari poterat, qui alterum eidem subeundo Magisterio præficiebat: sed in id tantummodò incubuisse, atque advigilasse debuit, ut Magister Scholarum ab se deputatus sedulam operam in Clericis erudiendis navaret. Res satis clara est ex Constitutionum verbis superiùs recitatis; præclarior fiet ex monumento anni 1247. inferiùs illustrando, ubi occurrit Bartholomæus *Magister Scholarum Episcopii, Sacerdos, & Canonicus*, alius scilicet, atque omninò diversus à Primicerio, quia Sacerdos, & Canonicus, ab ipso tamen Primicerio *Magister Scholarum* delectus, ac constitutus.

Sed præstat ad ipsas Scholas sermonem convertisse, ut hoc illustre Beneventanæ Ecclesiæ decus accuratiùs observemus. Antiquissimas Beneventanæ Ecclesiæ fuisse Scholas, ab ipso Sæculo IV. institutas, tutò affirmabimus, si ipsius Ecclesiæ præstantiam, exactissimamque ejus Cleri disciplinam, de qua tantopere superiori loco disseruimus, penitiùs advertemus. Sub Ducibus, ac mox sub Principibus Longobardis non modò non neglectam earundem Scholarum curam, atque frequentiam fateri licebit, sed vel maximè excultas existimabimus ab primi Principis Arichis ævo, qui in literis non mediocriter versatus, in illas reparandas vehementer ferebatur; uti in sequenti Dissertatione dicemus. Flagrabat certè eodem ævo literarum studium, Caroli M. operâ, qui plures Scholas constituit: atque hæ quidem tum in Episcopalibus, tum in Parochialibus, tum in Monasteriis, tum in ipsis denique Regiis, sive Palatinis Ædibus habebantur, pro diversa discipulorum conditione, futuraque eorum vitæ professione (1): itaut quoddam veluti incitamentum Arichi Principi optimo ea quoque in re factum videri debet, ut ipsius Caroli exempla æmulari decertaret. Sed haud certè ea vel incitamenta, vel exempla, vel auctoritas Beneventanæ Ecclesiæ expectanda erant, quæ potiùs à Romana, ubi sub S. Gregorio M. refloruisse diversarum artium studia testatur Johannes Diaconus (2), aut potiùs à suimet dignitate, quæ omnium Ecclesiarum Beneventani Principatus non ipsa tantùm princeps, verùm etiam Metropolis haberetur, ut cap. II. probatum est, sui Cleri necessariis scientiis erudiendi & exemplum, & curam suscepit: atque ad hanc omninò Beneventanæ Ecclesiæ solicitudinem, Scholarumque in ipsa institutarum prærogativam jure merito referenda sunt illa Philosophiæ studia, quæ Sæculo IX. apud Beneventanos florebant, inter quos, duos supra triginta Philosophos illustres per eam ætatem numeratos, ac celebratos legimus; uti in eadem sequenti Dissertatione opportuniùs videbimus: ubi illud quoque Beneventanorum de Ordinationibus Pontificis Formosi judicium, probatamque ad Sac. Canonum, Ecclesiasticæque disciplinæ tutissimos tramites sententiam illustrabimus; ut jam non liberalium tantummodò artium, humaniorumque literarum, sed sanctioris etiam scientiæ cujusque, quæ Viros Ecclesiasticos deceret, eruditos Beneventanos demonstrare possimus. Quæ quidem omnia, etsi nullum nobis suppeteret certum Beneventanarum Scholarum documentum, Scholarum tamen, quæ tunc temporis Beneventi constitutæ essent, propterea quòd sine Scholarum subsidio comparari nequirent, præclarum illarum argumentum, ac quoddam veluti testimonium præstabunt.

Absit itaque, ut ex dictarum Constitutionum tempore, idest anno 1335. earundem Beneventanæ Ecclesiæ Scholarum institutionem metiamur. Nam quicquid consuetudinum, statutorumque ab antiquo, immemorabilique tempore in dicta Ecclesia Beneventana obtineret, quæ vel scriptis, vel usu ipso, traditioneque observarentur, in dictis novis Constitutionibus conscribi, promulgarique, ac certæ in posterum, immobilisque Legis loco haberi tunc placuit. Heinc ad ipsas Scholas quod attinet, ab ipso medio Sæculo XII., idest anno MCLIX. insigne monumentum habemus ex originali Diplomate Archiepiscopi Henrici, qui Romualdo ejusdem Ecclesiæ Primicerio confirmavit *ipsum Primiceriatum cum Scholis*; ut videas binis ferè antè Sæculis, quàm dictæ Constitutiones prodiissent, ad Primicerium pertinuisse, Magistrum Scholarum constituere, eique rei pro suæ Dignitatis jure, ac ratione indesinenter præesse. Extat etiam Instrumentum Anni MCCXLVII. jussu Imp. Friderici II. Beneventi celebratum de comprobandis *Prandiis* à Beneventanis Archiepiscopis parari consuetis



(1) Vid. Thomassinum Eccl. Disc. Part. II. Lib. I. cap. 96.: Muratorium Antiq. med. ævi Diss. 43.

(2) Io. Diac. in vit. S. Gregorii Lib. II. cap. XII. & XIII.

ſuetis tum Metropolitanæ Eccleſiæ Canonicis, tum Baſilicæ S. Bartholomæi Capellanis; quo in Inſtrumento Bartholomæus *Magiſter Scholarum Epiſcopii Sacerdos, & Canonicus* coram Imperiali Judice inter alios teſtimonium tulit (1). Ex his itaque optimè liquet, antiquiſſimas fuiſſe Beneventanæ Eccleſiæ Scholas, ſupradictis poſtea Conſtitutionibus an: MCCCXXXV. confirmatas. Interciderant fortaſſe, circa Sæculi XIV. exitum, aut ſequuti Sæculi initia eædem Scholæ, aut potiùs abuſus in illas irrepſerat, nullos Clericos pauperes admittendi, ſolvendæ Magiſtro mercedi impares: Sed ea in re tum maximè enituit Archiepiſcopi Gaſparis Columnæ, ac ipſius Beneventani Capituli communis ſolicitudo, ac providentia, editâ anno MCCCCXXXIII. Conſtitutione, qua Clerici omnes gratis inſtituendi jubentur à Magiſtro; cui, ſtipendii loco; unius ex Canonicatibus proximè vacaturi reditus aſſignantur; qua ex Conſtitutione illud conſtat, abjudicatam à Primicerio fuiſſe tunc temporis Magi-

(1) Exhibet hujus Inſtrumenti exemplar, ex originali noſtræ Bibliothecæ deſcriptum Ughellus Tom. VIII. col. 206. edit. Rom. ſub Archiepiſcopo Ugholino: Atque Ugholinus quidem Archiepiſcopus controverſiam movit adverſus Canonicos, plurima prandia ex antiquiſſima conſuetudine ab Archiepiſcopis ſibi ſtatis diebus præſtanda contendentes. Latet cauſſa, cur ea controverſia ad Imp. Friderici II. conſiſtorium delata ſit: Certè in ipſo Inſtrumento eandem cauſſam aliàs ad Romani Pontificis cognitionem, & definitionem (ut par erat) pertinuiſſe ſcimus; nam inter alios teſtes Ademarius Pantaſia Subdiaconus, & Canonicus *addidit, quòd, cùm quadraginta annis elapſis, & plus, recepiſſent Clerici denarios pro prandiis, poſtea ipſi recurrentes ad Curiam Romanam, & inde cum Archiepiſcopo Rogerio contendentes, obtinuerunt per Papam, quod prandia conſueta reciperent*. Sed ex ipſis Imperialibus Literis, quibus Sikenulpho Judici mandatum fuit, ut ejus juris Canonicorum probationes exciperet, rem ipſam extra Judicium cognitam, ſive cognoſcendam Imperator ſibi voluit, de qua nullum ab ipſo *Judicatum* prodiiſſe conſtat. Literæ autem Imperiales eidem Inſtrumento inſertæ ſic ſe habent: *Prudenti Viro Judici Sikenulpho de Benevento Amico ſuo Rogerius Cappalia ſalutem, & ſincerum amorem. Quia certificare volumus pro parte Imperialis Majeſtatis quot prandia, & in quibus feſtivitatibus habere conſueverint Clerici majoris Eccleſiæ Beneventanæ, & quod hebdomadarum, & quæ perſonæ conſueverunt percipere, & habere vivandam ab Eccleſia Beneventana tempore Rogerii Archiepiſcopi Eccleſiæ prædictæ, cùm nobis hoc pro parte Curiæ . . . ſit incertum, Prudentiæ veſtræ ex Imperiali parte mandamus, quatenus facta diligenti inquiſitione de prædictis, redigatis in ſcriptis, facientes exinde fieri ad cautelam Eccleſiæ, & dicti Capituli publicum Inſtrumentum, ad nos ipſum pro parte Eccleſiæ plenè tranſmittentes*. Ut autem ejuſmodi prandiorum mos inviolatior maneret, placuit in dictas Conſtitutiones Anni MCCCXXXV. ab Archiepiſcopo Ughone conditas referre, ex quibus præclariùs, quàm ex dicto Inſtrumento, diſcimus, quæ, quando, quomodo, quibuſque eadem Prandia ab Archiepiſcopo exhibenda eſſent. Ita enim habent pag. 5.: *Capitulum ſupradictum dictæ majoris Eccleſiæ Beneventanæ debet habere ab Archiepiſcopo generaliter prandium in Nativitate Domini cum tribus ferculis carnium. Item in die Jovis ſancto ab ipſo Archiepiſcopo aliud prandium cum tribus ferculis piſcium. Item in die Reſurrectionis Dominice aliud prandium cum tribus ferculis carnium. Item die Lune, & die Martis in albis, ſi Archiepiſcopus equitavit proceſſionaliter, ſecundum quod conſuevit, debet habere pro quolibet ipſorum dierum prandium cum tribus ferculis carnium. Item debet habere in feſto Aſſumptionis Beatæ Virginis aliud prandium cum tribus ferculis carnium. Item in feſto S. Bartholomei de menſe Auguſti debet habere medium prandium. Item in dedicatione Eccleſiæ majoris debet habere aliud prandium cum tribus ferculis carnium. Item illi invitantur ad tractum, & alleluja in infraſcriptis feſtivitatibus, videlicet. In feſto omnium Sanctorum: In Purificatione Beatæ Virginis: In Aſcenſione Domini; & Pentecoſtes: In translatione beati Bartholomei de menſe Junii: In Nativitate Beatæ Virginis Mariæ: & in translatione beati Bartholomei de menſe Ottobri debent habere prandium cum tribus ferculis carnium cum quatuor parvulis, cui ſerviant, Ebdomadariis, & Sacriſtis: Item in feſto S. Stephani de menſe Decembri Diaconus cum duobus Primiceriis, Presbitero Ebdomadario, Veſtarario, & Sacriſtis debent habere prandium cum tribus ferculis carnium. Item in feſto beati Johannis Evangeliſte Presbiteri, qui induti fuerint cum duobus Primiceriis, & Ebdomadario, Theſaurario, & Sacriſtis debent habere prandium cum tribus ferculis carnium. Item in feſto Epiphanie Subdiaconi, qui fuerint induti, cum duobus Primiceriis, duobus Ebdomadariis, & Sacriſtis, ac Theſaurariis debent prandium cum tribus ferculis carnium. Item Ebdomadarii, videlicet Presbiter, Diaconus, & Subdiaconus, & alius Presbiter, qui cantat Miſſam mortuorum ſummo mane, debet habere panem, & vinum, quando celebrant, a Curia Archiepiſcopatus, de illo pane videlicet, & vino, quem comedit, & quod bibit familia Archiepiſcopi. Habet quilibet quolibet die panes duos, & unam mezullam de vino, qui panis debet ponderare coctus uncias vigintiquatuor*. Duo autem ex dictis Prandiis colligere operæ pretium erit; nihil ſcilicet in illis opiparè admiſſum, ſed omnes ſervatas mediocritatis, ſive temperantiæ Leges, qualis Eccleſiaſticorum convivia deceret; ita ut Eccleſiaſticos labores honeſta corporis recreatio ſequeretur, qua neceſſitati potius, quàm voluptati indulgeretur: Alterum eſt, Eccleſiam Beneventanam eum Prandiorum morem ab Eccleſia Romana mutuatam videri. Mos ſiquidem Romanæ Eccleſiæ fuit, ut ejuſmodi Prandia a Summis Pontificibus diebus ſolemnioribus, quibus Pontificalia peragerent, ſuis adminiſtris exhiberentur. Sic in *Ordine Romano I.*, quem Mabillonius evulgavit Tom. II. Muſei Ital. inter alios Miſſæ Pontificiæ ritus is recenſetur n. XIX. pag. 13. *Nomenculator, & Sacellarius, & Notarius Vicedomini, cùm dixerint* Agnus Dei, *tunc aſcendunt aſtare* (fort. *altare*) *ante faciem Pontificis, ut annuat eis ſcribere nomina eorum, qui invitandi ſunt, ſive ad menſam Pontificis per Nomenculatorem, ſive ad Vicedomini per Notarium ipſius: quorum nomina ut compleverint, deſcendunt ad invitandum*. De ejuſmodi Prandiis Eccleſiæ Romanæ agunt quoque Cencius Camerarius, & Petrus Amelius in aliis *Ordinibus*, ab eodem Mabillonio editis n. XII. & XV. Quid moris nunc in Eccleſia Romana ſit, noviſſe non refert: Ad noſtram quod attinet Eccleſiam, ſolent Archiepiſcopi quotannis univerſo Capitulo poſt Feſta Natalitia prandium exhibere, veteris fortaſſe moris ſuperſtes monumentum.

Magiſtri deligendi curam, atque auctoritatem, quam Archiepiſcopus, & Capitulum æquo jure ſibi vindicarunt (1).

At ſi Magiſtri Scholarum conſtituendi facultas à Primicerio divulſa fuit, manſit tamen uſque ad S. Concilii Tridentini tempora eidem Primicerio ab omni retrò ævo præcipuè attributum munus, illuſtre quidem, & auctoritatis plenum, ut is *primarius* eſſet Archiepiſcopi Pœnitentiarius. Mandavit quidem præfatum Concilium, in Eccleſiis Cathedralibus quibuſque inſtituendam peculiarem Pœnitentiarii Præbendam, quæ paullò poſt in noſtra Eccleſia originem habuit, hodieque viget, uni ex Canonicis perpetuò aſſignata: Sed qui ejuſdem Concilii exactiſſimam in Eccleſia Beneventana obſervantiam invexit, Archiepiſcopus Cardinalis Sabellus in Concilio Provinciali anni MDLXVI., nondum erectâ per id tempus ejuſmodi præbendâ, id munus à Primiceriis adhuc exerceri conſuetum commemorat: *Primicerii* (inquit) *quum conſueverint eſſe Pœnitentiarii Epiſcopi, ſtudeant, ut ei muneri ſatisfacere poſſint* (2). Ambos Eccleſiæ Beneventanæ Primicerios æquè ordinarios Archiepiſcopi Pœnitentiarios vocat Sabellus, quum ſcilicet, quod ad unum olim pertinebat, ob frequentiorem fortaſſe Pœnitentium numerum, utrique id munus demandatum poſtea fuerit. Conſtat autem ex dictis vetuſtis Conſtitutionibus, Primicerium tantummodò *majorem* Pœnitentiarium agere conſueviſſe. Sic enim habent: *Sequitur Officium, Dignitas, Conſuetudo, & juriſdictio Primicerii Majoris Eccleſiæ Beneventanæ. Dominus Primicerius Major conſuevit eſſe Pœnitentiarius Domini Archiepiſcopi Beneventani: Item quod ipſe dat pœnitentias de Suffocatis*: tum reliqua ejuſdem Primicerii munera, ac prærogativæ recenſentur.

Antiquiſſimam non modò in Eccleſia Beneventana Primicerii Dignitatem fuiſſe diximus, verùm etiam (quod ſingulare videri poteſt) in duos æquè Primicerios diſtinctam Dignitatem conſtituentes, bipartitam. In Diplomate Archiepiſcopi Henrici anni MCLVIII. inter alios ſubſcribunt *Romualdus Presbyter, atque Primicerius*, mox verò *Johannes Sacerdos, & Primicerius* (3): In alio Diplomate Cardinalis Lombardi Archiepiſcopi anni MCLXXV. ſubſcribunt pariter *Bartholomæus Sacerdos, & Primicerius*, necnon *Romualdus Presbyter, atque Primicerius* (4); quorum adhuc ſubſcriptio occurrit in altero ejuſdem Archiepiſcopi Lombardi Diplomate anni ſequentis (5). Fuiſſe olim *Primicerios*, & *Secundicerios* planè oſtendunt, præter Imp. Juſtiniani Leges (6), plura quoque Eccleſiaſtica monumenta: nam in Ordine Romano Secundicerium Diaconorum legas (7), & in Anaſtaſio Bibliothecario perſæpè (8): Cur verò Eccleſia Beneventana eum, qui ſecundo loco eſſet, non Secundicerium, ſed æquè Primicerium appellandum maluerit, res eſt, quæ mori potiùs, quàm rerum ordini, verborumque proprietati tribuenda videtur; nam quos appellatio non diſtinguit, diſcriminat quidem utriuſque gradus tum in Eccleſiaſticis officiis, tum in ceteris quibuſque rebus, itaut alter altero major tum dignitate, tum munere cenſeatur. Cur tandem binos eadem Eccleſia ſibi adhibuerit Primicerios, id facilè tum ejus præſtantiæ tribuas, tum aptiùs adſcribas ingenti illi, quem olim admittebat, Clericorum numero, quorum Regimini plures præſides, ideſt duos Primicerios, inter quos officium ipſum divi-

(1) Præclara ſunt ejus Conſtitutionis verba, dignaque, ut heic aliqua ex parte deſcribantur ex pag. 8. d. Conſtitutionum: *Quoniam Eccleſia Dei ſicut pia mater providere voluit, ne pauperibus, qui parentum opibus juvari non poſſunt, legendi, & proficiendi opportunitas ſubtraheretur, unamquamque Cathedralem Eccleſiam Magiſtro, qui Clericos ejuſdem Eccleſiæ, alioſque ſcolares pauperes gratis inſtrueret, aliquando competens Beneficium præberetur, quo & docentis relevaretur neceſſitas, & via pateret diſcentibus ad Doctrinam: nos Gaſpar miſeratione Divina Archiepiſcopus Beneventanus cum conſenſu, volantate, & aſſenſu noſtri Capituli Beneventani in loco Capitulari ſolito ad ſonum Campane unanimiter congregati, ut moris, & juris eſt, hujuſmodi proviſionem laudabilem ſequi volentes, ſtatuimus, & ordinamus, ut in dicta noſtra Eccleſia Beneventana per nos, & noſtrum Capitulum antedictum Magiſter idoneus à nobis, & noſtro Capitulo, ſeu majori parte conſtituatur, qui Canonicos, & Clericos ejuſdem Eccleſiæ gratis, & ſine aliqua ſolutione Grammatica, & aliis facultatibus inſtruat juxta poſſe: Aſſignetur autem ipſi Magiſtro à d. Capitulo unius integre Canonicalis portionis fructus, redditus, & proventus prime vacantis &c.*

(2) Synodicon Provinciale Eccl. Ben. pag. 353.

(3) In Bullario Selecto n. XXXI. pag. 137.

(4) Ibidem n. XXXIV. pag. 149.

(5) Ibidem n. XXXV. pag. 152.

(6) In d. Tit. VII. Libri XII. Codicis: *De Primicerio, & Secundicerio*: & rurſus in L. 4. ejuſdem Libri Tit. XVII. De Domeſticis, & Protectoribus, ubi Imperator ſic edicit: *Si quis virorum fortium in equitum ſchola Secundicerii locum adeptus diem ſuum ſupremum clauſerit, heredes ejus .... Primiceriatus ſolatiis, atque emolumentis fruantur*: ad quam legem ſic Gothofredus: *Secundicerii in ſcholis ex Tertioceriis: Primicerii ex Secundiceriis: verbi gratia, qui hoc anno Tertiocerius, ſequenti Secundicerius, tertio Primicerius: Primicerius autem ferè biennalis.*

(7) Apud eundem Mabillonium d. Tomo II. Muſ. Ital.

(8) In Stephano IV. *Chriſtophorus Primicerius, & ejus filius Sergius dudum quidem Sacellarius, poſtmodum Secundicerius &c.* Iterum in Hadriano I., & alibi &c.

divideretur, præfici oportebat: Quare factum, ut duo adhuc Primicerii ex antiquo instituto ad nostram ætatem permanserint.

Sequitur Thesaurarius; quæ & ipsa in Ecclesiis Cathedralibus, & Capitularibus Dignitas esse consuevit: cui (uti nomen ipsum præsefert) Thesauri Ecclesiæ servandi committebantur; ac quandoque Archiclavi nomen datum invenies (1); uti etiam Cimilarcham (2), & Vestiarium (3) appellatum audies. Extat Diploma Cardinalis Lombardi Archiepiscopi, paullò ante nobis indicatum, anni MCLXXV., ubi is *Vestiario* Beneventanæ Ecclesiæ ad ejus *Thesauros instaurandos meliùs, & augendos*, certos, perpetuosque reditus attribuendos constituit. Nondum id Diploma lucem aspexit, quâ luce dignum existimamus (4).

Aurum, Argentum, Gemmas, aliasque splendidas Supellectiles, dum tempus, ac facultates ferrent, non solùm non abhorruit Christi Ecclesia, sed planè studiosiùs in Sacris Ministeriis adhibendas omni ævo voluit: De Calicibus *ligneis* (quorum occasione in Concilio Triburiensi sub Formoso cap. XVIII. celebre de *aureis* olim Sacerdotibus S. Bonificii Episcopi Moguntini apophthegma esse cœpit) meditata Sapientissimi Cardinalis Bona sententia est, nusquam ejus, alteriusve vilis, fragilisque materiæ Calices ab Ecclesia statutos, nusquam etiam approbatos, pluriès verò interdictos; pretiosos autem, quemadmodum alia quævis vasa, supellectilesque sacras, sævientibus etiam Persequutionibus, passim servatos (5): Nec certè alia de causa Anastasius Bibliothecarius adeò curiosè ejusmodi ingentis pre-

(1) Rodulphus Glaber Hist. Lib. III. cap. 4. apud Mabillon. Vet. Anal. pag. 217. narrat Herneum illum, quem in superioribus notis memoravimus, à Rege Roberto *Ecclesiæ B. Martini Turonici Archiclavum fuisse electum, propterea quod cuperet illum postea constituere Pontificem*, ideſt Episcopum: ubi Mabillonius *Archiclavum* rectè explicat *Custodem*, & *Thesaurarium*. Concilium Coloniense Anni 1160. cap. 8. *Thesaurarii, sive Custodes, quorum interest Ecclesiæ luminaria ministrare, ea ita fideliter administrent, & generaliter omnis Ecclesiasticæ supellectilis, seù Thesauri custodiam eorum fidei, atque curæ commissam, ita conservent fideliter, & solerter* &c.

(2) In Ecclesia Neapolitana hodiedum viget *Cimeliarchæ* Dignitas, Græcæ olim Urbis superstes inter alia monumentum: quanquam & in Latinis Ecclesiis id etiam vocabulum in usu fuisse ostendunt vetusta Acta Ecclesiæ Mediolanensis apud *Puricellum in Vita S. Simpliciani*: Cæterum hunc sacrorum vasorum Custodem, tum *Cimiliarcham*, tum *Scerophylacem* Græci vocant, atque inter officia, dignitatesque CPolitanæ Ecclesiæ recenset Codinus Lib. 1.

(3) In Concilio Provinciali Cardinalis Sabelli Anno MDLVII. sess. V. T. III. cap. V. *Vestiarii, seu Thesaurarii custodiam habeant sacrorum vasorum, vestimentorum Ecclesiasticorum, ornamentorumque omnium Altarium, eorumque munditiæ, nitorique consulant: proptereaque sint assiduè in Vestiario* &c. Vestiarii autem, sive *Vestararii* appellatio in nostra Ecclesia obsolevit, obtinente duntaxat *Thesaurarii* nomine, quo quinta *Dignitas* insignitur. Promiscuè olim utrumque nomen ei Dignitati tribuebatur, ut non solùm ex laudato Archiepiscopi Sabelli Concilio audivimus, verùm & longè antea ex antiquis Beneventani Capituli Constitutionibus constat, ab Archiepiscopo Hugone Anno 1371. promulgatis; quarum verba in superioribus notis recitavimus: quibus hæc alia addimus, pag. 4. a ter.: *Sequitur jurisdictio, dignitas, officium, & consuetudo Vestararii, seu Thesaurarii dictæ majoris Ecclesiæ Beneventanæ. In primis Dominus Thesaurarius, seu Vestararius debet esse die & nocte continuè in Vestiario* &c. Ceterum Vestiarius, seu Vestararius non solùm Vestiarii, sed & Thesauri, & Cimeliorum curam habebat, ut ex dictis documentis satis liquet, confirmatque Anastasius de Pandulo Regis Desiderii *Vestiario* in Vit. Hadriani I. & de S. Gregorii M. *Vestiario* Johannes Diaconus in ejus vita Lib. 1. cap. 10.

(4) *Lombardus Dei Gratia Beneventanus Archiepiscopus Capitulo ejusdem Ecclesiæ salutem, & dilectionem. In eo sumus officio, disponente Domino, constituti, ut præter illam ejus benignitatem, qua sumus universis generaliter debitores, circa voluntatem specialium filiorum, in his præcipuè, quæ ad Deum pertinent, & à temporali non dissonant incremento, specialitate quadam doceat nos aures gerere tinnientes. Liberalitatis mere officiis etiam inherentes, quæ suos semper claros reddit in omnibus amatores. Unde quoniam, amandi in Christo Filii, a nobis suppliciter postulastis, ut Palatium Loduyci Clerici a judicialia, & Gilberti consobrini sui, cum apothecis, casis, & omnibus suis pertinentiis, quæ ad jus nostri Episcopii noscuntur specialiter adtinere, in ejusdem Ecclesiæ Vestiario ad ejus Thesauros instaurandos meliùs, & augendos perpetuò concederemus, honestæ petitioni vestræ, cujus non est exauditio differenda, idcircò maturè duximus adsentiendum, ut & nos muneri nostro duplicatam inserere gratiam videamur, & vos experiamini manifestum nostræ dilectionis argumentum. Ea propter taliter id concedimus per hujus Privilegii paginam, & concessionem nostram per quasdam claves in manibus Rainulphi Archidiaconi, & Romualdi Primicerii traditionis roboro confirmamus. Statuentes, ut nulli liceat illam infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc adtemptare præsumpserit, Omnipotentis Dei, & Beatæ semper Virginis Mariæ, & B. Bartholomei Apostoli, & omnium Sanctorum iram se noverit incursurum. Ad futuram verò memoriam, & hujus concessionis firmitatem tibi dilecto filio Jacobo Notario ipsam scribere precepimus. In Anno Dominice Incarnationis millesimo centesimo* LXXV. *Pontificatus Domini nostri Alexandri Summi Pontificis anno* XVII., *nostri autem Archiepiscopatus anno* V. *de mense Februario. Nona Indictione. Benevalete.*

✝ *Ego Lombardus Beneventan. Archiepiscopus.*
✝ *Ego Rainulfus Archidiaconus.*
✝ *Ego Johannes Diaconus.*
✝ *Ego Romoaldus Presbyter, atque Primicerius.*
✝ *Ego Bartholomeus Sacerdos, & Primicerius.*

Adest Circulus hisce verbis circumscriptus: *Custodi nos Domine, ut pupillam oculi*, atque appensa est Bulla plumbea, de qua superiori Capite disseruimus.

(5) Rer. Liturgicarum Lib. 1. cap. XXV.

tis pretii donaria, sive κυμηλεία à Summis Pontificibus, aliisque Viris Principibus Ecclesiæ attributa, à prioribus Sæculis, in singulis Pontificum Vitis recensenda sibi duxit; ut scilicet certum illud, persuasumque cuique sit, eundem perpetuò fuisse Ecclesiæ spiritum, quo tum Fideles, atque in his Principes, tum Ecclesiastici Pastores æquè ducti, ejusmodi Cimeliis locupletandas Ecclesias certatim curarunt; ea siquidem re non solùm Sacrorum Mysteriorum dignitati consultum iri probè animadvertebant, verùm etiam in Fidelium animis majorem erga res divinas, eorumque ministros reverentiam excitari, quæ nonnisi in Religionis, ac Pietatis emolumentum vertebatur. Utque domesticum aliquod exemplum afferamus, illud satis constat, Radelchis Beneventani Principis ævo, idest medio circiter Sæculo IX. Casinensis Ecclesiæ Thesaurum, *in Calicibus, Patenis*, aliisque sacris vasis, *centum triginta auri purissimi libras* appendisse; ac præter innumera alia, *Coronam auream smaragdinis gemmis mirificè decoratam, tribus solidis millibus æstimatam* servasse, pium olim Principis Siconis anathèma (1).

Ex hisce igitur omnibus, quæ de Ecclesiarum Thesauris animadvertere libuit, facilè illud sequitur affirmandum, Ecclesiam Beneventanam in hac quoque re decorem suum explicasse, qualem, præeunte olim Beneventanorum Principum munificentia, ipsi deinceps Antistites eidem conferendum duxerunt: ac, ne id conjecturâ tantum ipsâ statuisse videamur, exemplis etiam demonstrabimus. Eadmerus, dignus ille S. Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis discipulus, ejusque laborum, itinerumque comes individuus, testis est, se in Concilio Barensi anni MXCVIII. ab Urbano Papa II. celebrato, Archiepiscopum Beneventanum vidisse, *Cappa præ omnibus, qui Conventui ipsi intererant, pretiosiori decoratum*. Eadmeri locum, insignem quidem, sed tamen longiusculum, ne heic lectorem remoremur, in subjectam notam recitandum, atque illustrandum rejecimus (2). At non diù Sacrâ hac splendi-

(1) Leo Ostien. Chr. Cas. Lib. I. c. XXV.

(2) Eademerus, sive Edmerus, sive Emundus Monachus Benedictinus Cantuariensis in *Historia novorum* sui Sæculi, idest ab An. 1066., ad 1122. Lib. II. pag. 53. ex editione Parisiensi An. 1675. ad calcem Operum S. Anselmi. De hac Eadmeri Historia, qui primus eam edidit Londini An. 1623. Seldenus hoc tulit judicium, Guilielmo Caveo probatum, ut *eximium in eo Opere sit Auctoris narrandi judicium, par fides, ac scriptionis nitor*: quod mihi primùm observandum fuit, ut integra Eadmero heic loquenti constet auctoritas. Sic igitur Eadmerus: *Inter hæc ego Patri* (Anselmo Episcopo Cantuariensi) *per omnia præsens aderam, paratus videlicet ad servitium ejus. Et quia mihi ab infantia hic mos erat, semper nova, quæ fortè, sed maximè in Ecclesiasticis, occurrebant, diligenti intentione considerare, ac memoriæ commendare, dispositum Concilium, loca, & ordines personarum, modos, & examinationes causarum, curiosè fortasse magis, quàm sagaci mente, & oculo, hinc inde, utpotè qui nunquam prius talia videram, modesto intuitu consideravi. Hic autem, cùm illis intenderem, occurrit, quem antea benè noveram, Archiepiscopus Beneventanus, Cappa præ omnibus, qui Conventui ipsi intererant, preciosiori decoratus. Papa enim non Cappa, sed Casula, & Pallio desuper redimitus, Concilio præsidebat. Ego igitur intuens Cappam Antistitis Beneventani, & eam, ut dixi, cæteris præstare perspiciens, recordatus sum verborum, quæ puer à senioribus Ecclesiæ nostræ, Eduvio scilicet magnifico Viro, Blachemanno, atque Fermanno, aliisque nonnullis olim audieram. Solebant enim iidem memorabiles Viri sæpe narrare, quod ipsis adolescentiæ primordia agentibus, Imma Regina, cujus in capite hujus operis habita mentio est, inter multa bona, quæ Ecclesiæ Christi Cantuariensi contulit, Brachio Beati Bartholomæi Apostoli ipsam Ecclesiam, disponente Domino, sub Enud Rege Anglorum sublimaverit. Quæ res qualiter facta fuerit, hoc modo* (*quod per excessum cæptum narrationis dici patienter quæso accipiatur*) *uno sensu, pari ordine referebant. Tempore, ajunt, quo Imma Domina, sicut Regina, in Regno Anglorum magna, & præpotens habebatur, Pontifex Ecclesiæ Beneventanæ venit in Angliam, quem, sicut ipse ferebat, immanis fames certis præsagiis totam Apuliam afflicturam illò deduxerat, cupiens aliquo modo, si non posset toti Provinciæ, saltem suis Civibus tantum malum propulsare. Is iter ingressus Brachium B. Bartholomæi Apostoli secum tulerat, spe sibi certa promittens, se per illud multa lucraturum. Idem quippe brachium ob hujusmodi necessitudinum contrahenda subsidia in ipsa Ecclesia Beneventi à reliquo Corpore servabatur remotum. Episcopus itaque, transita Italia, venit in Galliam, quæ sibi dabantur gratanter utique bona suscipiens. Audita verò divitis fama Regni Anglorum, ratus est sibi eò progrediendum, ex aliorum eventibus sperans se illic amplius ceteris regionibus adquisiturum. Præfata quoque Regina magni nominis, & divulgatæ famæ habebatur, quam bonitas sua, & qua super Ecclesias respiciebat, largitas pepererat. Pontifex igitur Angliam veniens, ipsam Reginam adiit, & illius alloqutione potitus, quid detulerit, quam ob causam tam remotas adierit orbis partes, insinuavit. At illa hominis charitatem habere ad misericordiam flexa de suis copiosè largita est, & illum Patriam remeare, nec non eis, quibus imminens famis periculum formidabat, subvenire hortata est. Sed ipse intelligens non sufficere sibi ad suum negotium, quæ habebat, eos, quos magis familiares in curia ipsi Dominæ esse acceperat, percunctatus est, utrum Os, quod attulerat, dato pretio, Reginæ in jus proprium transferre curæ esset. Quid multa? Investigatur de re animus Dominæ, & invenitur promptissimus esse; certam se tantummo-*

ſplendidiſſima Veſte Beneventani Archiepiſcopi ornatos ſeſe oſtendere potuerunt; eam enim Veſtem periiſſe arbitramur eo incendio, quo univerſum Beneventanæ Eccleſiæ Theſaurum abſumptum anno 1109. narrat Falco hiſce verbis: *Secundo die intrante Menſis Novembris combuſtus eſt Theſaurus S. Mariæ*. Quam tamen jacturam mox reparare, immò Theſaurum ipſum locupletiorem reſtituere ſequuti Antiſtites curarunt; quod ex poſterioris ævi Monumento altero præclarè probatum erit: Anno enim MCCCI. Johannes Archiepiſcopus Capuanus Archiepiſcopo Beneventano Adenulpho, ejuſque Capitulo *remittit Mitram unam cum ſmaltis, auro, & argento, lapidibus, & pernis ornatam cum Mitrali, in quo ponitur ipſa Mitra unà cum Corrigia de ſeta rubra adobbata de argento*, & quamplurimas alias ſacras pretioſas Supellectiles, quæ Franciſco de Helianis Canonico Theſaurario tradita fuerunt cuſtodienda (1). Johannes hic ab Archiepiſcopatu Beneventano ad Capuanum translatus fuit anno præcedenti, locumque Adenulpho fecit (2); Quamobrem, quas ſecum ex veteri ad novam Sedem tranſtulerat Supellectiles, Eccleſiæ Beneventanæ reſtitutas voluit, oſtendens Capuanam Eccleſiam his indiguiſſe ſui Præſulatus initio, quibus longè ditior Beneventana Eccleſia ſubſidium alienæ inopiæ miniſtravit. Cæterùm ſi veteribus miſcere recentia licebit, habet hodieque Beneventana Eccleſia Theſaurum, quem planè regium ex Pontificis Benedicti XIII. munificentia proferat, miram nempe illam Sacrarum Supellectilium copiam, elegantiam, ſplendorem, quo talis, tantuſque Sponſus perpetuam Sponſam ſuam, pro utriuſque dignitate, ditiſſimam, atque ornatiſſimam effecit. Eidem Theſauro commodiùs, ac decentiùs ſervando ampliſſimam Ædem Eccleſiæ adjacentem nuper excitavit Franciſcus Pacca Archiepiſcopus, nuper etiam nobis ereptus; qui iſtud pariter ad plurima alia erga Eccleſiam, Patriamque ſuam publica collata Beneficia, addidit pietatis, munificentiæque ſuæ monumentum.

Venio nunc ad Theſaurum alterum, eo, de quo hactenus egi, longè pretioſiorem, videlicet Eccleſiæ Beneventanæ Bibliothecam. Ortas cum ipſis ſimul Literis Bibliothecas ſatis conſtat (3): Earum verò inſtitutio, atque uſus tum maxime obtinuit apud illos hominum

*tummodò Epiſcopus faceret, ipſum Os nominati Apoſtoli revera fuiſſe, & taliter, ut ipſemet teſtaretur ſibi, ſublata omni ambiguitate ſatisfactum. Ad quod ille: Quo, inquit, modo? Super corpus, ait, Dominicum, & ſuper Sanctorum Reliquias, quas ei proponam, jurejurando reliquias, de quibus agitur, veraciter eſſe de Corpore Beati Apoſtoli Bartholomæi, & id, remota omni æquivocatione, atque ſophiſmate faciat. Hac, inquit Epiſcopus, ſecurè me facturum polliceor. Veniens itaque Cantuariam cum Brachio ipſo, prout illi Rex, & Regina dictaverant, decenter ſuſceptus eſt. Aſtante igitur Ipſa, Monachorumque, & Clericorum immenſo agmine eam vallante, inter quos etiam ſupermemorati Viri, à quibus hæc accepimus, ſe præſentes fuiſſe teſtati ſunt, numeroſaque utriuſque ſexus, & ætatis multitudine ob hoc convolante, & audiente jurando ſuper Altare, & Corpus Chriſti, nec non Sanctorum Reliquias, quas Beatum Gregorium ſancto Auguſtino, alioſque Romanos Pontifices aliis Archiepiſcopis deſtinaſſe ſcitur, aſſeveravit, ipſum Os, de quo ſermo habebatur, Beati Bartholomæi Apoſtoli proprium fuiſſe, nec ipſi aſſertioni ſuæ aliquid omninò ſophiſmatis, aut æquivocationis ineſſe. Quo facto memorabilis Domina quamplures Argenti libras Antiſtiti contulit, & Oſſe potita, illud Eccleſiæ Chriſti Cantuarienſi ſolemni donatione, ex parte Regis Enudi, ſuaque conceſſit. Illis quippe diebus hic mos Anglis erat, Patrocinia Sanctorum omnibus Sæculi rebus anteferre. Pontifex quippe Sedis illius Ægelnothus nomine, inter reliqua, quæ homini dedit, Cappam illi valdè precioſam, aurifrigio ex omni parte ornatam dedit, quæ & illius Eccleſiæ decori, Eccleſiæ Cantuarienſis futuris temporibus exiſteret tantæ rei teſtimonio, & probationi. Ego igitur, cùm, ut dixi, Concilio præſens Antiſtitem Beneventanum Cappa reliquis præſtante ornatum viderem, & eam ex his, quæ olim audieram, optimè noſſem, non modicè lætatus, & Cappam, & verba mihi puero exinde dicta Patri Anſelmo oſtendi. Mox celebrato Concilio, ubi Beneventanum ipſum adii, & inter alia mutua dilectionis colloquia cœpi de eadem Cappa loqui, & unde illam haberet, quaſi neſcius interrogavi, ſummam rei expoſuit, & eam ordine, quo deſcripſi, ſuam Eccleſiam ab Eccleſia Cantuarienſi adeptam eſſe declaravit.* Acta hæc eſſe tempore I nmæ Reginæ Eadmerus refert, ſcilicet inter Annum 1017. ejuſdem cum Canuto Rege nuptialem, & annum 1036. emortualem: quo temporis intervallo Beneventanam Cathedram tenebat Alphanus III. An igitur Alphanus eam peregrinationem ſuſcepiſſe voluit, ut neceſſaria alimenta gregi ſuo mendicaretur? Anonymus Sanſophianus in Chronico apud Peregrinium Tom. IV. pag. 369. hæc tradit ad An. 1029. *Inundaverunt aquæ fluminis Caloris*, & *Sabbathi*; & *fuit magna fames*, & *peſtilentia in toto Principatu*. Quid ni igitur Alfanus eum laborem ſubiiſſe credendus eſt, qui, ut boni Paſtoris partes impleret, animam adhuc ſuam pro ovibus ſuis ponere debuiſſet? At unde, inquis, id conſilii, ut fructuoſior quæſtuatio eſſet, eam inſignem Reliquiam circumferre? An rectè id factum ſit, non quærimus; morem certè ejus ætatis fuiſſe ſcimus, quem in eo rerum diſcrimine ſequendum ſibi duxit noſter Alphanus. De quo more plura Thomaſſinus Eccl. Diſc. P. III. Lib. I. cap. LXXIV. n. 6., & ſeq.

(1) Ex Originali Inſtrumento in noſtra Bibliotheca ſervato, ac in Bullario Selecto, num. XLVI. pag. 199.

(2) Vid. Ughellum tom. VII. col. 215.; & Sarnellium pag. 119.

(3) Vid. Lemejerum de *Bibliothecis*; Lipſium in *Syntagmate* de Bibliothecis &c.

minum coetus, quorum vel præcipua, vel necessaria literarum professio erat: Ecclesiis igitur, quibus Clericorum Collegium erat, suæ nunquam Bibliothecæ defuerunt, quæ iis saltem Codicibus, Chartisque instructæ habebantur, quæ ad Rerum Divinarum, Ecclesiasticæ Disciplinæ, Clericalium munerum, atque officiorum eruditionem, necnon ad jura, privilegia, contractus, bonorumque possessiones pertinebant: Quare & certos administros, qui illas curarent, custodirentque, fuisse oportebat; Heinc Bibliothecarii munus, ac dignitas in Ecclesiis Cathedralibus esse cœpit. Celebrati omni ævo fuere, qui Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarii, Græcæ, sive Constantinopolitanæ Chartophylaces appellabantur; quorum unum, idemque munus, diversum pro linguæ varietate vocabulum (1). Quod ad ceteras minores Ecclesias attinet, seram admodum, nec ante Sæculum XI. agnoscendam Bibliothecarum, Bibliothecariorumque originem statuit Thomassinus: *Nec est* (inquit) *quod quis sibi fingat, singulis Episcopis, vel Ecclesiis suos fuisse Bibliothecarios: Magna tunc erat Librorum penuria, magna Bibliothecarum raritas; Gaudebat Roma suo Bibliothecario, Constantinopolis suo Chartophylace: Nihil ejusmodi legitur de aliis Ecclesiis* (2): Ut id probet Vir doctus, singulari testimonio, vel potiùs unica utitur conjectura, Gallicanorum Præsulum, qui in Concilio Aquisgranensi anni DCCCXVI. Regulam Canonicorum promulgantes, compositam ajunt ope, ac subsidio Librorum, quos ex Bibliotheca Regia Ludovici Pii commodatos habuerant: *Ejusdem piissimi Principis non modico adjuti juvamine, ejus videlicet liberalissima largitione copiam librorum præ manibus habentes.* Sed qui ex Regia illa Bibliotheca suppeditatam Librorum copiam dixerunt, refertissimam, instructissimamque ipsam præ aliis, sed non unicam, dixisse videntur, quasi alibi Librorum inopia universim haberetur. Cur verò Thomassinus intra solos Galliæ suæ fines rem investigare, deque ea decernere voluit? Galliam vix ipse prætergressus S. Hieronymum mox reperisset, disertissimum Ecclesiasticarum Bibliothecarum ubivis extantium testem, atque assertorem; cujus ad Pammachium Lib. II. ep. 5. hæc sunt: *Revolve omnium, quos suprà memoravi, Commentarios, & Ecclesiarum Bibliothecis fruere: & magis concito gradu ad optata, cœptaque pervenies.* Utque res ipsa luculento aliquo comprobetur exemplo, jam si Italiam tantùm Thomassinus perlustrasset, obvium protinus a Sæculi V. initio habuisset S. Paulinum Nolanum Episcopum, qui in Basilica, ab se ædificata, à parte sinistra absidis Secretarium, sive Bibliothecam construxit, Sacris Libris condendis destinatam, cui hos versus inscripsit:

*Si quem sancta tenet meditandi in Lege voluntas,*
*Heic poterit residens Sacris intendere Libris* (3).

Si igitur Nolanæ Ecclesiæ sua parabatur Bibliotheca, eodem sanè exemplo, immò pari quidem instituto, faciliorique negotio Bibliothecis suis instructæ fuisse censendæ sunt præclariores aliæ Ecclesiæ, quibus Pastores æquè sanctissimos, sapientissimosque tunc temporis, ævoque posteriori floruisse scimus; itaut dubitari nefas sit, quin in id maximè intentos existimemus, ut Cleros suos tum iis disciplinis, quæ ad Sacra peragenda Mysteria, Ritus, Psalmodias, Sacramentorumque administrationem, tum ad Plebem Fidei rudimentis, verboque Divino erudiendam pertinerent, imbutos curarent. Necessaria heinc consequebatur & Codicum, Librorumque supellex, & Loci, ubi & servari, & cuique patere



(1) Illustris ab antiquissima ætate Romæ erat Bibliotheca *Cubiculi*, ea scilicet, quæ Ecclesiæ S. Petri apposita erat, cui Ecclesiæ *Cubicularios* à S. Leone I. constitutos narrat Anastasius. Liber Sacramentorum S. Gregorii M. dicitur *editus ex authentico Libro Bibliothecæ Cubiculi*, uti fert ejus Titulus in Exemplari edito à Menardo, ac dein à Patribus Benedictinis S. Mauri. Laudatus Anastasius Gregorio II. ante Pontificatum *Bibliothecæ* curam à Sergio Pontifice commissam refert: tum de seipso in Præfatione Translationis Synodi VIII. è græco in latinum, sic ad Hadrianum II. ait: *Quum Sacræ Bibliothecæ vestræ, cujus Minister vestra dignatione consisto, ex hoc, quod desuper mihi datum est, debitor sim ministrare &c.* Sed nec ab Anastasio ipso discedendum erit, ut Græcorum *Chartophylacem* noscamus; nam & ipse oculatus testis præsto nobis erit, hæc ad eandem Synodum VIII. commentatus: *Chartophylax interpretatur Chartarum Custos: Fungitur autem officio* Chartophylax *apud Ecclesiam Constantinopolitanam, quod* Bibliothecarius *apud Romanam, indutus videlicet infulis Ecclesiasticorum, & agens Ecclesiastica prorsus cuncta obsequi, exceptis iis solis, quæ ad Sacerdotale specialiter, ac propriè pertinere probantur officium &c.* Plures Chartophylacis prærogativas alias recensere pergit Anastasius l. l., alias addit Balsamon, eo munere perfunctus, *in Nomocanone Tom.* VIII. *c.* I. De Romanæ Ecclesiæ Bibliothecariis, eorumque præstantia nihil heic attinet dicere post Panvinii *de Reb. Later.*, aliorumque Scriptorum uberes tractatus, atque observationes.

(2) Thomassin. Eccl. Disc. Part. I. Lib. II. cap. CVI. num. 12.

(3) S. Paulinus Nolanus Epist. XII. ad Severum.

tere possent, parata apud ipsam Ecclesiam commoditas. Hùc certè olim spectabant Codices illi, quibus singularum Cathedralium Ecclesiarum Bibliothecæ instruebantur, aliæ quidem locupletiores, aliæ verò mediocri contentæ numero, Codicum, qui tantùm necessarii videbantur, facilèque ipsius Antistitis, vel etiam collato Cleri ære comparari poterant: Instructissima siquidem quævis Bibliotheca tunc habebatur, quæ illud Librorum genus, copiamque contineret, quibus S. Petrus Damiani (cujus exemplo rem totam illustratam habebimus) Monachos, seù Eremitas suos Fontis Avellani ad omnigenam ipsorum eruditionem locupletatos voluit: *Librorum quoque numerum* (inquit) *non minimum dereliquimus, ut Fratribus nostris, qui pro nobis orare dignentur, meditandi copiam præberemus. Bibliothecam namque omnium Veteris, & Novi Testamenti voluminum* (1) *licet cursim, ac per hoc non exactè vobis emendare curavimus: Ex Passionibus quoque Beatorum Martyrum; ex Homiliis Sanctorum Patrum; ex Commentariis, allegoricas Sacræ Scripturæ Sententias exponentium, Gregorii scilicet, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Prosperi, Bedæ, Remigii, etiam & Amalarii, insuper & Haimonis, atque Paschasii, Divina Gratia nostris allucescente laboribus, plures Libros habetis, quibus vacare potestis; ut sanctæ animæ vestræ non solùm Oratione crescant, sed etiam Lectione pinguescant: Ex quibus nimirum Codicibus nonnullos pro nostra possibilitate correximus, ut in Sacræ Disciplinæ studiis intelligentiæ vobis aditum panderemus* (2). Habes igitur Divinorum Bibliorum volumina, nonnullas Martyrum Passiones, sive Acta, selectas aliquot Patrum Homilias, expositionesque Biblicas, Sacrorum denique Rituum præclariores Scriptores; quibus dum addas Sacramentaria, Antiphonaria, Responsalia, Chartasque peculiares ipsius Ecclesiæ, jam necessariam illam, nec multo ære comparatam, habebis Bibliothecam, quâ, etsi adhibita Petri Damiani sobrietate, non expectato tamen (uti Thomassinus potiùs ipse *fingebat*) Sæculo XI., à prioribus usque Sæculis, universas, vel saltem frequentissimas Cathedrales Ecclesias non tam ornatas, quàm ad necessarium Ecclesiasticorum Ministeriorum, Institutorum, Disciplinarumque subsidium instructas esse oportebat.

Fuit igitur Beneventanæ Ecclesiæ Bibliotheca, cujus tum vetustatem, tum pretium ex antiquissimo Bibliothecarii munere, sive Ecclesiastica *Dignitate*, ex illius etiam Codicibus, Monumentisque aliis certò argumentari licet. Ejus Bibliothecæ præstantiam ostendit Instrumentum Anni MCLXXXVI., quo Philippus de Balbano Comes Apicis donavit *Bibliothecæ Beneventanæ pro reficiendis Libris* Juspatronatus Ecclesiæ S. Luciæ; quod Instrumentum, in Originali pergamena adhuc in eadem Bibliotheca servatum, heic exhibemus (3): Extant etiam

(1) Bibliothecæ vocabulo, medio ævo, præcipuè significabatur Bibliorum Liber, qui utrumque Testamentum complectebatur. Ita Durandus *Rational. Lib.* VI. *c.* I. *n.* 27.: *Bibliotheca à Græco nomen accepit; & est nomen æquivocum, scilicet locus, in quo Libri reponuntur, & volumen ex omnibus Libris veteris, & novi Testamenti à Hieronymo compositum*: Qua posteriori significatione plurimi apud Cangium Scriptores id nomen usurpant, quibus S. Petri Damiani locus à nobis superiùs recitatus addi meretur.

(2) *De Ordine Eremitarum, & Facultatibus Eremi Fontis Avellani*. Opusc. XIV. Tom. III. Operum ex edit. Constantini Cajetani, recusa Venet. anno 1743.

(3) *In Nomine Domini Nostri Jesu Christi. Anno Incarnationis ejus millesimo centesimo octuagesimo sexto, mense Novembris, Indictione* V. *& vigesimoprimo anno Regni D. N. W.* (Domini nostri Wilielmi) *invictissimi Regis. Desiderii, & voluntatis propositum, quod ad salutem pertinet animarum, est sine dilatione, Deo auctore, complendum. Inde est, quod nos Comes Philippus de Balbano, Dei, & Regis gratia Dominus Castelli Apicis, pium, & salutiferum attendentes pro animæ nostræ, & Parentum nostrorum remissione, nec non & prece dilecti amici nostri Abbatis Rachisii, peccata, quæ incautè commisimus, beneficiorum largitione redimere, dignum duximus de voluntatis nostræ proposito, & desiderium, quod jamdudum in animo pro voto concepimus, Matri nostræ Ecclesiæ Beneventanæ ad honorem Dei, & gloriosissimæ semper Virginis Mariæ, Beatique Bartholomæi Apostoli, ad opus ejusdem Ecclesiæ Bibliothecæ pro reficiendis Libris præcipuè, totum Juspatronatus, quod in Ecclesia S. Luciæ de pertinentiis Castelli nostri Apicis habemus, pro animæ nostræ, & animarum parentum nostrorum salute in perpetuum concedimus, damus pariter, & assignamus, nihil nobis, & alicui de ipsius Jurepatronatus reservato, salvo jure sancti Marci. Et hoc totum actum est adstantibus dilectis Filiis nostris Gilleberto, Raone, & Galtero Clerico, & Roberto Judice ejusdem nostri Castelli, adstantibus etiam militibus Sarulo de Montefusculo, & Niele de Palata, & Presbyteris Franco, & Amolino, & aliis bonis hominibus, & in eorum præsentia prædictum Abbatem Rachisium ad partem, & vicem Beneventani Archiepiscopii, & ejus Bibliothecæ de jam dicta Ecclesia investivimus per fustem, quem manu tenebamus. Statuentes, ut nulli omninò hominum liceat, hanc nostram concessionem infringere, vel ei temerè contraire. Ut autem hæc nostra Concessio perpetuis temporibus ad honorem Dei, & Beatissimæ Virginis Mariæ, Beatique Bartholomæi Apostoli, & ad jam dictæ Ecclesiæ Beneventanæ Matris nostræ, & ejus Bibliothecæ robur obtineat firmitatis, hujus concessionis paginam Sigilli nostri*

etiam Neapolitanorum Regum, ideſt Ladislai anni MCCCCVIII., & Johannæ II. an. MCCCCXVI. Diplomata, quibus Beneventanæ Bibliothecæ prædiis, eorumque reditibus immunitas facta eſt (1): ex quibus quidem monumentis manifeſtum fit, Beneventanam Bibliothecam eò celebritatis, ac præſtantiæ perveniſſe, ut Viri illuſtres ad eam tuendam, inſtaurandamque, munificentiam ſuam meritò conferendam exiſtimarent. Sed ex ſeriore eorundem monumentorum ætate, ad ejuſdem Bibliothecæ celebritatem, ac præſtantiam (ut dixi), ſola erit argumentatio; ad vetuſtatem verò quod attinet, longè ante milleſimum eandem extitiſſe, floruiſſeque demonſtrant veteres Chartæ, comprobatque Bibliothecarii munus, atque dignitas: nam Archiepiſcopus Alphanus III. Diploma illud, quod ſuperiori Capite recitavimus, anno MXII. Magelpotoni Beneventanæ Eccleſiæ Diacono, ac *Bibliothecario* ſcribendum, obſignandumque mandavit: *Quod videlicet* (inquit) *Præceptum tibi ſuperiùs dicto Magelpotoni Diacono, ac Bibliothecario ſcribere injunximus*. Ejuſdem Sæculi anno LXXV. in Concilio Provinciali ab Archiepiſcopo S. Milone Kalendis Aprilibus celebrato n. III. occurrit Roffridus Diaconus, & *Bibliothecarius noſtræ Eccleſiæ*, qui pro ſui muneris ratione Diploma quoddam Archiepiſcopi Uldarici, de quo quæſtio in eo Concilio agitabatur, *verum eſſe, quemadmodum legebatur, ſalva fide, & ſine ulla falſitate*, teſtatus eſt (2). Si igitur Sæculo XI. vix ineunte Beneventanæ Eccleſiæ Bibliothecarius aderat, qui pro ſuo munere Archiepiſcopales Chartas conſcriberet, roboraretque, jamdiù cum ipſa quidem Bibliotheca inſtitutum id munus, longèque antea in Beneventana Eccleſia obtinuiſſe cenſebimus.

Illud verò ex aliis noſtræ Eccleſiæ monumentis animadverſum mihi fuit, haud antiquitùs perpetuo peculiaris *Dignitatis* titulo id munus fuiſſe alicui Canonicorum commiſſum, ſed eos ex Canonicorum cœtu, ſeù Capituli gremio potiſſimùm delectos Bibliothecarios, qui tum doctrinâ, tum dignitate aliis præeminerent. Eundem, quem ſuperiùs memoravimus, Roffridum Diaconum, & *Bibliothecarium*, eidem S. Miloni, die 23. Februarii anno MLXXVI. defuncto, in Archiepiſcopali Cathedra ſuffectum potiùs eſt, ut affirmemus, quàm ut ipſummet Archiepiſcopum Roffridum Landolphi poſtremi Longobardorum Principis Patrem fuiſſe, ex ambiguis monumentis cum Ughello, ac Sarnellio comminiſcamur; uti in poſtrema hujus Operis Diſſertatione, quum de Beneventani Principatus occaſu agendum erit, copioſiùs oſtendemus. Sed & in Diplomate Benedicti Epiſcopi Lucerini, plures Eccleſias in ſua Diœceſi poſitas ditioni Monaſterii S. Sophiæ ſubmittentis, quod legitur datum, ſive *actum in Sacratiſſimo prænominato Beneventanæ Sedis Palatio anno ab Incarnatione Omnipotentis Dei noſtri* MIC. occurrit alter Roffridus Archipresbyter, & *Sagaciſſimus Bibliothecarius* ejuſdem Beneventanæ Sedis: *Nos autem* (inquit Benedictus) *prævidentes ex hoc maximam utilitatem prænominatarum Eccleſiarum, placuit nobis ipſis prædictas Eccleſias cum earum pertinentiis in præſentia Domini Roffridi reverendiſſimi Archiepiſcopi Præſulis, & Domini Roffridi Archipresbyteri, & Sagaciſſimi Bibliothecarii ejuſdem Beneventanæ Sedis, & aliis Presbyteris, & Clericis per hoc videlicet ſcriptum in eodem Monaſterio confirmare, & concedere* (3). Prodit igitur ex hac Charta Roffridus alter Bibliothecarius, atque is quoque alter poſtea Archiepiſcopus, quam ſupremam dignitatem poſt Landolfum II. prioris Roffridi in eadem Charta commemorati Succeſſorem, adeptus fuit an. MCXIX., ad quem annum ſic Falco noſter: *Landulfus Beneventanus Archiepiſcopus obiit* IV. *die intrante menſis Auguſti*,



*ſtri munimine juſſimus inſigniri, & manu Gregorii Notarii noſtri ſcribi.*

*✝ Signum Crucis propriæ manus Domini Comitis Philippi de Balbano.*

*✝ Signum Crucis propriæ manus Gileberti de Balbano ejuſdem Comitis Filii.*

*✝ Signum Crucis propriæ manus Domini Raonis ejuſdem Comitis filii.*

*Ego Galterus Filius Comitis Philippi teſtis ſum, & manu mea ſignavi.*

*Ego qui ſupra Robertus Judex.*

*✝ Signum Crucis propriæ manus Domini Saruli de Monteſuſcolo.*

*✝ Signum Crucis propriæ manus Domini Nielis de Palata.*

*Ego Franco Sacerdos interfui.*

*✝ Signum Crucis propriæ manus Aymolini Sacerdotis, qui interfui.*

*✝ Signum Crucis propriæ manus Magiſtri Berardi, qui interfui.*

*Ego Johannes Filius Antonio Leobove Favallenſi teſtis eſt.*

(1) Extant originalia in Vol. XL. noſtræ Bibliothecæ. Ea autem Immunitas ſpectavit reditus Eccleſiæ *S. Mariæ in Carfognano* in Civitate Montisfuſci, quam uſque ab Anno 1371. cum altera Eccleſia S. Michaelis prope *Portam Rectoris* Beneventanæ Urbis Archiepiſcopus Ugho Johanni Pannacchione Bibliothecario Beneventanæ Eccleſiæ, ejuſque Succeſſoribus *ad ferenda onera ſui muneris* perpetuò conceſſit.

(2) Synod. Ben. Provinc. p. 21.

(3) Chron. Sanctæ Sophiæ apud Ughell. Tom. X. pag. 549.

*Augusti, & Roffridus electus est, qui erat tunc Archipresbyter*. Habes interea Bibliothecarii munus Viris illustrioribus Beneventanæ Ecclesiæ demandatum, eaque virtute præditis, ut ad ejus Ecclesiæ Cathedram promoveri meruerint; uti de utroque Roffrido manifestum est: Habes quoque *Sagacissimi* titulum posteriori Bibliothecario Roffrido attributum, quo titulo perspicacem, *solertisque acuminis* (uti Festus explicat) hominem laudatum intelligas, cujus mentem & acrem, & vigentem, celerrimèque multa simul agitantem, &, ut ita dicam, sagacem commendat Cicero (1); qualem Bibliothecarii munus postulare videtur. Illustris ille Beneventanæ Ecclesiæ Archidiaconus Rainulphus, cujus mentio superiùs facta est, tum sub Archiepiscopo Henrico, tum sub Archiepiscopo Lombardo, Bibliothecarii munere perfunctus fuit, uti legere est in binis utriusque Archiepiscopi Diplomatibus, altero anni MCLIX., quod scribitur *datum per manum dilecti filii Rainulphi nostræ Ecclesiæ Archidiaconi, & Bibliothecarii* (2), altero anni MCLXXVI., quod pariter scribitur *datum per manus prædicti Archidiaconi, & Bibliothecarii nostri* (3): Ex quo noscis, quanti Beneventanæ Ecclesiæ Bibliotheca, ejusque Bibliothecarius haberentur, quibus administrandis ipse aliquando Cleri, ac Canonicorum Primus, atque Caput præfici consuebat. Sed rursus anno MCCXVII. in Diplomate Archiepiscopi Rogerii occurrit *Petrus Verulanus Ecclesiæ Beneventanæ Diaconus, & Bibliothecarius* (4): Exin tandem factum videtur, ut Bibliothecarii munus in certam, perpetuamque *Dignitatem* erigeretur, quæ sexto, ac postremo loco ceteris antea institutis Dignitatibus accenseretur. Quod quidem satis præclarum, ac propè singulare tum Beneventanæ Ecclesiæ, tum ipsius Bibliothecæ decus videri potest; nam quum in aliis Ecclesiis, qui olim essent Bibliothecarii, ad Episcopales Cancellarios passim redacti fuerint (5), hoc sibi uni Bibliotheca Beneventana vindicavit, deincepsque obtinuit, ut non solùm ejus Bibliothecarius ab Episcopi Cancellario diversus permaneret, verùm etiam (quod luculentum ejus præstantiæ argumentum est) in peculiarem *Dignitatem* erectus constiterit. Heinc rem ipsam observatu dignam duxit Episcopus Vigiliensis Sarnellius, qui in sua *Basilicographia*, de vetusto Ecclesiasticarum Bibliothecarum loco, munere, instituto differens, ex eo capite Beneventanam Ecclesiam præcipuè commendatam sibi voluit iis verbis, quæ eò libentiùs afferam, quod & Bibliothecam, & Bibliothecarium, meum Patruum magnum, ante annos octoginta ita collaudasset: *Nella Metropolitana di Benevento delle sei Dignità fra' Canonici, la sesta è il Bibliotecario, degnamente sostenuta dall' erudito Abbate Marco De Vita, delle antichità della sua Patria peritissimo* (6).

Quibus Codicibus, Diplomatibus, aliisque Monumentis Beneventana Bibliotheca locuples sit, non est hujus loci singillatim enumerare: Copiam, ac pretium argumentari sufficerit ex Tomo VIII. Ughelli, nostroque præsenti Thesauro: neque verò Ughello, ac deinde nobis Chartæ omnes depromendæ fuerunt, nisi quæ ad scriptionis argumentum pertinebant. Præter verò vetusta membranacea Diplomata, haud secundo loco censeri debent veteres Sæculi X., XI., ac XII. Codices quamplures, Longobardicis Literis exarati, quibus Acta Sanctorum, Patrumque Clarissimorum Homiliæ, ac Tractatus continentur: Adde demùm antiquæ Liturgiæ, ac Psalmodiæ Codices, pari scriptionis forma, vetustateque insignes. At his, aliisque id genus Monumentis ditior olim fuit nostra Bibliotheca, quæ Bellorum, Terræmotuum, Plagiariorum, ac temporis denique ipsius injurias experta, plures nunc quidem, sed veluti reliquas post naufragium tabulas incolumes servat. Scimus ab Archiepiscopo Corrado Capycio, non mediocri Librorum præstantissimorum penu auctam nostram Bibliothecam: Id ipsum paullopost nempè anno MDII. præstitit Cardinalis Laurentius Cybo Archiepiscopus, Pontificis Innocentii VIII. Nepos (qui *Cardinalis Beneventanus* nuncupari gaudebat, uti etiamnum constat ex Epitaphio ad ejus tumulum in B. Mariæ de Populo Romæ posito anno MDIII.), nam & ipse ad alia Beneventanæ Ecclesiæ collata beneficia, Bibliothecam suam legavit, refertissimam quidem tum Manuscriptis, tum Typographicis Codicibus, qualem, Virum *literatum, & miro ingenio*, summa etiam

(1) De Fin. II. c. 14.
(2) Ex originali in nostra Bibliotheca, & in Bullario Selecto n. XXXII. pag. 139.
(3) Ibidem n. XXXV. pag. 151.
(4) Ibidem n. XXXVIII. pag. 163.
(5) De Bibliothecariis Ecclesiarum Cathedralium hæc tantummodo observat Cangius in Glossario: *Bibliothecarii in Ecclesiis Cathedralibus dicti, quibus Librorum Ecclesiasticorum cura commissa erat: Atque ii Literas, & Diplomata Episcopi describebant, quod postmodum, Bibliothecarii abolita appellatione, Cancellariorum munus fuit. Vid. Michaelem Monachum Sanctuar. Capuan.* pag. 579.
(6) *Antica Basilicografia* cap. XLII. *Della sacra Libreria* pag. 108. edit. Neapol. MDCLXXXVI.

etiam poteſtate prædítum collegiſſe decebat: Sed vix Indicem hodiè ſervamus, unde acriùs excitari deſiderium, vehementiùs defleri jactura duntaxat poſſit. Ignoramus, an in eorundem Codicum cenſum referendus ſit, vel ad anteriores noſtræ Bibliothecæ Codices pertineret Codex ille manuſcriptus *miræ vetuſtatis* Operum S. Cypriani ab Viro Summo, Sapientiſſimoque Antonio Auguſtino anno 1559. inſpectus, atque laudatus, cujus ſubſidio Gryphianam editionem anni 1537. ab Eraſmo curatam, digeſſit, atque emandavit (1): quem modò Codicem in noſtra Bibliotheca fruſtra quæras. Anno MCCCCLIV. Pontifex Paulus II ex noſtra Bibliotheca Diplomata vetuſtiora membranacea undeviginti ſibi Romam tranſmittenda mandavit, relictis apud nos illorum exemplaribus, ſive *Authentico Tranſumpto*, uti conſtat ex ejus Pontificiis originalibus Literis, triſtibus ejus jacturæ adhuc teſtibus. Nec melior Sæculo ſuperiori ſors, conditioque fuit Beneventanæ Bibliothecæ, donec à Cardinali Urſino Archiepiſcopo, optimarum rerum quarumlibet apud Beneventanos vel reſtitutore, vel conditore, præterito malo, quantum res ipſa ferebat, novo ne deinceps locus eſſet, ſingulari Providentia proſpectum eſt: Prima itaque cura fuit Chartas omnes, quæ anteà in faſciculos coacervata non blattis modò, tineiſque, ſed etiam plagiariorum manibus impunè patebant, in certas claſſes, materias, Codiceſque digerere, dein, evocato Caſimiro Grajewsky Monacho profeſſo Monaſterii Elnonenſis, vulgò S. Amandi in Pabula propè Tornacum in Belgio, Viro doctiſſimo, veterumque characterum callentiſſimo, inſigniores Chartas ad numerum LXXXVII ejus manu deſcribendas mandavit in Codice membranaceo, cui *Bullarii Selecti* ſæpiùs à nobis laudati nomen factum eſt: Ex Chartis denique ipſis membranaceis pleraſque ſelegit, quas linea charta retrò conglutinata communitas, ac veterum more in totidem volumina convolutas, ſuo quamque Tubo ſtamneo, quo magis injuria omnis propulſaretur, ſtudioſiſſimè ſervatas voluit: quos etiam Tubos nos ſuperiùs proprio numero, quem Diploma quodpiam inſcriptum præfert, ſæpius memoravimus. Sed de Beneventana Bibliotheca, ejuſque Bibliothecario jam ſatis.

Ceteras nunc Beneventani Capituli prærogativas ſummatim excurremus. Ab antiquiſſimis uſque temporibus vacantium Canonicatuum, ac Dignitatum electio ad ipſos Canonicos pleno jure pertinet. Superiùs meminimus, anno MCCCXVI. Canonicos octogintaquatuor ad peragendam Archidiaconi electionem conveniſſe: atque anno MCCCLXXV. in eo Statuto, quo Canonicorum numerus ad XXX. redactus fuit, ſpeciatim cautum, ut *quum aliquis de, & in dicto numero defecerit, per eoſdem Canonicos, & majorem, & ſaniorem partem ipſorum, & dicti Capituli ſit ſubſtituendus, & ſubrogandus*. Nunc verò, ſi Archidiaconatum, primam ſcilicet Dignitatem, excipias, neque vacationes aliæ in Menſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis contingant, ceterarum Dignitatum, Canonicatuumque omnium eligendorum eadem apud ipſum Capitulum manet poteſtas. Electus autem, ſi præſens eſt, nulla mora Canonicalibus Veſtibus induitur, atque ab Archidiacono coram ipſis electoribus ad poſſeſſionem admittitur, ſeù in *Stallum*, ut ajunt, in Choro recipitur, cui ſubinde Diploma membranaceum geſtæ rei, ſequutæque poſſeſſionis, inſcripto Capituli nomine, ejuſque affixo Sigillo, atque Archidiaconi, ejuſque, qui à Capituli ſecretis eſt, Canonici ſubſcriptione communitum conceditur. De Manſionariorum electione idem jus eſt, niſi quod in ejus Collegii inſtitutione, quam initio ſuperioris Sæculi jam diximus factam, alternatim cum Capitulo Archiepiſcopus electionem ſibi reſervavit. Sunt quidem pleræque Eccleſiæ Cathedrales, quæ antiquo ejuſmodi Canonicorum eligendorum jure adhuc potiuntur; earumque poſſeſſionem non modò ratam habere, verùm etiam tueri adverſus Epiſcopos voluit Innocentius III. in Cap. *Cùm Eccleſia Vulterana* XXXI. *De Electione*

(1) Exemplar iſtud Operum S. Cypriani Typis Lugdunenſibus Sebaſtiani Gryphii extat in inſigni Bibliotheca inclyti Collegii Romani Societatis Jeſu, in quo hæc ab Antonio Auguſtino adnotata calamo leguntur: *Ex Bibliotheca Beneventana, Codex miræ vetuſtatis ab Antonio Auguſtino Epiſcopo Aliphano* 1559. *obſervatus eſt, atque ex eo tum Epiſtolarum ordo, tum Tractatuum ſumptus eſt*. Nihil facilius, ut Bibliothecam Beneventanam perluſtraret Auguſtinus, qui Beneventanæ Eccleſiæ Suffraganeus EpiſcopatumAliphanum tenuit ab Anno 1556. ad Annum 1561., ad Tarraconenſem Archiepiſcopatum deinde tranſlatus; nihil etiam jucundius, ac ſolicitius Viro Eccleſiaſticarum, aliarumque Antiquitatum ſtudioſiſſimo, uti ex ejus præclaris Operibus palam eſt. Occaſione noſtri olim Codicis S Cypriani memini, quæ de conſimili altero ejuſdem Cypriani Codice legeram à Johanne Mabillonio narratum in ſuo *Itinere Italico* §. XV. de Bibliotheca Cathedralis Eccleſiæ Veronenſis, in qua *plurima volumina miræ vetuſtatis* ſervata olim teſtatur Ambroſius Camalduleńſis: *Nam antiquiſſimum Cypriani exemplar quondam ibidem ſervabatur .... Poſtmodum iſtum Codicem majuſculis litteris ante annos mille perſcriptum, à Canonicis Veronenſibus Carolo Borromæo dono datum fuiſſe, ex Aldi Orthographia didicimus, verbo* Culcitra. Utinam eodem fato noſter Codex periiſſet!

*ne* (1): eundemque noſtræ Eccleſiæ morem, in aliis quoque ſervatum, ut ſcilicet Archidiaconi munus, ſeù prærogativa ſit, electum *inſtallare*, Pontificia quoque docet Conſtitutio in *Cap. II. de Officio Archidiaconi*. Singularis tamen Beneventanæ Eccleſiæ prærogativa eſt, ut poſtquam ſemel electio ſolis Canonicorum Suffragiis celebrata ſit, nullius approbatione, vel confirmatione rata eſſe debeat, ſed Capitulum ipſum rei ab ſe geſtæ omnimodam auctoritatem, ac perenne monumentum ſuo Diplomate impartiatur.

Beneventani Capituli prærogativa quoque eſt, ut Epiſcopali ferè Juriſdictione fungatur in oppido S. Lupi *nullius* Diœceſis, cujus inſignem Abbatiam ab anno MCCCCL. Pontificis Nicolai V. indulgentiâ adeptum fuit: quare tum Vicarium generalem, tum reliquos Adminiſtros ei Juriſdictioni ſedulò exercendæ quotannis præficere ſolet.

Acceſſit denique anno MDCCI. nondum ea tempeſtate obvius, ac ſemper magni æſtimandus Mitrarum, aliarumque ſacrarum Veſtium Abbatialium uſus à Pontifice Clemente XI. univerſis tum Dignitatibus, tum Canonicis attributus. Ut eam eximiam prærogativam Sapientiſſimus ille Pontifex largiretur, egregiis Beneventanæ Eccleſiæ promeritis permotum ſe ait, cujus *Capitulum ſex Dignitatibus, atque uno & viginti Canonicatibus, præter ſexdecim Manſionarios, ac Seminarii Clericos, alioſque circiter octoginta in divinis ſedulò ſubſervientes, conſtans, antiquitate, & præeminentiis nulli ſecundum, trium Martyrum palmis, ac unius Confeſſoris laurea efflorеſcere, nec non & Dignitatum, & Canonicatuum, & Præbendarum in quatuor ordinariis menſibus electione gaudere, Epiſcopali ferè juriſdictione in oppido S. Lupi nullius Diœceſis, Beneventanæ, ſeù alterius Provinciæ, frui, & Cappis ad inſtar Capituli Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe decoratum, aliiſque prærogativis ditatum eſſe, & laudabilem in modum Eccleſiæ ſervitio inſiſtere dignoſcitur* (2). Indulſit ſubinde idem Pontifex aliis Metropolitanis Eccleſiis eandem prærogativam, ideſt Eccleſiæ Mediolanenſi anno MDCCXV., mox ſequenti anno Ulyſſiponenſi: at ſi verè, rectèque rem cogitemus, haud pretio ſuo, decoreque vileſcere viſa eſt ſingularis antea Beneventanæ Eccleſiæ præſtantia, quam binæ illæ illuſtriſſimæ Eccleſiæ æmulari cœpiſſent: Beneventana etenim Eccleſia nulla re illis, aliiſque Eccleſiis (ut ipſe Pontifex diſertè affirmat) *ſecunda*, pluribus fortaſsè, veluti Suffraganeorum numero, præſtantior, ejus rei exemplo omnimodè præiſſe adeò digna fuit, ut utraque Mediolanenſis, atque Ulyſſiponenſis (quod & de Neapolitana, Capuana, aliiſque ſubinde factum eſt) inſignem Mitrarum prærogativam ab Apoſtolica Sede nonniſi ad primæ omnium *Eccleſiæ Beneventanæ inſtar* accepiſſe meruerint.

Interea nobiſmet gratulabimur, ab tali, tantoque Pontifice Maximo huic Capiti, Clerique Beneventani dignitati impoſitam coronidem, factumque Epilogum illum rerum omnium, quæ longo ſermone hactenus illuſtratæ, illuſtriores factæ ſunt præclaro adeò, ac ſolemni Apoſtolicæ Sedis teſtimonio. Hæc autem omnia tum mihi, tum Sapientiſſimis Fratribus meis incitamenti loco eſſe debent, ut cujus ſplendidiſſimo, ampliſſimoque Senatui adnumeramur, ejuſdem Eccleſiæ Beneventanæ pro meis ego viribus ſervem, ipſi pro ſua virtute, ſi fieri poteſt, augeant dignitatem.

CA-

(1) Vide ad hunc locum doctiſſimum Gonzalezium; qui tamen vulgatam Eccleſiæ Vulteranæ lectionem ſequutus, ſic ad id vocabulum commentatur: *Civitas* Vulterana, *alias* Vulteranenſis *dicta eſt in regno Neapolitano, in terra Samnitum, ſupra altiſſimos montes, qui Tremuli vocantur, ſita, habet Eccleſiam Cathedralem ſuffraganeam Archiepiſcopi Beneventani: tradit* Cironius in cap. II. de offic. Archidiaconi: *in qua Eccleſia noſtri Textus caſus contigit*. Sed falſus omninò eſt Gonzalezius, qui mendoſam lectionem non animadvertit; igitur Decretalem hanc Innocentius III. Florentino Archiepiſcopo inſcribit, memoratque *in Tuſcia* generalem conſuetudinem ſervari, ut in Cathedralibus Eccleſiis ſolum Capitulum, irrequiſito Epiſcopo, eligendi Canonicos *haberet facultatem*. Quid igitur commune Samnio cum Tuſcia? Quid Florentino Archiepiſcopo cum Beneventano? Quid denique Eccleſiæ Vulturarienſi, quæ Provinciæ Beneventanæ eſt, cum Eccleſia Vulturana? Tu igitur, auſpice me, atque etiam vade, pro *Vulturana* lege, ſi libet, *Volaterranam*, Urbem ſcilicet, & Eccleſiam in Tuſcia Epiſcopalem, atque antiquiſſimam, Archiepiſcopo Florentino etiamnunc Suffraganeam.

(2) Ex diplomate Originali, quod ſervatur in Volumine ſignato §. IV. n. 40.

# CAPUT V.

## DE BENEVENTANÆ ECCLESIÆ ÆDIFICIIS.

*Ecclesiæ Beneventanæ antiquus situs. Quo tempore ampliata. Plura de veteri ejus Paradiso. Prospectus marmoreus: marmorea item Turris Campanaria, ejusque Inscriptio. Porta Ænea anaglyptico opere insculpta exhibetur, ac pluribus illustratur: Vetusta e marmore Suggesta, eorumque Inscriptiones: ac reliqua Ædificia recensentur.*

POstremum Ecclesiæ Beneventanæ decus ex ipsis Ædificiis probare reliquum nobis erit. De ipsius Titulo, atque Situ superiùs egimus: Ac Titulum quidem S. MARIÆ, κατ' ἐξοχὴν, propterea quod Beatissimæ Virgini Assumptæ dicata initio fuerit, continenter servare studuit, & adhuc retinere gloriatur: Situm verò alterum, & nobiliorem sanè, atque opportuniorem, quàm olim, adepta est; nam in media Urbe, ubi nunc extat, locatam fuisse arguimus etiam ante Annum DC., quo anno Episcopus David, Sermone ad Populum habito, illam solemni ritu consecravit. Anno DCCCXXXIX. accessit splendidissima Ædes, seù Capella recondendo Corpori S. Bartholomæi Apostoli è Lipara insula translato, à Principe Sicardo ædificari cœpta, mox ab Episcopo Urso ad fastigium perducta (1); cujus postea loco Anno MCXII. extructa augustior S. Bartholomæi Basilica est (2), quæ pariter eidem Ecclesiæ Majori intermedio pariete, ac mutuum ingressum interiore præbente ostio, adjecta permansit, à propriis Capellanis, dein Collegii, ac Canonicorum jura, ac prærogativa adeptis, debito cultu honestata; donec iterato Terræmotu solo æquata, atque demùm alio Urbis loco à Benedicto PP. XIII. excitata, adjacentem Ecclesiæ Majori aream spatio suo latiorem reliquit. Ecclesia itaque Major veterem formam servavit usque ad Annum MCXIV., quo anno (uti ex nostro Falcone didicimus) *Ecclesia B. Mariæ de Episcopio ampliata est, per Consilium Landulphi de Græca*, ejus scilicet illustris Beneventani Civis, qui à Paschale PP. II. Beneventanam Urbem titulo *Comitis stabuli*, militari, ac civili potestate præditus administrandam suscepit, cognomine Landulfo Archiepiscopatum gerente. An ipsa tunc Cathedralis, vel alia quæpiam Ecclesia ampliata fuerit, importunè dubitat Cam. Peregrinius (3): Ampliationem verò ipsam falsò ad Annum MCXXIV. protrahunt Ughellus (4), ac Sarnellius (5): Hoc enim anno id amplius ex eodem Falcone habemus, Roffridum scilicet Archiepiscopum, Landulfi Successorem, Corpus B. Barbati ex veteri tumulo, atque ara in decentiorem locum transtulisse, *præcipuè quia structura novi Episcopii ad locum ipsius Altaris producebatur; idcirco inde amoveri juxta fabricæ sententiam oportebat*. Ampliata igitur decennio ante Ecclesia sub Landulfo Archiepiscopo, hanc rursùs causam, seù occasionem præbuit Roffrido Successori, ut novam Aram recondendo Corpori S. Barbati opportuniori loco construendam curaret; qua re, & ejus Sancti Lypsana decentiùs locata essent, & ampliatæ jamdiù Ecclesiæ *ex fabricæ sententia*, ideſt ad architectonices regulas elegantior forma adderetur.

Ex superiùs dictis jam illud constat, Ecclesiam Beneventanam vario tempore variam habuisse formam: Alia enim ad Sæculum VI. statuenda est; Alia ex eo tempore ad Sæculum XII., cujus Sæculi initio ampliata fuit; Aliam demùm sequenti tempore excipere cœpit; cujus, quæ ad nos pervaserunt, sive vestigia, sive monumenta nunc persequemur.

Ac, quod primùm nostræ memoriæ proditum est, aderat suus Ecclesiæ Beneventanæ *Paradi-*

(1) Acta autographa Translationis S. Bartholomæi, quæ in nostra Bibliotheca servantur.

(2) Falco ad Annum MCXII. Inter opp. Peregrin. Tom. IV. p. 146.

(3) Ad dictum Falconis locum hæc Peregrinius: *In antiquo exemplari fortasse scriptum fuerat*: Ecclesia B.M. de Episcopio: *quod librario interpetrari visum*: B. Mariæ. *At exponendum erat*: B. Maximi: *ut idem Falco ad An.* 1123. *argumento est*, *dicens*: *eodem Anno* Landulphus de Græca supranominatus XII. Kal. Decembris obiit, & ad Ecclesiam suam S. Maximi sepultus est: *ni potius sit ibi*: B. Mariæ *nomen restituendum*. Nihil importuniùs: nam diversam omninò Ecclesiam utroque loco Falco nobis commemorat, ac manifestè distinguit; alteram *B Mariæ* (quis crediderit in exemplari scriptum B. M.?) *De Episcopio*, ideſt ipsam Cathedralem, quæ haud præclarioribus verbis demonstrari poterat; cui ampliandæ Landulphi de Græca, Beneventanam Urbem tunc pro Sede Apostolica gubernantis *consilium* tantummodò accessit: alteram *B. Maximi*, cui nihil additur *de Episcopio*, sed ad ipsum Landulphum jure patronatus pertinere videbatur, ut propterea ad *Ecclesiam suam* sepultus fuisse dicatur.

(4) Tom. VIII. Ital Sac. col. 164. edit. antiq.

(5) Sarnellius in Chronol. Eccl. Benev. pag 92.

*Paradisus*. Quid hoc vocabulo Veteres significatum voluerint, ac quæ illius etymologia sit, alii observarunt (1). Nova verò sequiori ætate ejusmodi vocabulo significatio invecta est, ut scilicet Aream, sive Atrium indicaret, quod porticibus circumdatum ante Ædes Sacras prosternebatur. Heinc Leo Ostiensis Lib. III. cap. 28. Basilicam Casinensem à Desiderio Abbate magnificentiùs excitatam per partes describens, *fecit* (inquit) *& Atrium ante Ecclesiam, quod nos, Romana consuetudine, Paradisum vocitamus*. Quare ad eum locum id vocabulum translatum sit, docere voluit Tabularium S. Victoris Massiliensis hisce verbis: *Idcirco verò idem locus ad Portam Monasterii situs, vocatus est* Paradisus, *sicut & nos comperimus, quia multorum Corpora, scilicet Sanctorum Martyrum, Confessorum, Virginum eodem loco quiescentium decoratur auxiliis, & suffragatur meritis* (2). Sed nihil ineptius dici potuit. Non enim Sanctorum lypsana in Atriis, sed in adytis Templorum, vel sub aris, vel alio honestissimo loco condita, fidelium venerationi exponebantur. In ipsis verò Atriis, seù *Paradiso* sola fidelium, ac ferè semper principum, illustriumque aliorum Corpora tumulabantur: Sic Ottonem II. *in Paradiso B. Petri* Romæ sepultum tradit Ostiensis (3): ibidemque Petrus Diaconus Sicelgaitam Roberti Guiscardi uxorem tumulatam subdit (4): qua ex re non id, quod Cangius statuit, rectè consequitur, *Paradisos* hosce interdum vicem Cœmeteriorum præbuisse, *ac certè uti Paradisos, ita & Cœmeteria Atria dicta fuisse* (5). Diversus enim erat apud ipsas Ecclesias communis Cœmeterii locus; nec quia solis præclaris hominibus in Atrio tumulus statuebatur, seù potiùs permittebatur, Atrium ipsum Cœmeterii vicem, ac vocem nancisci poterat: Dabatur id Viris summis, ac de ipsa Ecclesia optimè meritis, ut scilicet in quoddam veluti honoris, simul & eorum humilitatis monumentum non in communi Cœmeterio, sed neque intra ipsam Ecclesiam, in ejus tamen Atriis sepulcrum obtinerent: *Imperatores* (inquit S. Jo. Chrysostomus) *pro magno habuere, si juxta Apostolorum saltem vestibula eorum Corpora sepelirentur, fierentque Reges janitores Apostolorum* (6). Quem more sequuti etiam nostri Longobardi Principes fuerunt, quorum Tumuli in Atrio, seù Paradiso Beneventanæ Ecclesiæ locati, etiamnum, mutatâ loci formâ, ad ejus prospectum, seù frontispicium affixi aspectantur, ut mox observabimus. Paradisum itaque verisimiliùs dictum censet Suidas, à παρὰ, idest *juxta*, & δεύω, idest *irrigo*, ut propriè *Hortum irriguum* sonet: quod sanè locus ille comprobasse, vel potiùs mutuatus sibi fuisse videtur, cui sequior ætas eandem appellationem tribuere cœpit, ideft Atrium Ecclesiæ: qui quidem locus non solùm circumseptus, sed Fontibus etiam perennes aquas ad sacras expiationes paratas emanantibus instructum fuisse constat (7).

De *Paradiso* Beneventanæ Ecclesiæ insigne monumentum superiori Capite prælibavimus in Bulla Alexandri PP. III. anni MCLXXIX., ubi Cardinali Lombardo, qui se Archiepiscopatu abdicaverat, inter alios ipsius Ecclesiæ reditus pro ejus alimentis assignatos, *quadraginta & octo Romanatos de Paradiso* pariter attribuit. Sed antiquius, & præclarius monumentum illud est, quod An. MCXXXVI. Pseudopontifex Anacletus de eodem Paradiso nobis reliquit: etenim universos ejusdem Paradisi reditus, ad Sedem Apostolicam spectantes Roscimando instituto ab se Beneventano Archiepiscopo, ejusque Successoribus perpetuò possidendos concessit. Diploma heic recitabimus ex originali membrana descriptum.

*Anacle-*

(1) Vid. Vossium in *Etymologico*, Calmetium in *Diction. S. Scripturæ*, ac Brissonium de *Regno Persarum* Lib. I. n. 79. inter ejus opp. minora Lugd. Batav. 1749. namque à Persis ad Græcos, Romanosque loci ipsius exemplum derivatum volunt; uti ex Xenophonte, & Agellio satis liquet.

(2) Apud Quesnejum in Annal. Massilien. pag. 296.

(3) Chron. Casin. Lib. II. cap. IX.

(4) Ibid. Lib. IV. cap. VIII.

(5) Glossar. med. & infin. Latin. Verb. *Paradisus*.

(6) Homil. XXVI. in epist. II. ad Corinth.. Vide quæ uberrimè dixi de vera, & constanti Ecclesiæ Disciplina in sepeliendis apud Ædes sacras Christianis Defunctis in superiori Libro Dissert. XI. cap. II. à p. 307.

(7) Eusebius Hist. Eccl. Lib. X. cap. II. Templum à Paulino Tyri Episcopo, extinctis persequutionibus, magnificentiùs extructum describens, hæc de splendidissimo Atrio, inter alia, habet: *Hæc sacrarum expiationum signa posuit, fontes scilicet ex adverso Ecclesiæ structos, qui interius sacrarium ingressuris copiosos latices ad abluendum ministrarent*. De Atrio Ecclesiæ Vaticanæ, cujus sub *Paradisi* nomine meminit Anastasius sub Symmacho, & Dono, hæc scribit S. Paulinus Nolanus in Epistola ad Alethium pag. 331. edit. Colon. 1560. *Cùm totam ejus Basilicam densis inopum coetibus stipavisses .... qua sub eadem mole tectorum, geminis utrimque porticibus latera diffundit, quave prætento nitens atrio fusa vestibulo est, ubi Cantharum ministram manibus, & oribus nostris fluenta ructantem, fastigiatus solido ære tholus ornat, & inumbrat, non sine mystica specie quatuor columnis salientes aquas ambiens: decet enim ingressum Ecclesiæ talis ornatus, ut quod intus mysterio salutari geritur, spectabili pro foribus opere signetur*. Horum autem Fontium vice postea in ingressu Ecclesiarum orta fuisse vasa cum aqua benedicta, qua lustrarentur Orationis causa intrantes, verosimile censeri debet.

*Anacletus Episcopus Servus Servorum Dei.*
*Venerabili Fratri Roscimando Beneventano Archiepiscopo, ejusque Successoribus in perpetuum.*

*Æquitatis ordo exigit, & justitiæ ratio persuadet, quatenus B. Petri Fidelibus, qui in ejus servitio assiduè commorantur, quorumque bona ipsius, ejusdemque esse noscuntur, consueta Sedis Apostolicæ liberalitate, cui, auctore Domino, licet indigni, præsidemus, largioris beneficii manum extendere propensiùs debeamus. Quapropter, Venerabilis Frater Roscimande Beneventane Archiepiscope, preces tuas, & Fratrum nostrorum Episcoporum, & Cardinalium pro tuo amore apud nos intervenientium clementiùs admittentes, largimur, & concedimus tibi, tuisque Successoribus totum in integrum* Paradisum, *& Atrium, quod est ante ipsum Episcopium, Ecclesiam videlicet S. Mariæ, sicut ad nostrum Publicum hactenus pertinuisse dignoscitur, ea videlicet ratione, atque tenore, ut tu, & Successores tui nihil ibi absque nostra, & Successorum nostrorum data licentia facere, seu statuere de novo debeatis, unde alia nostra Regalia deteriorentur, aut imminuantur, & Tinellam, de qua ob frequentiam, & strepitum vendentium, atque ementium non modica injuria eidem Sanctæ Matri Ecclesiæ sæpiùs inferebatur, ex eodem* Paradiso *amovemus. Donamus quoque, & concedimus Tibi, ac Successoribus tuis in perpetuum Plateaticum quatuor Apothecarum, quæ sunt in Domo Johannis de Civitate, & reditus confidentium, & vendentium olera, & poma in ipso* Paradiso, *sicut ad nostrum Sacrum Beneventanum Palatium pertinet. Decernimus ergo, & præsenti auctoritate sancimus, ut nulli omnino Ecclesiasticæ, vel Sæculari personæ hanc nostræ largitionis, sive concessionis institutionem infringere, aut commutare liceat, sed omnia, sicut præfixum est, illibata, & firma permaneant. Hæc igitur statuta servantibus sit pax Domini Nostri Jesu Christi, non servantibus autem sit anathema, & ignis præparatus æternus. Amen. Amen. Amen.* In Circulo. *Dominus fortitudo Plebis suæ.* In Area crucigera. *S. Petrus. S. Paulus. Anacletus PP. II.* Sequitur subscriptio.

*EGO ANACLETUS CATHOLICÆ ECCLESIÆ EPISCOPUS.*

*† Ego Johannes Episcopus Portuensis. † Ego Petrus Presbyter Cardinalis Titulo S. Marcelli. † Ego Crescentius Presbyter Cardinalis Titulo S. Apollinaris. † Ego Amatus Presbyter Cardinalis Titulo S. Eusebii subscripsi. † Ego Matheus Presbyter Cardinalis Titulo Equitii subscripsi. † Ego Romanus S. Adriani Cardinalis Diaconus.*

*Datum Beneventi per manum Mathei S. R. E. Presbyteri Cardinalis, & Cancellarii* XII. *Kal. Novembris, Indict.* XV., *Anno Dominicæ Incarnationis* MCXXXVI. *Pontificatus autem Domini nostri Anacleti Secundi Papæ septimo. Bene Valete.*

Leve certe Beneficium ejusmodi fuerit, quo Pseudopontifex ille innumera mala compensare existimavit, quibus non solùm Beneventanam Civitatem cumulavit, ubi turbas excitavit, ut suæ electionis fautores haberet, altera tamen frequentiore Civium parte (uti refert Falco ad annum 1132.) *firmante partem Innocentii Papæ tenendam fore, Anacleti verò electionem contra Canones fore, & iniquam*: Verùm etiam Ecclesiam Beneventanam commaculavit, cui post Archiepiscopi Landulphi obitum Pseudoarchiepiscopum illum suæ factionis signiferum præfecit; qui tandem anno 1137. (eodem teste Falcone) omnium studiis ad Innocentium conversis, postquam septennio circiter *Civitatem violento nomine tenuisset, noctis silentio timore coactus fugiit*. Huic igitur Roscimando, seu (uti Falco vocat) Rossimanno Ecclesiæ Beneventanæ Paradisum Anacletus concessit: Quam concessionem ratam habuisse tum Innocentium, tum sequutos Pontifices, satis probat memoratum Diploma Alexandri III., qui ex iis reditibus, quos ex eodem Paradiso Ecclesia Beneventana percipiebat, quadraginta & octo Romanatos Archiepiscopo Lombardo assignavit. Qua ex re (quemadmodum ex Anacleti Diplomatè manifestum jam fuit) contiguum eidem Paradiso Urbis Forum extitisse, immo paulatim eundem Paradisum Fori partem fuisse liquet, unde Anacletus ipse *Tinellam* amovendam constituit, *de qua ob frequentiam, & strepitum vendentium*

*vendentium , & ementium non modica iniuria eidem Sanctæ Matri Ecclesiæ inferebatur* (1). Qua *Tinella* excepta, ac perpetuò amotâ, servatæ sunt apothecæ, permissaque in ipsius Paradisi porticibus olerum, pomorumque venditio; ex quibus, aliisque mercibus, quod olim ad *Publicum*, sive *Regalia* Sedis Apostolicæ pertinebat *Plateaticum*, idest vectigal, sivè tributum, in Beneventanæ Ecclesiæ jus, atque emolumentum translatum est. Eum morem infelicissima illa tunc tempora ferebant ( utinam nec nostra alicubi ), ut in Ecclesiæ Atriis mercimonia exercerentur. Nihil ejusmodi in nostræ Ecclesiæ Atrio hodiè superest, in breviorem aream contracto, quod tamen ex via publica, quâ interpositis muris circumdatur, atque circumjacentibus ad ipsam viam apothecis etiamnum ad Archiepiscopalis Mensæ dominium pertinentibus, amplissima, quibus olim diffundebatur, priora spatia demonstrat.

Atrium itaque ipsum in præsens, parietibus, viâque publica undique procurrente circumseptum, non alia re insigne est, quàm veteri Obelisco, qui ad dextrum ejus latus exurgit. Parvæ quidem molis ille est, sed è marmore Ægyptio, Ægyptiisque item characteribus, sive Hieroglyphicis undique insculptum, non mediocre pretium sibi vindicat. Non unum Beneventi fuisse Obeliscum manifestè ostendunt ejusmodi monumentorum reliquiæ, sive frusta: Nam apud Ædes Dominorum de Mustis muri angulum efficit quadratus lapis Ægyptius ad palmorum quinque longitudinem, consimilibus notis inscriptus; Par lapis in interiori Atrio Palatii Archiepiscopalis nuper effossus fuit; qui alterius consimilis Obelisci fragmentum se prodit, quique in sinistro Atrii Ecclesiæ latere ex adverso alterius adhuc extantis fortasse spectabatur. De Beneventanæ Urbis Obeliscis nihil mihi in superiori Libro, qui hujus argumenti locus erat, observandum visum fuit, post Kircherii, Panvinii, Mercii, Pitisci, aliorumque eruditorum luculentas ea de re tractationes: Illud nunc tantùm animadvertere suppetit, elegantissimum nempe veterum Beneventanorum ingenium, quo Urbis suæ magnificentiam ejusmodi selectissimis, peregrinisque ingenti ære comparatis monumentis condecorare satagebant: Sed præclarius illud, ac majori laude commendandum, ut qui olim ad Fori ornamentum Obelisci adhibiti putandi sunt, jamdemùm, ad majoris Ecclesiæ fores, idest ad triumphantis Christianæ Fidei gloriam, quasi extinctæ Idololatriæ spolia, statuerentur.

Atrio assurgit ipsa Ecclesia, cujus Faciem, sive Frontispicium integrum è marmore construendum curavit Cardinalis Rogerius Archiepiscopus, servato hisce versibus sui operis monumento.

HÆC STUDIO SCULPSIT ROGERIUS ET BENE JUNXIT
MARMORA QUÆ PORTIS TRIBUS CERNUNTUR IN ISTIS
ET QUÆ PER PURUM SPECTANTUR LUCIDA MURUM.


Eximium certè in Ecclesia exornanda fuisse Rogerii studium, ostendit quoque ejus Diploma anni MCCXVII., quo statuit, ut tertia pars fructuum Beneficiorum sequenti, quo vacaverint, anno *erogetur operi majoris Ecclesiæ nostræ, vel refectioni ipsius* (2). Sed ad ipsum Rogerii Opus quod attinet, quanquam nonnihil magnificentiæ loco accesserit, nemo tamen laudandum, quod BENE JUNXIT, sed potius, quod MALE JUNXIT *marmora* reprehendendum Rogerium censebit: quid enim? Veteris Paradisi, seù Atrii formam destruxit, nec vetustis Beneventanorum Principum Tumulis parcens, non solùm illos loco suo

(1) Quid significet *Tinella*, frustra quæres in Glossario Cangiano, edit. Francof. 1681., ubi tantùm *Tina*, seu *Tyna*, aut *Tinum* occurrit, Vas scilicet grande ligneum, tam lavationibus, quàm condendis vinis paratum, quod vocabulum à Varrone usurpatum tradit Nonius. Itaque *Tinellam* in nostra Charta non aliud, quàm *Cauponam* intelligendam arbitror, locum videlicet illum, ubi commessationes, compotationesque à plebe exerceri solent, non sine clamoribus, jurgiis, rixisque, adeòque proximæ Ecclesiæ injuriosæ. Id certè innuunt ejusdem Chartæ verba: ac comprobare videtur Ordo Romanus à Petro Amelio lucubratus Sæculo XIV., editusque à Mabillonio Mus. Ital. P. II. pag. 444., in quo pluries Ædes illa, ubi prandia parantur, *Tinellum* appellatur: Sic cap. LXXI.: *In alia verò Mensa, quæ est ad dexteram Papæ, in longum aulæ, seu Tinelli sedent Episcopi Cardinales*. Et cap. CXLIV.: *Hac die dicti Poenitentiarii debent comedere in Tinello Papæ splendidè propter labores &c.* Et cap. CLXV.: *In prandio Dominus Camerarius cum Auditoribus, & Poenitentiariis tenuit Tinellum &c.*

(2) Ex originali Membrana, quæ adhuc in nostra Bibliotheca servatur; cujus exemplar extat in Bullario Selecto n. XXXVIII. p. 158.

ſuo disjecit, verùm ipſas etiam Inſcriptiones ingentibus Marmoribus inſculptas; tanquam promiſcuos lapides, nullo ipſarum ordine, immò magna ex parte diſſectas, inter reliqua marmora coacervavit. Ita barbarico illius ætatis ingenio factum eſt, ut præſtantiora illa Longobardicæ Antiquitatis monumenta in novum conſtruendum opus non tàm ornandum, quàm quoquo modo perficiendum ſuccederent; ac vetuſta Longobardorum Principum gloria, olim cum ipſo Principatu in cinerem, atque umbram redacta, in ea denique marmorea fruſta diſcerpta, evaneſcentium rerum omnium humanarum conditionem hodièque præſeferat.

Rogerii Archiepiſcopi ſtudium ſequenti Sæculo præclarum Opus ſubſequutum fuit Turris Campanariæ, quæ quadratâ formâ in æqua latera ad palmorum XXV latitudinem, ad palmorum verò LXXXV altitudinem ex ſolido penitùs marmore ad dextram Eccleſiæ frontiſpicii partem adhærens, erecta fuit. Erectionis tempus, auctoreſque etiamnum Epigraphe docet, quam heic ad ipſius Archetypi fidem æreâ tabulâ repræſentandam curavi.




quam Epigraphem ſic facilè legas. A. D. MCCLXXIX. XI. FEBRUARII. VIII. INDICTIONE INCEPTUM EST HOC CAMPANILE DE OBLATIONIBUS FIDELIUM, ET CLERI (1).

Sed ad Rogerianum Opus redire præſtat, atquè in ipſius Eccleſiæ Januis gradum ſiſtere. Tribus ad eandem Eccleſiæ faciem æque patentibus Januis ingreſſum ex Atrio in ipſam Eccleſiam haberi ex relata Rogerii Inſcriptione audivimus; ſe enim ipſum marmora, *quæ in tribus portis cernuntur*, *junxiſſe* affirmat; quarum quidem Portarum numerum jam olim ibidem extitiſſe, mediamque Æneam marmoreo opere antiquiorem nos affirmamus. Vetuſtiſſimum Sacrorum Ædificiorum morem fuiſſe, præſertim quum de inſignioribus Baſilicis, Epiſcopalibuſque Eccleſiis ageretur, ut ternis in ipſo Frontiſpicio Oſtiis adirentur, pulchrè ſatis, ac ſapientiſſimè docet S. Carolus Borromæus: *A' fronte Eccleſiæ* (inquit) *Oſtia extruantur: imparia verò ſint, ac planè totidem, quot Naves, ex quibus Eccleſia conſtat.*



(1) Die XI. Februarii Anni MCCLXXIX. non *Octava*, uti in lapide ſculptum eſt, ſed *Septima* decurrebat Indictio, quæ Kalendis Septembris ejuſdem anni tunc demum in *octavam* vertebatur. An Beneventanis Indictiones uno Anno antevertere tunc temporis mos fuerit, vel potiùs marmorarii error dicendus ſit, haud facile decernas. Vide Card. Noriſium De Epoch. Syr. Maced. Diſſert. IV. cap. IV., ex quo etiam diſces ſæpiùs à Librariis (haud ſecus à marmorariis) in Indictionum Annis notandis erratum.

*constat. Media autem Navis ( si e pluribus Navibus Ecclesia constat ) tria Ostia, ubi prae amplitudine potest, à fronte habeat; nam pluribus Ostiis, tum ob alia plura, tum ob virorum, mulierumque distinctionem ad Ecclesiam ingressum patefieri debere indicant Basilicae Romanae. Ostium medium à ceteris & laxamento, & ornatu praecipuè distingui debet, praesertim in Basilica Cathedrali* (1). Trium extruendorum Ostiorum aliam rationem prodidit S. Paulinus Nolanus ( ut ex ipsa sacra Antiquitate praeclarum aliquid afferam ), qui ineunte Saec. v. Basilicam S. Felicis per partes describens in Epistola XII. ad Severum, *In ipsis* ( inquit ) *Basilicae novae ingressibus hi versiculi sunt :*

*Alma Domus triplici patet ingredientibus arcu;*
*Testaturque piam Janua trina Fidem.*

Ut scilicet tres unius Ecclesiae Portae Sacrum, quod Christiana Religio praecipuè profitebatur, unius, trinique Dei Mysterium, veritatemque declararent. Jam verò antiquius, illustriusque ejus rei exemplum nobis suppeditat Eusebius, qui illud Historiae Ecclesiasticae Caput de instauratis, splendidiùsque post Persequutiones excitatis ubique, Imp. Constantini permissu, ac exemplo, Ecclesiis, ex una maximè Tyri Ecclesia comprobare aggreditur, quam Paulinus alter ejus Urbis Episcopus magnificentissimè construendam curavit. Sic itaque Eusebius, inter alia plurima, de illius Ecclesiae Janüis: *Hoc spectaculum praetervectos, pluribus aliis interioribus vestibulis aditus ad Templum patentes effecit: rursus ad ipsos Solis Orientis radios tribus ordine Janüis in uno, eodemque latere constructis; quarum mediam duabus aliis utrinque positis, & altitudine, & latitudine plurimùm praestare voluit; eandemque aereis tabulis, ferro vinctis, & Sculpturis variis praecipuè decoravit, ei tanquam Reginae Satellites alias adjungens* (2).


Laetari certè mihi contigit, quum in hunc Eusebii locum incidissem, qui quidem Eusebius mihi veluti praeisse, eademque, quae is de majori, seu media Tyriae Ecclesiae Janua conscripsit, mihi, ut de Beneventanae Ecclesiae Janua concelebranda usurparem, commodasse visus est. Qui Eusebium paullò ante loquutum audiverit, simulque nostrae Ecclesiae Januam spectaverit, haud me plus aequo rem ipsam extulisse fatebitur. Spectandam autem oculis ipsam nostrae Ecclesiae Januam heic exhibeo, binis aereis tabulis summa fide, ac diligentiâ expressam. Lucem Janua isthaec nostra jam olim aspexerat operâ Clarissimi, eruditissimique Viri Johannis Ciampini, ad quem Cardinalis Ursinus Archiepiscopus exeunte superiori Saeculo exemplar transmiserat: Haud tamen in Parte I. *Veterum Monumentorum*, ubi is de aliis aliarum Ecclesiarum Janüis agit, invenire erit (3): Sed acceptum, post absolutum eum Librum, exemplar, illustrandum, edendumque servavit in Parte II. (4). Laudem simul, veniamque Ciampino perlibenter tribuimus, qui Beneventanae Ecclesiae Antiquitates pervulgare sategit; at qui transmissi sibi Exemplaris fidem sequi, illius etiam sequi ruditatem debuit, foedioresque errores, describentis ignaviâ, atque inscitiâ patratos, communes sibi effecit. Promptum id cuique intueri, probareque est, si tantùm Ciampinianum exemplar cum nostro comparaverit: Nostro autem id addidimus, ut Janua ipsa cum suis marmoreis Postibus, ac Superliminari ( quae haud minus praeclarae ejus partes sunt ) in lucem prodiret, ac in binas suas partes divisa, patentior, ac perspicuior appareret.

Desiderantur in nostra Janua tum extructoris, tum ejus, qui extruendam curavit, nomina: Nulla etiam chronologica nota insculpta est: Quare Sarnellius circa ejusdem Archiepiscopi Rogerii tempora, scilicet inter XI., ac XII. Saeculum Opus fabrefactum opinatur, eo uno permotus argumento, quod inter Episcopos Suffraganeos ibidem insculptos adest Episcopus Guardiensis, quem Diplomata Pontificia anni MCLI. omninò silent, meminit verò Concilium Provinciale Archiepiscopi Milonis anno MLXXV. celebratum (5). Accuratiorem operam hac in re adhibuit Ciampinus, qui ex numero Episcoporum, ac nominibus Ecclesiarum tutiorem definiendi temporis conjecturam sibi effecit. Quamobrem à veteri, qui olim

(1) Acta Eccl. Mediol. De Instructionibus Fabricae Ecclesiae Lib. I. cap. VII. De Ostiis.
(2) Hist. Eccles. Lib. X. cap. II.
(3) Tres insigniores Valvas exhibet Ciampinus in d. P. I.; scilicet Valvas Aeneas Ecclesiae S. Pauli extra muros Urbis: Aeneas Valvas Basilicae Vaticanae: ac Valvas denique Aeneas Ecclesiae Pisanae. cap. IV., V., & VI.
(4) Hoc posthumum Ciampini Opus prodiit Romae Anno 1699., ibique Beneventana Janua edita habetur cap. V. pag. 24.
(5) Chronol. Ep. Ben. p. 106.

Back of
Foldout
Not Imaged


✠ MATER FACTORIS · MATER PATRIS · AVLA PVDOR



✠ VIRGO PARENS XTI PER XTM QVEM GENVIST








Laborius Pizzella delin.

Portam Aneam Ecclesiæ Beneventa

Johannes De Vita ejusd. Ecclesiæ Canoni

AVLA PVDICA DEI LOCA NOBIS DARE ‹VIEI ✠



VOTA TVÆ LAVDI SOLVENTES QVÆSVMVS AVDI ✠

*Anaglyphico opere constructam*
*æri incidendam curavit A.D. MDCCLXIII.*

*Fran. La Marra inc.*

Back of
Foldout
Not Imaged

olim vigebat, Suffraganeorum XXXII. numero ad eum, quem Janua præfefert, Epifcoporum duntaxat XXIV. numerum fefe colligens, inter quos proftremos Quintodecimanus, Thocchenfis, Viccarenfis defiderantur, quorum memoria non ultra medium Sæculum XI. occurrit, ita fuam fententiam aperit: *Quamobrem ex his memoriis arguo, poft hæc tempora, fcilicet in fine Sæculi undecimi, aut principio duodecimi Valvas conftructas fuiffe: Nam in Sæculo decimoquarto, nempe anno* 1334. *tres & viginti tantùm erant Suffraganei, ut deducitur ex Synodo Beneventana Hugonis II...... His addo Conjecturis, quod D. Bartholomæi ejufdem Civitatis Bafilica Æneas habet Valvas, ut præcitatus narrat Sarnellius p.* 95., *quas conftructas fuiffe afferit anno* 1150., *&* 1151., *ut ex Infcriptione in iifdem Valvis patet* (1): *Quare conjicio, quod ejufdem Bafilicæ Miniftri animadvertentes Æneas Metropolitanæ Ecclefiæ Valvas, ac ipfas S. Bartholomæi Ligneas effe, ne ipfa Bafilica in hoc inferior Metropolitanæ remaneret, curarunt etiam in eadem Bafilica Æneæ conftructionem Valvæ.*

Novam S. Bartholomæi Bafilicam anno MCXII. conftrui cœptam jam dixi hujus Capitis initio: An ejus Ænea Janua poftmodum anno MCLI. exemplum, æmulationemque acceperit, vel dederit Cathedralis Januæ, divinare potiùs, quàm conjectare erit. Nec verò, an S. Bartholomæi Janua ænea, eodem, quo Cathedralis Janua, anaglyptico opere, amuffim conftructa fuerit, cognofcere fuppetit, nam eâdem Apoftoli Bafilicâ femel, atque iterum Terræmotu disjectâ, ipfius quoque Janua interiit, vel potiùs fubrepta, conflataque dici debet; non fine majorum noftrorum negligentia, qui id præclariffimum monumentum, haud certè Bafilicæ fato tam facilè obnoxium, fervare debuiffent; itaut, nifi Sarnellius, oculatus tunc teftis, cum ipfa Infcriptione meminiffet, nec olim, aut unquam eam extitiffe Januam fciremus. Levis itaque poftrema hæc ex fimili Bafilicæ S. Bartholomæi Janua, Ciampini conjectura eft; cui fatiùs videri debuit, ex infcripto Epifcoporum numero conftructæ Januæ ætatem argumentari. Sed neque illud fatis conftat ab eo expofitum argumentum: Nam fi ab Archiepifcopi Hugonis II. tempore retrogrediendum effet, ab anno fcilicet 1334., ut minorem, quàm XXIV. Epifcoporum numerum inveniamus, jam non inter XI., & XII., fed inter XI., ac XIV. Sæculum conftructæ Januæ tempus non tam ftatutum, definitumque, quàm enormiffimo illo trium Sæculorum intervallo incertum potiùs, ac planè ignoratum nobis relinqueretur. Antiquiora igitur, quæ Ciampinum latebant, monumenta in medium afferemus, quæ longè ante Sæculum XIV. eum, quem Janua præfefert, XXIV. Epifcoporum numerum imminutum doceant. Et quidem binos ex fupradicto numero defeciffe fuffraganeos Epifcopos, labente Sæculo XII., manifeftè demonftrat *Liber Cenfuum Romanæ Ecclefiæ à Cencio Camerario compofitus fecundum antiquorum Patrum regefta, & memorialia diverfa, Anno Incarnationis Dominicæ* MCXCII., ubi cenfus omnes fingillatim recenfentur, qui eo tempore à fingulis Archiepifcopalibus, Epifcopalibus, aliifque intra illarum fines conftitutis Ecclefiis Sedi Apoftolicæ pendebantur: libuitque ejus Libri locum ad noftrum Archiepifcopatum, fuffraganeafque illius Ecclefias tunc vigentes pertinentem, illuftre veluti, atque hactenus ignoratum Beneventanæ Ecclefiæ monumentum infernè defcribere, quo pariter Epifcopalium Ecclefiarum nomina cum noftra Janua comparata faciliùs explicari, emendarique poffint (2). Citiùs etiam dicto anno MCXCII. idem immi-

(1) Infcriptiones nobis fervavit laudatus Sarnellius, qui ante poftremum Terræmotum anni 1702., quo eadem S. Bartholomæi Bafilica funditus deleta eft, fcribebat. In una igitur Januæ parte hæc infculpta legebantur: ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS MCL. HEC PORTA ERECTA EST APOSTOLO BARTHOLOMEO DE FIDELIUM OBLATIONIBUS MENSE AUGUSTO. In altera verò parte. ET HEC PORTA ERECTA EST APOSTOLO BARTHOLOMEO DE FIDELIUM OBLATIONIBUS A. DOMINICÆ INCARNATIONIS MENSE SEPTEMBRI MCLI.

(2) Primus omnium eum Librum in lucem edidit Cl. Muratorius in *Antiq. mæd. ævi* Differt. LXIX. Tom. V. p. 852. Quæ autem ad Archiepifcopatum, Epifcopatufque Beneventanæ Provinciæ pertinent, hæc funt pag. 857.

*In Archiepifcopatu* BENEVENTANO

*S. Maria de Sambuco* II *uncias auri.*

*Ecclefia S. Mariæ de monte Drogo unum fquifatum.*

*Ecclefia S. Thomæ* III. *Romanatos, &* XII. *paria de Oblatis cum candelis.*

*Domus Templi* IV. *Romanatos.*

*Ecclefia S. Leonis* III. *Romanatos.*

*Monafterium Turris Majoris unam unciam auri.*

*Monafterium S. Mariæ de Gualdo* IV. *Tarenos, & unam Libram Olibani.*

I. *In Epifcopatu* THELESINO.

*Monafterium S. Syri, fitum in ipfa Civitate unam unciam auri.*

II. *In Epifcopatu* SANCTÆ AGATHÆ.

*Ipfe Epifcopus pro Ecclefia S. Agathæ unam unciam auri.*

III. *In Epifcopatu* ALIPHIENSI.

IV. *In Epifcopatu* MONTIS MARANI.

V. *In Epifcopatu* MONTIS CORVINI.

VI. *In Epifcopatu* AVELLINO.

*Monafterium S. Mariæ Montis Virginis, Ordinis*

imminutus Epifcoporum numerus , fcilicet duorum dumtaxat fupra viginti , occurrit in Diplomate Hadriani PP. IV. anni MCLVII. ,de quo fuperiori Capite egimus. Quamobrem fi ( uti in capite III. à me oftenfum eft ) non ante annum MLVII. amplificatus Suffraganeorum XXIV. numerus ftatui debet ex Diplomate Stephani PP. IX. ; contrà verò in dicto Diplomate Hadriani PP. IV. anni MCLVII. Suffraganei , qui diftinctè , fpeciatimque recenfentur, ad XXII. tantummodò numerum accedunt ; jam illud confequitur , Æneam Januam , quæ XXIV. Epifcopos ( tempore quidem fuæ conftitutionis vigentes ) ac propriis fingularum Ecclefiarum nominibus infcriptos exhibet , inter annum MLVII. , & annum MCLVII. certiffima ætatis fuæ fpatia fibi vindicare , verique fimillimum illud fit, ad finem potiùs Sæculi XI. , quàm ad fequuti XII. initia pertinere . Sed quæ in eo Opere obfervatione digna funt , percurrere nunc licebit .

A Superliminari ordiar , quod æquè ac Poftes utrinque appofitæ , marmorea funt , atque anaglyptico opere fatis elegànter infculpta . Delectabatur fanè nimiùm media Ætas ejufmodi fculpturis , quibus infignores Ædificiorum , aliorumque monumentorum partes ornare fatagebat , itaut fpectantium oculi repræfentatarum rerum novitate , varietateque magis , quàm decore ipfo, ac gravitate detinerentur . De hifce ornamentis , quæ vulgus hodiè vocat *Grottefchi* , plura dixi in Differt. II. Cap. V. , quo loco de Monafterii Sophiani Clauftro fermo mihi fuit . Noftro fanè operi egregiam pro fuis viribus, ingenioque navare operam Marmorarius Sculptor laboravit, ut Æneæ Januæ dignitati refpondiffe probaretur ; probèque judicare quifque poterit , ubi noftrum ejufdem Januæ exemplar perfpexerit . In Superliminari itaque duo funt fpeciatim animadvertenda . Primum locum dabimus Agno , qui in ejufdem Superliminaris medio intra Orbem infculptus , Coronam , five Nimbum Capite geftat , ac Crucem ex elevato finiftro pede fuftinet . Ignoravit hoc noftræ Januæ Hieroglyphicum Ciampinus , cui Æneæ Januæ folum exemplar allatum fuit : Ex ipfo tamen Ciampino ( ut alios nunc prætereamm ) qui de eo Symbolo non femel differuit , quæ ad ejus illuftrationem pertinent , didiciffe paratum cuique erit (1) . Trullanæ Synodi , five Græcorum error fuiffe videtur , ut Agnum , Chrifti effigiem repræfentantem reprehenderent (2) ; quafi quæ olim , ( ut ajebant ) *antiquæ figuræ , & umbræ fuerunt , nec non veritatis*

*nis S. Benedicti , fingulis annis unum obulum aureum . Quod Monafterium fpecialiter fpectat ad Dominum Papam , & factum fuit cenfuale anno* VII. *Domini Alexandri* PP. IV.

VII. *In Epifcopatu* VICANO

VIII. *In Epifcopatu* ARIANENSI .

IX. *In Epifcopatu* BVIANENSI .

X. *In Epifcopatu* ASCULENSI .

XI. *In Epifcopatu* LICHERINO ( Lucerino )
*Ecclefia S. Trinitatis de Caftelluccio* II. *Libras ceræ* .

XII. *In Epifcopatu* TORTIBOLENSI .

XIII. *In Epifcopatu* DRACONARIO ( Draconariæ )

XIV. *In Epifcopatu* VVLTURANO ( Vulturariæ , aut Vulturarienfi )

XV. *In Epifcopatu* ALATRINENSI ( Alarinenfi , aut Larinenfi )
*Hofpitale SS. Apoftolorum Bartholomæi , & Jacobi de Sartione fingulis annis unum obulum aureum , quod Hofpitale fpecialiter pertinet ad Dominum Papam .*
*Hofpitale de Rotellis unum obulum Maffemutinum .*

XVI. *In Epifcopatu* CIVITATENSI .
*Monafterium Terræ Majoris pro duabus Ecclefiis , una fcilicet S. Crucis in Caftro S. Severi , & alia S. Spiritus* II. *uncias auri* .

XVII. *In Epifcopatu* TERMOLENSI .

XVIII. *In Epifcopatu* FRECHENTINO (Frequentino)

XIX. *In Epifcopatu* TERVINENSI ( Trivicenfi , aut Trivicano )

XX. *In Epifcopatu* BIVINENSI .

XXI. *In Epifcopatu* WARDIENSI ( Guardienfi )

XXII. *In Epifcopatu* MVSANENSI ( Limufanenfi , aut Limufanorum )

Poft hæc Liber ad Archiepifcopatum Salernitanum , ejufque fuffraganeas Ecclefias progreditur : Defcribuntur autem , five accenfentur in eo Libro fingulæ Epifcopales Ecclefiæ nulli licet cenfui obnoxiæ , ut fi in pofterum cenfum perfoluturæ fint , jam fuo quæque loco *fufficientibus fpatiis adaptato* ( ut ipfe Cencius initio præfatur ) in promptu haberentur ; itaut id ejufdem Cencii confilium omninò fuerit , univerfas Archiepifcopales, Epifcopalefque Ecclefias faltem inter Italiam conftitutas in eo Cenfuali Libro fingillatim defcribere , ac Epifcopales quidem intra fines cujufque Metropolis , ad quam pertinerent , fpeciatim memoratas conjicere ; uti de Beneventano Archiepifcopatu factum fuit , in quo ejufdem Cencii ævo , ideft d. Anno MCXCII. Archiepifcopatus Beneventanus XXII. Suffraganeos numerabat . Diverfam rationem iniit *Catalogus Chartarum Archivi S. Romanæ Ecclefiæ confectus Anno* MCCCLXVI. *ab Archiepifcopo Auxitano Camerario de ordine Domini Papæ Urbani IV.* ab eodem Muratorio editus l. l. Tom. VI. pag. 76., ubi in eo capite , qui infcribitur : *De Cenfibus Italiæ* : memorat primo loco Archiepifcopatum Beneventanum , ac poft illum folos hos fuffraganeos Epifcopatus : *Thelefinum* : *S. Agathæ* : *Avellinum* : *Licherinum* : *Alarinenfem* : *Civitatenfem* : cum iifdem cenfibus , qui in Cencii Libro defcripti funt : non quòd eo tempore Metropolis Beneventana ad eos folos Epifcopos redacta fuerit , fed quòd ex illis folis Epifcopatibus cenfus tunc folverentur , aliis à Cencio memoratis , vel immunitatem confequutis , vel alio modo ab eo onere liberatis .

(1) De Sacr. Ædif. cap. III. p. 45. , & Vet. Monum. P. I. cap. III. p. 27. , & cap. XXXVI. p. 240

(2) Synodus Trullana , feu Quinifexta Anni 692. Can. LXXXII. , ubi plurima pro Latinæ Ecclefiæ more afferendo piè , eruditèque obfervat P. Chriftianus Lupus Opp. Tom. III. pag. 150. edit. Venet. 1724.

*tatis Signa, & Characteres Ecclesiæ traditi,* jamdiù aboliti, rejiciendique viderentur: ac non potiùs ad ipsam, quam olim præmonstrabant, adhuc deinceps demonstrandam, comprobandamque veritatem adhiberi possent, tùm ipso Christi, ejusque Ecclesiæ Præcursore docente Johanne, tùm etiam post Christi adventum, ejusque exortam, fundatamque Ecclesiam altero commonente Johanne (1). Id igitur potiùs commodi ex Trullana Synodo nobis promanare videtur, eum scilicet utriusque Ecclesiæ a Sæculo VII., atque adeò ab omni retrò antiquitate morem fuisse receptissimum, ut Christus Dominus Agni Typo adorandus Fidelibus exhiberetur. S. Paulinus in laudata superiùs ad Severum Epistola rem ipsam pluriès his, aliisque versibus concelebrat:

*Pleno coruscat Trinitas mysterio:*
*Stat Christus Agno: Vox Patris Cœlo tonat:*
*Et per Columbam Spiritus Sanctus fluit.*

Utque Christi Deitatem indicaret, assumptamque ejusdem Humanitatem, mox ista subdit:

*Pia Trinitatis unitas Christo coit;*
*(Habente ipsa Trinitate insignia)*
*Deum revelat Vox Paterna, & Spiritus,*
*Sanctam fatentur Crux, & Agnus Victimam.*

Sed & alio ejusdem Epistolæ loco hæc alia concinit, quæ nostri Agni simulacro amussim respondentia, veluti pro nostræ Januæ emblemate conscripta videri possunt:

*Sub Cruce sanguinea niveo stat Christus in Agno.*
*Agnus, ut innocua injusto datus Hostia letho* (2).

Jam verò in Apside Ecclesiæ Vaticanæ musivo opere constructa, cujus exemplar non modò apud Ciampinum, sed accurratiùs etiam, uberiùsque illustratum habes apud P. Janningum (3), Crux visitur, sub qua Agnus stat, diademate redimitus, è cujus pectore rivus effluit, qui mox a Colle, ubi ipse Agnus assurgit, in quinque alios rivulos dispertitur. Sed nostro Anaglypho non solùm propiùs accedit, sed persimile prorsùs est tum ipsâ effigie, tum ipso, quo eadem insculpta fuit, loco, Agnus ille, qui in medio Epistylio marmoreo Januæ Ecclesiæ S. Pudentianæ de Urbe spectatur; nisi quòd hujus crucigerum diadema est, dextroque ex pede elevato Crucem sustinet: Insigniorem autem nostro hi versus efficiunt, qui in peripheria insculpti satis aptè, eleganterque rem omnem conjiciunt.

† *Hic Agnus Mundum restaurat Sanguine lapsum.*
† *Mortuus & Vivus Idem sum Pastor & Agnus* (4)

Sed quod nostro Agno deest, datum Ei fuit, quæ Agni Mater est, in cujus honorem dicata nostra Ecclesia id fronte sua inscriptum habere maluit, quo ingredientes in illius laudes, promerendumque sibi patrocinium limine in ipso admoniti, ac veluti excitati viderentur.

Altera igitur res, quæ nostri marmorei Superliminaris, sive Epistylii pretium auget, ad eos pertinet Versus, quorum duo primi ad supernam oram, seù Limbum, reliqui duo paullò minoribus characteribus infernè insculpti leguntur in hunc modum.

† MATER FACTORIS MATER PATRIS AULA PUDORIS:
AULA PUDICA DEI LOCA NOBIS DARE QUIEI.

† VIRGO

(1) Johannis Evangel. cap. I. vers. 29., & in Apocalypsi cap. V. Vide Suaresium *De Origine Consecrandi Agnos Dei*. Romæ 1656. Theophilum Raynaudum *De Attributis Christi* Opp. Tom. II. Sect. II. cap. II. Lugduni 1665.

(2) Epistola XII. ad Severum p.173., & 179. edit. Coloniæ 1560.

(3) In Opere Bollandiano Act. SS. T. VII., seù P. II. Junii in Commentario de Basilica Vaticana. Apsidis exemplar extat p. 135., Crucis verò cum Agno p. 141. edit. Ven.; De eodem monumento ante Ciampinum, & Janningum egit quoque Casalius de Vet. Christ. Rit.

(4) Apud eund. Ciampinum De sacr. Ædif. cap. III. p. 26.

† VIRGO PARENS CHRISTI PER CHRISTUM, QUEM GENUISTI:
VOTA TUÆ LAUDI SOLVENTES, QUÆSUMUS, AUDI. †

In ſecundo verſu illud DARE à verbo DO, imperativo modo uſurpatum nimiâ licentiâ videtur: QUIEI autem pro QUIETIS rectè ſcriptum eſt Veterum exemplo, qui ejuſmodi vocabulum per quintam Declinationem inflectebant, quod hodieque ſervatur in compoſito *Requies*, cujus genitivus eſt *Requiei*, aliquando tantùm *Requietis*. Verſus, quos *Leoninos* vocant, circa tempora Ludovici VII., vel Philippi Auguſti Regum Franciæ, qui Sæculo XII., ac XIII. floruerunt, inventos volunt (1); ſed vetuſtiorem illorum originem noſtra Janua oſtendit, cujus ætatem ad Sæculi XI. exitum potiùs, quàm ſequentis initium ſuperiùs comprobavimus. Noſtrorum verſuum auctor in iis contexendis, concinendiſque Deiparæ laudibus haud certè contemnendam operam navavit. Sed miſſis jam marmoreis operibus, ad ipſam Æneam Januam illuſtrandam accedamus; in qua præcipua Vitæ, Mortis, Reſurrectioniſque Chriſti Myſteria inſculpta ſunt; quibus dein XXIV. Epiſcopi Beneventanæ Provinciæ, atque imprimis Archiepiſcopus, ſinguli propriis Tabulis diſtincti, adjecti ſpectantur.

De Archiepiſcopo, qui Mitram *Regnalem*, ſive *Camaleucium*, aut *Camaurum* geſtans, ac præterea Pallio, aliiſque Pontificalibus veſtibus ornatus oblationem ab Epiſcopo, ab ſe recenter conſecrato, recipere effingitur, haud plura heic dicemus poſt ea, quæ de vetuſtis noſtrorum Archiepiſcoporum prærogativis uberrimè diſſeruimus Cap. III. Illud tantummodò animadvertemus, primum quidem Archiepiſcopo locum inter ceteros Epiſcopos datum; ipſum tamen in læva Januæ parte locatum: Sic Agno, de quo ſuperiùs dictum eſt, Crux non dextro, ſed ſiniſtro pede ſuſtinenda traditur: Quod quare factum ſit, poſt perluſtratas Epiſcoporum effigies opportuniùs explicabimus.

Epiſcopi itaque uno, eodemque omnes corporis habitu, veſtitu, geſtuque exprimuntur, ſolo inſcriptæ cuique Eccleſiæ nomine diſtincti. Dextrâ Benedictionem fundunt, ſiniſtrâ Baculum Paſtoralem gerunt; Caput Mitrâ, Caſulâ corpus contegunt. Ad dextram quod attinet, benedicentis geſtu elevatam, jam digitos intuebimur ad Græcorum morem compoſitos, ut ſcilicet anularis in pollicem contrahatur, tribus aliis explicatis. Non inſolens id apud Latinos fuit, quibus alioqui ſuus mos fuit, eſtque adhuc tribus prioribus, ſeù majoribus protenſis, reliquis depreſſis digitis Benedictionem impertiri; quod & Græcis aliquando uſurpatum; itaut indubia antiquitatis monumenta non deſint, quæ haud conſtantem utrique Eccleſiæ proprium fuiſſe morem oſtendant (2).

De

(1) Vide Cangium in Gloſſar. med. & infim. Lat. verb. *Leonini verſus*.

(2) In ſepulcro Imp. Ottonis II. Salvator muſivo opere expreſſus viſebatur, Græcorum quidem more benedicens, cujus imaginem exhibet Nic. Alemannus *De Pariet. Later.* p. 88. Similem profert Ciampinus *De Sac. Ædific.* cap. IV. p. 75. Tab. XXIV. n. 2. Ad hæc in Apſide Eccleſiæ Vaticanæ manus ex ejus ſummitate erumpere cernitur, eandemmet digitorum poſitionem præferens, eodemque græco more benedictionem impertiri demonſtrans. Apſidis exemplar habes tum apud laudatum Ciampinum l. l. p. 42., tum apud laudatum Janningum dicto Tom. VII. Junii p. 135.; qui Janningus non aſſentitur Ciampino, in ea digitorum poſitione literas Jeſu Chriſti nomen efformantes interpretanti cum Raynaudo De Attributis Chriſti Sect. IV. cap. IX. n. 733. Quid enim? *plauſibilius* (ſibi plaudens Janningus ait) *compoſitionem manus, prout in memoratis Sepulcro, & Tabula repræſentatur, æquè Latinorum eſſe, ac Græcorum, ſi non & potius Latinorum ſit; tres autem digitos erigi in Coelum, ut eò cogitationes noſtras dirigamus, ad contemplandam Sanctiſſimam Trinitatem; digitumque anularem, & pollicem ſupremis articulis inter ſe conjungentes conficere Literam O., aut anulum Æternitatis hieroglyphicum.* Diverſam in benedictione largienda digitorum compoſitionem Græcorum ſcilicet, & Latinorum, eâdem æquare ſignificatione conatur Janningus; nam illud conſtat, Latinos benedicentes, *pollicem*, *indicem*, *medium*, priores videlicet, dignioreſque digitos (reliquis contractis) ideo extendere, ut Trinitatis myſterium denotantes, in ejuſdem ſimul Trinitatis nomine, ac virtute Benedictionem fundere videantur. Rectè quidem hæc ſe habent, ſi de Latinorum more agatur, cujus ſignificationem ſupponit tantùm, non explicat Janningus: At ejus pace dixerim, nihil magis incongruum, indecorumque videri, ſi ad eandem, quam ipſe ingenioſè affert, ſignificationem Græcorum mos pertrahatur. Quì enim fieri poteſt, ut tum illa digitorum alterna veluti poſitione, ipſorumque ſeparatione, tum verò minori digitorum extenſorum dignitate, quæ duo Trinitatis myſterio præcipuè adverſantur, illud ſignificatum dici queat? Sive igitur Græcorum digitis nomen Chriſti, ut Raynaudus, & Ciampinus cenſent; ſive Litera A. & ω, uti Macrus in ſuo Hierolexico mavult, efformentur, horum potiùs, quàm Janningi interpretationem probare debemus. Interim illud conſtat, Græcorum morem apud Latinos aliquando obtinuiſſe, ut mirum nemini ſit, noſtros Epiſcopos eo more benedicentes in noſtra Janua conſpicere. Haud ſecus apud Græcos invenire eos erit, qui Latinorum more benedicentes repræſentantur, uti in nummis Impp. Michaelis Rhangabe, & Romani Diogenis apud Bandurium Antiq. Conſtant. Tom. II. Pariſ. 1718. in Pictura Codicis Græci ſub Baſilio Macedone exarati, apud Montfauconium in Palæogr. Græca Lib. III. cap. VIII. Pariſ. 1708.

De Mitra nihil heic loqui ſuppetit poſt plurima, quæ de antiquo noſtrorum Archiepiſcoporum Camauro agentes obſervavimus Cap. III.; niſi quòd ejus formam, quæ olim obtineret, bifidam ſcilicet, ſed admodum depreſſam ſpectare nunc liceat in noſtræ Januæ exemplari.

De Baculo Paſtorali ea libenter in medium afferemus, quæ lectu digniſſima olim ſcripſit noſter Archiepiſcopus Hugo II. in Concilio Provinciali An. MCCCLXXIV. Tit. IX. cap XIV.: *Baculus ideſt* ( fort. *oſtendit* ) *authoritatem poteſtatis, & doctrinæ; Correctionem enim paſtoralem ſignificat, quam Chriſtus conceſſit, dum Apoſtolos miſit ad prædicandum, præcipiens eis, ut baculos tollerent; Moyſes etiam miſſus eſt in Ægyptum cum Virga; & ideò convenienter Virga Paſtoralis*, Baculus, *&* Gambuta, *&* Pedum, *&* Ferula *nuncupatur. Pedum eſt lignum recurvum, quo Paſtores pedes trahunt animalium.* Baculus *quandoque ex* Oſſe, *&* Ligno *conficitur, potiſſimùm* in partibus Apuliæ, ſicut & noſtri Abbates, & inter Græcos; *quæ cryſtallina, & deaurata ſperula conjunguntur: Os ſuperius recurvatur;* Lignum *inferiùs ferro acuitur modicè, cum reconditur* ( fort. *retunditur* ): *Siquidem* Os *eſt ſeveritas:* Lignum, *Pontificis eſt levitas,* ( fort. *lenitas* ), *quas jungit in judicio per charitatem; nam ſeveritas, & miſericordia multùm deſtituitur, ſi una ſine altera teneatur: Ferrum obtunditur, quia judicium miſericordia temperatur: ſuperiùs recurvatur, cum Pœnitentes* ( Peccatores ) *ad pœnitentiam revocantur: Aliquando in ſperula* ( ſphærula ) *ſcribitur* HOMO: *ut Pontifex ſe hominem memoret, & de Poteſtate collata non elevetur* (1). Habes ex noſtro Hugone exactiſſimè deſcriptam, explicatamque Baculi Paſtoralis tum materiam, tum formam; quales poſt Sæculum X. *potiſſimùm in partibus Apuliæ*, ideſt Beneventana Provincia, non ſolùm Epiſcopi, verùm etiam Abbates uſurpabant. Habes quoque ejuſdem Baculi tradita ſynonyma, ideſt *Gambutam, Pedum, Ferulam* (2): Quæ tamen ſynonyma eandem rem generatim ſignificantia, non omninò ſimilem ipſius Baculi formam præferunt; ut ex ipſo Hugone ſatis liquet, qui non ſolùm Epiſcopis, verùm etiam Abbatibus eundem Baculum tribuens, Abbatialem tamen Baculum diverſo vocabulo diverſam formam demonſtrante appellat alio ejuſdem Concilii loco, ubi inter alias Archiepiſcopi Beneventani prærogativas, ait, *illum* habere etiam Abbates intra Diœceſim, *omnes habentes Mitras, & Crocias, ad ſuam diſpoſitionem ſpectantes, & proviſionem* (3). Crocia autem, quæ alibi *Croccia, Crochia, Crucca* &c. *quam ad ſimilitudinem Crucis* dictam docet Papias, fulcrum eſt ſubalare, cujus pars ſuperior in Crucis, ſive literæ T formam conſtructa eſt (4). Hanc verò etſi Epiſcopis monumenta plura communem efficiant, id tamen generali Baculi notione factum crediderim. Secus verò de *Ferula* dicendum videtur, quæ quanquam, uti Baculus, Epiſcoporum fuerit, plurimùm tamen inter utriuſque formam, uſumque diſcriminis erat. Baculus enim, ut jam dictum eſt, ſummitatem habebat incurvam, uti hodièque in Epiſcopis obtinet; *Ferula* verò in globulum crucigerum ſuperiùs deſinebat, uni Romano Pontifici hodiè ſervata. De Ferula Epiſcoporum Beneventanæ Provinciæ illuſtre exemplum, memoriamque nobis ſervavit Anonymus Salernitanus, qui Legationem Principis Arichis ad Carolum Magnum deſcribens, hæc de ipſis Epiſcopis commemorat: *& non procul ab ejus Caſtris de aſinis ſe ejecerunt, & ſingulis Clericis ante ſe, unuſquiſque cum Ferulis incedere juſſerunt.* Addam exemplum alterum ex Anonymo altero, auctore Vitæ S. Udalrici Epiſcopi Auguſtani, qui quum ab Imp. Ottone III. Adalberonem Nepotem ſuum ſibi Succeſſorem impetraſſet, occaſionem Adalberoni fecit, ut *propter quorundam Clericorum æmulationem, qui ſe exiſtimabant poſt obitum Sancti Epiſcopi, Imperiali celſitudine concedente, Epiſcopatum poſſe acquirere, Ferulam Epiſcopalem publicè portare præſumeret* (5): An verò tum Ferula, tum Baculo incurvo Epiſcopi pro libitu uterentur, non ſatis conſtat. Si ex Anonymorum ſupradictorum exemplis, noſtræque Januæ Simulacris conjectare fas ſit, Baculum incurvum, quum Pontificalibus



(1) Synodic. Provinc. Benevent. pag. 143. edit. Ben. 1695.

(2) De hiſce vocabulis vide Cangium *in Gloſſario*: Agit etiam uberiore ſtilo ſapientiſſimus Cardinalis Bona *Rer. Liturg.* Lib. I. cap. XXIV. §. XV.

(3) In eodem Titulo IX. cap. XIII. Meminit etiam Archiepiſcopus Cardinalis Sabellus in Concilio Provinciali Anni MDLXVII., in d. Synodico p.309., his verbis: *Multi præterea Abbates uſum Mitræ, & Baculi habentes in ipſa Diœceſi exiſtunt &c.*

(4) In Chronico cap. X. inter opp. Peregrinii T. II. pag. 57. edit. Neapol.

(5) Anonymus in Vita S. Udalrici Epiſcopi Auguſtani apud Card. Baronium ad An. 971. n. VII.: ex quo Baronio diſcere quoque erit infauſtum rei exitum, qui ejuſdem Udalrici, Viri licet ſanctiſſimi, erga ſuum Nepotem in ſucceſſorem promovendi ſtudia nec Deo, nec Eccleſiæ placuiſſe comprobavit.

libus veftibus induti facra operarentur, Ferulam verò vel itinerantes, vel in aliis quibufque minifteriis adhibuiffe Epifcopi videri poffunt.

Reftat, ut Cafulam obfervemus, quâ finguli Epifcopi æquiformiter in noftra Janua induti repræfentantur. Cafula, quæ antiquitùs communis quibufvis veftimenti genus erat, nec fortaffe ante Sæculum VIII. in Clericorum ufum peculiari quodam ritu vindicata (1), Veftis fuit, *Planeta* quoque dicta, laxa, rotunda, circumclufa, ac fuperiùs ad immittendum Caput duntaxat aperta, quæ à collo ad pedes totum corpus cooperiebat, atque involvebat, itaut utrumque brachium cum ipfo corpore etiam obvelaret; quare expediri aliter manus nequirent, nifi contractâ hinc inde fubjectis brachiis ipsâ Cafulâ, & ab inferiori parte in rugas, ac plicas fubductâ. Hinc S. Ifidori etymologia paffim admittitur, ut Cafula à Cafa dicta fit, *quod totum hominem tegat, quafi minor Cafa*: at deridetur illa Cucullæ, quæ etiam Cafula eft, quafi *minor Cella* effet (2). Quum igitur Sacerdotes, & Epifcopi Cafulis induti, ad Sacra peragenda, brachia, manufque expedire deberent, jam ipfas Cafulas, ut modò diximus, fuper brachia revolventes complicabant; quales in noftra Janua, aliifque veteribus picturis, monumentifque tum Latinis, tum Græcis paffim occurrunt. Latini verò ad vitandum incommodum, ex Cafulæ amplitudine, & protenfione totum corpus cum brachiis circumcludente proveniens, eas paulatim à lateribus fcindere, & decurtare cœperunt, donec fenfim ad eam formam, quâ hodiè utimur, redactæ Cafulæ funt. Hinc factum, ut quum olim contracta Cafula utrumque brachium Sacerdotis Sacrofanctam Euchariftiam inter Miffarum Solemnia elevantis prægravaret, adeffetque propterea minifter pofteriorem Cafulæ laciniam fuftentans, quò faciliùs Sacerdos brachia extendere poffet, idem etiamnum manferit mos, five ritus fuftentandæ in Myfteriorum elevatione Cafulæ, five Planetæ, quamvis ob recentem Cafulæ formam non opus eo minifterio, feù adjumento habere Sacerdos videatur (3). Sed hæc fatis certa, ac protrita delibavimus tantùmmodo, ut fequentibus lucem afferre poffent.

Obfcurum illud, quod Eruditorum ingenia vel fefellit, vel hactenus divexavit: Habent enim in noftra Janua finguli Epifcopi fupra Cafulas fuas adjectam fafciam, quæ ab utraque humerorum parte ante pectus procurrens, indèque rectà ad genua defluens, non folùm ad Archiepifcopalis Pallii fpeciem accedit, fed ipfum penè Pallium ab ipfis geftatum demonftrat. Hæc in eam rem de noftra Janua loquens commentatur Sarnellius: *Si de' notare, che tutti e ventiquattro i fudetti Suffraganei ftanno colla deftra alzata, che ha il pollice unito al dito annulare, e tutti fono colle Cafóle Greche, ciafcheduno col fuo Pallio lungo, come lungo è anche quello dell' Arcivefcovo: Qual portamento di Pallio non fi ufa nè alla Latina, nè da' Vefcovi Latini; poichè portatofi da' Greci il Pallio fu abufo introdotto da' Greci nell' anno 934. al riferir di Liutprando preffo il Cardinal Baronio, quando Alberico Tiranno di Roma ad iftanza di Romano Imperatore coftrinfe Giovanni XI. Papa, da lui tenuto prigione, a concedere a Teofilatto eunuco, Patriarca di Conftantinopoli, ed a' Succeffori, che ufaffero fenz' altra licenza de' Romani Pontefici il Pallio, ed effi fi fecero lecito di darlo in fino ad ogni Vefcovo* (4). Omnia igitur Sarnellius ad Græcæ Ecclefiæ morem, ritumque, five *abufum* trahit, ut mirum propterea fit, Virum, alioqui in Beneventanæ Ecclefiæ Antiquitate non mediocriter verfatum, de Beneventanæ Provinciæ Epifcopis ita ftatuiffe, ut non tam Beneventano Archiepifcopo, imò & Romano Pontifici, quàm Conftantinopolitano Patriarchæ, ea Pallii geftatione obnoxii fuiffe viderentur. Temerè igitur, ac fatis inconfultò fe habuit Sarnellius, cui duo præcipuè in ea re probanda erant, Græcorum nempè *abufum* quoad commune Epifcoporum Pallium ab anno 934. cœptum, ad Sæculi XI. exitum, vel XII. initium, adhuc perfeveraffe; alterum verò (quod falfum omninò eft) Ecclefiam Beneventanam cum univerfis fuis Suffraganeis in Ecclefiæ Græcæ partes tranfiffe, vel, faltem, ipfo annuente Archiepifcopo, qui

(1) Argui id certè poteft ex Concilio habito apud Liptinas in Pago Cameracenfi Ann. 743. cap. VII., ubi decretum fuit, *ut Prefbyteri, & Diaconi non Sagis Laicorum more, fed Cafulis uterentur ritu Servorum Dei*. Quòd verò Sacerdotes ante Cafularum ufum Dalmaticis uterentur, quas poftea Diaconis conceffere, teftis eft Walfridus Strabo cap. XXIV.

(2) S. Ifidorus Etym. Lib. XIX. cap. XXVIII. Vid. Ferrarium De *Re Veftiaria* Lib. I. cap. 36.

(3) Vid. eund. Ferrarium l. l. cap. 37.; & Card. Bona *Rer. Liturg.* Lib. I. cap. 24. §. 8.

(4) Ex ipfis noftrorum Epifcoporum Cafulis nihil Græcitatis extundere poterat Sarnellius; nam, ut rectè obfervat Cardinalis Bona l. l. *in Ecclefia Orientali Phænolium, five Cafula Pontificalis à Presbyterali in eo differt, quod ifta fimplex, illa multis Crucibus infignita eft, & ideo* πολυσαύριον Polyftaurium *dicitur, ac fi Latinè* multicrucium *diceremus*. Nihil autem ejufmodi in noftrorum Epifcoporum Cafulis cernitur, quæ propterea Latinorum potiùs, quàm Græcorum more geftatæ dicendæ funt.

qui in præclaro Ecclesiæ suæ monumento præ illius foribus, tum præsentibus, tum posteris commendandum tulisset, ejusdem Ecclesiæ Græcæ morem, sive *abusum* illos sectatos fuisse.

At cur factum, inquies, ut non modò Beneventanæ Ecclesiæ Suffraganei, sed quarumlibet quoque Ecclesiarum Antistites in vetustis simulacris, vel marmore, vel ære, vel picturâ expressis, Pallio insigniti passim repræsententur? Edidit Hugo Menardus ex MS. Codice antiquissimas Imagines S. Gregorii Magni, ac S. Remigii, ambas in eadem simul tabula, pari modo, ac forma tum Casulâ, tum Pallio instructas, ut scilicet probaret, *non fuisse olim in Pallio Cruces*, quarum in utriusque Gregorii, Remigiique Pallio nulla apparent vestigia (1): Sed an veram ejus Pallii formam, quo Gregorius uteretur, Imago illa referat, dubitandum jure erit, si alteram ejusdem Gregorii effigiem animadvertamus, Pallium Crucigerum gestantem, quam Frontispicio Tomi I. illius Operum ediderunt, ac veram appellaverunt doctissimi Editores Benedictini (2): Ampliùs verò dubitabimus, si Testem magis idoneum audiamus, Johannem scilicet Diaconum, qui Corpus Gregorii *post annos circiter* quinquaginta â Gregorio IV. translatum narrans, illius in Corpore adhuc Pallium inventum subdit, atque ita describit: *In eo, quod Pallium ejus bysso candente contextum, nullis fuisse cernitur acubus perforatum, sic ipsum circa scapulas obvolutum fuisse, non autem confixum dignoscitur, sicuti vetustissimis musivis, & picturis ostenditur* (3). Quis igitur sibi persuaserit, S. Remigium, qui quinquaginta ad minus annis ante Gregorium floruit (4), vel Pallio usum fuisse, vel eandem (quam Codicis pictura omninò simillimam præfert) cum Romano Pontifice Pallii formam usurpasse?

Alterum mihi quoque meminisse fas sit (neque enim plura heic congerere passim obvia, opus, aut otium est), satis illud quidem Virorum clarissimorum ingeniis nuper celebratum monumentum, quod *De Duobus Episcopis in Schemate Codicis Paulini depictis* in lucem protulit V. C. P. Paciaudius. Censet itaque Vir Eruditissimus in iis binis Antistitibus æquè Pallio insignitis non duos Archiepiscopos designari; *quamvis enim* (inquit) Pallium à Patribus Concilii CPolitani IV. *Stola Archiepiscopalis* dicatur; factam tamen à Romanis Pontificibus interdum Episcopis Pallium gestandi potestatem, aliquot exemplis comprobare nititur, quibus illud addit, Veterum Neapolitanorum Antistitum Imagines (VV. CC. Mazochio, & Sabbatinio testibus) antequam illa Sedes Metropoliticum jus adepta fuerit, *illos referre Pallio insignitos*. At Mazochius Antistites illos, qui in dicta Pictura Codicis Paulini sacris indumentis ornati Clericis, Monachisque in Balneo lavantibus imminent, alterum, *illum scilicet, qui dextrum occupans latus lavantibus benedicit, pro Neapolitano Archiepiscopo, alterum pro Præsule Puteolano habendum statuit* (5): Quod verò ad utriusque Pallium attinet, nullam is controversiam, aut dubitationem movit, illud certum agnovisse visus, non alio scilicet insigni, quàm Pallio, utrumque, tum Neapolitanum Archiepiscopum, tum Puteolanum Præsulem ornatum exhiberi. Sed nihil magis, quàm de ea re, dubitatio suboriri Mazochio debuisset (6), qui alterum pro Archiepiscopo Neapolitano interpretatus, alterum pro Episcopo Puteolano, cui gestandi Pallii facultatem numquam factam probè norat, haud equidem hujus insigne pro Pallio accipere, vel aliquando gestatum permittere debebat.

Non igitur in Pictura Codicis Remigiani, alteraque Codicis Paulini, si in priori de Remigio, in posteriori de Puteolano Præsule agatur; neque, qui in nostra Janua conspiciuntur, quatuor & viginti Beneventanæ Provinciæ Episcopi; non denique quotquot ad manus, vel ob oculos versari nobis possunt ex omni antiquitate adhuc superstites Episcopo-



(1) Hugo Menardus in not., & observ. ad Sacramentar. S. Gregorii not. 783. Easdem Imagines exhibent Patres Benedictini S. Mauri in nova edit. Opp. S. Gregorii in ejusd. Sacramentario T. III. operum, sed non eodem, quo Menardus, loco; nam illas rejecerunt ad not. 948. pag. 559.

(2) T. I. Opp. S. Gregorii M. edit. Ven. 1744.: Eandem effigiem Benedictini editores alteri à Menardo prolatæ antetulerunt loco superiùs citato pag. 558. in nota ibidem subjecta.

(3) Joh. Diaconus in Vit. S. Gregorii Lib. IV. cap. LXXX. Tom. IV. Opp. pag. 175.

(4) Remensem Ecclesiam adiit S. Remigius An. 471. ante Annum 535. defunctus; uti statuit Petavius in Rat. Temp. P. I. Lib. VII. cap. 4.

(5) De Sacris Balneis cap. VII. pag. 59. secundæ edit. Rom. 1758.: Mazochius de Cultu SS. Episcoporum Neap. P. II. cap. XV.: Sabbatinius in Kal. marm. Neapol. T. VI. p. 29.

(6) De Eccl. Neapol. semper unica in Appendice pag. 273. not. 10.: Dissentit in eo quoque à Paciaudio Mazochius, quòd Episcopum, sive Archiepiscopum *benedicentis* gestu depictum velit, quem ille cum Apulejo *de Asin.* Lib. II. agnoscit *porrigentem dextram, & instar Oratorum conformantem articulos, duobusque infimis conclusis digitis ceteros eminus attollentem.*

ſcoporum effigies (ſi pauciſſimos excipias, quibus à Romanis Pontificibus permiſſum indubia rerum geſtarum monumenta teſtentur (1)) inſigne illud, quod in ſuis Caſulis appoſitum geſtare videntur, proprium, verumque Pallium, nobis cogitandum, aut affirmandum permittent; ſed id ſolum reliquum nobis efficient, ut in eo inſigni peculiarem quendam Caſularum ornatum in Pallii ſpeciem aſſutum agnoſcere debeamus.

Nihil profectò hac re verius, nihil certius affirmari poteſt, quæ non modò Scriptorum evincitur teſtimonio, ſed ipſa etiam ſeſe originali veluti aſpectu adhuc prodit. In Hiſtoria Epiſcoporum Antiſiodorenſium cap. XLIX. hæc leguntur: *Caſula coloris ætherei phrygio palmum habente Superhumeralis, & Rationalis effigiem ad modum Pallii Archiepiſcopalis honorabiliter prætendebat*. En igitur formam veterum Caſularum, quibus Pallii Archiepiſcopalis figura adtexta erat. Supereſſe adhuc in majorum Eccleſiarum Secretariis ejuſmodi veteres Caſulas, ſeù Planetas ſcimus, in quibus circa collum limbus alterius coloris, ante, & retrò pendulus affixus conſpicitur (2): Atque hùc quidem reſpexit Joh. Gerſonius de Sacerdote loquens: *Habet ante ſe, & retrò Dominicæ Crucis Signum ad memorandam jugiter Chriſti Paſſionem. Ante ſe Crucem in Caſula portat, ut Chriſti veſtigia diligenter inſpiciat, & ſequi ferventer ſtudeat: Poſt ſe Cruce ſignatus eſt, ut adverſa qualibet illata ab aliis clementer pro Deo toleret* (3). Ejus rei veſtigium aliquod in hodiernis Caſulis ſervatum videmus, in quarum parte anteriori parvum phrygium diverſi coloris à dextro, lævoque latere ante pectus ſe conjungens, atque in extremam Caſulæ, ſeu Planetæ oram rectà decurrens, Crucis figuram omninò repræſentat. Sed de Epiſcoporum Simulacris jam ſatis.

Ad ſuperiores modò noſtræ Januæ tabellas progrediemur, in queis eodem anaglyptico opere, ſed ob multitudinem, varietatemque Simulacrorum difficilior, ac præſtantior opera præſtita eſt; dum præcipua (uti diximus, atque etiam ſpectanda dedimus) Vitæ, Mortis, Reſurrectioniſque Dominicæ Myſteria ſingillatim repræſentantur. Singulas Tabellas, ſive areolas explicare aggreditur Ciampinus, ſed breviter, ac curſim: immo ſatis rude, atque mendoſiſſimum exemplar ſequutus, contra immeritum Artificem ut plurimùm invehitur, quòd plura contra Divinorum Librorum fidem expreſſerit: ſic enim orditur: *In primo Quadrato, ſeu prima Areola rudi modo Annunciatio B. Virginis Mariæ expreſſa eſt, ipſaque ſedet. Ad dexteram ſtat Angelus, ad ſiniſtram, ni fallor, alia mulier: has retrò figuras velum ſuſpenſum viſitur, in angulis arcus Cameram formantis bini ſunt Angeli; in ipſius verò arcus ſummitate interiùs murus cum pinnis obſervatur. Nonnulla hoc Iconiſmo ad placitum Pictoris expreſſa animadverto, nam in Sacro Textu Lucæ cap. I. num. 26. ita legitur &c.* At quæ contra, vel præter Evangelii fidem ſunt, verè dixit Ciampinus ad deſcribentis potiùs *Pictoris placitum* (ſi tamen ad deſcribentem Pictorem reſpexit) referri oportere; falſum verò id erit, ſi ex Sculptoris, Artificiſque manu profecta intellexerit. Qui noſtrum exemplar ſumma fide, peritiorique manu exceptum ſpectaverit, nihil in ea Tabula notandum inveniet, quod Evangelio adverſetur; nam binos illos Angelos in angulis arcus acuminati, quo Camera, ſeù Cubiculum ſuperiùs concluditur, ad exteriorem potiùs ornatum, quàm ad rei intra ipſum Cubiculum geſtæ teſtimonium adhibitos facilè deprehendet. Jam verò ut Cubiculum ipſum ingrediamur, nullum *velum*, nullus etiam *murus cum pinnis* occurret, ſed infra ipſius Arcus acumen faſcia eſt, in qua *tres Stellæ* pari forma, æquoque ſitu, ſeu ordine inſculptæ ſunt, tres Divinas Perſonas fortaſſis indicantes: Paullò inferiùs Columba aſpicitur, quæ Divinum *ſupervenientem* Spiritum repræſentans imminet Virgini ſedenti, ac dextrâ *colum*, ſiniſtrâ *fuſum* exercenti: Ante Virginem Angelus annunciantis, ſive loquentis geſtu adſtat: Ab altero autem Virginis latere adeſt infimo loco puellula quædam, quam neutiquam ejuſdem Virginis ancillulam (quam Myſterio interfuiſſe nefas eſt credere), ſed ipſius Virginis typum, quæ ſe tunc *Ancillam Domini*, dum Dei Mater annunciatur, profeſſa eſt, vel Humilitatis Symbolum, ſatis aptè adjectam putabimus.

Habes igitur, quàm verè, quàm pulchrè, ingenioſèque res tota expreſſa ſit. De Sacra *Colo* SS. Virginis Deiparæ meminit Nicephorus Calliſti, ubi de Æde Deiparæ *Hodegetriæ* appel-

(1) Ipſemet Paciaudius plurimùm laboravit, ut eodem loco vix ſeptem exempla permiſſi à Romanis Pontificibus Epiſcopis Pallii à Sæculo VI. ad XI. colligeret. Quàm difficiles autem in ea re concedenda Romani Pontifices fuerint, quantamque in conceſſione circumſpectionem adhibuerint, jam mihi prolixè dictum, probatumque eſt, quum de noſtri Archiepiſcopatus erectione diſſerui cap. III. hujus Diſſertationis.

(2) Vide Cangium in Gloſſario verb. *Caſula*.

(3) De Imitat. Chriſti cap. V. n. 3.

appellatæ sermonem habet; in quam Ædem conditrix Pulcheria Augusta complures intulit, reposuitque sacras Reliquias ab Eudoxia Theodosii junioris conjuge Hierosolymis acceptas, inter quas B. Virginis *Sacra Colus* recensetur (1): Utut verò de ea Reliquia judicium quis ferat, certum illud scimus, hoc in *Mulieris fortis* (quæ quidem in ipsa Virgine inventa est) laude positum à Spiritu Sancto, *quòd digiti ejus fusum apprehenderint*. Non igitur indecorum, aut importunum, sed planè honestissimum, atque divinum, quod Artifex satis ingeniosè, pièque, non contradicente, sed silente Evangelio, nullo fortasè omnis retrò Antiquitatis, sed laudando deinceps exemplo, ita Virginem ab Angelo salutatam expresserit, ut Mulieris Fortis typum implentem, idest labori simul, & orationi (quæ *Coli* exercitio omninò conjungi poterat) incumbentem repererit.

De secundo (uti vocat) *Iconismo*, ubi B. Virgo Elisabetham visitans repræsentatur, nihil reprehendendum Ciampino occurrit, qui mox ad tertium properans, hanc exclamationem emittit: *O' infelicitas, & inscitia temporum, quibus Pictoribus sacra delineandi Mysteria pro suo arbitrio erat data potestas!* At Ciampini præjudicium id fuit, qui Christi Nativitatem in hac tertia tabula expressam putavit: Is siquidem mulierem in lecto jacentem, cui altera mulier poculum ministrat, aspiciens, ac duas prætereà mulieres, alteram Puerum præ manibus tenentem, alteram lineum pannum admoventem, hæc, inquam, aliaque ibidem expressa advertens, erroris rem omnem damnat, *in qua voluit fortasè Pictor attendere non Evangelium, sed Librum illum De Nativitate Salvatoris, & de S. Maria, & de Obstetrice Salvatoris, quem inter apocryphos rejicit PP. Gelasius Dist.* xv. At Ciampini (ut dixi) præjudicium id fuit, aut certè hallucinatio, non verò Pictoris, seu Sculptoris arbitrium, aut error; qui profectò Sculptor in ipsa tabula non quidem Christi, sed Johannis Baptistæ Nativitatem effingere, aliorumque perspicacioribus oculis spectandam exhibere laboravit: Iis autem indiciis, imaginibusque repræsentavit, quibus non modò recentes, sed vetustissimæ etiam pictæ tabulæ eandem Sanctissimi Præcursoris Nativitatem nobis præclarissimè referunt; ut mirum sit, Ciampinum pro Johannis Nativitate, cui omnia congruere videntur, Christi potiùs Nativitatem, cui omnia repugnabant, illic agnovisse.

Sed agnovisse, ex tribus hisce animadversis Tabulis, nobis nunc licebit Artificis fidem, ingenium, solertiam: quæ omnia in reliquis quibusque nostræ Januæ tabulis, si non demirari, probare certè subit. Videas profectò in minimis rebus, Evangelii, aliorumque divinorum Librorum fidem amussim, religiosèque servatam: Ut, quum (exempli gratia) in panium multiplicatione à Christo facta, duodecim fragmentorum Cophini, in exigua licet area, exactissimè insculpti numerentur: Quum Pilato manus lavanti Famulus altera manu pelvim, seù discum supponat, alterâ aquam è Vase profundat: Quum Judas laqueo ex arbore suspensus, omnia viscera (uti in Apostolorum Actis traditur) diffusa ostendat: Quum Christus post Resurrectionem Thomæ, ac reliquis Discipulis appareat in Conclavi, cujus ut Janua clausa exprimatur, ferreum retinaculum à parte exteriori adjectum conspicitur. At hæc pauca exempli tantùm caussâ delibasse suffecerit, quò magis nostri Artificis diligentiam, industriam, ingenium, quibus omnia quàm fidissimè, immò etiam evidentissimè repræsentare satègit, perspecta haberemus. Cæterùm singulas percurrere, explicareque Tabulas, non hujus loci, temporisque res est: uberrima enim excresceret Seges, quæ peculiari Dissertatione, aut etiam Opere digna, in primam nunc tantùm erupisse lucem contenta est; ac prodita nunc tantùm, amplissimam adhuc materiam aliis suppeditabit, ut nostrorum exemplarium ope, exceptisque ex nostra Janua exemplis, Sacram Antiquitatem illustrare, aut comprobare sibi contingat.

Ubi, & à quo fabrefactum egregium id Opus sit, nulla, uti jam dixi, docet inscriptio. Habemus alibi *Æneas* Januas: Nam (ut *Argenteas* prætereàm, *pensantes libras nongentas septuagintaquinque*, à Pontifice Honorio I. Vaticanæ Basilicæ appositas, atque an. 846. à Saracenis direptas, dein à Leone PP. IV. restitutas, iterùmque ablatas (2)), habet nunc eadem Basilica præclarissimam Æneam Portam, quam in Argenteæ, vel potiùs vetustissimæ Æneæ locum anaglyptico, elegantissimoque opere construendam curavit Eugenius PP. IV. (3). Vetustissimam memoravi ejus Basilicæ Æneam Portam, tùm fretus Manlii testimo-

(1) Apud Anselmum Bandurium in Commentariis ad Antiquitates CPolitanas Lib. II. pag. 464. Histor. Byzantinæ Tom. XXIII. edit. Venet.

(2) Vide vulgatum Anastasium Bibliothecarium in Vit. Honorii I., & Leonis IV.

(3) Hujus Portæ exemplar habes apud Ciampinum Veter. Monum. P. I. cap. V.

ſtimonio, qui in Hiſtoria ejuſdem Baſilicæ illam commemorat n. LI., quùm Flodoardi auctoritate, qui in Vita Hadriani PP. I., ideſt Sæculo VIII. labente, Sanctiſſimi ejus Pontificis munificentiam, qua Vaticanam condecorare Baſilicam ſtuduit, recenſens, hæc inter alia plura de ipſo canit;

*Erigit Ære datas præſtanti Culmine Portas* (1);

ubi haud probanda videtur Muratorii obſervatio, illud *Ære datas*, idem atque *Ære editas* interpretantis, quaſi illarum exemplar ære editum indicaverit Flodoardus; qui certè Flodoardus verbum *dare* ita uſurpavit, ut materiam oſtenderet, ex qua Portæ illæ conflatæ, extructæque Hadriani juſſu fuerunt. Sed quum illæ perierint, extanteſque nunc aliæ ab Eugenio excitatæ ad recentiora, nobiſque propinquiora tempora pertineant, alias vetuſtiores perquiremus Æneas Portas, ex quibus de noſtræ Portæ ætate judicium ferri queat; atque in inſigniores binas illas oculos conjiciemus, quarum altera occurrit in Romana Baſilica S. Pauli, altera verò Cathedrali Eccleſiæ Piſanæ eximium hodièque præſtat ornamentum.

S. Pauli Portam ita deſcribit laudatus pluriès nobis Ciampinus: *Exteriori parte ænea eſt, interiori lignea, unde propriè dici poſſunt laminæ æneæ lignum obducentes, quarum craſſitudo eſt duorum minutorum circiter unciæ palmi Romani. Figuræ in iiſdem laminis expreſſæ non quidem anaglyphicè ſculptæ ſunt, ſed ſcalpro inciſæ; ac ſcalpri cavitates filamentis argenteis repletæ, adeoque viſui gratæ, quando recentes erant; modò autem ita recentem ſplendorem amiſerunt, ut ex qua materia ſint, dignoſci vix poſſit, quum pleraque filamenta argentea ceciderint, vel ablata fuerint* (2). Non ſolùm Græci Artificis opus, ſed in Græcia, ejuſque Regia Urbe, atque illuſtris Græci hominis juſſu elaboratum produnt Inſcriptiones ibidem inſculptæ, quarum altera græcis exarata literis ſic ſe habet: *Actum eſt manu mea Stauracii Tuchiti: Legentes orate etiam pro me.* Altera vero latinè: *Anno milleſimo ſeptuageſimo ab Incarnatione Dñi, Temporibus Dñi Alexandri Sanctiſſimi PP. IV., & Dñi Ildebrandi venerabilis Monachi, & Archidiaconi conſtructe ſunt Porte iſte in Regia Urbe CONP. Adjuvante Domino Pantaleoni Conſule, qui illa fieri juſſit.* Hic ipſe autem Conſul Pantaleo eſt, qui eodem munificentiſſimæ pietatis ſtudio, quo Apoſtolum Paulum, miſſis ad ejus Baſilicam ornandam ſupradictis Portis, proſequutus fuit, Beatiſſimum quoque Archangelum Michaelem promerendum ſibi voluit, ad cujus Garganicam Baſilicam ejuſdem omnino artificis, longè tamen minoris molis Æneam Portam ſexennio poſt, ideſt Anno MLXXVI. tranſmiſit; quæ Porta hodiedùm in ejuſdem Baſilicæ, ſeù Cryptæ aditu extat, variis Archangeli Apparitionibus, ejuſdemque Pantaleonis nomine inſignita. Ejus Portæ exemplar antehac ineditum Præſul illuſtriſſimus, ac doctiſſimus Stephanus Borgia in Memoriis *Hiſtoricis Beneventanæ Urbis* vernaculâ linguâ conſcriptis, nuper vulgandum curavit. At utraque iſthæc Porta, licet Ænea, nullam tamen cum noſtra ſimilitudinem præfert, artificii diverſitate. Neque heic moramur Portam Veronenſis Eccleſiæ S. Zenonis, quam *ex Ære cum figuris* indicaſſe tantùm ſatius habuit Jo. Mabillonius in ſuo Itinere Italico §. XV.: nam, utrum à Cl. Maffejo, aliiſve illuſtrata unquam fuerit, ignoramus, nec quæſiſſe otium fuit.

Propiùs ad noſtras accedit altera Piſanæ Eccleſiæ Porta, non ſolùm Ænea, verùm etiam anaglyptico opere fabrefacta, de qua ſic idem Ciampinus: *Antequam ad illarum* (valvarum) *deſcriptionem deveniamus, quo tempore conflatæ fuerint, demonſtrare operæ pretium eſſet; ſed cùm penitus ignoretur, ſilere cogimur. Scimus tamen, non in eadem Urbe* (ideſt Piſis) *conſtructas, ſed aliundè adductas fuiſſe; an ex Hieroſolymis, vel potiùs ex Inſulis Balearibus, à Piſanis ſub Sæculum* XII. *ſubactis, incertum eſt: attamen hanc opinionem, ultra perantiquam in eadem Urbe traditionem, confirmat recens Annalium Piſanorum Scriptor Paulus Tronci pag.* 56. *, ubi eam Victoriam relatam enarrat anno* 1117. *, ac inter alia opima ſpolia, manubiaſque à victis hoſtibus reportatas, duas fuiſſe columnas porphyreticas, & quaſdam valvas æneas aſſerit, quas Metropolitanæ Eccleſiæ Piſarum dono ſacrarunt. Has autem, quarum exemplar ob oculos ponitur, eas eſſe ambigendum non eſt, tum ſi cælaturæ genus inſpicias, tum etiam ſi barbaras voces in iiſdem inſculptas legas* (3).

Non

(1) Flodoardus in Vitis Rom. Pontificum Tom. III. Scriptor. Ital. Muratorii P. I. pag. 193.

(2) Ciampinus l. l. cap. IV.

(3) Ciampinus l. l. cap. VI.


Non heic hujus Pisanæ Portæ cum nostra comparationem instituam, sed aliis libenter relinquam, ut collatis utriusque exemplaribus, de alterutrius præstantia judicium ferant. Illud, quod mihi propositum fuit, statuisse nunc libebit, an scilicet supradictarum Portarum exemplo, scilicet Romanæ S. Pauli, Garganensis Basilicæ, ac Pisanæ Ecclesiæ, quas omnes in Græcia constructas, illincque in Italiam transvectas audivimus, ibidem & nostram Portam elaboratam, atque ad ornandam Beneventanam Ecclesiam delatam arbitrari, necesse sit. Conjecturam augere videntur, quæ superiùs nobis observata sunt, Episcoporum Simulacra, elatam dexteram, ita ad benedictionem fundendam componentium, ut Græcorum morem referentes, opus ipsum apud Græcos constructum ostendant. At non hæc tanti sunt, ut in eam sententiam descendamus: nam benedicendi ritus ille (uti superiùs probavimus) apud Latinos pariter obtinuit; verique similius videri debet, apud nos fabrefactum Opus, ubi nihil Græcè (quemadmodum in aliis supradictis Portis) legitur; ipsum autem opus non solùm in specialem, propriumque Beneventanæ Ecclesiæ usum constructum fuit, sed propria quædam, atque omninò singularia præfert ejusdem Ecclesiæ monumenta exactissimo studio, accuratissimâque manu expressa, veluti Archiepiscopi *Camaurum*, Episcoporum numerum, nominaque latinis, emendatisque vocabulis inscripta; quarum omnium rerum exemplaria à Beneventanis ad Græciam transmissa, ut in ipso opere quamfidissimè repræsentarentur, difficile est, ut credamus. Adde nunc pari anaglyptico opere circa eadem tempora constructam Basilicæ S. Bartholomæi Portam, de qua plura superiùs diximus. Scimus autem antecedenti Sæculo XI. à Desiderio Casinensi Abbate, Victore postea PP. III., Cive Beneventano, accitos Constantinopoli præcellentes Artifices quamplures, quorum operâ non solùm Casinensem Basilicam ampliandam, instaurandam, atque splendidiùs exornandam, verùm etiam deperditas apud Italos præteritorum temporum barbarie artes in Italiam revocandas, atque excolendas curavit (1). Quidni igitur apud Beneventanos (quibus erudiendis Desiderius Familiâ principe natus vehementiùs incumbere debuit) floruisse cum ceteris fusoriam Artem dicamus? Ejus rei argumentum satis sit ex nostra Porta deduxisse: Cui Portæ hoc nunc quoque pretium accedit, ut non id peregrinum, sed (quod majorum nostrorum in nobilissimis quibusque exercendis artibus ingenium, ac præstantiam ostendit) domi partum, ac perfectum Opus ipsum fuisse statuamus (2). Sed jam, quæ diù nos, nec quidem immeritò, aut otiosè spectatores detinuit, prætereunda nobis Ænea Janua est, ut tandem Ecclesiam ingrediamur.

Quod ad amplitudinem, ac magnificentiam attinet, nihil desiderandum Beneventana Ecclesia habet: id unum fortasè quis expectaverit, aut etiam exoptaverit, quod præ egregiis quibusque recentibus operibus æstimari plurimi solet, ut vetusta scilicet facies illa sibi spectanda offeratur, quæ in Sacris Ædificiis majorem quandam venerationem, oblectationemque sibi vindicat. Speciosior itaque, augustiorque fortasse post Terræmotuum, aliorumque eventorum injurias, calamitatesque nostra Ecclesia exurgere cœpit, spectabilior non item, atque insignior, qualis primævæ vetustatis suæ majestate, ac religione enitebat. Ex veteribus Ædificiis, monumentisque præter ingentem columnarum numerum, duo tantùm reliqua sunt, quorum ætas ad quinque propè Sæcula extollitur. Marmorea hæc sunt suggesta, quæ hinc inde ad Aram majorem in utroque Navis mediæ latere attolluntur. Quòd igitur reliqua ea sint in nostra Ecclesia sacræ vetustatis monumenta, quorum exemplar non solùm in Operis mei ornamentum, spectantisque voluptatem, sed in utriusque quoque utilitatem cessurum fortase erit, ipsorum alterum ærea tabula expressum volui, ex quo simillimam alterius formam argumentari promptum erit.

(1) Leo Ostiensis Chron. Casin. Lib. III. cap. 29. *Legatos interea Desiderius CPolim ad locandos Artifices destinat, peritos utique in Arte Musiaria, & Quadrataria . . . Et quoniam artium istarum ingenium à quingentis, & ultra jam annis magistra Latinitas intermiserat, & studio hujus inspirante, & cooperante Deo nostro, hoc tempore recuperare promeruit; ne sane id ultra Italiæ deperiret, studuit Vir totius prudentiæ, plerosque de monasteriis pueros diligenter eisdem artibus erudiri: non autem de his tantùm, sed & de omnibus Artificiis, quæcunque ex auro, argento, ære, ferro, vitro, ebore, ligno, gypsò, vel lapide patrari possunt, studiosissimos prorsus Artifices de suis sibi paravit.*

(2) Omissa fuit à Chalcographo in nostræ Januæ exemplaribus scala palmorum, qua quisque illius altitudinem, latitudinemque metiri posset. Monitum igitur heic Lectorem volo, solam ipsam Æneam Januam (exceptis marmoreis postibus, ac superliminari) ad Palmorum Neapolitanorum XVIII. altitudinem extolli, cujus proportione omninò servata, ejus latitudo universim ad palmos XII. protenditur.

erit. Inſcriptionem quoque heic exhibeo, in latere dextro inſculptam, Operis auctorem, atque tempus demonſtrantem.



Quam Inſcriptionem ita leges:

HOC OPUS EGREGIUM NICOLAUS CELTE CECIDIT
VIRGINIS AD LAUDEM CUJUS TUTAMINE FIDIT.
ANNO D. M. CCC. XI. INDICTIONE X. (1).

Hic autem Opifex Nicolaus idem ipſe eſt, qui in anteriori facie, ære à nobis expreſſa, ante Crucifixi imaginem ſemet orantem, genuflexumque effinxit, ut docet altera Inſcriptio, quæ inter ejuſdem Tabulæ, ſeù Areæ ornamenta diſpergitur, & in noſtro exemplari ob ſpatiorum anguſtiam deſcribi non potuit.

Unius, ut dixi, Suggeſti, imò anterioris duntaxat ejus faciei exemplar exhibere ſatis habui; nam non modò Suggeſtum ipſum in quadratam formam, totidem in poſteriori parte ſubnixum columnis, iiſdem elaboratum ornamentis, Simulacriſque conſtat, verùm etiam

(1) Celtis ſcalpri genus eſt, quo lapides cœduntur, ſive inſtrumentum ſculptorium. Vetus Inſcriptio apud Gruterum pag. 329. MALLEOLO ET CELTE LITTERATUS SILEX. W. Britto in Vocabulario apud Cangium: *Celtis inſtrumentum ferreum aptum ad ſculpendum*, Ceſel *gallicè*, *dicitur* à cælando. *Sed nunquam eſt in Biblia; unde Job.* XIX. *ubi quidam legunt*: vel celte ſculpantur in Silice: *GG. in originali, ut antiquæ Bibliæ habent*: certè: *& nullus Sanctorum Expoſitorum ponit*: Celte. Sed falſus eſt Britto; nam Expoſitorum maximus Hieronymus hoc vocabulum *Celte* in dicto Jobi loco agnoſcit, & explicat in ep. 61. ad Pammachium, ad quam Marius Victorinus: ut mirum ſit, Auguſtinum Calmet in ſuo elaboratiſſimo Dictionario S. Scripturæ non feciſſe locum huic vocabulo. Verum quidem eſt, id vocabulum in aliquot verſionibus, & pleriſque antiquis MS. Codicibus Bibliorum non legi; nam Chaldæus vertit *in æternum*, S. Auguſtinus *in teſtimonium*, nempe celte conſignantur res, quaſi *teſtimonio æterno*, uti obſervat Tirinus: Ipſe quoque Gregorius Magnus in ſua uberrima, præclariſſimaque Jobi expoſitione ad eum locum prò *Celte* uſurpat adverbium *certè*; digni tamen ſunt eruditiſſimi ejuſdem Gregorii Benedictini Editores, ut quæ ad dictum Gregorii locum adnotarunt, audiamus: *In Germ. ſeptem Mss. Anglic. Norm. & aliis legitur hic, & infra* vel certè; *quod etiam Hebraico textui magis congruit. E Codicibus Libri Job manu exaratis alii habent* vel certe. *alii nec numero impares*: vel celte. *Ita legitur apud Hieronymum. Gregorius, qui explicat Plumbi laminam, ſilicem, ſtylum ferreum, ſilet de* celte: *quod non obſcurè innuit illum non legiſſe*: vel celte.




Alter ex binis vetustis e marmore quaqua in aequa latera extructis Suggestis Ædis Majoris Beneventanæ

etiam alteri è regione poſito Suggeſto quàmſimillimum eſt, ſi tantùm Simulacrorum diverſitatem excipias. In eo igitur, quod exhibemus, digniorem locum obtinet Sanctiſſima Virgo Maria, puerum Jeſum inter brachia geſtans, à cujus dextro latere S. Bartholomæus Apoſtolus, à ſiniſtro S. Januarius inſculpti viſuntur, quorum Simulacra Suggeſti angulos complent. Interjacentium arearum altera muſivo, vermiculatoque opere ornatur, altera Crucifixi imagine inſignior eſt, ante quam imaginem Nicolaus Opifex, ut dixi, genuflexus orat. In Crucifixi imagine illud obſervatione dignum occurrit, quatuor ſcilicet clavis confixum repræſentari: utinam & non parte tantùm, ſed omninò opertum pariter aſpexiſſemus: Utramque enim rem in ejuſmodi effigie neceſſariam deſiderarunt hactenus Viri doctiſſimi, graviſſimique, alteram ſcilicet, quæ rei geſtæ fidem exequeretur, alteram, quæ decori, & reverentiæ ſatisfaceret. Atque Cl. Aringhius quidem vetuſtis quibuſdam Crucifixi imaginibus ex ſua *Roma Subterranea* in lucem proditis, quæ & toto contectæ corpore, & utrumque pedem proprio clavo confixum habent, rem ipſam pluribus exemplis, & teſtimoniis illuſtrat, vehementiùs recentium Sculptorum, uno ambos pedes clavo, corpuſque nudum exprimentium *novitatem* inſectatus, *quam nemo pius, & Sacræ Antiquitatis ſtudioſus ferre debet* (1). Conqueritur etiam de ea re Mabillonius, Pictorum, Sculptorumque deteſtatus *licentiam, qui Crucifixi, atque aliorum imagines aliquando non tam ad excitandam, quàm ad corrumpendam pietatem componunt* (2).

In altero Suggeſto terna pariter anterioris faciei Simulacra à dextro angulo S. Petrum, binas ſimul claves dextrâ geſtantem, in medio Archangelum Gabrielem, facie verſus ad B. Virginem in ſiniſtro angulo poſitam, repræſentant. Per oram illam, ſeù faſciam, quæ ab eodem Archangelo ad B. Virginem ſupra interjacentem aream excurrit, inſculpta Salutationis verba leguntur: AVE GRATIA PLENA DOMINUS TECUM: veluti ab ipſius Archangeli ore prodeuntia, ad ejuſdemque Virginis vultum pertingentia. An igitur ex hoc noſtro monumento, ideſt Suggeſto ipſo, quod Sacrarum Concionum ad populum peragendarum uſui conſtitutum fuit, pii illius moris antiquitas argui poterit, quo Concionatores in exordio Salutationem Angelicam recitare ſolent? Si res iſta ex aliis noſtræ Beneventanæ Eccleſiæ inſtitutis, monumentiſque definienda eſſet, in contrariam potiùs ſententiam abire oportebit: Nam in Divinis Officiis, in ejus Choro perſolvi olim conſuetis, nullus ante Sæculum XV. ejuſdem Salutationis Angelicæ recitandæ fuit uſus: uti manifeſtè probant Conſtitutiones ab Archiepiſcopo Gaſpare Columna promulgatæ anno MCCCCXXX. in Titulo *de Ordine inchoationis Officii*, ubi plura notatu digna leguntur, quæ, quum veterem Eccleſiæ Beneventanæ, ejuſque Chori diſciplinam, religionemque nobis repræſentent, jucundum quidem, nedum utile fuerit, heic deſcripſiſſe: *Facta pulſatione Campanelli in Choro, ut in noſtris Conſtitutionibus cautum eſt, Ebdomadarius, ſeu Major faciat ſignum cum manu, pronuncians Orationem Dominicam, qua pronunciata Canonici proſtrati, ſi dies fuerit ferialis, ſin autem inclinati æqualiter, & profundè verſo vultu ad Altare ſilenter perſolvant eandem, qua finita, dicat elata, alta, & intelligibili voce:* Domine, labia mea aperies. *Chorus reſpondet:* Et os meum &c. *Dum quia Diabolus Dei laudem ſemper odio habet, & tunc hominem acriùs impugnat, quando Deum laudare promittit, ne laudator Dei à Diabolo ſuperetur, cui non eſt leve reſiſtere, Divinum implorat auxilium dicens:* Deus, in adjutorium &c. *tum divino fretus* (auxilio) *inchoat promiſſum toti Trinitati dicens:* Gloria Patri &c. *vertentes ſe ad Altare, & inclinantes profundè uſque ad* Sicut erat: *& idem modus inclinandi ad* Gloria Patri *ubique obſervetur: & ut devotior ſit inclinatio, fiat Capite diſcooperto: deinde Primicerius, vel cui commiſſum fuit, qualis preco Eccleſiæ, exortatur alios ad laudandum Deum dicens Invitatorium, Choro eidem reſpondente: deinde dicitur Pſalmus* Venite &c. *quem plena, rara, & intelligibili voce dicant, cùm multas habeat ſignificationes, unde ante finem ipſius Pſalmi unuſquiſque debet intraſſe Chorum, ut eorum nemo videantur obduraſſe corda, ſicut & patres in deſerto fecerunt,*



(1) Rom. Subterran. Tom. II. pag. 354., & 406.

(2) Mabillonius Præfat. ad Sæculum IV. Benedict. §. III. n. 47. pag. 216. edit. Ven. 1740. ubi poſt alia: *Nunc* (inquit) *optandum eſſet, ut id eveniret, quod ſua ætate Narbone accidiſſe Gregorius Turonenſis Epiſcopus commemorat in Lib. 1. de Glor. Mart. c. 23. de pictura, quæ Chriſtum Dominum Cruci affixum, quaſi linteo præcintum exhibebat: Ait quippe Chriſtum ſemel, ac tertiò cuidam per viſum intimaſſe, ut ſe non parte tantùm, ſed toto corpore operirent. Re tandem ad Epiſcopum delata, is juſſit velum deſuper expandi*; & ſic obtecta (*inquit Gregorius*) nunc pictura ſuſpicitur, nam etſi parumper detegatur ad contemplandum, mox demiſſo velo contegitur, ne detecta cernatur. *Hinc factum puto, ut in nonnullis Eccleſiis Crucifixi Statuæ veteres talari veſte indutæ conſpiciantur, qualis eſt ea, quæ in Æde S. Ciliniæ Beati Remigii Nutricis apud Remos hodiè quoque viſitur.*

*runt, ob quod requiem sibi promissam videre non meruerunt: Modus quidem inchoationis Officii per omnes horas ut supra servetur, præter quam in Completorio; non tamen, nisi in Matutino dicitur* Domine, labia mea, *sed statim post Orationem Dominicam dicitur* (in aliis horis) Deus, in adjutorium &c. (1). Non igitur divino Officio, nisi sola Oratio Dominica præmittebatur, nullâ prorsus Salutationis Angelicæ facta mentione: quamquam alioqui Ecclesia Beneventana Beatissimæ Virginis titulo ab sua origine decorata, ejusdem cultui perpetuò addictissimam se ostenderit: In Constitutionibus Archiepiscopi Hugonis anni MCCCLXXV. cap. XIX. statuitur, & *præcipitur, ut in Choro Officium B. Mariæ, & Officium Defunctorum omni tempore præsertim secundum institutionem, & ordinationem Romanæ Curiæ dicantur* (2): Quod hodièque obtinet, piissimâ æquè, ac munificentissimâ sæpiùs laudati, ac nunquam satis laudandi Benedicti PP. XIII. olim Archiepiscopi Cardinalis Ursini providentiâ, qui uberrimos annuos reditus Canonicis, Mansionariisque universis pro dicta Officii Mariani recitatione quotidiè in Choro persolvenda perpetuò constituit. Haud mirum verò videri debet, si in dictis Constitutionibus Archiepiscopi Columnæ in officii inchoatione post Orationem Dominicam Salutatio Angelica præterita sit; nam, quum duæ sint ejus partes, quarum una Salutationem ipsam ex verbis Gabrielis, & Elisabethæ contextam continet, altera precationem, qua fideles B. Virginis suffragia, maximè in horam mortis, petunt, illa quidem antiquior, hæc longè recentior est: quemadmodum Mabillonius, aliique observarunt (3). Etsi autem Cardinalis Bona posteriorem eam partem, sive *additamentum* Salutationi Angelicæ factum censeat in magna Synodo Ephesina, quando Beatissima Virgo verè *Dei Mater*, verè *θεοτοκὸς*, summo Patrum consensu proclamata, & Nestorius portentosæ blasphemiæ auctor exauctoratus, & damnatus fuit; fatetur tamen, *eandem ad horas Canonicas cum Oratione Dominica adhiberi, usum esse non admodum antiquum* (4).

Quæ quum de Officio ita sint, eadem de Concionibus affirmare jam suppetit, in quibus nonnisi à Sæculo XV. Salutationem Angelicam post exordium recitari cœpisse, idem statuit Mabillonius: qui & illud observat, eum morem ab Erasmo in suo Ecclesiaste anno 1535. edito audacter reprobatum, *non quò* (inquit) *Deiparæ venerationi detraheret; sed quòd locus etiam Spiritui Sancto, aliisque Sanctis, de quibus Conciones interdum habebantur, relinqui vellet. Ita sentiebat ille Catonianæ severitatis magister, qui hæc verba subdit*: Adde his omnibus, quod isti (concionatores) admonito populo, ut invocet Beatam Virginem, nihil petunt ab ea, sed tantùm salutant verbis Gabrielis, & Elizabethæ: *Quæ heic refero* (pergit Mabillonius) *ad probandum precationem* Sancta Maria (idest posteriorem Salutationis partem) *nondum ubivis tunc fuisse adjectam* (5). Sed quando demum adjecta fuit, sicuti integra ubivis à Concionatoribus recitari postea cœpit, abstinuissetne Erasmus rem ipsam carpere? Audivimus, legimusque nostro ævo redivivos Erasmos quosdam, qui pium illum, saluberrimumque morem, Supplicationes, sive Litanias Beatæ Virginis ante expositam SS Eucharistiam recitandi, canendive reprobarunt, quòd scilicet, præsente nobis Christo neglecto, non sine quadam illius injuria, ad absentem Matrem preces nostras convertamus. Sed animadvertissent hi, nihil Eucharistiæ honori, ac reverentiæ detractum, immo nihil Christo ipsi jucundius, nihil demum nobis salutarius, quàm ut ejus auribus, & Matris suæ laudes, & per ejus Matrem nostras preces offeramus. Mabillonio autem haud sinendum erat, *Catonianam*, quam indulgentiùs appellat, Erasmi severitatem impunè cessisse. Esto enim, quod illius ævo prior tantùm Salutationis pars à Concionatoribus pronunciaretur, adhuc tanti ea erat, eritque semper, ut de ipsa Virgine quammaximè promereremur, nullaque addita precatione Ipsam ad nostram opem devinciremus: *quid enim* (ut cum piissimo Cardinali Bona rem hanc concludam) *gratius offerre ei possumus hac Salutatione, à qua præcelsa ejus Dignitas initium duxit, quæ & Salutis nostræ, & totius Evangelii auspicatissimum principium fuit; nam tunc descendit pluvia in vellus, tunc rorarunt Cœli desuper, & Montes stillarunt dulcedinem, tunc aperta est Terra, ut germinaret Salvatorem.*

Sed

(1) Constitutiones antiquæ Beneventani Capituli, servatæ in nostra Bibliotheca vol. sign. §. IX. Sect. I. n. 82. pag. 10.

(2) Ibidem pag. 3.

(3) Mabillonius Præf. ad Sæcul. V. Benedict. n. 118., & seq. pag. 439. seqq. Meratus ad Gavant. in Rubr. Brev. Rom Sect. V. cap. 11.

(4) Card. Bona *De Div. Psalmod.* cap. XVI. §. II. Sanè Martinus Navarrus, diligentissimus Canonum indagator, dicendam in officio Salutationem Angelicam nullo communi jure statutum affirmat *De Orat.* cap. X. n. 62. Ante annum 1550. nunquam in officio dictam statuit Gavantus; itaut ante S. Pium V., qui Breviarium reformavit, in nullo antiquorum Breviariorum, excepto uno Cardinalis S. Crucis, occurreret; ut laudatus Bona etiam observavit.

(5) Mabillonius l. l. num. 124. pag. 441.

Sed quæ reliqua in noſtris Suggeſtis occurrunt, conficiamus. Obſervationem profectò merentur Leonum Simulacra, quorum dorſis, veluti baſibus ternæ ab anteriori, totidemque à poſteriori parte columnæ impoſitæ ſunt, utrumque Suggeſtum pari modo ſuſtinentes. Leonum Simulacra non ſolùm in profanis, ſed Sacris quoque Ædibus adhibita, tum apud Chriſtianos, tum apud Ethnicos, abundè legere eſt apud Cauſſinum, Valerianum, aliosque (1). Neque id ornatus duntaxat, ſed Symboli præterea cauſâ gerebatur. Vulgatum ſatis Hori Apollinis illud eſt, ex Lib. I. cap. XIX.: *Vigilantem, aſtutumque hominem oſtendentes* ( Ægyptii ) *Leonis caput pingunt: quoniam Leo vigilans oculos claudit, eoſdem, cùm dormit, apertos habet, quod quidem cuſtodiæ, atque excubiarum ſignum eſt. Quocirca non abſque ſignificatione Templorum clauſtris Leones, qui cuſtodum loco ſint, appinxerunt.* Ut verò ad Chriſtianam Antiquitatem rem ipſam contrahamus, recentem quidem auctorem, teſtemque, qui tamen vice omnium eſt, heic proferam, ſplendidiſſimum Eccleſiæ ſidus, Eccleſiaſticæque diſciplinæ, atque antiquitatis diligentiſſimum inſtauratorem S. Carolum Borromæum, qui de *Eccleſiaſticis Fabricis* documenta præbens, *Oſtium* ( inquit ) *medium à ceteris & laxamento, & ornatu diſtingui debet, præſertim in Eccleſia Cathedrali; ubi illud ſculptura Leonum exornari debet, exemplo Salomonis, qui in baſibus illos inſculpi juſſit, ut Præſulum indicent vigilantiam: idipſumque in complurium hujus Mediolanenſis Provinciæ Baſilicarum Cathedralium januis ita extructis præclarè cernitur* (2). In noſtra Ænea Janua, quam ſuperiùs illuſtravimus, nulli inſculpti viſuntur Leones, præter illos, qui in marmoreis poſtibus, anaglyptico opere, ornatus potiùs, quàm Symboli cauſâ cum aliis animalibus permiſcentur; at in noſtris Suggeſtis non arbitrariè, ſed conſultò, immò opportuniori, quàm in Januis, loco, conſtituti Leones cenſendi ſunt. Qualis ſit Leonum ſignificatio, tum ex Horo, tum maximè ex Sanctiſſimo Borromæo didicimus: Nihil itaque congruentius, quàm, ut exemplo Salomonis, qui ſenos, & ſenos hinc inde Throno ſuo, ex quo jura reddebat, accubantes Leones effinxit (3), ſeni pariter utrique hinc inde Suggeſto ſubjacerent Leones, totidem columnas ſuſtinentes; ut ex quibus Suggeſtis non modò Evangelium cantatur, & Sacri Concionatores ſermones habent, ſed ipſe quoque Archiepiſcopus Beneventanus Homilias ad populum habere ex antiquo more ſolet, non ſolùm ejus vigilantia, ſed vocis quoque virtus demonſtrata haberetur.

Cæterùm Beneventana Eccleſia quinque Navibus conſtat, quatuor Columnarum ordinibus diſpertita, quæ omnes ſtriatæ, in altitudinem palmorum XX. ex vetuſto, ut plurimùm, pario marmore, Ædis ampliſſimæ, & undequaque ornatiſſimæ majeſtatem adaugent. Ad hæc minor Ædes, ſeù *Sacellum* adjacens celebrandis hiemali tempore Horis Canonicis ſeceſſum præbet. Plurimæ præter Bibliothecæ, ac Theſauri, de quibus ſuperiori Capite egimus, Ædes ſunt aliæ, tum Sacrarii, tum Canonicorum, tum Manſionariorum receptui, commodiſque magnificenter conſtitutæ: ut nihil ſit, quod Eccleſiæ, ejuſque Cleri dignitati non reſpondeat: omnia verò eò mentes noſtras extollere debeant, ut *almæ Sionis æmuli*, Cœleſti illi Eccleſiæ *canentes jungamur*, cujus decorem ( quantum maximè per homines licet ) æmulari præſens noſtra Eccleſia videtur.



(1) De Symbolica Ægyptiorum Sapientia: ac de Hieroglyphicis Lib. I. cap. IV. Lib. I. cap. VII. pag. 481. edit. Patav. 1754.

(2) Acta Eccl. Mediol. P. IV. Inſtruct. Fabr. Eccl.

(3) Regum III. 10.



# DISSERTATIO VI.

## DE RE LITERARIA

## Veterum Beneventanorum Medii Ævi.



ERPAUCOS quidem eorum, qui hujuſce Diſſertationis Titulum conſpexerint, conſilii mei rationem probaturos, quàm plurimos verò miraturos, aut etiam irriſuros arbitror, quòd inter Patrias Medii Ævi Antiquitates de Re Literaria tractationem ſuſceperim; cui enim bono (inquient) fuerit, aut quanto potiùs probro non fuerit, in eo argumento verſari, in quo nihil aut ſplendoris, aut emolumenti; ſed ipſa, ut plurimùm, maximùmque, rerum mediocritas deſideranda ſit? quandoquidem non modò intra unius Beneventani Principatus, ſive Ciſtiberinæ Italiæ fines, verùm etiam in reliqua Italia, atque ubique gentium, ſublato Liberalibus Diſciplinis, boniſque artibus honore omni, atque cultu, Literiſque ad interitum perductis, ſatius mihi fuiſſet de ejuſmodi argumento ſiluiſſe, quàm miſerrimam illorum temporum ruditatem, pudendam ignaviam, inolitamque pro natura barbariem in memoriam revocaſſe. At non id temerè à me factum; qui, quàm afflicta, ac deperdita per idem ævum publica res Literaria fuerit, non ſolùm probè ſciam, ſed neque heic diſſimulandum mihi duxerim; immò neque me pigeat, quantum propoſito argumento ſatis ea res ſit, in anteceſſum depromere. Quod ſi quis adhuc mihi, uti Atticus Ciceroni, quoſdam pauperis ingenii, obſcurioriſque nominis Oratores recenſenti, me *de fæce haurire, & uſque ad Stajenos, & Annonios* deſcendere ſuccenſeat (1); eadem cum Cicerone reponam, ſervandam videlicet mihi argumentorum, temporumque ſeriem, atque ordinem: vindicandam Literis, quando etiam corruiſſe viſæ ſunt, ſuam dignitatem: recolendam denique Illorum memoriam, qui pro ſuis viribus illas ſuſtentaſſe probantur. Atque hi profectò majori laude digni, dum minores Litteris haberentur laudes, & præmia; itaut nobis in obſcuriſſimam veluti noctem, perpetuo quodam hieme rigentem, ingreſſis, quæcunque oculis occurrent Sidera, etſi minora illa, atque rara, fulgidiora quodammodò appareant, jucundiùs certè ſpectanda ſe offerant.

### CAPUT PRIMUM.

*Litterarum fata cujuſmodi per mediam ætatem extiterint, ſummatim, vividèque exponitur: Jamdiù collapſas Longobardi Italiæ Dominium auſpicati ad interitum propè perduxerunt.*

PEriere quidem in media ætate Literæ omnes, atque ab humano genere exulare juſſæ, dum quò ſe reciperent, non haberent, extremum ſubire fatum debuerunt. Quid de reliquis Populis judicandum ſit, ex una Gallorum Gente argumentari ſufficiat. Quid enim? Præ aliis nationibus *ſtudia Galliarum vel florentiſſima fuiſſe, Galliamque Viris ſemper fortiſſimis, & eloquentiſſimis abundaſſe*, de ſua adhuc ætate loquens S. Hieronymus teſtatur (2): Sed omnia hæc jamdiù concidiſſe vix progrediente Sæculo VIII. querebatur Fredegarius Scholaſticus in Chronici ſui Prologo: *Mundus* (inquit) *ſeneſcit, ideòque prudentiæ acumen in nobis tepeſcit; nec quiſquam poteſt hujus temporis, nec præſumit Oratoribus eſſe ſimilis*. Sed de ipſis Galliis deteriora ſunt, quæ Monachus Engoliſmenſis in Vita Caroli Magni poſteritatis memoriæ commendavit: *Domnus* (inquit) *Carolus iterum a Roma Artis Grammaticæ, & Computatoriæ Magiſtros ſecum adduxit in Franciam, & ubique ſtudium literarum expandere juſſit. Ante ipſum enim Domnum Regem Carolum in Gallia nullum ſtudium fuerat liberalium Artium*

(1) In Bruto cap. LXIX.

(2) Lib. II. epiſt. XIII. pag. 165. & lib. III. adverſ. Vigilant. pag. 415. edit. Rom. 1731.

*tium* (1). Magnam quidem verè magni Principis providentiam jure laudaveris, qua Gallorum suorum bono prospectum voluit; majorem verò Italiæ nostræ gloriam agnoscere æquum fuerit, quæ perpetuum illud sibi vindicat decus, non modò reviviscentes fœcundissimo è sinu suo Literas in alias nationes propagasse, sed collaspas antea, ac penè demortuas, quo valuit subsidio, & sibi aluisse, & aliis suppeditasse.

Utinam verò (nam verum fateri oportet) & in ipsa Italia satis iniquam sibi sortem nactæ Literæ non fuissent. Satis fuerit, ut de reliquis Italis judicemus, oculos ad augustam ipsam Doctrinæ, ac Religionis Sedem, Magistramque Romam convertisse; tanta ignorantiæ caligine offusam intuebimur, ut Agatho Pontifex Anno DCLXXX. Legatos ad Constantinopolitanum Concilium missurus, illorum inscitiam apud Constantinum Augustum his verbis excusare debuerit: *Pro obedientia, quam debuimus, non pro confidentia eorum illos dirigimus, nam apud homines in medio Gentium positos, & de labore corporis quotidianum victum conquirentes, quomodo ad plenum poterit inveniri Scripturarum scientia?* Rursum etiam in altera ad eundem Imperatorem, suo, Patrumque Romanæ Synodi nomine conscripta Epistola: *Si ad eloquentiam sæcularem respicimus* (inquit), *non æstimamus quemquam temporibus nostris reperiri posse, qui de summitate scientiæ glorietur; quandoquidem in nostris regionibus diversarum Gentium cotidiè æstuat furor: unde tota vita nostra sollicitudinibus plena est, quos Gentium manus circumdat, & quibus de labore corporis victus est: & sola est nostra substantia Fides nostra, cum qua nobis vivere summa est gloria.* Aurea sanè Ferrei Sæculi verba (2)! Ex quibus etiam peculiarem illam, tantoque temporum intervallo continuatam Dei providentiam novisse subit, ut tam communis, diuturnaque Ecclesiasticorum ignorantia in nullum Fidei detrimentum deflexerit.

Quum verò de Ecclesiasticis, quos Roma aleret, hæc ita se habuerint, non quidem meliora ex aliis Ecclesiis proditura expectabimus. Si quid verò deterius excogitari potest, id denique apud Sæculares cujuscumque conditionis universos reperire erit. Literarum studia non ita sedulò, uti in Gallia, & Germania, sed tamen in Italia instaurare Carolus Magnus curaverat: mox verò quàm deploratus apud Italos (ut Gallos, Germanosque prætercam) eodem Sæculo IX. Litterarum status haberetur, ipsius Caroli nepos Lotharius Augustus Sanctione sua testatur, quam ea de re ad publicam Italici Regni utilitatem promulgavit: *De Doctrina* (inquit), *quæ ob nimiam incuriam, atque ignaviam quorumque Præpositorum cunctis in locis est funditus extincta, placuit, ut sicut a Nobis constitutum est, ita ab omnibus observetur*: Constituti autem ab ipso Magistri sunt, ut certis in Urbibus, ad quas finitimi confluerent, *Artem* docerent. Ita igitur non in paucis, aut multis, sed *cunctis* Italiæ locis, non quæ in sublimioribus disciplinis versatur, sed quæ primis rudimentis contenta est, non collapsa tantùm jacebat, sed *funditus Doctrina extincta* tunc erat: dum verò Principum providentiâ aperiri Scholæ jamdemum cœpissent, pro magno fuit, eos idoneos inveniri potuisse, qui *Artem* docerent: Sola videlicet Grammatica, *Artis* nomine nuncupata, pro omni Doctrinæ summa statuenda fuit; non illa quidem (uti Viro docto visum est), quæ ad prima rudimenta, veterum Auctorum interpretationem, variarumque rerum cognitionem, ac quandam veluti literaturæ complexionem adjungit, sed quæ in eo solùm sita erat, ut legendi, scribendique facultatem, ac latinæ linguæ, quæ tunc corruptissima evaserat, intelligentiam præstaret (3). En luculentum, sed pudendum simul rei

(1) Tom. II. Du-Chesnii. Hos verò, aliosque plurimos Caroli ad rem literariam in Galliis instaurandam conatus in irritum paullò post cessisse idoneus testis est Lupus Ferrariensis Abbas, qui sub Caroli filio Ludovico scribens hæc ait in Epist. XXXIV.: *Nunc literarum studiis penè obsoletis, quotus quisque inveniri possit, qui de Magistrorum imperitia, Librorum penuria, otii denique inopia, merito non queratur?*

(2) Vid. Mabillonium in Præfat. in Sæcul. II. Benedictin. §. V. Epistolas Agathonis PP. exhibet Labbeus Concilior. Tom. VI.

(3) Id certum videtur ex perspecta satis illorum temporum ignorantia; quam manifestè produnt synchroni Auctores, quos omnium literatissimos tunc esse oportebat, nos verò ineptissimos, ac non modò omnis literaturæ expertos, sed barbarè magis, quàm latinè loquentes audimus. Hinc mirum illud, ut Cl. Muratorius ad dictam Legem Lotharii, quam exhibet inter Leges Longobardorum T. I. P. II. Scriptor. Ital. pag. 151., ac rursus in Dissert. XLIII. Antiquit. med. ævi T. III. pag. 816. ad altiora, atque florentia olim tempora Suetonii, Lampridii, Capitolini respexisse voluerit, quibus Grammaticæ id munus, isque honor accesserat, ut humaniorum quarumque literarum eruditionem complecteretur: Quid tum valeret Grammatica, sat in Virgilianis Commentariis ostendit præclarus ille Grammaticus Servius Maurus Honoratus Sæculi V. ineuntis Scriptor; satisque a me dictum est in superioris Libri Dissertatione VIII., quo loco, de prioris ævi Re Literaria agens non solùm M. Rutilii Beneventani Decurionis, & Grammatici, verùm etiam Orbilii, qui Horatii magister fuit, professionem illustravi. Quod autem

rei ſpecimen ex Epiſtola Hadriani I. ad Carolum M., cujus fragmentum ex Authentico Dionyſiano in phylira exhibet Cl. Mabillonius (1). Quod quia ad Beneventanarum res pertinet, heic deſcribere libet; .... *intentionem prudentiſſimi & ..... ſeù gloriæ veſtræ deducimus, eò quòd à domino fuerunt aliquanti ex Civibus, Capuani ſcilicet ...... & ſpiritalis Compater noſter inc. Carolus Rex Francorum, & Longobardorum, atque Patricius Romanorum .. ... Beato Petro Apoſtolo fautori ſuo, & cum ſua precellenti .... coni .... H.... (Haldegrade) Regina, eorumque noviliſſimis ſuvoles, & cunctis .... noviliſſimi Franci petentes nobis Beatiſſimi Petri, & noſtri eſſent ſubjecti, ſicut per donationem precellentiſſimi Domini Regis agniti ſunt. ... veſtrum petimus conſilium, ſi eos in ſervitio Beati Petri Apoſtoli recipere debeamus .... nobis quippe meliorem .... ſi eos recipimus, ut inter eis diſſentio fiat, & diviſis inveniantur .... ſed & hoc nobis prælati .... noſtrum miſſum una cum indiculum Adelberga relict. ..... rechis* (relicta Arechis) *dirigere deberemus .... pereuntos una cum omnes Benebentani ..... auderent ipſi Benebentanis met aliis pactibus Cives ſuper eos .... aut qualibet in eis malitiam ingerere ..... iſti conſilio favere voluimus. Quapropter quæ ſumus veſtræ re .....* (regali) *prudentiæ, ut cùm de recipiendi eos, quemque de noſtro miſſo una cum noſtrum indiculum apud ſæpe .... ictam* (dictam Arechis relictam) *Adelbergam, ſeù Benebentum dirigendum nobis conſilium præbere debeatis, & qualiter perinde congruò, & recte proſ.... nobis protinus per veſtra ſcripta ſignificare maturemini &c.* Haud melior ad eundem Carolum de iiſdem rebus Beneventanis Maginarii Abbatis Epiſtola eſt, ex authentico item Dionyſiano in phylira ab laudato Mabilllonio n. XI. relata. Has verò ſive maculas, ſive ſordes, quas in autographis legere eſt, raras nunc in exemplaribus deprehendimus, utpotè librariorum, aut editorum licentiâ deterſas. Sed ut ab Hadriani Epiſtola non diſcedamus, ſi hæc non Roma tantùm, ſed Romana ipſa quoque Pontificis Aula in Latinam linguam ſive ſphalmata, ſive portenta invexerat, quæ monſtra alibi obtinere debebant? Incredibile penè videtur, ſed verum illud par eſt, ut credamus, quod de ſuæ ætatis, ideſt Sæculi XI. Eccleſiaſticis S. Petrus Damiani gemebundus affirmabat. Eccleſiaſticorum inſcitiam ſuperiùs indicavimus; & tamen apud reliquum hominum vulgus ſoli Eccleſiaſtici *Literati* audiebant (2), quos propria videlicet profeſſio Literis imbutos, aut certè imbuendos poſtulabat: Audi nunc Petrum, Eccleſiaſticos *ita Literarum expertes* accuſantem, *ut non modò eorum, quæ legerint, intelligentiam non attingerent, ſed ſyllabatim quoque vix ipſa decurrentis articuli elementa balbutirent* (3).

Hæc licèt pauca, quibus teterrimus ſatis patuit rei aſpectus, meminiſſe, non tam pudor, quàm horror fuit: Sed & mali adhuc cauſſas apertiùs obſervaſſe non piget: Literarum interitum Pontifex Agatho non tam ad Italorum deſidiam, vecordiamque, quàm ad earum Gentium inhumanitatem retulit, quibus tum Italia opprimeretur: Non eas Gentes de nomine appellavit: At de Longobardis certè ſermo erat, quibus jamdiù univerſa ferè Italia ſervire aſſueverat. Jam ſi Literas à Longobardis quæras, nonniſi Arma tibi oſtendent, qnandoquidem nec Palladem utraque re præſtantem, ſed cruentam Bellonam dumtaxat norant. Hæc ejus Gentis ſtudia, ex Germanis progenitoribus accepta, apud quos (ut Tacitus ait) *Scutum, frameaque, pro Toga; ac nihil neque publicæ, neque privatæ rei, niſi armis ageretur* (4). Audi quid de Longobardis jam in Italia verſantibus Gregorius Magnus certò ſtatuat, ut eorum videlicet *Synthiciæ ſpatæ eſſent*: quorum verborum hic ſenſus eſt: Longobardorum pacta, conventiones, contractus, ideſt jura omnia publica, ac privata, quæ apud Romanos Legibus conſtant, definiunturque, nonniſi vi, ferroque obtemperare coguntur, uniſque ab gladiis deciſionem præſtolantur (5). Gravius autem illud in Literarum perniciem ex Longobardis manavit, ut quas ipſi vel ignoraſſe vellent, vel etiam odiſſe tantùm ſcirent, aliis, qui excolerent, facultatem omnem adimerent: nam per omnem ferè Italiam iis cœſis, quorum invidioſæ opes eſſent, vel fortunarum omnium poſſeſſione ſpoliatis, reliquos, quos *Aldos* dixerunt, ad agriculturam, impoſito ſtipendio, relegarunt; quamobrem factum eſt, magis corporis, quàm ingenii exercitationibus vacandum tunc fuiſſe, ut vix neceſſariæ propriæ vitæ ſuſtentationi, inexplebilique recentium dominorum cupiditati ſatisfieri poſſet. Quare

tem ad ſequentem ætatem pertinet, ſatis Reip. conſultum videbatur, ſi homines, quibus inconditæ voces, ſtridentesſque oris ſoni pro loquela erant, legere, ac ſcribere callerent, latinæque linguæ inter paucos ſignificationem noſſent.

(1) In Appendice ſupplem. De Re Diplom. P. II. n. X. edit. Pariſ. 1704.

(2) Vid. Thomaſſin. Eccl. Diſc. P. II. lib III. cap. 76. n. I.

(3) Lib. IV. epiſt. XIV., ſive Opuſc. XXVI. T. III. opp. edit. Pariſ., ſeù Venet. 1743.

(4) De Mor. Germ. cum not. Lipſii pag. 440. edit. Plantin.

(5) Lib. I. epiſt. 31., al. 30.

Quare ex his planè conſtat, impoſuiſſe nobis, vel certè hallucinatum Panzirolum, quem Raderus refert teſtatum, vidiſſe ſe aliquando Tabellas ligneas, à Longobardis, ubi primùm in Italiam adveniſſent, conſcriptas eâ literarum formâ, quæ propria ejus Gentis fuit, vel potiùs ab ejus nomine appellata (1). Nam ſi verè Tabellæ illæ Longobardicos Characteres præferebant, verum illud quoque eſſe debet, poſterioris longè ætatis opus fuiſſe; quando ſcilicet Longobardi literas odiſſe minus, ac demum, non tam utilitate, quàm neceſſitate coacti excoluiſſe cœperunt. Scimus enim uſque ad Regem Rotharim nullum ejus Gentis literarum extitiſſe monumentum nec privatum, nec publicum, nec ipſas Regum ſucceſſiones, neque leges ſcriptis conſignatas, primumque eum Regem fuiſſe, qui Leges ſolâ memoriâ, uſuque antea ſervatas, literis, ac membranæ commendarit, ut in noſtra Differt. III. obſervavimus.

Atque hæc quidem, inclinato jam Romano Imperio, ad quinque, & ampliùs Sæcula Literarum fuere fata; Hæ inquam tenebræ, quas tamen è re Literaria fuerit hùc reſeraſſe, ut ſcilicet quæcumque etſi exilia Literarum monumenta è media illa temporum caligine erumpere videantur, non ad prioris, quà maximè floruerint, neque ad ſubſequutæ ætatis, quando reviviſcere Literæ viſæ ſunt, dignitatem æſtimentur, ſed pro illius luti, fæciſque, unde prodierunt, ratione, pretium ſibi quærant; neque enim illis pretium deeſſe poterit apud æquos Literarum amatores, quibus veluti horrentem ſylvam longo itinere peragraturis, ſi qua minus ſylveſtria, vel fortè hortenſia occurrant poma, hilariùs intueri, avidiùſque deguſtare continget.

## CAPUT II.

*Excifi Longobardici Regni inſtaurata ſimul cum Literis dignitas apud Beneventanos: Principis Arichis in utramque rem felix conatus, exemplum, &, Paulo Diacono adnitente, providentia.*

POſt expoſitum hactenus, aut potiùs deploratum Literarum occaſum, licet jamdemum ſtilo ſimul, animiſque ad meliorem rerum faciem aſſurgere; Quis verò illud credat, expectandum Literis fuiſſe Longobardici Regni interitum, ut poſteriore Longobardorum ope renaſci ipſæ, ac refloreſcere inciperent? At non id profectò mirum: Sublatis enim Caroli M. operâ Longobardis Regibus, quorum ſtudia univerſa in armis, belliſque perpetuò exercendis verſabantur, firmatoque apud ipſos Longobardos ex ejuſdem Caroli fœdere Beneventano Ciſtiberinæ Italiæ Principatu, publica quædam rebus omnibus tranquillitas affulgere cœpit, ex qua Literæ quoque ipſæ nonnihil emolumenti excepiſſe viſæ ſunt. Literas certè promereri Carolus non deſtitit, uti ſuperiore Capite obſervatum eſt. At qualis earum ſtatus in Beneventano Principatu haberi cœperit, nunc perſequemur; atque ab ipſo primo omnium Principe Arichi exordium læti ducemus, ut quorum crimini vertebatur, Literas apud Italos extremo concidiſſe fato, eorundem poſtea Longobardorum laudi adſcribatur, ſera licet ipſorum ope, feliciori tamen, uti exitus comprobavit, conatu, ad ſuam vitam, dignitatemque rediiſſe.

Ac primùm, quàm pronus in Litteras Arichis animus fuerit, ſatis probare queunt Verſus illi, quos in utroque Palatio ſuo, tum Beneventano, tum Salernitano inſcribendos curavit: ea in re Clariſſimi Viri Pauli Diaconi (qui poſt Regis Deſiderii Captivitatem in Beneventanam Aulam circa An. DCCLXXIV. ſe receperat) opera, atque ingenio uſus eſt. Curaverat quidem Arichis, ut ea eſſet earum Ædium magnificentia, quæ Principatus majeſtati Longobardorum Regnum inſtauraturæ, reſponderet; & de Salernitano quidem Palatio, quod Beneventano tum tempore, tum loco concedebat, *miræ* illud *magnitudinis*, *immò & pulchritudinis* opus fuiſſe Salernitanus teſtatur Anonymus cap. XVII. Illud tamen omnium magnificentiſſimum jure reputabimus, ambas ſcilicet illas Aulas non tam ædificiorum mole, atque ornamentis, quàm iis Verſibus enituiſſe, qui opportunis, ac patentioribus in locis inſcripti, aut inſculpti non ſolùm Principem Muſarum Patronum, ac Familiarem demon-

(1) Apud V. C. Joh. Trombelli: *Arte di conoſcere l' età de' Codici Latini, e Italiani cap.* V. *Bologna* 1754. Id vero Raderus de Panzirolo affirmat in notis ad Martialem Lib. XIV. Epigr. VII. his verbis: *Quum in Italiam veniſſent Longobardi è tabulis raſis ſubtiliſſimas fecerunt ſchedas, quas egomet ſæpius vidi, ac legi, quamquam Longobardicis literis conſignatas.*

monſtrabant, ſed illa etiam tum Politicæ, tum Moralis Virtutis documenta exhibere debebant, quæ & ejuſdem Principis, & præclari Vatis religione digna eſſent. Periere cum ipſis Ædibus etiam Verſus, quorum memoria vix nobis Chronographus Vulturnenſis ſervavit, atque utinam qui ejuſdem Diaconi Vitam ſummatim recenſens, verſus alios à Carolo Magno ad eum miſſos poſteris mandaſſe ſolicitus, non illos, de quibus agimus, invidiſſet: id enim ſolùm memorare contentus fuit, quòd Arichis Diaconum *ſuſcipiens, honorificè retinuerit, à quo Palatium infra Beneventum, & alium in Salerno conſtructum Verſibus decorari fecit* (1).

Sed non id ſolùm ex Pauli ingenio, atque moribus, dum Beneventi ageret, emolumentum retulit Arichis. Præſtantius illud, Reique publicæ ſatis tum neceſſarium opus lucubravit, ediditque Paulus, quo Romanæ Hiſtoriæ Epitomen ab Eutropio compoſitam, non ſolùm variis aliis rerum geſtarum ad Remp., & Religionem pertinentium monumentis ſuo loco interjectis locupletavit, verùm etiam à Joviniano, in quo Eutropius ſcribere deſiit, ad Juſtinianum, ſive potiùs ad Leonem uſque perduxit. Extant apud me binæ, inter alias, ejus Operis editiones, quarum alibi memini, altera, quæ Baſileæ prodiit An. MDLXIX. apud Petrum Pernam, Librique I. initio hæc inſcripta habet: *Eutropii Hiſtoria, cui Paulus Diaconus Aquilegienſis addidit rogatu Adelbergæ Beneventanæ Ductricis, deinde idem Paulus ex diverſis Auctoribus colligens, à Valentiniani Imperio uſque tempora Juſtiniani perduxit &c.* Sed vetuſtior altera, ac planè præſtantior Anno MCCCCLXXI. Romæ curata, quæ in fine Eutropianæ Epitomes, nempe Libri X. hæc adjecta habet: *Hucuſque Hiſtoriam Eutropius compoſuit: cui tamen aliqua Paulus Dyaconus addidit, jubente Domina Adilperga Chriſtianiſſima Beneventi Ductrice, Conjuge Domini Arichi Sapientiſſimi Principis, & ideo quæ ſequuntur, idem Paulus ex diverſis auctoribus proprio ſtilo connexuit.* Ad Codicis verò calcem his temporis notis editio diſtinguitur: *Eutropius Hiſtoriographus Romæ impreſſus Anno Domini* MCCCCLXXI. *die Lune* XX. *Menſis Mai Ponti. S. in Chriſto Patris, ac Domini noſtri Domni Pauli divina Providentia Pape ſecundi Anno ejus ſeptimo explicit* (2): Inſigne quidem, atque (ut jam dixi) utiliſſimum, immo pro illorum temporum ratione neceſſarium Opus, dum Veterum Scriptorum Exemplaria rariſſima eſſent; maximique intererat Reip., Religionis, Literarumque bono, res ſuperiorum temporum, inter præclariſſimas quaſque Gentes inſigniter geſtas, uno collectas volumine ob omnium oculos verſari, omniumque manibus præſto eſſe. Hoc igitur Reip., Religionique ſubſidium, hoc intermortuis penè Literis ſuſtentaculum, ſive *Chriſtianiſſima* Adelberga, ſive *Sapientiſſimus* Arichis ſuo vel rogatu, vel juſſu compararunt. Neque verò, ſi ſolius Adelbergæ (uti editiones ferunt) id fuiſſet conſilium, minoris æſtimandum eſt, immo verò ampliori laude celebrandum, dum nobiliſſimam ejuſmodi curam à Fœmina ſuſceptam ſpectemus: Sed & conſilii auctorem, vel participem Arichim omninò exiſtimare licebit, qui ut opus à Paulo impetraret, Conjugem, Regis Deſiderii filiam, cui ille ex paterna neceſſitudine, veterique obſequio addictiſſimum ſe oſtendebat, *rogantem*, ſeù *jubentem* adhibuit.

Cæterum & ipſe Arichis ex Pauli præſentia, contubernioque, pro ſuo, quo in Literas ferebatur, ſtudio profeciſſe voluit: Beneventum enim advenienti Paulo, lætanterque excepto *piiſſimus Princeps* (inquit Anonymus Salernitanus) *Familiæ copiam, & equorum, varia indumenta, dapeſque abundanter tribuit, atque in ejus Palatio commorari juſſit, & crebriſſimè de liberalibus Diſciplinis cum eo ſermonizabatur: Cumque de talibus, & Divinis Scripturis invicem colloquerentur, inſatiabili pectore ipſe Princeps quæque gerebat* (3): qua profectò re illud optimis quibuſque omnium ætatum Principibus ex ferrea Ætate imitandum exemplum Arichis reliquit, non modò Viris Sapientibus honorem habendum, præmia largienda, foven-

(1) Chronicon Vulturnenſe Lib. I. Inter Scriptor. Ital. Tom. I. P. II. pag. 365. De Palatio Salernitano tantùm meminit Anonymus Salernitanus, verſuſque ibid. inſcriptos, ſuaque ætate jam obliteratos, Auctoris ingenio aſſentatus, plus æquo extollit: *Idem Paulus* (inquit cap. XXXII.) *Palatium, quod Arichis ſtruxit in memorata Salernitana Urbe, undique verſibus illuſtravit. Sed quia propter longum tempus fuerunt vetuſtate attriti, numerare, legereque illos non potuimus. Nam ſi unam quippe paginam fuiſſemus nacti, comparare illos potuiſſemus Maroni, Catonique, ſive profectò aliis Sophiſtis.*

(2) Hanc editionem Caveus ignoravit à Baſilienſi exorſus: Pauli operam, Opuſque Eutropio *Deformitatem intuliſſe* ait Ant. Sconhovius, qui prior genuinum Eutropium edidit Baſileæ Anno (ut ex nuncupatoria habetur) MDXL., ubi etiam Eutropium *multa clade* a Paulo *affectum* queritur: at ſuum certè fuit, eritque ſemper operi pretium, *laudandaque Pauli* induſtria, uti ſuperiùs probavimus.

(3) Anonymus Salernit. in Chron. cap. X. inter opp. Camil. Peregrinii T. II. pag. 56. edit. Neapol.

fovendam consuetudinem ; verùm etiam non inanis ostentationis , Aulæque condecorandæ , sed proprii emolumenti gratiâ regio lateri adsidentes haberi oportere . Præstitit hæc omnia Arichis , qui ejusdem Anonymi testimonio cap. XVII. *Vir apprime liberalibus Disciplinis imbutus* deprædicatur . Conquesti paullò ante sumus de Chronographo Vulturnensi , qui Versus illos à Paulo Diacono lucubratos , atque ab Arichi in utroque Palatio , Beneventano , & Salernitano inscriptos nobis servare neglexit . Hanc negligentiam veluti emendasse Chronographus ipse videtur , qui postea aliquot Versus ejusdem Principis Arichis nobis legendos servavit . Lucubrandorum ejusmodi Versuum argumentum , seù occasionem Arichis sibi efficit ex Corpore S. Martini Confessoris , quod è Monasterio Marsicano , ubi vetus loci religio , ac frequentia defecerat , Beneventum , debitam ei reverentiam conciliaturus , transferre cogitavit . Rem ipsam non solùm dignam existimavit religiosissimus Princeps , quàm suscepto ad eum locum itinere præsens perficeret , verùm etiam feliciùs , ac religiosiùs perficiendæ preces hasce meditatis versibus expressas adjunxit . *Ubi* ( inquit Chronographus ) *pervenerunt ad locum, prudentissimus Princeps devotionis verba sic Sancto proferens , inquit .*

*Maxime Confessor , Monachorum Pastor , & Abbas ,*
*Insignis meritis , magna* ( fort. *magnis* ) *venerande trophæis ,*
*Te , petimusque tuos , Tu confer cælitus ortus* fort. *artus*
*In populos salvans , nobis prece suggere ......*
*Auxilium præbens , hostilia vincere Castra .*

Rem autem haud pro Principis voto cessisse , subdit Anonymus , cœlesti voce Corporis ablationem prohibente , quod factum , dum volendi credendum relinquimus , alia potius litteraria , quæ Arichim auctorem indubium agnoscunt , libentiùs persequemur . Sunt itaque , quæ jamdiu in lucem editam omnium manibus præsto sunt , Acta S. Mercurii Martyris, ab ipso Principe Arichi , qui præcipuè eum Patronum colebat , prolixo , ac pro temporum ratione , erudito stilo lucubrata (1) : tum sapientissimum , piissimumque celeberrimi ejus Diplomatis exordium , quo ingentibus illis opibus , possessionibusque Ecclesiam S. Sophiæ a se extructam dotavit (2): tum denique Leges ab eo latæ , *Capitularium* nomine pro illius ævi more appellatæ , in quibus pleraque *Divinæ Legis Auctoritate* (ut is Divinas Scripturas callebat ) sancita leguntur (3) .

Sed & alia plura pro suo in liberales , sacrasque Literas studio edidisse debuit Vir ( uti Erchemperto vocatur cap. 2. ) *Christianissimus , & valde Illustrissimus , atque in rebus bellicis Strenuissimus* Arichis , non optimorum modò Principum , sed veterum quoque Romanorum Imperatorum exempla sequutus , qui in ipsis castris , atque inter bellorum strepitus , statutas horas , suosque secessus , quibus in consueta excolenda literaria studia se abderent , sibi destinare , aut etiam surripere consuebant . Hanc certè laudem oculatus , ac fidissimus testis , atque Sapientissimi Principis funeri superstes , dignusque ejus Sepulcralis Inscriptionis auctor Paulus Diaconus Arichi tribuit , immò ad utriusque virtutis , Forditudinis , ac Doctri-



(1) De S. Mercurio,atque Arichis erga illum eximio cultu plurima disseruimus Dissert.II. cap.VI. ubi etiam Actorum ejusdem Martyris meminimus , quæ ex autographo Longobardicis literis exarato , a Cl. Giovardo edita habentur Typis Rom. an. 1730. Eorundem Actorum auctorem fuisse eundem Arichim Acta ipsa satis docent , certòque probant , quorum initio hæc inscripta leguntur : *Passio S. Mercurii Martyris edita ab Arechis Principe* . Quare ex Codicis vetustate ab eodem Giovardo vindicata , ac præterea stili , pro illa ætate non omninò inculti ratione , variæque eruditionis copia , opus Arichi adjudicandum , non est cur dubitemus .

(2) Diplomatis istius exordium degustasse jucundum erit : *In Nomine Domini Salvatoris Jesu Christi : Regina dives opum mibi pulcbris instructa gazis excrescere coepit, dum diversa gemmarum , metallorumque genera redundarent , & alia multa , quicquid ferè Indus , quicquid à se vana Creta , & mollis mittit Arabs , mandatque nigræ pellis Æthiops , & vestiunt Seres ; hùc mentis , quæ inventio , huc , illucque adusque Mundi originem , finemque duxit , considerans , quid fuere præterita , quidque sint præsentia , quidve erunt futura , omnia sub sola physica conjectura vanitatem ratus sum , quorum essentia , ortus , tentatio , labor , & mors . Nil ergo rerum copia proderit , nisi Deo possessori oblata . Quincentos priscorum reminiscimur annos olim transcendisse , vix jam sexagenarium ætatis contingit : etenim si quosdam ad centum recolimus pervenisse , æstuant , ut saltem noctu quiere queant* .... Stultus quisque fuerit , cui hæc ex Notarii ingenio , ac manu prodiisse putarit : quid eorum temporum Notarii scribere valerent , millenæ passim ostendunt Chartæ , sed quæ in ejus Diplomatis fine habentur , non conjecturis opus nobis esse , sed manifestam rem faciunt,ut scilicet non tantùm Arichis *jussione*, sed etiam *dictatu* conscriptum illud fuerit : sic enim legitur : *Quod Præceptum Oblationis ex jussione , & dictatu nominatæ Potestatis scripsi ego Euvaldus Notarius* .

(3) De Arichis Capitulari uberrimè egimus Dissertat. IV. De Legibus pag. 256.

Doctrinæ cumulum, quæ optimum verè perfecit, Pietatem quoque eximiam adjunxit: Sic enim inter alia plura de Arichi Paulus luculenter conscripsit:

*Quod Logos effinxit, moderansque quod Ethica pangit,*
*Omnia condiderat mitis in arce sua.*
*Strenuus eloquii divini cultor, & index,*
*Pervigil in lacrymis tempora noctis agens.*

Et paullò post ita illum alloquitur:

*Ornasti Patriam Doctrinis, Mœnibus altis,*
*Hinc in perpetuum laus tua semper erit* (1).

Habes itaque, quidquid *Logos effinxit*, ideſt Philologia universa latè complectitur, edocetque, quicquid *moderans Ethica pandit*, vel (ut legendum puto), *moderansque Poetica pangit*, ab Arichi *conditum* (ubi pro *mitis* legerim) *Mentis in arce sua*. Habes *Divini eloquii cultorem, indicemque*, qui scilicet Divinorum Librorum lectioni vacaret, quam pro rerum opportunitate ad publicam utilitatem expromeret. Habes denique ab eo tum *Doctrinis*, tum *Mœnibus altis ornatam Patriam*; qua re nihil Reip. salubrius contingere poteſt; neque enim armis tantùm, verùm etiam literis, bonisque artibus populorum securitas conſtabilienda eſt, quæ si perpetuo inter se fœdere conjuncta sint, summam rerum omnium felicitatem, duplici veluti communitam vallo, nullo vel inteſtino, vel externo hoſte perturbandam sinent.

Sed (quæ omnium maxima, & quæ jure a Paulo *perpetua laus* dicta eſt) præsentem temporum suorum felicitatem in Poſteros quoque provehendam Arichis curavit: in idque bina illa æquè necessaria subsidia comparavit, quibus quàm maximè ſtatutus semel Literis honos vigere perpetuò posset: Beneventanos suos ad liberalium artium, doctrinarumque omnium ſtudia, tum exemplo, tum cohortationibus, tum denique præmiis Arichim excitasse, non eſt, cur dubitemus: Quos autem ipse providentiæ suæ, illi verò ingeniorum suorum tulerint fructus, paullò inferiùs observabimus: sed fruſtrà, aut non ita diù id conſtitisset, nisi, qui sibi superſtitem Filium Arichis relinquebat, Principatus simul, ac Doctrinæ hæredem, parem denique Literarum Cultorem, Patronumque efformare satageret. Ac paternam quidem in armis, literisque gloriam Romoaldus ita æquavit, ut nisi, turbato naturæ ordine, præreptus è vivis fuisset, vivum adhuc poſt sua fata Arichim Beneventani agnoscere potuissent. Romoaldus itaque à Beneventano Episcopo Davide, qui funebre Carmen pro ejus Tumuli titulo lucubravit, hoc Elogium cum aliis pluribus promeruit:

Hìc *Arichis* dormit *magni* pulcherrima Proles,
Unica spes Patriæ, munus, & arma fuit.
Hìc novus à multis Arichis vocabatur herilis,
Moribus, & forma, consilioque potens.
Grammaticâ pollens, mundanâ lege togatus,
Divinâ inſtructus nec minus ille fuit (2).

Editiones omnes Peregrinii, Muratorii, Pratilli in versu penultimo habent, *Gromati præpollens &c.* at omninò mendosè. Emendandum ego fidenter censui, atque etiam edidi: *Grammatica pollens*, ut non solùm versui juſtus numerus conſtet, verùm etiam Grammatices (quæ scientia tunc maximè in usu, ac pretio habebatur) Romualdus peritus demonſtraretur. Si quis autem *Gromatica* legere malit, non omnino veto; Gromaticam, Artem esse satis conſtat, quæ tum circa Agrorum dimensionem, tum Caſtrorum metationem versatur, atque utriusque Hyginus, inter Veteres, insigne Opus nobis reliquit; sed magis obvia Grammatica fuisse tunc temporis videtur, magis etiam necessaria Romualdo, quem mundana lege togatum, ideſt Civilis Juris scientiâ emeritum, *Divina* præterea inſtructum Epitaphium commendare pergit.

Age

(1) Inter Opp. Cam. Peregr. Tom. II. edit. Neap. pag. 73., & T. II. P.I. Script. Ital. Murator. pag. 310. in queis variæ hæ habentur lectiones; nam pro *Logos* notatur *Et Phisis*, pro *mitis in arce sua*: notatur *Mentis in arce sua*.

(2) Inter Opp. Peregrin. ex utraque superiùs laudata editione pag. 75., & pag. 310. Editio Muratoriana juxta veterem editionem mendosè habet: *Gromati pollens*: sed legendum ut supra: nam Romualdus in eo Diſticho tum *Grammaticæ*, tum Legum *Humanarum*, *Divinarumque* Scientiâ commendatur.

Age nunc, quid ex eximio illo, quod hactenus ſpectavimus, Arichis in Literas ſtudio in commune Beneventanorum bonum promanarit, videamus: Clariſſimi Muratorii ſententia eſt, ex Græcis (inter quos Literas in media ætate aut nunquam, aut vix excidiſſe, Conſtantinopolitanorum Cæſarum curâ, floruiſſe etiam nonnunquam, affirmat) in Italos, ac præcipuè Neapolitanos, Beneventanoſque emolumenti nonnihil derivatum; itaut quicquid Literatum ex utriſque tunc prodierit, quidam veluti rivulus ex uberrimo Græciæ fonte profluxiſſe videatur: *Quoniam* (inquit) *cum Græcis vicinis, & nonnunquam Dominis multum commercii erat Neapolitanis, neque exiguum Beneventanis, propterea eodem Sæculo nono Beneventi bene fuit liberalium Artium ſtudiis* (1). At nollem, hæc Viro doctiſſimo tam confidenter, inconſultòque excidiſſe, cui etiam de adeo prolixa Literarum laude Græcis attributa ægrè aſſentimur. De Neapolitanis autem, in queis commercii aſſiduitas, ſubjectioniſque ratio eximium aliquid parere debuiſſet, nihil ipſe præter Johannis Diaconi Opus, reperiſſe valuit: Magna verò de Beneventanis ſibi occurrerunt, quibus nulla tùm cum Græcis, Neapolitaniſque conſuetudo, ſed potiùs perpetuæ ſimultates, crebraque prælia. Domum itaque redeundum; atque omnis ad Arichim referenda res eſt: Neque enim fieri poteſt, ut ſub Sapiente Principe Literarum ſtudia non excolantur; in eaſque comparandas aliorum animi vehementiùs, ac veluti certatim non exardeſcant.

## CAPUT III.

*Philoſophiæ Studia Sæculo* IX. *apud Beneventanos præclarè exculta: Quid eo nomine Ætas illa ſignificarit: Ingens ejuſmodi Profeſſorum numerus: de quorum Principe Hilderico accuratiùs diſſeritur.*

EN igitur eodem ipſo, quo ineunte Arichis defunctus eſt, inclinante Sæculo, in Beneventana Urbe, veluti Athenis alteris, Academiam, aut Liceum ingenti Philoſophorum numero conſtitutum. Anonymus Salernitanus, ex quo plura ad rem ſuperiùs hauſimus, auctor etiam eſt, quo tempore Ludovicus II. Auguſtus Beneventi degebat, ſcilicet circiter Annum DCCCLXX.: *Triginta duos Philoſophos eam Urbem habuiſſe, ex quibus unus inſignis Hildericus nomine inter illos degebat, non ſolùm liberalibus Diſciplinis apprimè imbutus, ſed etiam probè virtuti deditus* (2). Quid Philoſophorum nomine pro illius ætatis ratione intelligendum ſit, explicuiſſe præſtat: mox de ipſa Beneventanorum Philoſophorum Schola, eorumque Magiſtro, ſive Principe Hilderico dicemus.

Quotquot vel rei Literariæ, vel Virorum Literatorum monumenta ad noſtram evaſerunt poſteritatem, non aliam, niſi Grammaticam, ejuſque Artis profeſſores (quod hactenus ſciam) ex univerſis mediæ ætatis ſpatiis nobis duntaxat ſpectandos proferunt. Felix, fortunatumque ſibi duxit Carolus Magnus, dum ad Gallorum eruditionem eos Grammaticæ Artis magiſtros nactus fuit, qui (uti ex Engoliſmenſi Monacho ſuperiùs didicimus) etiam *Computatoriam* docere idonei eſſent, *Arithmeticam* videlicet, numeralem ſcientiam, ſupputandique rationem, hominum non tam emolumento, quàm ſocietati inprimis neceſſariam. Paulus Diaconus (quamquam is ſupra Grammaticorum ſortem, claſſemque ſe erexerit) Felici cuidam *Grammatico*, utpote ſuorum temporum præconio, poſterorumque memoriâ digno, peculiare Hiſtoriæ ſuæ Caput dicavit, quem Grammaticum *intantùm Rex Cunibertus dilexit, ut ei baculum, argento, auroque decoratum, inter reliqua ſuæ largitatis munera condonaret* (3). Qui in Hiſtoriis, Chroniciſque ſuis memorandos, atque inter clariſſimos, optimèque de Rep. meritos Viros recenſendos, Grammaticos, ſui muneris exiſtimarunt, num iidem Scriptores Viros alios, ſi fortè ſublimioribus ſcientiis, nobilioribuſque diſciplinis præditos inveniſſent, ſiluiſſe putandi ſunt? Beneventanæ Urbis ſingulare decus eſt, ut in diuturna illa Rei Literariæ calamitate, tunc primùm (ut videtur) Philoſophi audirentur, ac Philoſophiæ vox, & profeſſio ſuo poſtliminio donarentur. At quales (inquies) Philoſophi Beneventani hi? Non ita certè imprudens ego, amplificandæque Majorum noſtrorum gloriæ ſtudio abreptus, ut ex ſolo Philoſophorum Vocabulo, Elogioque, aut Academicorum, aut Peripateticorum, aut denique præclariorum



(1) Antiquit. Med. Ævi Diſſ. XLIV. T. III. pag. 820.

(2) In Chron. cap. CXXXII. Tom. II. Opp. Peregrin. edit. Neap. 1750. pag. 234.

(3) De Geſt. Longobard. Lib. VI. cap. VII., Tom. I. Script. Ital. pag. 493.

aliorum, quorum agmina vetus Græcia alebat, Philoſophorum Scholam, apud Beneventanos inſtauratam, aut obtrudam, aut extundere geſtiam. Eſt tamen, quod eò nomine non omninò indignos probet: fortaſse etiam melioris Philoſophiæ & Sectatores, & Magiſtros oſtendet.

Philoſophiæ vocabulum, ſpectata quidem ejus ſcientiæ origine, ac primæva Profeſſorum exercitatione, ad id vitæ inſtitutum, quod rationali homini, atque ſtudioſiùs excolendis virtutibus dedito pertineret, poſterior Ætas adhibere cœpit. Hinc Monaſtica profeſſio θεία φιλοσοφία ab Iſidoro Peluſiota vocatur Lib. I. ep. 260.; & Majoranus in Novella de Sanctimonialibus: *Cùm hujuſmodi* (inquit) *obſervatio Philoſophiam religioſa mente ſuſcipiens, non cogentis imperio, ſed ſpontanea, ac matura deliberatione capiatur*. Hinc *Philoſophari* idem ac Monachum agere erat apud ejus Ævi Scriptores, a Cangio laudatos. An igitur pro triginta duobus illis Beneventanis Philoſophis totidem habebimus Monachos? non ita quidem: cum Philoſophorum moribus, haud certè in ipſis deſideratam Philoſophiæ ſcientiam affirmamus: Erat, inquam, quod noſtris temporibus deſiderandum videtur, in quibus præcipua Philoſophiæ pars neglecta jacet, veteri quidem hominum vitio, de quo ab ſuo uſque ævo peccari a Philoſophis Seneca querebatur: *Aliquid* (inquit) *præcipientium vitio peccatur, qui nos docent diſputare, non vivere: aliquid diſcentium, qui propoſitum adferunt ad Præceptores ſuos, non animum excolendi, ſed ingenium: Ita quæ Philoſophia fuit, facta Philologia eſt* (1). Abſit verò, ut Philoſophiam deſpiciendam velim, quam Sanctiſſimi, Sapientiſſimique Eccleſiæ Patres ita ſingulas per partes excoluerunt, ut ex illa non ſolùm doctrinæ, morumque diſciplinas hauſerint, verùm etiam opportuna ad Chriſtianæ Fidei tutelam ſubſidia ſibi compararint (2). Utque ab illa, in qua verſamur, ætate, exempla petamus: En tibi S. Petrum Damiani ad Gregorium PP. VII., tunc Hildebrandum Monachum, ita ſcribentem: *Theſaurum tollis Ægyptiis, unde Deo Tabernaculum conſtruas, qui Poetas, ac Philoſophos legis, quibus ad penetranda Myſteria cœleſtis eloquii ſubtiliùs convaleſcas* (3). Ut jam illud mihi, atque omnibus perſuaſum, ratumque ſit, Philoſophiæ ſtudium Sacris Scripturis expeditiùs intelligendis prodeſſe plurimùm; ac tum maxime fore ſaluberrimum, ſi ad ea, quæ extra nos ſunt, ediſcenda, inquirenda, diſputanda ita incumbamus, ut nos ipſos (quod difficilius eſt, quod præcipuum, quod nunquam ſatis diſcitur) priùs noſſe diſcamus; ſic denique in rerum naturalium cognitione, contemplationeque verſemur, ut non in illis, vel inani curioſitate, vel eruditionis blandimentis contenta ſiſtere ſe mens, ſed ad illarum Conditorem aſſurgere debeat.

Quid igitur de noſtris Philoſophis ſtatuendum? Horum quidem ſtudia, inſtituta, profeſſionem paullò poſt illam, in qua floruere, ætatem, ex urbe, ſive Eccleſia Mediolanenſi arguere proclive eſt. Mediolanenſis Hiſtoriæ Scriptor Landulphus Senior, quæ poſt Sæculum X. vigere in ea Urbe Philoſophorum Scholæ cœpiſſent, his verbis tradit: *In atrio interiori, Philoſophorum ſcholæ diverſarum Artium peritiam habentium, ubi urbani, & extranei Clerici Philoſophiæ doctrinis ſtudioſe imbuebantur, erant duæ, in quibus, ut Clerici, qui exercitiis tradebantur, curioſè docerentur, longa temporum ordinatione Archiepiſcoporum ſtipendiis .... ipſe Præſul Magiſtros, ac Scholares in ſtudiis adhortabatur* (4). Eximum iſtud Mediolanenſium decus non abnuimus, queis tamen Beneventanos præiſſe non omninò temerè affirmamus. Ipſa certè Philoſophorum frequentia, quos ad duos ſupra triginta Beneventum Sæculo IX. numera-

(1) Epiſt. CVIII. edit. Pariſ. 1613. cum notis Lipſii, aliorumque. De eodem argumento præclarè agit *idem Seneca* epiſt. XX.; & Arrianus in Epictetum l. III. c. XXI.

(2) Inſignis eſt de hoc argumento S. Hieronymi Epiſtola (lib. II. ep. I. edit. Rom.) ad *Magnum* Oratorem Romanum: *Quæris*, inquit, *cur in opuſculis noſtris ſæcularium literarum interdum ponamus exempla, & candorem Eccleſiæ Ethnicorum ſordibus polluamus. Nunquam hoc quæreres, niſi te totum Tullius poſſideret, ſi Scripturas Sanctas legeres, ſi Interpretes earum, omiſſo Volcatio, evolveres. Quis enim neſciat, & in Moyſe, & in Prophetarum Voluminibus quædam aſſumpta de Gentilium Libris, & Salomonem Philoſophis Tyri, & nonnulla propoſuiſſe, & aliqua reſpondiſſe, unde in exordio Proverbiorum commonet, ut intelligamus ſermones prudentiæ, verſutiaſque verborum, Parabolas, & obſcurum ſermonem, dicta ſapientum, & ænigmata, quæ propriè Dialecticorum, & Philoſophorum ſunt.* Deinde Pauli Apoſtoli, verſus Epimenidis, & Menandri uſurpantis, exempla commemorans, *ne parum* (ſubdit) *hoc eſſet, Ductor Chriſti Exercitus, & Orator invictus pro Chriſto cauſſam agens, etiam Inſcriptionem fortuitam torquet in argumentum Fidei. Didicerat enimverò a David, extorquere de manibus hoſtium gladium, & Goliæ ſuperbiſſimi caput proprio mucrone truncare.* Tum ſingulos ſapientiſſimos, ſanctiſſimoſque Eccleſiæ Patres recenſens, vel ex eorum ſcriptis eos Philoſophiæ, Literiſque ſæcularibus ſedulam, ac omninò inſtitutis ſuis *utilem operam dediſſe* demonſtrat. Vide etiam Epiſt. IV. ejuſdem Libri in princ. ad *Domnionem*.

(3) Opuſculo XXXII. in fine T. III. opp. pag. 286. edit. Cajetani.

(4) Hiſt. Mediol. lib. II. cap. 35., inter Script. Ital. T. IV. pag. 93.

merabat, ipſorum in liberalibus Artibus præſtantia, ac demum in morum ſanctitate conſpicuitas, quid ni ejus Scientiæ Scholam, collata utriuſque Beneventani tum Principis, tum Antiſtitis ope, ac providentiâ inſtitutam, eorundemque cura, ac favore alitam, provectamque tutò conjectemus? Certè de Antiſtite Urſo, qui anno DCCCXXXII. in Beneventana Cathedra ſedere cœpit, illuſtre nobis monumentum Hildemarus ſervavit in Commentario ſuo ad Regulam S. Benedicti, ubi ejuſdem ad illum epiſtola eſt de *vera pronunciandi ratione*: Ac Commentatorem quidem audire libet: *Nunc autem* (inquit) *qualiter ratio legendi lectionem à modernis Magiſtris traditur, & docetur, ſubjungendum aptum eſſe duximus: unde, ut magis, magiſque pateſiat, Epiſtolam, quam Hildemarus Magiſter Urſo prædeſtinato, atque electo Epiſcopo Sanctæ Beneventanæ Eccleſiæ de ratione benè legendi ſcripſit, priùs ſubjungere curamus: Deinde cætera, quæ ad lectionem pertinent, tam ex traditione quorundam modernorum Magiſtrorum, quàm ex auctoritate B. Auguſtini, & ceterorum Doctorum inferiùs ſubnectemus: Hæc eſt præfata Epiſtola*: SUO SANCTISSIMO DOMINO URSO HILDEMARUS INUTILIS SERVUS SALUTEM (1). At quid (inquies) Orthographia cum Philoſophia? Eos ex Hildemaro habemus, qui rectè legere, non qui philoſophari didicerint. Sed eò rem deducendam volui, ut hoc ſaltem exemplo, quæ Sæculo percurrente IX. in provehendis Literarum ſtudiis, Beneventanorum Antiſtitum accuratior opera fuerit, intelligeremus. Nam quum eodem tempore Philoſophica ſtudia Beneventi floruiſſe alioqui conſtet, par certo, ac de rudimentis ad ſublimorem doctrinam neceſſariò comparandis, illorum cura eſſe debuit. Hinc manaſſe facili conjecturâ affirmabimus, ut in Beneventana Eccleſia (ne hac in re Mediolanenſi concederet) Clericorum eruditioni Scholæ fuerint inſtitutæ, quarum Magiſter ex Canonicorum cœtu (uti ſuperioris Diſſertationis cap. IV. probatum eſt) deligebatur.

Ac quum ſemel ab ipſa Philoſophia ad Grammaticalia rudimenta, rectamque pronunciandi, ſeù *legendi* rationem deſcenderimus, licet & nunc addere, quæ ſimul apud Beneventanos per eadem tempora fuerit peculiaris *ſcribendi* ratio, ſeu forma. Nec verò Lectori id faſtidio erit, quòd rem neque minuſculam, neque mediocrem Beneventanorum laudem præſeferat. Auctor V. C. Canonicus Garampius Archivi Vaticani Cuſtos, in Inventario Librorum Pontificis Bonifacii VIII. confecti anno 1295. Librum inter alios recenſeri his verbis deſcriptum: *Quidam Liber antiquus de Littera Beneventana* (2). Viri ejuſdem doctiſſimi conjectura eſt, *Litteram Beneventanam* eam fuiſſe, quæ vulgò *Character Longobardicus* appellatur, ideo dictam, quod, Longobardis extinctis, adhuc in Beneventanorum uſu eſſet. Si V. C. Marchionem Maffejum audiverimus, tum *Litteram Beneventanam*, tum *Characterem Longobardicum*, ſomnia eſſe, atque inter vulgares errores referenda cenſebimus. Ita enim is: *Il P. Mabillon con ſontuoſi rami, poſti nell' opera ſua, ove le carte ſi rappreſentano colle forme de' loro caratteri, frammeſſavi anche tal volta l' interpretazione, il che dal Papebrochio altresì eraſi fatto nel Propileo, facilitò a tutti sì fatto ſtudio, ma nell' aver confermata la vecchia volgar credenza, anzi ampliatone l' inganno, col fiſſar cinque generi di antichi caratteri Latini, cioè Romano, Gotico, Longobardo, Saſſonico, e Francogallico: Io non poſſo conformarmi alla ſua dottrina; mentre ſon per moſtrare nel proſeguimento, come non ci fu carattere Gotico, non Longobardico, non Saſſonico, e non Francogallico, e ſon per dimoſtrarlo sì chiaramente, che i principj Geometrici non ſaranno così evidenti* (3): An Vir eruditus hanc Geometricam, ſive evidentiſſimam demonſtrationem poſtea præſtiterit, incompertum mihi eſt: Demonſtrare fortaſſis volebat, in Charactere Gothico, Longobardico, Saxonico, Francogallico, literarum Romanarum, ſeù Latinarum veſtigia aliqua, aut etiam plurima inveniri, quæ apud Gothos, Longobardos &c. eundem Characterem Romanum, barbarè licet, atque pro earum Gentium ruditate, fœdè deformatum, corruptumque oſtendant: At id ſimul (quod neque Maffejus, neque alius quiſpiam præſtare poterit) oſtendendum erit, ex ſolo Romanorum commercio tunc primùm eas Gentes ſcribere didiciſſe; itaut nullum iis à natura ingenium fuerit, nulluſque honos debeatur, Græcis utique, atque Hebræis communis, apud quos diverſos quidem à Romanis Characteres fuiſſe, hodieque ſervari, ſatis conſtat.

Præſtat igitur, ad veterem *Litteram Beneventanam* comprobandam, atque illuſtrandam illa heic referre, quæ V. C. Abbas Jo. Chryſoſtomus Trombelli de varia Membranarum medii,

(1) Epiſtola iſthæc relata eſt à Cl. Mabillonio in Appendic. T. II. Annal. Benedict. n. LXI. Eandem ex Commentario ad cap. XXXVIII. Regulæ deſcribit Mabillonius, qui ipſum Commentarium Hildemaro attribuendum demonſtrat in d. Annal. lib. XXXII. num. 30.

(2) Apud Illmum Borgia *Memor. Iſtor. di Benevent.* T. II. pag. 281.

(3) Maffei *Iſtoria Diplomatica* p. 113. Mantova 1722.

dii, infimique ævi forma conscribit (1): *Ho enumerato finora le lettere, che sembrano aver sofferto ne' Codici, e nelle Scritture maggior mutazione; per altro nelle Scritture fra il* 1000. *e il* 1100. *vi s'incontrano delle lettere, che se, o dal paragone con altre scritture di simil genere, o dal contesto non si diano a conoscere, sono a' dì nostri affatto inintelligibili; e tali sono* ꝏ ꜫ ꝭ ꝏ *le quali corrispondono alle usate nostre a. e. r. t. Nella Libreria della Chiesa nuova di Roma vi sono moltissimi Codici, scritti quasi tutti con tai caratteri, i quali Codici (per quanto mi attestò il chiarissimo Padre Bianchini) furono anticamente trasportati dalle Spagne, e donati a que' Padri da un' insigne loro Benefattore; dal che congetturava esso P. Bianchini, che fossero scritti in quell' antico carattere, che usavano i Goti, allorchè colà dominavano; su'l che non ho io argomenti da abbracciare, o da rifiutare tal conghiettura. Ne' nostri Paesi sono rarissimi tali scritti; pur qualche frammento ne ho veduto, e ne possiede due carte, anche ampie, tratte da' vecchi Antifonarj il P. Martini, valorosissimo Maestro di Cappella di S. Francesco.... Vengo accertato da Persone pratiche della Cancelleria Apostolica, che di questo stesso carattere tuttavia si servano li Scrittori delle Bolle Pontificie, specialmente allor quando vi son materie riguardevoli, chiamandalo carattere cordellato &c.* Ex quo clarissimi Trombelli loco illud libenter ad rem nostram derivare jam nobis opportunè suppetit, raro admodum ejusmodi Scripta occurrere in transtiberinis Regionibus, quarum is Bibliothecas, Archivaque præclariora perlustrasse fatetur. Nihil contrà in nostris Regionibus magis obvium, atque familiare; satisque fuerit, præter Archiva Monasterii tum Casinensis, tum Cavensis, Bibliothecam Ecclesiæ Beneventanæ cursim spectare, quæ copiosam veterum ejusmodi Codicum supellectilem volenti statim exhibebit.

Hæc igitur illa ipsa censeri debet *Littera Beneventana* (nam de Codicibus Hispanicis veteri Gothorum cura, ac charactere exaratis, nugari certè voluit Blanchinius, qui, si ex nostris Regionibus, ac Charactere Longobardico conscriptos dixisset, neque à vera aberasset, neque pretii minus illis fuisset), hic, inquam, Character ille Longobardicus affirmari debet, apud Beneventanos, Longobardico Principatu ad quinque Sæcula Beneventi vigente, in peculiarem Gentis usum receptus. Quanto autem in usu fuerit, quanto etiam studio excultus in Italia Cistiberina, præcipuè verò in principe urbe Benevento etiamnum (uti dixi) ostendunt plurimi adhuc superstites nostræ Bibliothecæ membranacei Codices, Sæculi X., XI., ac XII. ætatem ferentes. Quatuor tantùm literarum formam degustandam veluti dedit laudatus Trombellius: digna tamen res est, atque ad nostri Operis institutum, præsentisque argumenti rationem pertinens, ut Lectori magis conspicuum præstem, adjectâ æreâ Tabulâ expressum, ejusdem Characteris specimen: Subjicere oculis in eadem Tabula libuit quoque alterius characteris formam, qua Beneventani in Scripturis privatis Sæculo X. utebantur, descriptum ex autographo Diplomate primi Archiepiscopi Landulphi anni 971., quo scilicet ex Diplomate non Notarii modò scriptionem, sed & aliquot subscriptionum ab aliis factarum formam excepi. Diploma istud habes à me relatum, atque illustratum superiùs: Interim in utroque Charactere videas quandam enitere pro temporum ratione elegantiam, atque gravitatem; videas etiam par in privatis Viris, præsertim Ecclesiasticis, rectè scribendi studium, ac consimilem penè formam servatam, qua ex re non ineptum deducere tandem licebit argumentum, fuisse scilicet Beneventanorum animos ad sublimiorum doctrinarum disciplinam satis pronos, ac præcipuè comparatos; fuisse, inquam, quod Sæculo IV. Symmachus Senator eorum laudi, inter alia plura, vertebat, *Literarum amantes*, non earum tantùm, quibus sola scriptio, sed quædam liberalium studiorum significata eo nomine complexio continetur; unde haud magnum, neque insolens videri cuique debet, si Sæculo IX. ingens Philosophorum Cohors è Beneventanis emerserit.

Erat itaque Sæculo IX. (uti jam dicere cœpimus) Beneventi, præter inferiores Litterarios ludos, Philosophiæ Schola, erat Literarum, Morumque Gymnasium, unde Viri prodirent, quorum ingenio, consilio, muneribus, tum Respublica, tum Ecclesia feliciter uterentur: atque quod ad Mores attinet, dum non alio, quàm Philosophorum nomine appellatos legimus, nulla esse dubitatio debet, quin eos ad sanctioris, seù eminentioris Philosophiæ documenta compositos existimemus. Accedit etiam (quæ paullò ante demonstrata est) eorum temporum ratio; non enim alios Philosophos posterior ætas agnoscebat, vocitabatque, quàm eos, qui sanctioris vitæ genus amplexi,

(1) Trombelli *Arte di conoscere l' età de' Codici &c.* cap. XIV. pag. 86. Bologna 1756.

## *Specimen Characterum Longobardicorum quibus Codices membranacei Bibliothecæ Beneventanæ conscripti sunt.*

*Incipit vita Sancti Johannis heremite*
*Benedictus Deus qui vult omnes homines salvos fieri et in agnitionem veritatis venire &c.*
*Explicit prologus*

*Primum igitur tanquam vere fundamentum nostri operis ad exemplum bonorum omnium sumamus Johannem &c.*

---

## *Specimen Characterum autographi Diplomatis Landulfi primi Archiepiscopi Beneventani Anni DCCCCLXXI. cum subscriptionibus omnium ordinum Cleri Ecclesiæ Beneventanæ.*

+ BE NE UA LE TE

*Integrum huius Diplomatis Exemplar, ejusq. interpretationem habes in hoc Tomo pag. 379.*

plexi, animi virtutibus cæteris præfulgerent. Quamobrem si inter Sodales suos non solùm liberalibus disciplinis apprimè imbutus, sed etiam probè Virtuti deditus *Hildericus* erat, certissimo istud argumento erit, cæteros etsi non omninò Hilderico coæquandos, attamen inter suos, ejusmodi fuisse, ut universos virtute superarent. Id quod etiam de Doctrina affirmasse tutissimum est. Quum enim Ludovicus Augustus Hilderici præstantiam compertam habuisset, *mirari cœpit, & Principem Adelchisium acclamavit, & ei verbis talia promit: Volueram veraciter agnoscere in hac Urbe, quis liberalibus Disciplinis super omnes est deditus. At Princeps cœpit nominare cæteros sapientes, verùm Virum Dei Hildericum obmisit.* Hæc idem tradit Anonymus, atque ex his rectè (si Imperator, quinam liberalibus disciplinis Beneventi excelleret, sciscitatur, Princeps verò cæteros, præter Hildericum, *Sapientes* indigitat) jam illud rectè consequitur, ut duos illos supra triginta Philosophos, liberalium artium, Philosophiæque studiis, tum sedulò deditos, tum præclarè perfunctos dicamus.

Sed id quoque Anonymo debemus, ut ex Hilderico ipso quale Literaturæ genus Beneventi tum floreret, etiamnum probè scire, judicareque possimus. De Hilderici eruditione plura is præfatus, dictorumque suorum apud posteros fidem veluti quæsiturus, aliquot illius Carmina Chronico suo adnexuit, atque utinam nonnullarum fabularum loco, queis non mediocriter indulget, plura ejusmodi monumenta nobis servasset. Satis verò ea Carmina sunt, ut ex ipsorum argumento, Auctorisque stilo, tum de Sodalium ingenio, tum de Doctrinæ, cui pari studio incumberent, genere, atque institutione probè judicemus. Quamobrem Hildericum parumper audire non pigebit, sic inter alia de Deo concinentem:

*Hic Opifex Mundi, verbo qui cuncta creavit,*
*Ex nihilo fingens omnia nempe simul.*
*Absque labore labor, cui posse, & scire, quod esse:*
*Cujus opus velle est, cui labor alta quies.*
*Une, ac Trine Deus, Lux, & Sapientia vera:*
*Regnum immortale Tu sine fine tenes.*
*Tempora Tu condens, solus sine tempore regnas:*
*Verè ut principium, sic tibi finis abest.*
*Principium, & Finis; Primusque, Novissimus es Tu,*
*Quem currunt infra, tempora, sacla, dies.*
*Cuncta arcens mutas, Tu non mutaberis unquam:*
*Semper eras, qui nunc, semper erisque manens.*

Hæc inter alia plura Hildericus, Deo quidem digna, feliciori verò, ac sublimiori, quàm Ætas ferret, dictata stilo: quorum carminum specimen dedisse sufficiat, ut exinde ad Auctorem ipsum penitiùs dignoscendum properemus.

Hildericum Casinatis Monasterii alumnum, sic certò statuit Editor Neapolitanus Operum Camilli Peregrinii, ut ex eo capite Anonymum Salernitanum expostulet, quòd plus æquo in illius laudem effusus, *suos*, (inquit) *collegas quoquomodo extollere conetur* (1). Tam verò falsum est, Monachum fuisse Hildericum, quàm falsa, aut saltem incerta ipsius Salernitani Chronographi Monachica censeri debet professio (2). Quidquid autem de Chronographo arbitrari libeat, Hildericum nostrum, certum est ab altero Hilderico fuisse diversum, qui inter illustres Viros Casinates à Petro Diacono relatus, fucum editori, aliisque fecit, ut unum, eundemque pro binis ipsis Hildericum conflarent. Clarissimum

(1) Tom. II. pag. 236. edit. Neap. 1750.

(2) Ex sacra Scriptura, Sanctisque Patribus, quos importunè Chronographus Salernitanus ostentat, tum verò ex Regis Carolomanni Monachum Casinatem agentis gestis curiosiùs relatis monastico habitu eum induit Cam. Peregrinius in Præf. ejus Chronici §. 4., sed non tanti illa sunt, ut hanc sibi potestatem Peregrinius arriperet. Audi Cl. Muratorium in Præfat. ad ejusdem Salernitani Prolegomena T. III. Script. Ital., qui postquam illustri loco natum comprobasset, *Ecclesiasticæ quoque* (inquit) *militiæ addictum fuisse Anonymum nostrum, sunt quæ persuadeant: Passim quippe Sacræ Scripturæ phrasibus, atque auctoritate utitur, & in SS. Patrum scriptis minimè sese hospitem exhibet, usque adeò, ut non immeritò ipsum Monachis Benedictinis Peregrinius adscribat. Quod postremum sententia quoque mea suspicari, affirmare tamen perfectè non liceat: Nusquam enim Monasterii sui, suorumque Abbatum meminit: à quo Monachus vix temperasset in tot rerum gestarum, bellorumque narratione contexenda: Idque in caussa fortasse fuerit, quòd Clarissimus Vir Mabillonius in Annalibus Benedictinis eum inter Scriptores Instituti sui minimè numerarit.* Hæc viderit Neapolitanus editor, qui Anonymum cum ipsa Muratorii Præfatione recusit.

riſſimum Fabricium audire non pigebit : *Hildericus Abbas Anno* 834. *per paucos dies Caſinenſis, ſcripſit verſus de Præceptoris ſui Pauli Diaconi origine, vita, inſtitutione, doctrina, religione, & habitu, quos lucidiſſimos vocat Petrus Diaconus de Illuſtr. Caſinenſibus Cap.* IX. *Edidit illos Joh. Baptiſta Mari in notis ad Petri Cap.* VIII. *Non ſunt verſus plures, quàm* XLI. *Vix dubito Hildericum hunc alium ab eo eſſe, cujus Epiſtolam metro alligatam recitat Anonymus Salernitanus: Dirigitur ad Ludovicum II. Imperatorem, cui fauſta multa apprecatur: incipit:* Hic Opifex Mundi &c. *Fortè tamen Hilderici Epiſtolæ hujus Scriptoris ætas paullò recentior eſt, quàm, ut componi poſſit cum Hilderico Caſinenſi: ille enim Epiſtolam hanc dedit circa Ann.* 876.: *Caſinenſis verò Abbatem illius Cœnobii egit Anno* 834. *Verùm Anonymi Salernitani fides in re Chronologica per annos illos nequaquam eſt indubitata* (1). At ſi eo tempore haud quidem Caſini, ſed omnino Beneventi Hildericus florebat, quo Ludovicus II. inter Beneventanos verſabatur, ſivè (ut ipſe Anonymus ſcribit) *præerat Samnitibus*, jam ex præclarè indicata locorum, temporumque diverſitate, indubitata Anonymi fides manere debet, alterque ab altero diſtinguendus Hildericus eſt. Quadraginta circiter à Caſinatis Hilderici morte ad Beneventanum Hildericum effluxere anni, dum prioris vitam ad annum 834. protrahi liceat: hoc enim anno in Abbatum Caſinatum ſeriem à Peregrinio refertur, cujus etiam breviſſimam dierum ſeptemdecim Præfecturam, ſimulque nomen, Auctor Chronici Longobardorum, ſive Monachorum S. Benedicti omittenda cenſuit (2). Convenit præterea apud omnes, Hilderico huic Paulum Diaconum Præceptorem extitiſſe, quem Annum 799. non fuiſſe prætergreſſum ſtatuit Cl. Mabillonius, Bucelinum notans, qui illius obitum ad Annum 787. perperam retrahebat (3). Pauli diſcipulum Hildericus ipſe ſe profitetur in Epitaphio, quod in illius memoriam, laudemque acroſtico metro compoſuit, ex literis initialibus hunc verſum extundens:

*Paulus Levita, Doctor præclarus, & inſons.*

ſic enim claudit:

*Hæc tibi poſco, ſacer, gratum ſit carmen honoris.*
*Hildric en cecini, quod lacrymando tuus.*

Atque hi quidem verſus, uti reliqui, rudes, & impoliti (quos tamen pro ſuo, ſuæque ætatis guſtu, ac facultate, *lucidiſſimos* vocat Petrus Diaconus) quippe ab elegantiori Hilderici noſtri ſtilo alieni, alium Caſinatem à Beneventano affirmandum ſuadent. Quid igitur inter utrumque Hildericum commune, quos & ſtili diverſitas, & (quod magis eſt) longiſſima annorum intervalla ſecernunt? Neque enim fieri poteſt, ut quamvis Hildericus monachus Pauli Diaconi, anno 799. defuncti, diſcipulus, ad Annum 834. vitam produxiſſe credatur, adhuc ipſe idem Hildericus Philoſophus ſit, qui circa annum 870. Beneventi florebat. Sinamus igitur, ut inter offuſiſſimas illas illiteratorum temporum caligines in Beneventanam Urbem, quendam veluti Literarum aſylum, recepta incolumis Philoſophia ſedem ſibi, atque honorem recuperaſſe lætetur; ampliùs verò eos Alumnos, Cultoreſque habuiſſe gaudeat, qui doctrina, moribus, ipſo demum numero, ac frequentia, in Reip., atque Eccleſiæ decus, & emolumentum evaſerint.

CAPUT

(1) *Bibl. Latin. med., & infim. ætat. cum ſupplemento Schoettgenii, & notis* Cl. P. *Manſi* Tom. III. pag. 208. edit. Patav. 1754. Hallucinatur verò ſive Fabricius, ſive Schoettgenius, qui Hilderici lucubrationem epiſtolam vocat, ad Ludovicum directam, eique fauſta apprecantem; itaut nullimodo eam legiſſe probetur. Plura ex Hilderici Carminibus ſuperiùs recitavimus, in queis omnibus nihil ad Ludovicum, vel de Ludovico legere eſt.

(2) Tom. V. Opp. Peregr. pag. 134. edit. Neapol.

(3) Annal. Benedict. lib. XXVI. ad Ann. 799. n. 85. pag. 317. T. II., in cujus Appendice num. XXXV. p. 668. Epitaphium ipſum exhibetur.

## CAPUT IV.

*Beneventani Sapientes sub Lothario I. Imperatore: Iidem Sacrorum Canonum, & Ecclesiasticæ Disciplinæ inprimis periti, rectam de Pontificis Formosi Ordinationibus sententiam protulerunt.*

POst Philosophiam, illud videlicet Sapientiæ gymnasium tùm ingeniis doctrinâ imbuendis, tum animis virtute exornandis institutum, haud Jurisprudentiæ injurius videbor, quæ eodem Sæculo IX. apud Beneventanos exculta, in secundum locum rejecta sit; etenim (ut mox videbimus) Philosophis, qui certò extiterint, Jurisprudentia debet, ut ipsam apud Beneventanos tunc floruisse, non indubiè affirmemus. Extat in Libris Feudorum Imp. Lotharii I. *De Successione, & Culpis militis fidelis* Constitutio, quæ sancita asseritur *tempore Eugenii Papæ* (idest anno 824.) *ante Januam B. Petri Apostoli in Civitate Romana per laudamentum Sapientum Mediolani, atque Papiæ, seu Cremonæ, & Veronæ, quæ vulgo Berona vocatur, & Tarvisii, & Paduæ, atque Vincentiæ, Parmæ, Lucæ, Pisæ, & Syponti* (1). De scriptis Urbium nominibus nullimodè suspicari fas erit, post Viri eruditissimi, perspicacissimique Cujacii operam, qui in ea lectione restituenda peculiarem se adhibuisse curam fatetur (2). Quid igitur? Dum Sypontum inter ceteras Italiæ Urbes commemoratam habemus, verène ex ea Urbe *Sapientes* illos prodiisse, atque ab Augusto Lothario Romam accitos dicemus, qui ferendæ Legi, *laudamento* suo, idest judicio, consilioque accessisse videantur? Non ita quidem: Nam *Sipontinatum Sapientum appellatione* (docta, ac verax Peregrinii explicatio est, à Cl. Assemano probata (3), *ni universæ Beneventanæ Regionis venerint Juris-Consulti, cur in eo Conventu Sipontini potiùs, quàm reliqua ex Cistiberina Italia accersiti fuerint, minimè capiemus*. Quo autem Cistiberinæ Italiæ, seù Beneventanæ Provinciæ loco, *Sapientes*, seù Jurisconsulti ii florere debuerint, nisi Beneventi, principe videlicet Urbe, ubi Philosophiæ studia, Philosophorumque choros eodem fermè tempore, sub ejusdem nempe Lotharii filio Ludovico II. enituisse spectavimus? Nihil certè facilius, nihil certius, quàm ut Lotharius Romæ consistens, eamque conditurus Sanctionem, ab universis Italis servandam, uti ex Transtiberina Italia variarum Urbium *Sapientes*, ita ex Cistiberina Beneventanos, satis Romæ vicinos, nec non omnium nobilissimos, sapientiæque famâ clarissimos sibi Consiliarios advocarit.

At quum auctoribus, argumentisque satis validis Jurisprudentiæ studium Beneventanis adseruisse conatus sim, vereor, ne iis præclaram hanc laudem præproperè tribuisse videar. Negotium quippe Cujacius idem facessit, qui ejusdem Constitutionis auctorem, non primum, quem Constitutio præsefert, sed secundum, immò tertium Lotharium agnoscendum contendit. Pro Eugenio itaque Pontifice ejus nominis II., Innocentium item secundum restituendum monet, qui anno 1130. Petri Cathedram conscendit, quinquennio post quàm junior Lotharius Imperium fuit auspicatus: Sicque uno gradu trium Sæculorum intervallum transiliens, atque ad eam infimam ætatem rejiciendam Constitutionem arbitratus, hanc etiam serissimam Jurisprudentiæ laudem Beneventanis reliquisse videtur. Cujacio hæc statuenti jamdiù occurrit Peregrinius, atque ex loco Urbis Romæ, ubi Constitutio proposita, ac promulgata refertur, scilicet *ante Januam B. Petri Apostoli* nullo modo ad Lotharium III., Innocentiumque II. referendam ostendit, id ex Frisingensi, ac Falcone certum probans, Ecclesiam tunc B. Petri ab Pseudopontifice Anacleto occupatam detineri,



(1) Feudorum lib. I. Tit. XIII.

(2) In Comment. ad d. Constitut. Tom. II. Opp. pag. 1216. edit. Neapol. 1722. In Veronæ nomine quod additur, (*quæ vulgo Berona vocatur*) non est ex Cujacio: is enim *veterem Scripturam se retinuisse*, ait, *quæ vulgò Longobardorum nomen exprimit*, Berne, *aut* Berna; *nam & hodiè* (subdit) *Bernæ Helvetiorum, & Veronæ, idem Germanicè est nomen Bern. Pessimè emendant quidam* (quæ vulgò Brennona vocatur) *& falsissimè asserunt, Veronam olim* Brennonam *dictam*. Sed qui Beronam legunt, optimè quidem se habent; nihil enim facilius, immò antiquis familiarius, quàm ut literam V., pro B., & è contra adhiberent, uti ex veterum monumentis, ac posterioris ætatis scripturis passim constat. Satius igitur fuerit, atque consultius, *Beronam* legere, qualem *Veronam* vulgus eo tempore appellabat, quàm ad Germanicum, sive Longobardicum vocabulum *Bern* confugere, idque singulare in Verona admittere, quod in recitatis eodem Constitutionis loco aliis Italiæ Urbibus haud factum fuit. At explicationem suam Viro summo permittamus, dummodo is nobis de *Siponto* consentiat.

(3) Peregrin. in Dissert. de Finibus Benevent. Ducat. ad Septemtr. pag. 279. Asseman. Ital. Hist. Scriptor. Tom. I. cap. XIV. pag. 459.

tineri; quamobrem non ita facilis Lothario, Innocentioque ad id rei illùc patuiſſet acceſſus. Teneo quidem Viri ſententiam, qua tamen non ſatis Cujacio factum videri poteſt. Quum enim, eodem animadvertente Juriſconſultorum eruditiſſimo, *eo loci Imperatores Romæ Conſtitutiones ſuas promulgare, & proponere ſolerent* (1), nihil vetabat, ut Eccleſiam, Palatiumque detinente Anacleto, reliqua tamen Urbe Lotharii, Innocentiique obſequiis addictâ, in ea exteriori Atrii parte ex more, inſtitutoque majorum ejuſmodi promulgatio celebraretur. Ex ipſo itaque Cujacio confecta magis videri res poteſt; non enim illud Cujacius ſiluit, extare ſcilicet in lib. III. Legum Longobardicarum Tit. x. *Capitula quatuor, quæ Legibus Longobardorum Lotharius primus addidit ad limina Beati Petri ſub Eugenio*. Cur igitur ea, qua de agitur, Conſtitutio non Lothario eidem adjudicanda erit? Certè Scripturæ fidem laudata ejus Auguſti Capitula comprobabunt; augebunt etiam quamplures aliæ Lotharii Leges in Italia, proque Italia promulgatæ, queis Artium ſtudia (uti initio obſervatum eſt) inſtaurare curavit, aliaque plura obſervanda ſancivit, quæ Eugenius II. in Synodo Romana anni 829. conſtituerat (2). At hæc inter Sæculi IX. caligines de Beneventanorum Juriſprudentia perluſtraſſe ſatis modò fuerit: Quòd ſi quis me indulſiſſe conjecturis exiſtimaverit, non heic, quæ ad Juriſprudentiam pertinent, depromta, atque exhauſta omnia, ſed tantummodo prælibata ſciat, nec adeò ejus rei mendicos putet Beneventanos, mox non dum eodem elapſo Sæculo de Juriſconſultis ſuis præclariora daturos.

Nonum certè Sæculum Stephanus Pontifex ejus nominis Septimus ita clauſit, ut infeliciori Sæculo decimo initia dederit. Formoſo is anno 896. ſucceſſit, quem ſequenti anno ſepulcro extractum, Sacriſque veſtibus exutum, & tribus mutilatum digitis, in Tiberim abjiciendum damnavit. Crimini tam ſœviter expiando, demortuo licet Formoſo datum fuit, quòd relicta priſtina Sede in Romanam involaſſet; at Sergii potiùs inſtigatio in cauſſa fuit, quem Formoſus in adeundo Pontificatu æmulum habuit, hominem nulla re, niſi ſplendore familiæ (nam is ex Comitum Tuſculanorum genere Cardinalis Presbyter creatus fuerat) commendatum. Hinc factio Sergianorum adverſus Formoſum, quam Wido, ejuſque filius Lambertus ſolium Imperiale adepti, deinceps fovere perſeverarunt. Formoſo mox honorem reſtituit Romanus Stephani Succeſſor, neque aliud præſtare potuit unius menſis ſpatio Pontificatu potitus, uti nec Romani ſucceſſor Theodorus II., qui pari ſpatio Petri Sedem tenuit: At qui ei ſucceſſit Johannes IX., Stephani Acta abrogavit in Synodo Ravennate, ubi Formoſi violatores ſepulcri damnati, & Formoſus ipſe, ut qui *neceſſitatis cauſa ob vitæ merita* ex aliena Eccleſia ad Romanæ adminiſtrationem veniſſet, Pontifex confirmatus cum ipſius Actis, ſancito, ne quid in poſterum ſimile fieret, edicto. Celebratam eam Synodum anno 898. tradit Sigonius, qui ejus decreta recenſet (3). Baronius ad annum uſque 904. protendit; antecedenti verò Sigebertus adſcribit. At eo Concilio non omnino extincta præteritorum malorum congeries fuit.

Reſciſſis à Stephano Formoſi Actis omnibus, Ordinationes quoque irritæ fuerunt declaratæ. Pluribus ejus ævi Scriptoribus teſtatam rem ſatius erit, mihique opportunius ex illo Fragmenti Hiſtorici, cujus Anonymus Beneventanus Auctor eſt, loco, nondum aliis obſervato comprobare. Sic enim is ad An. DCCCXCVII.: *Paucis quoque poſt hinc diebus elapſis Stephanus Vicarius Apoſtolorum Formoſum Papam prædeceſſorem ſuum ex ſepulchro abjecerat, irritas faciens cunctas ipſius ordinationes; cujus Corpus poſt menſes* XI. *inventum eſt integrum; quod dum hùc, illucque crebriùs jactaretur, etiam ſanguis exiit, tanto jam tempore elapſo* (4). Plurimi certè Anonymi noſtri (de quo paullò inferiùs ſermonem habebimus) teſtimonium hoc æſtimari debet, non tam de *irritatis* à Stephano Formoſi Ordinationibus, quàm de ejuſdem Formoſi virtute, quam incorruptum adhuc poſt menſes XI. ejus cadaver, etiam ſanguine manans, ſatis ſpectatam, exploratamque ſuis quoque adverſariis facere videbatur. At quod ad Ordinationes attinet, urgebat imperantis Pontificis auctoritas: quamobrem plerique Antiſtites, ac Sacrorum Miniſtri iteratam manuum impoſitionem ſuſceperunt, ut exinde Sigebertus Auxilii Libris mordacem titulum appinxerit: *De ordinationibus, exordinationibus, ſuperordinationibus*

(1) Satis priſcum, luculentumque ejus Rei exemplum habetur ex Caſſiodoro Var. lib. IX. cap. XVI., ubi Rex Athalaricus Edictum, tabulis marmoreis inſculptum in Atrio S. Petri affixum voluit: *Tam definita noſtra* (inquit), *quàm Senatus Conſulta tabulis marmoreis præcipimus decenter incidi, & ante atrium B. Petri Apoſtoli in teſtimonium publicum collocari*.

(2) Vid. ejuſd. Lotharii I. Leges in Cod. Leg. Longobard. T. I. P. II. Scriptor. Ital. pag. 149., ibique à Cl. Muratorio notata n. 102. 106. & 108.

(3) De Regn. Ital. lib. V. Agit quoque de ipſa re Rubeus in Hiſt. Ravenn.

(4) Opp. Cam. Peregrin. Tom. III. edit. Neapol. pag. 299.

*tionibus Rom. Pontificum* (1): Alii verò in semel susceptæ ordinationis administratione persistentes, non omnes tamen invaliditatis scrupulos etiam post Ravennatense Concilium à se submoverant (2). Sicque factum fuit, ut multorum ea de re, quæ nondum satis explorata existimabatur, & conscientiæ, & ingenia torquerentur. Horum autem unus Leo fuit, qui Formosi electione, atque ordinatione Nolanæ Ecclesiæ Episcopatum adeptus, anceps animi, Viros prudentes, reiquæ definiendæ idoneos, quorum judicio tutò acquiesceret, consulendos sibi duxit (3). À Gallis primum, seù Francis de ea re responsum postulavit, quo vix contentus, *Beneventanorum* sententiam efflagitavit, ac denique *Auxilii* judicio deferendam existimavit. Sed Auxilium ipsum audire non pigebit, hac Præfatione Dialogum suum Leoni offerentem: *Missa legatione asseris te violentas pati oppressiones, ut Episcopale Sacerdotium, quod olim a Papa Formoso suscepisti, quasi nihil sit, irritum facias. Qua ex caussa fateris, te mirifica solertia Francos, nec non & Beneventana Civitatis Peritos consuluisse Viros, eorumque consulta apud te scripta retinere, quæ te hujusmodi transgressionem committere manifesta ratione prohibeant. Nihilominus autem cogis me, objectionibus, quas adversus eundem Formosum Papam, ejusque ordinationes quidam objiciunt, dialogico schemate breviter respondere ...... Faciam quod hortaris &c.* (4).

Non id equidem mihi indulgeam, ut *Auxilium* ipsum inter eosdem *Beneventanæ Civitatis Peritos* recensendum existimem: Neque enim eodem, quo Mabillonius erga gentem suam studio, uti ipse Francis, sic ego potiori fortasse jure illum Beneventanis adscribam. Qui, vel cujas Auxilius fuerit, *nondum liquet*, inquit Caveus (5). At verò à Mabillonio inter Formosi patronos recensetur *Auxilius quidam Francus (fictum, an verum nomen) sed in Italia degens, & à Formoso ordinatus* (6). Unde Auxilium domo *Francum*, sed domicilio *Italum* resciverit Mabillonius, nos adhuc ignoramus; testium fortasse loco conjecturam tacitus sibi fecit ex iis *mirifica solertia Francis*, quos consuluisse Leo ajebat: sed quum is post Francos, *Beneventana Civitatis Peritos* adhuc consuluisse inquiat, nulla subesse videtur ratio, cur Francis potiùs, quàm Beneventanis adscribendus Auxilius sit: immò dum Mabillonius illum in Italia degentem consentit, aut inficiari non audet, divinat certè, dum ex Francorum gente prognatum decernit. At si qua ritè, rectèque institui queat, integra maneat inter Francos, Beneventanosque de Auxilio lis; illud ex Auxilio certum, ac commune tunc utrisque decus, nempe Francis, Beneventanisque, eos fuisse Viros Sapientiâ præclaros, quorum nomina ubique celebrarentur, rebusque in arduis consilia adhiberentur. Gravioris profectò momenti de Formosi Ordinationibus dubitatio, ac controversia erat; de qua sine eximia Canonum scientia, sine perspectis Patrum auctoritatibus, sine exemplis, ac rationibus probè judicari nequibat: Id certè Auxilius uberrimè præstitit; quemadmodum illius, quæ ad nos pervenerunt, lucubrationes ostendunt; Id quoque à Beneventanis præstitum affirmare licet, *quorum consulta apud se scripta retinere*, Leo fatetur; ut jam apud Beneventanos, Sæculo labente nono, quàm feliciter, celebriterque utraque tum Ecclesiastica, tum Civilis Jurisprudentia floruisset, illustri satis, ac certo prorsus monumento demonstratum sit. Sed de Beneventanorum Jurisprudentia, cùm ad inferius ævum ventum fuerit, adhuc luculentiora supersunt, postremo loco dicenda.



(1) De Scriptor. Eccl. cap. 111.

(2) Id patet ex Libris ab Auxilio lucubratis post Concilium Ravennæ celebratum: nam lib. 11. cap. XXIX. quæ adversus præfatum Concilium objiciebantur, sic diluit: *Quod delatis muneribus tale quid (i. e.) ut tam Formosus, quàm ejus ordinatio in suo vigore stabilita permanerent, statutum fuerit, probare minimè potestis. Nos autem eo plurimi vobiscum luce clarius compertum habemus, quod non solum Romuleæ Civitatis, sed omnes penè Italiæ Præsules memorato interfuere Concilio: Quapropter si favente Deo regalis potestas universale fuerit Concilium, quid de vobis censendum erit, qui tot Episcoporum sanctiones irritas facere non veriti estis?* Si Morinum audiamus, non dum perempta controversia est: Nam in *De Sacr. Ordin.* P. II. ubi Auxilii libros edidit à pag. 348. Formosum non ita culpæ expertem fuisse contendit, quin Stephanus probabilem in eum mortuum sæviendi causam habuerit. Mabillonius (qui ejusdem Auxilii Dialogum eodem de argumento conscriptum edidit Vet. Analect. a pag. 28. edit. Parisien. 1723. aliis rem judicandam relinquit: sed jam judicatam in Concilio Ravennate agnoscere æquum erit pro ipso Formoso, cujus laudes latè exequitur Frodoardus tum in Historia sua, tum in Libro metrico de Romanis Pontificibus T. III. Scriptor. Ital. Muratorii.

(3) Hoc Nolano Episcopo Leone aliquantisper suppletur ingens lacuna, quæ apud Ughellum occurrit in Episcopis Nolanis T. VI. Ital. Sacr. pag. 154.; nam post Jacobum, qui floruit anno 843. plures desideratos Episcopos ait, quos nonnisi ab anno circiter 1093., atque a Saxone, qui sub Urbano II. extitit, recensere rursus cœpit. Hunc verò Leonem ejus nominis quartum dicere licebit, quandoquidem tres alii cognomines Decessores usque ad Sæculi VII. exitum Nolanæ Ecclesiæ præfuisse leguntur.

(4) Apud Mabillon. in d. Veter. Anal. pag. 40.

(5) Hist. Eccl. Script. ad Ann. 894. pag. 478. edit. Genev. 1720.

(6) L. l. pag. 32.

## CAPUT V.

*In medii, inferiorisque ævi Historia conscribenda veteres Beneventani præclarè versati; Eorum Nomina, & Opera recensentur, atque generatim illustrantur.*

AD Historiam nunc gradus erit. Nullum finem hactenus habuerunt, nullum etiam habituræ sunt Doctorum Virorum querelæ, quòd inter alias quamplures, quas Media Ætas tulit, calamitates, Historicorum inopiâ laboraverit, quasi malorum suorum ita ipsam puderet, ut perpetuis veluti contecta tenebris abscondi mallet, quàm in posterorum lucem, aspectumque se prodere. At quum Posteritatis bono redivivam haberi præstaret, jamdiù ab iisdem Viris doctis enixiùs impensa opera est, ut monumenta illius omnia, quoquot, atque cujuscumque pretii essent, è latebris suis emergerent, eaque jam Historicorum ex sterili licèt solo Messis exoriretur, quæ si non ubertate, ac probitate saturaret, haud jejunos tamen nos, tenuis licet, ac lolii plena relinqueret. A' superioris itaque Sæculi initio hoc Beneventanæ Civitati vindicatum decus est, ut ex mediis barbarici Ævi tenebris Historicos suos proferret, qui reliquis per eam ætatem Scriptoribus neque fide, neque industria, neque ingenio concedentes, novis, nec mediocribus emolumentis utramque Remp. Literariam, ac Christianam locupletarunt. Prodiit Neapoli Anno 1626. V. C. Antonii Caraccioli curâ quatuor veterum Chronologorum collectio, seù fasciculus, cui is Propylæa præmisit, ac eruditas notas, ceù flores quosdam continenter aspersit: Auctores Codex exhibet Herempertum, Lupum Protospatam, Ignotum, ac Falconem, qui omnes ab anno 717. ad annum usque 1140. res Beneventanas, res videlicet Italiæ cistiberinæ, quæ Beneventano continebatur Principatu, ipsi sibi quodammodò tum tempore, tum instituto, ac munere succedentes literis commendarunt.

At non hosce solos, uberiùs mihi mox illustrandos Chronologos è media Beneventanorum ætate proferre sat fuerit: Illorùm enim Choro accensendus, qui eâdem fide, parique in patrias res posterorum memoriæ commendandas studio cum ipsis comparandus, quoad Chronologiam verò, ac stilum accuratiore opera anteferendus est Anonymus Beneventanus, cujus Historiæ Fragmentum primus omnium edidit Camillus Peregrinius. De eo igitur Scriptore doctissimi Editoris judicium audire præstat, quippe quod libentiùs, ac tutiùs ab eo Viro profectum excipiemus, qui & idoneus æstimator videri debet, & *nullo se in Beneventanos amore teneri, quo immeritam genti laudem adscriberet*, alibi professus est (1). Sic itaque in Anonymum Beneventanum Peregrinius inter alia præfatur: *Is nulli hactenus memoratus Scriptori, nullius pariter Historiæ reputatus est auctor, ac siqua hujus Fragmenti olim habita est notitia, ea talis extitit, ut inde creditum illud fuerit pars Historiæ Erchemperti, in cujus scriptis Codicibus continenti habetur textu, nullo discriminis indice eidem præfixo. At idemmet ipsum prodit se integri alieni Operis divisam remansisse portionem, si modò, quæ inibi primo occurrant loco, attentè observentur verba ...... Quinimò Erchemperti æmulatione Auctarium quoque suum Paulo Diacono illum superaddidisse non diffiteor, quod propositum pariter insedit Anonymo Salernitano; sed Beneventanus peritior utroque fuit; altero scilicet* (Erchemperto) *temporum ordinem diligentiùs custodiendo, altero verò* (Salernitano) *prudentis Scriptoris perpetuò normam servando. Cui haud leviter profuit, patriam habuisse Beneventum, Urbem perditissimis etiam Sæculis numeroso literatorum Virorum choro florentem, sicut Anonymus Salernitanus tradit ..... etsi adfirmare non ausim Anonymo Salernitano æqualem fuisse, nec ne. Verùm de his cùm valdè solicitus non sim, illud quidem pro comperto habendum puto, utilissimum hoc Fragmentum Beneventano Auctori concedi debere* (2). Hactenus Peregrinius.

Sub decimi Sæculi exitum Anonymum Salernitanum floruisse, in Præfatione ad ejus Chronicon Tom. II. editum statuit Peregrinius, consentitque Muratorius (3). Sub noni verò exitum Anonymi Beneventani Historia explicit, itaut integro Sæculo Beneventanum Salernitano præisse hac ratione statui posset; at quum de Fragmento tantùm agitur, quemadmodum eam Historiam longè antea sua duxisse exordia Peregrinius rectè conjectavit, ita

(1) In Præfatione ad Dissertationes T. V. edit. Neap. an. 1754. pag. 195., & inter Script. Ital. Muratorii T. V. pag. 164.

(2) In Præfatione ad Anonymum Benev. T. III. Opp. edition. Neapolit. 1751. pag. 293.; & Tom. II. P. I. Scriptor. Ital. Muratorii pag. 277.

(3) In altera Præfatione T. II. P. I. Scriptor. Ital.

ita ultra nonum Sæculum productam opinari æquum erit, non ita tamen, ut qui reliquis de rebus Salernitano præstat, non etiam tempore antecedere noster Anonymus videatur. Maximam autem ex eo utilitatem nobis præstari jure, meritoque pronunciavit Peregrinius; idque mihi non solùm ex Formosi Papæ gestis superiùs ostensum fuit, verùm ampliùs in hujus Operis decursu demonstrandum erit; itaut dum integram nostri Anonymi Historiam periisse dolemus, quod tamen ad nos pervenit *Fragmentum*, integris, prolixisque aliorum Historiis pretiosius reputasse, jam liceat.

Venio nunc ad Caraccioli Chronologos; nec verò adversus servatam hactenus in hac Dissertatione temporum rationem peccare me arbitror, si à postremo omnium Falcone ordiar, ad vetustiores alios, quos is secum habet, veluti sodales, mox reversurus. Falco igitur, (quem mendosè aliquibus *Fulconem*, falsò Vossius *Folcardum* appellat) nomen ipse suum, & Patriam, & munera nobis prodidit. Singula luculento Cardinalis Baronii testimonio, ipsisque verbis audire præstabit: *Quod ad res Beneventanas pertinet* (ita is in exordio Anni MCXIII.), *locuples nacti sumus monimentum rerum temporis hujus, nempe Chronicon Beneventanum ad nos missum à Maximiliano à Palumbaria Beneventano Archiepiscopo amico charissimo, in quo res gestæ ab hoc anno narrantur, usque ad Annum Redemptoris* MCXL., *continens annos duntaxat vigintiseptem, sincera planè, & integra fide conscriptum, utpotè qui scripsit ea, vel vidit, vel ab iis, qui viderunt, audivit. Auctor Falcus nomine dictus est, quem etiam Beneventanum Patria fuisse liquet ex ejus scriptis, & in eadem Beneventana Ecclesia Clericatus munere functum; ex quo quidem pleraque sunt Annalibus inserenda.* Hactenus illustrissimus Annalium Ecclesiasticorum Parens; cui de Clericatus munere, quo Falconem functum affirmat, adversatur Camillus Peregrinius; qui eandem de Falconis Clericatu, quam appellat *malesanam*, opinionem aliquando sibi receptam aspernatus, *nonnisi Notarium illum, ac Scribam Sacri Beneventani Palatii, tandemque in sua eadem Patria Judicem*, non juridicundo, seù Litibus judicandis, sed *Decurionem*, seù Senatorem fuisse contendit. Peregrinio assentiri videtur Pagius in Baroniana Critica; sed Baronii conjecturæ, quæ loquentis Falconis plerisque formulis Virum Ecclesiasticum ostendentibus satis validè innititur, favet *Notarii, Scribæve* munus, Clericis mediæ, infimæque ætatis, utpotè literarum, vel magis, vel solùm gnaris commendari consuetum (1): Neque Judicis turbare officium, seù dignitas poterit, quam contra vocabuli vim, contra morem quoque ætatis illius ad Decurionem trahere Peregrinius laboravit (2).

Historiam itaque Patriæ suæ, quæ Romanorum tunc temporis Pontificum, Italiæque cistiberinæ res præclarè gestas complectitur, Falco lucubravit, annorum initia non à die XXV. Decembris, non à Kalendis Januarii, neque à XXV. Martii, sed ab ipsius Martii Kalendis auspicatus (3); ab anno verò non MCXIII., uti Baronius inquit, sed MCII., uti acepha-

(1) Res isthæc jam observata est à Cl. Muratorio, qui in Antiquit. Med. ævi integram Dissertationem XII. Notariis dicavit pag. 664., & seqq., nequicquam servata tum Caroli M. Lege, tum Innocentii III. Sanctione, quibus Scribæ, Tabellionisque officium Viris Ecclesiasticis interdictum fuit: Secus enim servandum illiteratorum temporum ratio postulabat, uti domesticis plurium Sæculorum exemplis probare promptum est ex vet. Chronico S. Sophiæ apud Ughellum Ital. Sacr. T.VIII., sive X., ubi qui Notarii, vel Scribæ Diplomatibus subscribunt, etiam se *Clericos* passim, aliquando etiam *Diaconos*, & *Abbates* profitentur.

(2) Esto enim, quòd *Judices* aliquando pro *Decurionibus* appellati sunt, ut ex exemplis patet ab ipso Peregrinio relatis, non ita tamen in re præsenti obtinere debet, sed propria retinenda erit vocabuli significatio, quam Falconis ipsius locus ad An. 1133., quando ad id muneris se electum commemorat, præclare indicat: *quumque* (inquit) *prædictus Girardus Cardinalis Rector præesset Civitati, consilio cum prædicto Ropoltone Comestabulo accepto, & aliis Civitatis Sapientibus, Falconem Notarium, Scribam Sacri Palatii, istius Opusculi factorem, sicut in principio legitur, Judicem Civitatis ordinavit*. Anne, ut Decurionum albo describeretur is, qui Notarii, Scribæque Sacri Palatii, honestiori fortassè munere, pro ejus doctrina jam fungeretur, & Cardinalis Rectoris, & Comestabilis, & aliorum Civium *Sapientum* consilium, judiciumque adhiberi oportebat? Quid verò in ea electione Civitatis *Sapientes*, nisi ut Virum probarent *Sapientem*, ac juridicundo idoneum? Paullò inferiùs videbimus nobilissimum Rofridum Judicem Beneventanum, qui non quidem Decurio, sed *in Legum dogmate fidus Doctor fuit*.

(3) Id jam Peregrinio observatum, & pluribus ex ipso Falcone adductis exemplis demonstratum, cui rei & Pagius assentitur. Annus Æræ vulgaris varium apud varios populos obtinuit, atque etiamnum sortitur exordium. Rem hanc leviter tetigit Muratorius Antiq. Med. ævi T.III. Dissert. 34. p. 45.: *Fuerunt* (ait) *olim, & sunt adhuc in Italia Populi, ac præcipuè Florentini, qui seriùs, quàm nos, annum novum a die 25. Martii ineunt, ac propterea annum ab Incarnatione appellant; quod sedulò perspiciendum, utpotè indicium discriminis nominis non levis ab altera formula nostris temporibus ferè ubique usitata, scilicet* a Nativitate, *sive, ut rectiùs Regienses, & alii scribunt*, a Circumcisione, *hoc est a Kalendis Januarii. Aliquibus autem, & præsertim Pisanis novus annus* ab Incarnatione, *novem mensibus antevertebat vulgarem annum nostrum* à Nativitate; *fuerunt etiam, ac præsertim apud veteres*

acephalum Chronicon ostendit, exorsus: Ac mutilum, non fine dumtaxat, sed suo quoque principio opus ipsum ad nos pervenit, itaut in aliquot, post MCXL. annos Falconem excurrisse, plurimos verò ante MCII. præmisisse certa sit conjectura. Ac Peregrinius quidem, Vir certè summo ingenio præditus, at sententiarum suarum parùm constans, quas in deterius nonnunquam mutare consuevit, Falconiani Chronici exordium ab ipsa Pontificiæ Dominationis Epocha repetebat, quum primùm scilicet an. MLXXVII. Beneventana Civitas Apostolicæ Sedis juri, jurisdictionique subesse cœpit: sed postea eadem Paschalis II., ac Falconiani Chronici initia constituens, nonnisi Anno MIC. ab altero Pontificatum, ab altero scriptionem, suscepta arbitratur: retractatæ sententiæ nullam is affert, nec ego reperio caussam: quòd si mutilo operis principio altiora tempora tribuenda sunt, nihil profectò veri videtur similius, quàm ut Falco boni, vel saltem mediocris Chronographi, Historicique recepto more, ab memorabili illa Epocha, quæ paucis ante annis effluere incœperat, & ipse incœpisse debuerit, quum videlicet extincta cum Landulphi VI. vita Longobardorum Principum successione, *post ejus Principis obitum* (ut Anonymus S. Sophiæ ait) *recta est Civitas per Romanam Ecclesiam*. Atque illorum quidem præcedentium annorum seriem, vel saltem summatim recensuisse facile, atque omninò paratum Falconi fuit, qui jam Notarius, ac Scriba anno MCII. (à quo nunc Chronicon incipit) scribens, idest ætate maturus, superioris temporis, quod ad an. MLXXVII. vix annos XXV. antevertit, æquè oculatus fuisse testis probatur. At ejus principii, quo Opus omninò constabat, jacturam ut iniquè minus feramus, narratio illa in caussa est, quæ superstiti Operi exordium modò faciens, Legationem commemorat *ferè centum nobilium, & bonorum Virorum*, quam Beneventani Romam ad Paschalem II. miserunt, *ut Pastorem electum corroborare dignaretur*; ut videas eo nobilium, simulque bonorum Virorum ingenti numero, qui Legatorum muneri idonei, inter quamplurimos alios & genere, & virtute præstarent, æquè sub recenti Apostolicæ Sedis, ac sub veteri Principum Longobardorum Imperio, servatum Beneventanæ Civitati pristinum decus, ampliùsque Civibus suis comparatum fortasse splendorem, atque dignitatem. Sed hæc aliàs. De Operis editione, ac merito tulisse judicium satis modò fuerit.

Non omnium primus obstetricias manus Falconi præbuit Caracciolus. Jamdiù is in promeritam lucem editus fuerat alterius Beneventani Civis Julii de Syndicis ope. Hanc laudem Viro illi docto, atque hac de re benè de Patria, ac Cive suo merenti, non inviderunt neque Caracciolus, neque Peregrinius, qui aliis Chronologis supradictis Falconem sociantes, Julii præfatiunculam præire siverunt, qua is Falconis *Libellum corrosioni, & literarum obscuritati proximum, ut apparet ex defectu Principii, & Finis, ne tantum opus periret, exemplandi onus suscepisse, Longobardicis tantum Characteribus in Latinos commutatis*, idest summa fide, parique diligentia ex vetustissimo autographo descripsisse ait. An Falconiani Chronici exemplar a Julio curatum, Italicis typis vulgatum tum fuerit, non dum novi; illud sat scio, non solùm ex illo exemplari plura alia prodiisse, quorum unum illud fuit ab Archiepiscopo Palumbaria Baronio transmissum exeunte Sæculo XVI.; verùm etiam

*teres Germanos, qui annum revera a die 25. Decembris numerare incipiebant*. Hæc Muratorius. Latiùs rem exequitur Johannes Lucidus, qui aliis præivit in *Emendationibus Temporum* Venet. 1546., & quod ad Florentinorum, Pisanorumque exemplum a Muratorio prolatum attinet, hæc accuratiùs observat Lucidus p. 67. *Quidam rectè computant annos ab Incarnatione Domini, addentes annis a Nativitate ipsius computatis per Ecclesiam scilicet novem menses, quibus fuit in utero Virginis ante Nativitatem, ut rectè computant* Pisani, *qui hoc anno a Nativitate Domini 1524. post vigesimam quartam diem Martii sunt in Anno ab Incarnatione Domini 1525. & sic adnotant in suis Literis, & Codicibus; sed in hoc errant Florentini, & Senenses, qui annos ab Incarnatione postponunt annis a Nativitate, quòd annos Domini numerare incipiant completo primo anno à Conceptione jam nato Christo per tres menses: Conveniunt tamen cum Ecclesia post 24. diem Martii, non tamen antea tribus mensibus. Dicunt tamen aliqui, quod antiquitus conveniebant cum Pisanis: sed postmodum cùm vellent convenire cum Ecclesia, & non auderent immutare principium anni a die 25. Martii, sicut semper antea consueverant, inciderunt in hanc deordinationem, ut nec cum Ecclesia, nec cum Pisanis conveniant. Ceteræ Nationes extra Italiam communiter cum Ecclesia conveniunt. Romani verò annos Domini a Kalendis Januarii incipiunt octavo die à Christi Nativitate, & conveniunt cum Ecclesia, excepta prima hebdomada Nativitatis ejus; & hunc modum tenent recentiores Astronomi, qui annos Domini ad Januarium reduxerunt*. Hæc omnia observasse non piguit, ut priusquam de certo aliquo anno statuatur, populi, regionisve mos animadvertatur de anni exordio; neque ita facilè (in re Chronologica alioqui difficillima, ac ferè semper incerta) de uno, vel altero anno, antecedenti, vel subsequenti, inutiles, verbosissimæque controversiæ moveantur. Certè in nostro Falcone corrigendum Baronium Pagius censuit, quòd Pontificis Paschalis II. adventum in Beneventanam Urbem ad annum MCXIII. retulerit, ad antecedentem veriùs retrahendum. Interim ex ipso Falcone id Beneventanis fortasse singulare fuisse dicendum erit, ut a Kalendis Martiis olim annum auspicari consuescerent.

etiam pluribus ante annis Falconis opus typographicè in publicam lucem emiſſum. Ante enim Caracciolum, Peregrinium, ac Baronium, primævæ hujus editionis ignaros, Falconis Chronicon *inveniri*, *legique* poterat in Collectione *Veterum Siciliæ Hiſtoricorum*, quam anno 1579. (mox ut ſcilicet Julius Falconem exemplaverat) Francofurti impreſſam Caſimirus Oudinus teſtatur (1).

Quod verò ad Operis meritum, æſtimationemque attinet, aliorum judicium recitare libet; ac primùm, quàm opportunè, quàm etiam lætanter Falconem Baronius exceperit, ex Baronio eodem paullò ſuperiùs audivimus, qui Chronicon Beneventanum *ſincera planè, atque integra fide ab eo conſcriptum*, atque ex ipſo *quidem plerumque Annalibus ſuis inferenda* profitetur. Falconis Chronicon cum reliquis à Caracciolo editis, *magno ſibi uſui fuiſſe* Pagius ſubdit. Falconem *noſtratium Hiſtoricorum mediæ ætatis ob fidelem, nec prorſus ineptam diligentiam facilè principem* Peregrinius appellat. Caraccioli tandem hæc ſunt: *Falco, trium ſuperiorum loco quidem poſtremus, diligenti tamen geſtorum, locorumque enarratione profectò primus habendus eſt .... Hoc Chronico, res ſui temporis, eaſque præcipuè, quæ Beneventi contigerunt, adeò fuſè, accuratèque deſcribit, ut tibi, Lector, non legere, ſed præſens eſſe videaris*. Falconis denique commeminerunt tum Aubertus Miræus (2), tum Antonius Poſſevinus (3), tum Gerardus Johannes Voſſius, ut videas ſummis Viris non modò non neglectum, ſed ſua quoque laude commendatum hominem, de quo ſic laudatus Voſſius: *Henrici V., Lotharii II., & primis Corradi III. temporibus, in ſtudiis verſabatur Folcardus* (perperam pro Falcone) *domo Beneventanus, atque ejuſdem Urbis Clericus, auctor Chronici Beneventani*, quo narrantur res geſtæ ab anno 1113., uſque ad annum 1140.: Erravit verò cum Baronio Voſſius, qui Chronici initium anno MCXIII. aſſignat; conſentit verò, ab eo res *ſincera planè, & integra fide narrari, quippe qui referat illa, quæ vel ipſe viderit, vel viderint illi, à quibus accepiſſet* (4). Quamvis autem Falconis ſtylum *barbarie horridum* cauſſetur Caracciolus; *incultum, & ſemibarbarum* æquior Peregrinius judicet; ſtabit tamen integrum, neque parvis hiſce maculis, ætatis potiùs, quàm ingenii vitio adſcribendis, detrahendum Operi pretium; nam ſi, Caracciolo Judice, verum illud ſcimus, experimurque, res omnes à Falcone optima fide enarratas non tam nobis legendas, quàm ſpectandas offerri, quid ni is hoc præcipuo ex Capite eam ſibi vindicaverit laudem, quam majori eloquentiâ, quam fide ita aſſequutus eſt Livius, ut ei quoque loquenti *patavinitatem* objectam nemo ignoret?

Redeo nunc ad Herembertum (nam de Lupo Protoſpata, & Ignoto Caſinenſi parum, aut nihil attinet dicere), ſive malis Herchembertum, aut Herkembertum, qui Genere, Virtute, Scriptis à Sæculi noni exitu, ad decimi initia floruit. Radelgario, ſive Adelgario patre natum, ab ipſa Longobardorum, Beneventanorumque Principum ſtirpe genus duxiſſe, præclarè tradit veteri Vaticano Codici ejus Chronicon exhibenti inſcriptus Titulus, nec obſcurè ipſe indicat in ſua Epitome Herembertus, Capuanum Epiſcopum, & Comitem Landulphum inſectatus, quòd in Beneventani Principatus injuriam Capuam ab Imp. Ludovico II. Metropolim conſtitui molitus fuerit, *quod tamen* (inquit) *Domino non ſinente, ad perfectum non pervenit*. Parvulus, ac docilis ingenii puer (ut Leo Oſtienſis, ac Petrus Diac. ajunt (5)) a nobili genitore Adelgario in Theanenſi Monaſterio B. Benedicto oblatus monaſticum inſtitutum cum Diaconi munere perpetuò profeſſus, tum rebus utiliter geſtis, tum libris præclarè ſcriptis illuſtravit: Nam ad Pontificem Stephanum VI. Romam a ſuo Abbate ablegatus, ut bona Monaſterii Capuani ab Atenulpho Capuæ Gaſtaldeo occupata, reſtituenda curaret, & generis, & virtutis, & doctrinæ meritis, *& Apoſtolicam Benedictionem detulit, & Privilegium Sancto Cœnobio obtinuit, & ſupradicto Gaſtaldeo commonitorias Literas, ut univerſa, quæ abſtulerat, protinus redderet, niſi excommunicationis vellet ſubire ſententiam, attulit. Quas ille ſuſcipiens paruit, & omnia, quæ abſtulerat, ex integro reſtitui juſſit* (6). Sed utiliorem, quam *docilis ingenii puer* portendebat, operam lucubra-

(1) In Commentar. de Script. Eccleſ. T. II. p. 1257. edit. Lipſiæ an. 1722.

(2) De Scriptor. Eccl. in Auctario cap. CCCXXX. pag. 241.

(3) In Apparatu Sacro T. I.

(4) Voſſius De Hiſtoricis Latinis P. III., quæ eſt de *Hiſtoricis prætermiſſis* cap. VII. p. 315. edit. Lug. Bat. an. 1651.

(5) Oſtienſ. Chron. Caſ. lib. I. c. 46. *Hoc præſidente* (Ragemprando Abbate) *Adelgerius quidam nobilis obtulit B. Benedicto apud Theanum cum oblationibus Herchempertum filium ſuum, docilis ingenii puerum*. Petr. Diac. De Vir. illuſtr. Caſin. *Herkempertus Diaconus, parvulus, & ipſe B. Benedicto* oblatus &c.

(6) Idem Oſtienſis l. l.

cubrationibus postea suis præstitisse censendus est Herempertus, ea de re meliori nomine nunc etiam celebrandus.

Plura igitur Herempertus conscripsit: ex quibus inter Ecclesiasticos Scriptores recenseri dignus à Caveo, atque Oudino fuit habitus (1). Petrus Diaconus duo dumtaxat commemorasse satis habuit; nam *De Destructione, & Renovatione Casinensis Cœnobii*, nec non *de Ismaelitarum incursione Historiam satis necessariam* ab eo compositam recenset (2). His alia addenda sunt, quæ, vel ipsiusmet Heremperti testimonio, eum habent auctorem; quandoquidem in suo Chronico *de Vita Landulphi Episcopi Capuani Carmen* lucubrasse fatetur, *Acta* verò *Translationis Corporis S. Matthæi Apostoli* in Urbem Salernitanam conscripturum pollicetur, quæ an conscripserit, Caracciolus dubitat, nisi illa Heremperti esse dicantur, quæ M. Antonius Columna Archiepiscopus Salernitanus evulgavit.

Insignius autem cæteris Opus censeri debet Heremperti Chronicon, seù fusior de Longobardorum rebus gestis Historia: locuples ejus libri testis adest Leo Ostiensis, qui post Paulum Diaconum, secundum ea de re Heremperto locum, laudemque tribuit, hæc satis honorificè de illo effatus: *De quo videlicet Arichi Domnus Herchempertus in Historia, quam de Longobardorum gente post Paulum Diaconum composuit, ita refert* (3). Hac Historia modò caremus, solâ ipsius Epitome nobis superstite. Caracciolus ejus Chronici, sivè Historiæ Longobardorum fusioris Prototypon in Codice membranaceo scriptum è Tabulario Ecclesiæ Salernitanæ sublatum, & trans Alpes evectum se audisse asserit, *relictis* (inquit) *nobis aliquot exemplaribus adeò mendosis, ut plerisque locis nulla planè sententia exculpi possit*. At ni nugetur Caracciolus, vel ipse negligentem se prodit, qui Epitomen vulgandi solicitus, genuinum Opus, cujus exemplaria superesse ævo suo fatetur, curare destitit; vel de Prototypi nusquam hactenus aut editi, aut indicati sublatione, transalpinaque asportatione imponi sibi passus est: Nobis verò id magis placet, Caracciolum in eo deceptum videri, quòd Anonymi Salernitani Chronicon, opus ab Erchemperti Historia omninò diversum, pro Erchemperto acceperit. Cæterum ex Epitome factum arbitror, ut ipsa paullatim post Heremperti ævum negligeretur, ac denique periret Historia: consimili quidem fato, quo ex Justini, ac Flori Epitomis factum est, ut integram Pompeii Trogi Historiam, Titi verò Livii non mediocrem partem, etiamnum frustrà desideremus. Extabat certè Heremperti Historia Sæculo ineunte duodecimo, quo tempore Leo Ostiensis florebat; plura enim Leo ex eo Opere hausisse, atque in suum Chronicum retulisse testatur, quæ modò in Epitome nequaquam occurrunt (4). Ex ipsa verò superstite Epitome, cujus auctorem ipsummet Erchempertum agnoscere licebit, pleraque in Annales suos, justus ejus Operis æstimator Baronius opportunè derivavit (5).

CAPUT

(1) Casim. Oudinus T. II. p. 344. edit. Lips. 1722. Guil. Caveus Hist. Liter. ad an. 887. pag. 476. edit. Genevæ 1720. *Herempertus gente Longobardus illustri stemmate ortus, genus nempe è Ducibus Beneventanis fumens, Monachus, & Diaconus Casinensis claruit an. 887. . . . Scripsit Chronicon, seù Historiam Longobardorum fusiorem, quam ad an. 888. deduxit . . . Composuit item Carmen de Vita Landulphi Episcopi Capuani; Acta Translationis S. Matthæi Apostoli: De Destructione, & renovatione Monasterii Casinensis: Historiam de Ismaelitarum incursione, de quibus videsis Petrum Diaconum.*

(2) De Vir. Illustr. Cas., cap. 14. ubi vid. J. B. Mari notas. Petrum sequutus est totidem penè verbis Arnoldus Wion *in Ligno Vitæ* lib. 2.

(3) Chron. Cas. lib. I. cap. 9.

(4) Vid. Chron. Casin. Lib. I. cap. IX., cap. XIX., & cap. XLVI. Ad posteriora longè tempora eadem Historia pervasisse incolumis videtur, si Marino Frecciæ fides, qui in *De Subfeudis cap. De Provinc. & Civit. Regni pag.* 82. post narratam S. Tryphomenes translationem Amalphia Salernum, se eam excepisse ait è Chronico Heremperti Longobardi in vetustissimo Codice scripto. Petrus etiam Pogianus *Hist. Monast.* Part. III. cap. De *Gariberga*, eorum, quæ in laudem Garibergæ, Beneventani Ducis sanctissimæ Sororis, narrat, Herempertum laudat auctorem. At vereor, ne non uterque in Anonymum Salernitanum inciderint, quem Herempertum putarint; putasse autem pronum fuit, dum Anonymus Heremperti opus pene integrum suo Chronico innexuit: quæ altera, præter Epitomen, fuisse caussa videtur, ut Herempertus oblivioni datus, omninò interiret.

(5) Ad an. DCCCLXX., & seq., & ann. DCCCLXXIV., & CMXII.

## CAPUT VI.

*Dauferii Beneventani, qui Desiderius postea Abbas Casinensis, Victor denique III. Romanus Pontifex fuit, Doctrinæ præstantia, atque ex editis in utroque Munere Operibus maxima in Remp. Christianam promerita demonstrantur: Illius nomen, atque Eruditio à Guil. Cavei calumniis vindicantur.*

IN longa illa, quam adhuc perlustramus, illiteratorum temporum nocte, quosdam veluti minores ignes Beneventano Cœlo collucentes hactenus conspexisse fuit. Nunc verò ad Sæculum XI. properantibus nobis præclarissimum omnium Sidus spectare simul, ac revereri continget. Ex Longobardorum Beneventanorum Principum genere gentilitio splendore satis locuples exortum id Sidus, longè suamet luce splendidius, Longobardici Principatus, quem vidit occasum, ita illustravit, ut immortali posterorum memoriâ superstitem adhuc illius gloriam secum servasse videatur. Is fuit *Dauferius* gentilitio nomine, Monastica professione *Desiderius*, Pontificatu denique maximo *Victor III.* appellatus. Præclarissima, quæ de summo Viro certis Veterum monumentis sparsim commendata habentur, admirabilem illius Sanctitatem satis compertam efficiunt: Illud itaque nunc propositum mihi est, ut quæ ad cæteras ejus eximias virtutes, resque egregiè gestas accessit, non impar Sapientiæ laus, Doctrinæque splendor in medium proferatur. Plura scripsit Vir summus, quum Abbas esset Casinensis, quædam etiam Pontifex. A Petro Diacono Casinensi illius suppare, vel etiam discipulo (1) distinctè recensita libenter audiemus: *Victor* (inquit) *& ipse Apostolicæ Sedis Pontifex, Casinensis Abbas, compunctione timoris Dei plenus, castitate singularis, professione, & opere Monachus, in nuptiis sponsam suam relinquens, Eremum petiit, ibique Sanctæ Religionis habitum sumpsit .... De miraculis, quæ à B. Benedicto, & Monachis Casinensibus gesta sunt, unà cum Alberico Diacono Libros edidit quatuor: Cantus etiam B. Mauri composuit, in quibus, qui vult Artis Grammaticæ tramitem, & Monochordi Sonori Magade reperiet notas: factus dehinc Sedis Apostolicæ Pontifex scripsit ad Philippum Regem Francorum, ad Ugonem Cluniensem Abbatem quamplures Epistolas* (2). Et Cantus, & Epistolas à Petro memoratas desideramus: ac de Epistolis quidem mirum videri debet, quas quum Pontifex scripsisset, ad posteros non sine Reip. Christianæ, Disciplinæque Ecclesiasticæ emolumento, evasisse sperassemus: Nullum earum vestigium apud Labbeum, aliosque reperisse est: Mabillonio debemus, quòd unam Victoris Epistolam ex schedis suis in lucem prodiderit, *A. Imperatrici* inscriptam, quâ eam Pontifex adhortatur ad relevandum tributum Peregrinis impositum, qui ad Sacra loca properabant. Mendum autem in inscriptione cubare doctissimus Editor jure suspicatur, ac non *Imperatrici*, sed *Imperatori* legendum, idest Alexio tunc temporis Constantinopolitano Imperatori scriptam arbitratur (3). Eandem nos Epistolam, brevem illam quidem, sed Pontificiæ Majestatis plenam, Scriptorisque sensa, ac monita pro negotii gravitate sapientissimè exprimentem, ut meritissimam lucem rursus aspiciat, lectorique sine labore ullo præsto sit, heic ex ipso Mabillonio infernè describendam operæ pretium existimavimus (4); cui etiam alteram adjiciemus ab eodem Victore, seù



(1) Desiderii Abbatis Discipulis Petrum quoque Diaconum Cl. Mabillonius adjungere videtur in Annal. Benedict. Tom. v. lib. LXVII. n. XXVIII. ad an. 1087. pag. 223. edit. Lucen., ubi Typographi mendum occurrit, annum CXII. pro MCXII. exhibentis. Dum verò Petrus non ante an. MCXV. (ut ipse scribit) puer quinquennis Casini B. Benedicto oblatus fuit, non is certè Desiderium anno 1087. defunctum videre potuit. Petri verba ex Codice Casinensi ab Angelo de Nuce descripta hæc sunt: *Petrus Casinensis Diaconus, Chartularius, Scriniarius, ac Bibliothecarius ex Patre Egidio natione Romano, Gregorii Romanorum Patricii, & Consulis filio quinquennis sub Girardo Abbate B. Benedicto oblatus anno Dominicæ Incarnationis quintodecimo, centesimo, atque millesimo, atque per octo fermè annorum curricula eruditus est*. Vid. eund. Mabill. l. l. pag. 575.

(1) De Vir. Illustr. Casin. cap. XVIII.

(3) Annal. Bened. T. v. lib. LXVII. n. XXIV. edit Lucen.: Certè ut vir summus optimè observat, nemo nescit, Alexium non modò exercitibus ad sacras expeditiones properantibus, verùm etiam ipsis Peregrinis ex Occidente adventantibus insidias tetendisse. Ejus autem avaritiam ipsius Bulla probat aureis literis exarata, quâ fatetur se in angustiis redactum, Donaria sacra è Templis abstulisse: Vetat quidem ibi, ne id in posterum fiat; sed si ab Ecclesiis spoliandis posteà abstinuit, non tamen eum à vexandis Peregrinis moderatiorem fuisse probant ea, quæ illorum temporum Historici passim referunt.

(4) In appendice ejusdem T. v. n. XXVI. pag. 612.

*Victor Episcopus Servus Servorum Dei, Gloriosæ & Dilectæ Filiæ A. Imperatrici Augustæ; Apostolicæ Sedis*

seù Desiderio, dum Casino præsideret, S. Petro Damiani scriptam, quam ex Casinensi Archivo V. C. Erasmus Gattula nuper in lucem emisit (1).

Præcipua verò Pontificis Victoris, seù Desiderii Abbatis Lucubratio est *de Miraculis a S. Benedicto, aliisque Monachis in Monasterio Casinensi ope divina factis*, uti habet titulus Codicis MS. in Vaticana Bibliotheca asservatus. Sub nomine *Dialogorum Victoris III. Romani Pontificis, olim Desiderii Abbatis Casinensis* ex eadem Bibliotheca depromsit, primusque omnium edidit Johannes Baptista Mari Romæ An. MDCLI. Atque Opus quidem in Dialogi morem perscriptum est, dum Desiderius *fratrem Theophilum Levitam charissimum colloquentem* sibi adhibet (quem tamen Petrus Diaconus Albericum nominat): In Libros quatuor productum, vel producendum auctor ipse Desiderius testatur, *nam ea* (inquit) *quæ in hoc nostro Cœnobio facta sunt, duobus comprehendam libellis, dein cætera, quæ ex aliis partibus, vel audisse, vel vidisse me contigerit, aliis duobus libellis me concludere, comite vita, studebo*. At quum in Autographo Vaticanæ Bibliothecæ finis tertii Libri, totusque etiam quartus, eodem Maro teste, desideretur, incertum, an ea pars injuriâ temporum deperdita, vel ab ipso Desiderio ex Ecclesiasticarum dignitatum, ac munerum accessione gravioribus negotiis occupato nunquam amplius elaborata censeri debeat.

De Operis præstantia, sapientissimorum Virorum suffragio, ac, quod magis est, legentium utilitate, satis comprobata, differere supervacuum duxissemus, nisi unus inventus esset cum suis gregalibus Guilielmus Caveus, iniquissimus operis censor, modò nobis refellendus. Quæ Caveus in Victorem effutit, hæc sunt: *Scripsit exemplo Gregorii M. de Miraculis a S. Benedicto, aliisque Monachis Casinensibus gestis Dialogorum libros* IV., *in quibus haud pauca reperies adeo absurda, fabulosa, & Christianæ Religionis majestate, gravitateque indigna, ut quocunque demum animo scripta sint, emunctioris naris hominibus risum movebunt; certè in iis & Scriptoris judicium, & rerum gestarum fidem meritò desiderabis. Libri tertii finis, totusque quartus (tot enim scripsisse Victorem ipse nobis, & Petrus Diaconus auctores sunt) in Autographo Vaticano deerant; an alicubi adhuc delitescant, non liquet; nec tanti res est, ut curiosiùs investigemus. Tres hosce Dialogorum Libros ex Codice Vaticano primus eruit, notisque Romæ edidit J. B. Marus: deinde prodierunt cum ejusdem notis Parisiis an.* 1666., *inde apud Mabillonium Sæc. Benedict.* IV. *P.* II. *pag.* 415., *apud Henschenium ad* XXI. *Martii, & in Bibl. Patrum tom.* XVIII. *pag.* 837. *Oratio ejusdem ad Episcopos in Synodo Beneventana habita reperitur*

*dis debito compellimur, majoribus, & minoribus nòn ubtrahere solitaria* (fort. salutaria) *monita; in qua utique causa tantò magis insistere sublimioribus debemus, quantò eos temporaliter plus prodesse, aut nocere posse Christi pauperibus scimus. Unde cupiens tuam dignitatem in futuro non condemnari pro temporali oppressione Peregrinorum, & pauperum, sed glorificari pro relevatione eorum, denunciamus, & obsecramus in Domino, ut à visitantibus Sancti, & gloriosi Sepulcri ejus facias cessare gravissimum, & importabile tributum, quod eis imponitur a tuis Officialibus. Ut enim alia, quæ ubivis locorum Imperii tui patiuntur, taceamus, in duobus tantùm locis adeò angariantur, ut pro singulis equis tres aurei, & ex binis peditibus totidem tollantur. Insuper equos eorumdem Oratorum violenter ablatos, quandiù volunt, angariant, & vexant. Cujus quidem periculi malum, nisi quantociùs Imperiali edicto à Regno tuo propellas, in animam tuam quod adsit, redundaturum scias: quia ad majores respicit, quicquid a minoribus delinquitur; & facientes, & consentientes pari pœna plectentur. Nos tamen, ut decet, semper in bono memores tui, & tuæ venerabilis genealogiæ, optamus è præmultis sic temet, ac tuos regere, quatenus sic nomen bonum, quod melius est, quàm divitiæ multæ, acquiras, ut in futuro gaudium Domini tui feliciter introeas. Valere perpetuo tuam excellentiam, & optamus, & oramus, atque ut Romanæ Ecclesiæ, scilicet primæ, & propriæ matris tuæ, sicut te decet, recorderis, eamque semper venereris, admonemus: equidem ipsa jugiter tui in bono recordatur, & avitam prosapiam tuam veneratur.*

(1) Histor. Casin. P. II. pag. 585. Quanta observantia S. Petrus Damiani Desiderium coluerit, satis probant epistolæ XIV., & XV. Libri II., quibus illum *Archangelum Monachorum* appellat. Petrum vicissim colebat Desiderius, qui nullum majus, acceptiusque necessitudinis, studiique sui argumentum ei præstare potuit, quàm quum in Monasterii sui suffragiorum societatem admitteret hac epistola: *Domino Petro Damiani Venerabili Episcopo Desiderius Abbas Dei gratia quicquid est salutem. Quoniam satis clarè innotuit, quod hoc Monasterium S. Benedicti, cui præesse videor, plus omnibus aliis circumquaque fundatis, diligas, cunctis Fratribus nostris laudantibus, ac libenter consentientibus, promittimus tibi Ven. Fr. Petre ego Fr. Desiderius cum tota Congregatione hujus S. Coenobii memoriam obitus tui annualiter nos habituros, posterosque nostros hoc idem observare fideliter cupientes, sicut consuetudinaliter prædecessorum nostrorum Abbatum, qui noviter de hac luce migraverunt, officiosissimè celebramus. Satis quippe dignum, & honestum nobis videtur, ut quibus tantam dilectionem impendis, tantam benevolentiam ostendis, aliquid emolumenti rependamus, ut quos ita incoeperis amare, semper dum vixeris, amor tuus crescat in nobis, dum aliquid devotionis, & amoris præter solitum a nobis te speras consequuturum. Si quis autem hujus nostræ pollicitationis violator extiterit, vel nobiscum viventium, aut succedentium, ante Tribunal Christi reus mendacii præsentetur.*

*Ego qui supra Desiderius Abbas subscripsi.*

*Ego Frater Rainerius subscripsi.*

*ritur apud Leonem Ostiensem Chron. Casin. Lib.* III. *cap.* 17., *& Baronium ad an.* 1087. (1). An verò meliora pro Victore Dialogos suos *exemplo Gregorii M.* scribente à Caveo expectanda erant, qui antea Gregorianos Dialogos *anilibus, ineptisque fabulis refertos, ab homine credulitati suæ nimiùm indulgente, in fabulas plusquam par erat, propensiore, ac in lingua Latina mediocriter, ne quid gravis diceret, versato concinnatos* proclamarat (2)? At qui Gregorii exemplum, ideſt animum, ſtilum, diligentiam ſequutus eſt Victor, eandem Gregorii fortunam ſubire gaudebit, non equidem eorum, qui utriuſque, ſeù veriùs Catholicæ Fidei, ſolidæque pietatis adverſarii ſunt, ſententiâ, ſed graviſſimo ſapientiſſimorum, ac piorum hominum judicio æſtimandam. Ac Gregorio quidem præter Doctrinarum diverſitatem, quas in aliis ejus Operibus alias eſſe ſomniantur, & ſtili ruditatem, & mirabilium farraginem objiciunt. Quod ad ſtilum attinet, quis neſciat (opportunè ajunt eruditiſſimi, ac piiſſimi Monachi Benedictini è Congregatione S. Mauri) *varium eſſe ſtilum pro varietate tractatuum, ac materiarum? neque eundem eſſe Orationum, Epiſtolarum, Hiſtoriarum, Dialogorum &c. ſtilum quis ſanus aſſeruerit? Quamquam in ipſis Dialogis multa ſunt, quæ cæterorum Gregorii Operum ſtilum, vim, elegantiam, immo & ſcientiæ altitudinem referant, ut legenti patet* (3). De Hiſtoriis, quæ in Dialogis continentur, nonniſi illas Gregorius admiſit, enarravitque, quæ ſuis ſubjectæ oculis, vel graviſſimorum Virorum teſtimonio exceptæ fuerunt. Fecit (ſubdunt laudati Monachi editores) *quod plurimi Sanctorum Patrum fecerunt in multis Hiſtoricis, quæ utique incredibiles videntur, ſi ad rationis humanæ trutinam expendantur: Quia verò ſunt miracula, ideſt fidem humanam excedentia, humano judicio metienda non eſſe quis ambigat?* Hæc, aliaque ſatis verè, ac præclarè ad vindicandam Gregorii fidem alii ediſſeruerunt: eadem Victori jure, meritòque aptanda ſunt.

De Fide igitur eorum, quæ Vir *compunctione timoris Dei plenus, Caſtitate ſingularis, profeſſione, & opere Monachus*, atque ob doctrinæ, judicii, prudentiæ, cæterarumque virtutum præſtantiam variis muneribus, legationibuſque pro Romana Eccleſia perfunctus, narrat, quis ambigere auſit? At ipſummet audire præſtat, ita Opus ſuum auſpicantem: *Quia, donante Deo, miracula, quæ ipſe ad laudem ſui nominis in hoc Caſinenſi Cœnobio fieri voluit, quæve noſtra memoria facta ſunt, vel à Senioribus noſtris relata cognovi, ſcribere diſpoſui; licèt omnia nequeam ſtilo comprehendere, tum quia plura exciderunt memoria, tum quia occupatus regimine, vel ea, quæ ſcribo, diſcutere ipſe non poſſum: pauca tamen de pluribus ad ædificationem audientium mandare curabo memoriæ: nam ſi omnia, quæ vel ipſe vidi, vel quæ mihi relata fuere, per ordinem referre velim, dies me, ut æſtimo, ante quàm ſermo deficeret.* Vides igitur, quàm cautè, prudenterque Deſiderius ſe geſſerit, antequam lucubrando Operi manum admoveret. Ex iis omnibus, quæ ipſe vidit, audivitque, non omnino aliorum teſtimonio contentus, non ſuis etiam oculis fretus, certiora dumtaxat, ac prorſus indubia, quæ afferret, ſelegit, cætera prætermittens, quippe quæ diligentiori ſubjicienda examini, ſibi Regimine occupato diſcutiendi facultas, atque otium deeſſet; Hinc *ut omnem* (ſubdit) *dubitationis ſcrupulum legentibus auferam, per ſingula quæque, perſonas, à quibus mihi hæc ſunt relata, ſubnectam, melius eſſe reputans ex toto ſilere, quàm aliquid falſum, mendoſumve narrare.* Hæc tam conſultò, ac diſertè, atque ex tanto Viro profecta, ac teſtata non Caveus eſt reveritus, immo eò impudentiæ proceſſit, ut quæ Deſiderius memoriæ mandavit, univerſim omnia, *abſurda, fabuloſa, ridicula, Religioniſque Chriſtianæ majeſtate, & gravitate indigna, Scriptoremque judicii, ac fidei expertem*, unâ ſententiâ damanarit: cui quidem, cæteriſque ejuſdem farinæ hominibus cum S. Hieronymo reponimus, *ea incredibilia illis videri, qui non crediderint, ſed omnia poſſibilia eſſe credentibus* (4). Et mira certè, aut potiùs dolenda, ac commiſeranda res; ut quum ſigna infidelibus data ſint, atque in certiſſimam, peculiarem, conſtantiſſimamque veræ Eccleſiæ notam à Deo ſtatuta ſint, (*non enim*, inquit S. Chryſoſtomus, *ceſſavit Deus, non deſtitit per omnem generationem facere miracula, & per res admirabiles excitare craſſiores ... multa autem videri poſſunt & privatim, & in Civitatibus fieri miracula*



(1) Hiſt. Liter. ad An. 1086. pag. 539. edit. Genevæ 1720.

(2) L. l. pag. 354.

(3) In vindiciis Dialogorum S. Gregorii PP. T. II. Opp. pag. 108. Idque ejuſdem Pontificis verbis confirmatur, qui ingenuè fatetur, ſe eundem ſtilum in ſolo Opere *Moralium* obſervare nequiviſſe; ſic enim loquitur Lib. II. Moral. cap. I. *Quamvis in prolixo opere eſſe culpabilis ſtili mutabilitas non debeat &c.* & paullò poſt: *Immutationem ſtili Lector meus æquanimiter accipiet, quia & ſæpè eoſdem cibos edentibus diverſitas placet conditionis.*

(4) In vita S. Pauli Erem. lib. III. epiſtol. edit. Rom. 1731. pag. 296.

*racula* (1)), mirum, inquam, ut qui adhuc sunt infideles, non solùm perenni Signorum ostensione ad Orthodoxam Fidem non convertantur, verùm etiam miracula ipsa vel temerè inficiantes, vel iniquiùs calumniantes, in novum inexcusabilis perfidiæ genus ruentes, in errorum suorum tenebris, ac luto sordescere amant: quibus Desiderius idem dicere poterit, quæ dignus laudati Chrysostomi Discipulus Theodoretus in Præfatione Historiæ Sanctorum Patrum præclarè, & appositè ad rem ajebat: *Qui autem non est crediturus iis, quæ a me dicenda sunt, clarum est, eum ne iis credere tanquam veris, quæ per Mosen, & Jesum, & Eliam, & Eliseum facta sunt, habere autem pro fabulis etiam miracula, quæ facta sunt a Sanctis Apostolis. Sin autem illa esse vera testatur, hæc quoque credat esse à falso aliena. Quæ enim in illis operata est gratia, ea per illos quoque fecit ea, quæ fecit. Perennis enim gratia, & eos, qui digni sunt, eligens, veluti per quosdam salientes, per hos effudit fluenta suæ operationis: Ex iis autem quæ sunt dicenda, ipse quidem vidi nonnulla; quæ autem non vidi, audivi ab illis, qui viderunt, Viris virtutis amantibus, & qui digni sunt habiti, ut & eos viderent, & eorum doctrinà fruerentur.*

Quòd si Desiderii, qui ejusmodi Dialogos conscripsit, animum (uti par est) attendas, ampliori laude dignum censebimus. Quantum emolumenti ex Gregorii Dialogis in Christianam Ecclesiam redundarit, scimus, probamusque universi: Quum primùm in lucem prodiissent, ab eodem Sanctissimo Pontifice Theodolindæ Reginæ dono missi, atque evulgati, reliquam Longobardorum gentem, quæ vel gentilitatis, vel hæresis erroribus adhuc detinebatur, ad Catholicam Religionem, ut alibi observavimus, converterunt: quotquot demum per omnes ætates sinceris oculis, paratisque animis ad illorum lectionem accesserunt, uberrimos Christianæ Fidei, ac pietatis fructus retulisse gavisi sunt. Gregorii Dialogos Desiderii Dialogi exceperunt, quos ipse illius exemplum, animumque æmulatus *ad ædificationem audientium* elaborare sategit; eam quoque caussam, rationemque præfatus, *quia plerosque magis virtutum exemplis, quàm exhortationum verbis ad exercitium boni operis, ac ad amorem Patriæ Cœlestis accendendos* existimaret. An votis, ac labori successus responderit, ex Sapientissimorum Virorum, qui opus laudaverunt, atque ad plures Historicas res confirmandas adhibuerunt, consensu (2), ex legentium denique utilitate judicare pronum est; ei verò, qui anceps sit, Opus ipsum brevi labore perlegendum sistimus, in quo nulla erroris, aut mendacii aliunde species sibi occurret, ex quo præterea nonnisi Fidei Catholicæ veritatem roborari, Fideliumque pietatem excitari, augerique probabit; Cæterum lethali morbo laborantibus hæ salubres, electæque Dapes non sapiunt, immò & fastidio, & despectui esse solent; qui verò sanam doctrinam, veramque pietatem recto corde sectantur, illorum vim, ac dulcedinem sentiunt, itaut Desiderii Dialogos legisse haud pœniteat; pigeat duntaxat, veluti postremo opiparæ Cœnæ apparatu frustratos, reliquam illorum deperditam partem hactenus desiderare.

De stilo nunc demum videamus. Cum Gregoriano illum stilo comparare invidiosum fortasse fuerit; illud tantùm animadvertam, Gregorio & Literas Romæ didicisse, & Barbarie vix tum per Italiam sese effundente, scripsisse datum; Desiderio autem post longam illam barba-

(1) S. Jo. Chrysost. in Psal. CX.

(2) Ex ipsis editionibus, ac Scriptoribus à Caveo relatis, quanti æstimati Desiderii Dialogi fuerint, planè constat: Adde illis Ughellum *tom.* III. *Ital. Sacr. In Episcop. Florent.*, ac Possevinum *in Appar. Sacr.* Sed præstat Card. Baronium audire, qui ejusmodi Dialogorum fidem, Auctorisque ingenium, ac consilium pluries probavit, commendavitque; sic ad an. 1049. num. 25. de Leonis PP. IX. Sanctitate differens, *quanto* (inquit) *illuxerit fulgore virtutum Leo, hic describemus ex Desiderio Abbate Casinensi, & Cardinali S. Cæciliæ, qui creatus postea Romanus Pontifex, Victor III. dictus est: Scripsit enim exemplo S. Gregorii Papæ quatuor libros Dialogorum, quos habet Vaticana Bibliotheca: in quorum tertio Libro hæc habentur &c.* Ad an. verò 1063. post narratum ex Actis S. Johannis Gualberti, ejus Discipuli Petri Ignei insigne miraculum, quo Petrus Episcopus Florentinus Simoniæ convictus fuit, hæc subdit num. 60. *At Historia hæc majorem adhuc sibi vindicat auctoritatem ex testificatione Desiderii Abbatis Casinensis, qui & Victor Tertius ejus nominis est appellatus Papa. Ipse enim in Libro tertio Dialogorum totam hanc texit historiam, nempe de Petro Florentino Episcopo ad Concilium convocato, ibique ab officio suspenso donec rei veritas elucesceret: Cùm exposcente necessitate, dum Populus in partes divisus inter se hac de caussa sæpè confligeret, miraculum grande editum, quo Petrus per ignem illæsus transiit:* additque illud *amplius, quod cùm jam ex igne egressurus esset, atque mappulam è manu lapsam, & in ignis medio remansisse intellexisset, per easdem reversus est flammas, mappulam recepturus. Hæc verò ipse pluribus. Qui rem narraturus hæc præmittit:* Hæc itaque, quæ dicturus sum, adeò clara sunt, ut non solùm in Florentina Diœcesi, in qua facta noscuntur, verùm etiam in tota Tuscia, ac in urbe, quæ caput Mundi est, Roma constat esse notissima: *Ut videas, quot rei gestæ testes appellet, cujus ipse synchronus, ae proindè solus, atque idoneus esse testis potuisset.*

barbaricorum Sæculorum noctem ſcribere contigiſſe ; id verò ipſi , quemadmodum in Operis conſilio , & œconomia , ita pariter in loquutionis modo , rationeque extitiſſe propoſitum , ut Gregorius ſibi Dux , ac Magiſter exiſteret , ac verbis ipſis quodammodo præire videretur . An verò par , vel etiam cultior Deſiderius appareat , definiſſe haud opus eſt : Non equidem elaborata ejus Oratio eſt , ſed neque , ut ea ferebant tempora , vulgaris ; clara verò , atque ſuavis , qualem Dialogorum ratio poſtulat , qualem præterea eum exhibuiſſe decebat , oportebatque , qui tum Monachos ſuos , tum quoſque fideles alios ejus ævi , non liberalibus diſciplinis , eloquentiæque præceptis , ſed religione , ac pietate imbuendos enitebatur . Hæc ita eſſe pauca illa , quæ ex ejus Operis initio ſuperiùs delibavimus , oſtendere poterunt : pauca alia heic referre non abs re modò fuerit , ex eo Libri I. loco deſcripta , ubi Deſiderius poſtquam Agarenorum , qui anno 846. ſacrilegâ prædâ onuſti in Siciliam remeabant , claſſem , Sancto Petro , ac S. Benedicto injuriam ulciſcentibus , naufragio conſumptam narraſſet , hæc ſubdit : *& quidem permiſit Omnipotens Deus ad tempus ſuas ab eis* ( Agarenis ) *Eccleſias devaſtari , ſed non eſt paſſus , eos ſuper tanto facinore diutiùs gratulari . Hoc in facto illud mihi videtur eſſe impletum , quod Beatus Pater Benedictus ſuis olim Diſcipulis promiſerat dicens* : Præſentior vobis , Dilecti Filii , carnis depoſito onore , veſtrique per Dei gratiam cooperator exiſtam aſſiduus ; *Illud etiam , quod B. Petro Dominus intulit dicens :* Tu es Petrus , & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam , & Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam . *Non inquit ,* non valebunt , *ſed* non prævalebunt : *Portæ enim inferi Pagani ſunt , Hæretici , atque Judæi ; qui tunc adversùs Dei valere videntur Eccleſiam , cùm per eos Dominus ſuos flagellari Fideles permittit ; ſed* non prævalebunt , *quia Omnipotens , ac Miſericors Deus non eos de Eccleſia ſua perpetuos ſinit habere triumphos . Unde & Apoſtulus hortatur dicens :* Tribulationem patimur , ſed non coanguſtiamur ; aporiamur , ſed non deſtituimur &c. An fortaſsè hunc locum , uti alia paſſim ſimilia , legerit Caveus ? Si non legerit ſatis temerè de Opere judicaſſe dicendus eſt : ſi verò contra ſe , ſuoſque ſcripta legerit , nil mirum , ſi de opere tam iniquè , petulanterque judicaverit . Quòd ſi is ſtili elegantiam , decorem , gravitatem ex Deſiderio exquirebat in ipſis Dialogis , ubi argumenti ratio ( uti mox obſervavimus ) , rerumque conditio poſtulaſſe videtur , non id certè eidem defuiſſe animadvertiſſet . Saltem Caveo non ignota , neque diſſimulata Deſiderii jam Pontificis Oratio in Concilio Beneventano habita , docere eum ſatis potuiſſet , quâ dicendi , ſcribendique vi Deſiderius polleret : *Egregiam , & luculentam de præſentibus Eccleſiæ calamitatibus , & periculis* eam Orationem , qui inter alios æquis , peritiſque oculis legit , appellat Natalis Alexander (1) , a quo etiam Deſiderius Vir nuncupatur *ſpectatæ Pietatis , & Eruditionis :* Eò magis etiam eruditionis nomine commendandus , quòd is pro rerum , temporum , munerum , perſonarum , argumentique , vel ratione , vel dignitate , congruum adhibere ſtilum rectè noverat (2) .

CA-


(1) Hiſt. Eccl. Sæc.XI. De Victore III. tom.VII. edit. Lucen. an. 1734. pag. 31. , & ſeq.

(2) Hanc Orationem cum ipſius Concilii Decretis ſervatam debemus Leoni Oſtienſi *in Chron. Caſin. lib.* III. *cap.* 71. , ex quo in ſuos Annales Baronius *ad an* 1087. *n.* IX. atque in ſuam Conciliorum collectionem T. XII. Labbeus , retulere . Exordium audire non pigeat : *Novit veſtra dilectio , chariſſimi fratres Coepiſcopi ( neque latet Orbem univerſum ) Sancta Romana , & Apoſtolica Eccleſia , cui Deo auctore deſervio , quot adverſa pertulerit , quot denique per Simoniacæ Hæreſeos trapezitas malleis , tunſionibuſque perfracta ſit , adeò ut Columna Dei vivi videretur jam penè concuſſa nutare , & Sagena Summi Piſcatoris intumeſcentibus fluctibus diſrumpi , ac naufragii ſorte perire . Guibertus Hæreſiarcha enim , qui vivente ſanctæ memoriæ prædeceſſore meo Gregorio Papa Romanam invaſit Eccleſiam , Antichriſti præcurſor , & Satanæ Signifer oves Chriſti diſpergere , mactare , laniareque non deſinit . Incitator enim , incentorque malorum factus , quantas Gregorio Papæ injurias , quas perſequutiones , quas clades intulerit , referre quis poſſit ? . . . Sed Omnipotentis Dei potentia , cùm jam dictum Gregorium Pontificem poſt labores , ac certamina plurima ad æternam requiem evocaſſet , & unanimi concordia Epiſcopi , & Cardinales , Provincialeſque Antiſtites una cum Romano Clero , ac Populo paucitatem noſtram modis omnibus contradicentem , & renitentem Apoſtolicæ Sedi præfeciſſent , non timens æterni Imperatoris judicium , nunc uſque Chriſtum , & Oves ejus , pro quibus ille fudit ſanguinem ſuum , perſequi non omittit . . . . Noſtis præterea , & benè noſtis , quos dolos machinati ſunt , quantaſque mihi preſſuras intulerint , Hugo Lugdunenſis Archiepiſcopus , & Richardus Maſſilienſis Abbas , qui pro faſtu , & ambitione Sedis Apoſtolicæ , ad quam dudum clam inhiabant , ubi votis ſuis potiti ſunt , ſchiſmata in Sancta Eccleſia fecerunt . Et Richardus quidem Romæ noſtram electionem cum Cardinalibus , & Epiſcopis egerat : Hugo autem ad nos poſt paululum veniens affuſus veſtigiis , dum obſequium nobis Summo Pontifici debitum invitis , ac retractantibus exhiberet , Legationem à nobis in partibus Galliarum poſtulaverat , & acceperat . Itaque donec parvitatem noſtram electioni factæ , atque à ſe approbatæ repugnare conſpexerant ; ipſi modis omnibus inſiſtebant , ne onus nobis pro utilitate Eccleſiæ impoſitum abjiceremus : Ubi verò nos tandem cedere perviderant , conceptam diù flammam clibanus exaturatus evomuit . Quapropter cernentes ſibi Fratrum omnium unanimitatem*

## CAPUT VII.

*Romanæ Jurisprudentiæ apud primos omnium Italos instauratæ disciplinam, usumque Beneventani provexerunt. De ea Roffredus, atque Odofredus imprimis promeriti; quorum Scripta, Munera, Resque gestæ illustrantur*

QUÆ jamdiù Beneventanorum Principum exaruisse Stirps videbatur, adhuc post longa temporum intervalla alterum è patrio solo Germen progenuit, cui quod à Familiæ nobilitate præclarissimum commendabatur, illustrius à Doctrinæ præstantia quæsitum nomen fuit. Ex Gente Epiphania, quæ à priscorum Principum sanguine propagata, id Cognominis, quod *Illustre* latini dicimus, veluti κατ' ἐξοχὴν nacta laudatum Desiderium, seù Victorem III. ediderat, suam quoque repetebat originem Roffridus, qui Sæculo ineunte XIII. florebat. Ejus Viri Nobilitatem, Pietatem, Doctrinam ex veteri adhuc superstite Monumento, quod nunc primum ad archetypi fidem exprimendum curavimus, probatam primo loco damus.


IVDEX ROFFRIDVS IN LEGVM DOGMATA FIDVS DOCTOR EPIPHANIDES AVCTOR FVIT ISTIVS AVLE — CV
XPE MARIA TIBI DOMINE MAGDALA PAVLE IVDEX ROFFREDVS ETERNVM CONFERO FEDVS — VXO
TRIBVS HOC MVNVS VT POST MISERABILE FVNVS NVLLVS NATORVM POSSIT TRANSFERRE — RE
MEORVM IVS PATRONATVS — SVA
E LOCVS ISTE DATVS XPI NASCENTIS TERDENIS MILLE DVCENTIS ANNIS ETTERNIS HEC — TRV
LECTOR OPVSCVLA CERNIS — CCI
MEN SE AV GVS TI A

Habes itaque ex hoc insigni Marmore Roffridum *Epiphanidis* cognomine (quod ab Epiphania familia derivatum est) se nuncupantem: Habes *Aulæ*, ideft Templi Conditorem, quod sub perpetuo

*tem constanter obluctari, ab eorum, & nostra sunt continuò communione sejuncti. Unde vobis Apostolica auctoritate præcipimus, ut ab eis abstinere curetis, neque illis omninò communicetis: nam ut Beatus scribit Ambrosius: Qui se a Romana Ecclesia segregat, verè est habendus Hæreticus &c.* Hæc tam præclarè, fortiterque prolata, ex Leone quidem Ostiensi Desiderii Discipulo, sed non ex ejus ingenio, stiloque, quem ex Chronici opere rectè novimus, sed ex ipsius planè Victoris manu, atque ore profecta nemo dubitaverit. Paria nobis idem Ostiensis servavit ex ea Oratione, quam Desiderius, tunc Abbas Casinensis, ab Imperatore Henrico semel, iterumque accitus, ad Fratres suos habuit: *Angustiæ* (inquit) *mihi sunt undique; nisi enim ad Imperatorem jero, periculum imminet, & Monasterii eversio. Si autem jero, & ejus voluntati paruero, incurram animæ periculum. Porro si pergens illius voluntati non obtemperavero, imminet periculum corporis mei, simulque timeo, ne iratus Imperator ita Monasterium istud, quod sub tutela sua est, sicut & totum Principatum Northmannis permittat. Pergam tamen ad eum tradens me morti, & periculo, nec facio animam meam pretiosiorem, quàm Sanctissimum Patrem Benedictum. Nam pro vestra salute animarum, & corporum, locique istius incolumitate (si aliter fieri non potest) opto à Christo anathema esse. Si enim millies occidar, nullus me separabit à dilectione loci hujus, non modò enim Imperatori, qui Christianus est, verùm ne Tyranno quidem cuilibet gentili occurrere (si ita opus sit) recusabo; dummodo hoc Monasterium valeam ab ejus barbarie ulla ratione liberare. Nam & Leo Papa, ut Romanam Urbem a vastitate, & incendio eriperet, Genserico Ariano Regi occurrit, & Sabinus Canusinus Episcopus Totilam Arianum ad convivium æquè invitavit, & de manu ejus accepto calice bibit, & Benedictus Pater Totilam itidem hominem Arianæ perfidiæ etiam in Oratione suscepit, ut eum ab afflictione rustici coerceret.* Plenum eloquentissimi amoris Sermonem opere complevit Desiderius, qui ad impium Henricum pergens, postquam *de illius manu virgam Abbatiæ suscipere* renuisset, ejusdem veteres injurias retractaturi cum Gregorio Pontifice reconciliationem curaturum se *pro viribus* promisisset, cum Imperatoris fautoribus de Sedis Apostolicæ dignitate, libertateque strenuè, ac palam disceptasset, præclarissimum illud, plura inter alia, effatus: *Sedes Apostolica Domina est nostra, non Ancilla, nec alicui subdita, sed omnibus prælata, & ideò nulla omninò ratione sub jugum à quoquam mitti potest*: non solùm nullam ab Imperatore injuriam subiit, sed multo cum honore, ac reportato etiam ad favorem sui Monasterii Præcepto aurea Bulla munito, dimissus fuit. Sic Deus eximiam Viri virtutem tutatus est, ut non solùm immane illud periculum evaserit, sed fausta quoque illi omnia cesserint; cujus denique doctrinæ, eloquentiæque manifesta illa sunt, quæ hactenus dedimus specimina.

petuo *Suorum* Patronatu in Christi, ejusque Genitricis, nec non SS. Pauli, Dominici, Magdalenæ honorem ædificavit (1). Habes denique Roffridum in *Legum Dogmate fidum* Doctorem: Quæ postrema res præsentis loci est, nobis modò pro argumenti præstantia, Virique dignitate accuratiùs illustranda.

Romanæ Jurisprudentiæ instaurationem, Digestorum Libris An. MCXXX. Amalphi repertis, & Florentinarum Pandectarum nomine (propterea quod à Pisanis, qui eos sibi primùm vindicarunt, ad Florentinos transierunt) vulgo appellatis, omnes ferè attribuunt. Itaque recepto Romanorum Jure universo, & post diuturnum exilium in Patriam restituto, mox ingenia Italorum ad meliora quæque sectanda, provehendaque satis per sese prona, ad subortum avitæ sapientiæ splendorem alacriùs se erexerunt; quibus etiam ad idem Jus tum interpretatione, tum usu excolendum vehementiùs incendendis Imperatoris Lotharii accessit auctoritas; Is enim publico edicto in omnes Imperii regiones misso jussisse traditur, ut Romanæ Leges in Scholas Publicas, inque omnia Tribunalia reciperentur. At sicut de Lotharii edicto hactenus delitescente incerta res est (quæ tamen incertitudo majorem fortasse Rom. Jurisprudentiæ pretium, laudemque statuit, quippe quæ non Principis jussu, sed suamet vi, ac dignitate, à populis sensim universis observantiam promeruit); ita certè post Romanum potiùs extinctum in Italia Imperium, quàm Romanum Jus apud Italos, non usu quidem, sed perenni memoria, librisque aliquot adhuc pervagantibus servatum, ut eadem tandem Jurisprudentia denuo vires suas reciperet, nativamque exereret majestatem, non tam eorum Librorum inventioni ipsa debet, quàm exciso penitùs cum Beneventanis Principibus Longobardorum dominio; quorum Leges imperantium magis reverentiâ, quàm sui præstantia, obsoleto Romano jure, apud Italos tandiù invaluisse videbantur. Ut ut verò aliis vel opinari, vel censere de hac re libeat, quam latiùs in Dissertatione IV. De Legibus Longobardorum superiùs explicuimus; illud apud omnes convenit, eodem imperante Lothario, atque Irnerio, sive Vernerio Magistro, Bononiensem Romanæ Jurisprudentiæ Scholam institutam ita florere cœpisse, ut plurimi mox Juris-Consulti ex ea prodierint, quorum nomen, & doctrinam ita demum Azo superavit, ut ad illum audiendum ex omnibus Italiæ Regionibus confluentes juvenes, ad decem usque ipsorum millia *Bononia* numeraret (2). Roffridus igitur, cujus animus ex avitæ nobilitatis splendore, suique ingenii sublimitate ad optima quæque ferebatur, nihil loci distantiâ deterritus Bononiam contendens, Azoni in primis Magistro erudiendum se dicavit. Quantum is in illa Jurisprudentiæ Schola profecerit, quantam fructuum ubertatem, conjuncta ingenii perspicaciæ, operæ, laborisque sedulitas pepererit, quantam demum doctrinæ præstantiam, nominisque sibi celebritatem comparaverit, Imp. Friderici II. judicium primo loco declarat, qui non solùm in Auditorio suo primarium Judicem, verùm etiam difficillimis illis temporibus Legatum in rebus arduis adhibuit (3). Certè ex Roffrido præcipuum laudandi Friderici exemplum, atque argumentum sibi fecit Schardius, qui Fridericum a Doctorum Virorum sibi assidentium consuetudine commendare instituens, Roffridum, vice omnium, commemorare contentus fuit; *inter quos* (inquit) *Judex Curiæ generalis Roffredus Beneventanus fuit, unus ex Juris nostri interpretibus, cujus opera adhuc hodiè in manibus Doctorum teruntur* (4). Et sanè inter plurimos doctos Viros, qui Friderici aulam illustrarint, primum Roffredo locum attribuit Jannonius, quem etiam audire præstat: *Roffredo Epifanio da Benevento fu famosissimo Dottore, ed Uomo così insigne, che nella Corte di Federico, di cui fu Giudice, tra tutti i Dottori aveva il vanto* (5).

Ac Friderici quidem judicio æquè omnium, qui ad hanc nostram ætatem scripsere, eruditorum suffragia accesserunt. Hæc autem recensuisse operæ fuerit pretium; atque imprimis, quid de Roffrido Johannes Fichardus habeat, heic descripsisse libebit. *Roffredus* (ita

(1) Eodem, quo nunc Patrum Dominicanorum Ecclesia extat, loco, nam ipsam quidem eandem a Roffredo ædificatam olim Ecclesiam, vetustate, ac terræmotibus deletam affirmamus. In præsentis enim Ecclesiæ minori Janua (quæ fortasse vetus Ecclesia erat) oblongum literatum marmor superiùs prolatum pro epistilio est. Paucos ante annos, ac ipso, ut fertur, vivente S. Dominico, ejus Religiosa Familia in Suburbano consederat cum sua Ecclesia sub titulo S. Clementis, quæ modò diruta corruptum *S. Chiumento* nomen loco servavit: At Roffredi pietas, quò eadem Familia Civibus commodior, utiliorque esset, intra mœnia, ac frequentiore Urbis loco, cum nova Ecclesia locandam curavit.

(2) Panzirolus de Clar. Juris Interp. lib. II. cap. 25. in Azone pag. 124.

(3) Pandulphus Collenutius Histor. Neapol. lib. IV.

(4) Simon Schardius in Vit. Friderici II. quam ex Collenutio concinnavit, præmisitque Epistolis Petri de Vineis edit. Basileæ MDCCXL.

(5) Istor. Civil. Napol. lib. XVI. cap. IV. pag. 390.

( ita Fichardus ) *Patria Beneventanus, Vir doctus, & festivi ingenii fuit, ut ejus Scripta satis indicant, quibus multis in locis opportunè, suaviterque jocatur. Præceptore usus est Kiliano quodam, cujus nullum scriptum extat; Audivit etiam Azonem, ut ipse refert in Actione Negatoria, proindèque illum frequenter Dominum suum appellat* (1): *Post transmigrationem Bononiæ ( ut ipse vocat ) professus est Jus Civile publicè Aretii, ubi egregium illud Opus Libellorum, & Quæstiones suas Sabbathinas edidit* (2).

Cur verò Fichardum præ Cl. Panzirolo audire libuit, Panzirolus ipse in caussa fuit, qui Ficardo, à quo præcipua de Roffrido non modò mutuatus est, sed totidem illius verbis in suum de Claris Legum Interpretibus Opus descripsit, minus æquum se præstitit (3), in aliis verò, quæ addidit, diligentiorem operam suam nobis desiderandam fortasse reliquit. Quid igitur Panzirolus? *Roffredus*, (inquit) *Butiensis, patria Beneventanus, & ipse inter præcipuos Glossarum conditores recensetur, qui primo Rogerium, deinde Azonem, &, ut alii autumant, Cilianum quendam audivit. Diù Bononiæ professus cùm ob intestinas factiones, & externa bella ibi studia essent intermissa, post ejus Urbis, ut ipse vocat, transmigrationem, Aretii docuit: ibi Arborem Actionum antea à Johanne excogitatam perfecit, & in utroque jure libellos, quibus in foro Rei convenirentur, magna industria composuit, eisque plures quoque exactè discussas Quæstiones, quas velut diebus Sabbathi disputatas, Sabbathinas vocaverat, applicuit. Hæ olim, antequam locupletiores recentiorum formulæ invenirentur, in magno pretio apud Forenses fuerunt; & licet non pauca erronea contineat, ob praxim tamen nullus eo utilior liber in Jure nostro unquam editus fuisse creditur. Roffredum in aula primarium Judicem Fridericus II. Cæsar habuit. Vir fuit festivi ingenii, qui, ut scripta ejus indicant, multis in locis opportunè, suaviterque jocatur. Hujus discipulus alter Roffredus fuit, vel ut alii malunt, Fridericus & ipse Beneventanus, qui præclarum de Pugna, seù Duello tractatum, XII. quæstionibus explicatum, edidit. Ab eo Odofredi fluxisse feruntur. Bononiæ defunctus, ante D. Francisci Templum marmoreo Sepulcro, umbella supra pyramidis specie imposita, conditus fuit. Aliud quod sciam, ob vetustatem de hoc proditum non est. Floruit An.* MCCXX.

Ut verò à postremis ordiar, falsus omninò est Panzirolus, qui Roffridum Bononiæ defunctum ait; quòd si vera ibi perstet Pyramis illa, cui imposita umbella est, Roffrido pro tumulo erecta, nonnisi illius putari Cenotaphium debet: nam nos Roffridum Beneventi defunctum, tumulatumque non pro veri tantùm simillimo, sed pro certo quidem habemus. Ac primum illud constat, difficillimis illis temporibus, quibus Bononienses affligebantur, ea Urbe Roffridum excessisse, atque apud Aretinos aliquandiù Jurisprudentiæ docendæ vacasse, unde demum Neapolim à Friderico II. cum primarii Judicis munere accitus fuit. Non igitur Roffrido Bononiam redeundi occasio amplius facta est, quem jam ætate confectum Beneventum potiùs ex vicina Neapoli, in suam nempe Patriam, atque inter suos se recepisse veri simile fit. At quòd revera Beneventi defunctus sit, ibique tumulatus, testis fidissimus, disertissimusque probat sepulcralis Titulus in eadem ab eo ædificata Dominicanorum Ecclesia ad Sacellum S. Michaelis, ejus tumulo, hisque verbis inscriptus.

ILLE

(1) Eo nomine, quo summi honoris titulus continetur, Azonem vocare discipuli sui consuebant, ut miremur rem nostris temporibus desiderandam, tantam nempe ex discendi ardore, doctrinæque emolumento discipulis olim erga Magistrum fuisse reverentiam, atque cultum: Quin & ipsi, cùm *Dominum* duntaxat dicerent, vel scriberent, Azonem intelligebant, uti ex Cardinali quoque Hostiensi palam fit, cujus in cap. 1. De Testam. num. 2. hæc sunt: As, *idest duodecim unciæ. As ergo quandoque ponitur pro obulo, propter quod verbum venit Bononiam Studium Civile, sicut audivi à Domino meo*, videlicet Azone, cujus Henricus ipse de Segusia, Cardinalis postea Hostiensis, Summæ utriusque Juris Auctor, & Decretalium Interpres, Auditor fuit.

(2) In Vitis recent. Ictorum tom. 1. Tractatuum Universi Juris, Gregorii PP. XIII. jussu editorum Venet. MDLXXXIV. pag. 156. à t., post Guid. Panzirolum cum aliis Biographis Lipsiæ MDCCXXI.

(3) Insigne Panziroli opus præclarius effectum est cura Christ. Hoffmanni, qui illum recusit, adjectis Johannis Ficardi, Marci Mantuæ, Jo. Baptistæ de Gazalupis, Catelliani Cottæ, Matth. Gribaldi Mophæ, Alberici Gentilis consimilis argumenti operibus, Lipsiæ an. MDCCXXI. Quid de Fichardo Panzirolus senserit, & an rectè, ipse in præfatione sua jam observavit Hoffmannus de Fichardo hæc ajens: *Johannes Fichardus Francofurti ad Moenum natus celeberrimi Zasii, cujus etiam elogium amplissimum præsenti operi innexuit, discipulus: qui cùm Patavii, & Bononiæ Juris scientiam profiteretur, occasionem nactus est, hanc periochen Virorum recentiorum Jurisconsultorum concinnandi, quam Patavii apud Jac. Jordanum an. 1565. editam, hìc recusam exhibemus. Pauciores, sed celebriores Fichardus Jurisconsultos nominat, eorumque vitas* in hoc libello descripsit, *quo etiam Pancirolus usus fuisse videtur, qui tamen de eo non satis æquum tulit judicium, quando lib. 1. cap. 1. ita de Fichardo scribit*: Johannes Fichardus Francofurtensis aliquorum vitas latiùs descripsit: *Sed quia homo Germanus res Italorum non facilè scire poterat, nec fortassè auctores, unde plura licebat, ad manus habebat, nonnullos solùm obliqua imagine delineavit, atque non paucos omninò prætermisit*. Vides igitur, quàm illiberaliter erga Fichardum se gesserit Panzirolus.

ILLE EGO QUI MUNDUM FAMOSUS LEGE REPLEVI
ROFFRIDUS : TUMULUS ME CAPIT ISTE BREVIS.
DISCITE LEGENTES QUOD NEC SAPIENTIA LEGUM
RESISTIT MORTI NEC SUMMA POTENTIA REGUM (1).

Quid verò *Butienſis* cognomen illud ſibi velit, quod Panzirolus Roffrido appinxit, cùm non is explicuerit, non ipſi certè intellexerimus, qui Roffridum è ſumma Gente *Epiphania* ortum novimus, ſeſeque *Epiphanidem* cognominaſſe, jam audivimus. Primarium denique Judicem nonniſi in Aula Imperiali habitum à Friderico II. Roffridum, & is putare, & aliis innuere Panzirolus videtur, cui ea in re Fridericus duntaxat Cæſar eſt. At non is quidem, uti *Cæſar*, ſed uti *Siciliæ Rex* ad id muneris, quo *Neapoli* fungeretur, Roffridum delegit, perfunctumque ibi ſatis egregiè, plura probant monumenta, quorum illuſtrius illud ſuppetit ex Petri de Vineis ad eum Epiſtola, quæ hunc titulum præſefert: *Suo Magiſtro Rofredo de Benevento, ſuus P. De Vinea novæ relationis gaudium, & veteris devotionis affectum*: tum illius ad Curiam adventum urget, ne qui ad obeundum munus vocaverat Fridericus, contemni, ac decipi videretur (2). Accedit quoque, Roffrido Neapolitana in Aula jam conſidente, data ab ipſo peculiaris opera, ut quæ poſt Codicem ab eodem Petro de Vineis compoſitum, publicatumque, novæ ejuſdem Friderici Regis Conſtitutiones prodierant, prioribus illis ita adjectæ infererentur, ut præſtò Codicem conſulentibus utræque eſſent, & tamen diſcreta temporum, materiæque ſeries imperturbata maneret (3). Confirmat denique Romana Legatio, qua Friderici juſſu Roffridus functus fuit; ut enim protractam Hieroſolymitanam expeditionem, quâ ſe jamdiù juramento obſtrinxerat, apud Pontificem excuſaret Fridericus, Menſe Novembri Anni MCCXXVII. Capuam contendit, ibique Curiam generalem convocavit.... *& tunc* (uti Richardus narrat) *prudentem Virum Magiſtrum Roffridum de Benevento miſit ad Urbem cum excuſatoriis ſuis, quas idem Magiſter publicè legi fecit in Capitolio de voluntate Senatus, Populique Romani* (4).

At de noſtri Roffridi Operibus, quibus is ſeipſum poſteris præſentem exhibere ſategit, dicendum ſupereſt. Ampliora feraciſſimum illius ingenium, comparataque ſibi ex diuturno ſtudio, exercitationeque utriuſque Juriſprudentiæ penus in lucem prodidit, quàm quæ nobis laudati Scriptores indicarunt. Epiſcopus Liparulus teſtis eſt, apud Beneventanum æquè Civem, ſuique ævi celeberrimum Juriſconſultum Bartholomæum Camerarium, duodecim ingentia ſervata olim volumina ab eodem Roffrido de variis utriuſque Juris materiis lucubrata, ejuſque, ut putabatur, ſtilo exarata, quæ Camerarius typis edere cogitabat (5). Nulla vel pars, vel una tot voluminum pagina ſervata eſt, quæ vel poſterum negligentia, vel potius adverſis Camerarii caſibus interierunt (6): Qui autem ad nos utriuſque Juris Tractatus pervenere, ex ipſorum Titulo agnoſcere, ac recenſere præſtat, quo in editione Colonienſi anni MDXCI. inſcripti leguntur: *Dom. Roffredi Beneventani, Cæſarei, Pontificiique Juris Profeſſoris clariſſimi, & Practicorum omnium facilè Principis Tractatus Judiciarii Ordinis, diviſus in octo Partes, ſive ſubtractatus, quorum* I. *eſt de Prætoriis Actionibus*, II. *De Interdictis*, III. *De Edictis*, IV. *De Actionibus Civilibus*, V. *De Officio Judicis*, VI. *De Bonorum Poſſeſſionibus*, VII. *De Senatus Conſultis*, VIII. *De Conſtitutionibus, quibus violentiæ puniuntur. In quibus Poſitionum, Libellorumque materia exactiſſimè pertractatur. Opus præterea libellorum in jus Pontific., Necnon* LIIII. *Sabbathinæ Quæſtiones ejuſdem Auctoris*

ALTER Nnn

(1) Hoc monumentum cum ipſa Eccleſia extremam cladem tulit ex Terræmotu anni MDCCII. Ejus exemplar jamdiù vulgatum fuerat à Vinc. Ciarlante Hiſtor. Samnii pag. 131.; à Nicol. Toppi Biblioth. Neapolitan. pag. 272.; à Mario Vipera in Chron. Ep. Benevent.; à Pomp. Sarnellio in eadem Chronol. pag. III.: pluries autem ante d. Terræmotum marmoreum eum titulum ab ſe lectum teſtatur Nicaſtrus in Pinacotheca Benev. pag. 153.

(2) Cum Roffrido in eam rem operam ſuam contulit Taddeus Sinveſſanus, poſtremam verò manum Andreas, & Bartholomæus de Capua. Vid. Petr. Jannonium Hiſt. Civ. Neap. lib. XVI. cap. VIII. pag. 419. edit. Halæ 1753.

(3) Lib. III, epiſt. LXXXI. ex edit. Rudol. Iſelii Baſileæ MDCCXL.

(4) Richardus à S. Germano in Chronico ad d. ann. MCCXXVII. inter Anecdota edita ab Ughello Ital Sacr. tom. X. pag. 203. edit. Venet. 1722. Addenda etiam eſt Charta a Cl. Gattula edita Hiſt. Caſin. tom. II. pag. 395., ubi ejuſdem Roffridi Judicis de Benevento mentio fit.

(5) Liparulus in Uſib. Feud. in Præludiis: in Commentariis ad Summam Odofredi. Jannonius Hiſt. Civil. lib. XVI. cap. IV. p. 392. Nicaſtrum in Pinacothec.

(6) De Bartholomæo Camerario Beneventi ſummo loco nato, ob omnigenæ doctrinæ præſtantiam, geſtaque tum Neapoli, tum Pariſiis, tum demum Romæ varia munera, variamque fortunam celeberrimo, ac Romæ in privata, ac paupere vita defuncto an. MDLIV. vide Toppium Bibl. Neap., Nicaſtrum in Pinacoth. Benev. pag. 165., alioſque paſſim.

*Auctoris recens addita. Omnia a mendis, quibus scatebant, innumeris diligentissimè recognita. Coloniæ Agrip: apud Joan. Gymnicum* 1591. *in fol.*. Prima, quam sciam, editio prodiit Lugduni apud Matthiam Bonhomme an. 1538.. De Roffridi scriptis etiam agunt Bern. de Montfaucon Bibl. Bibliothecarum MSS. pag. 1085., & 1380., Possevinus T. II. Apparatus pag. 350. Quàm longè de Forensi Jurisprudentia hisce editis Tractatibus Roffridus promeruerit, jam superiùs ex Fichardi, Panzirolique sententia dictum est, quorum alter *Egregium* Opus appellavit, alter verò, *nullum eo ob praxim utiliorem librum in Jure nostro unquam editum fuisse affirmavit*. Adde his, quod in hac re nec prætermittendum, nec contemnendum arbitramur, Petri Jannonii judicium, qui de Roffrido sic ait: *Compilò molti trattati, che grandemente illustrarono la Disciplina Legale..... la sua fama presso i Posteri crebbe tanto, che sulla credenza che Papiniano fosse di Benevento, gli diedero perciò nome di secondo Papiniano* (1).

At tot tantaque in Roffridi laudem ab Viris gravissimis jure meritoque passim deprædicata minimè deterruerunt nuperum Scriptorem, qui quum de aliis fortasse non inveniret, de uno *Quæstionum Sabbathinarum* Titulo Roffridi nomen in discrimen adducere ausus fuit: & sanè de Quæstionibus hisce *Sabbathinis* Roffridum nostrum in eruditissima, atque amœnissima illa Jurisconsultorum Republica (quæ a V. C. Josepho Aurelio Januario, nuper non sine Literariæ Reip. universæ detrimento è vivis erepto, in lucem edita est) censoriâ virgâ notatum reperio: *Roffredus* (Censoris Plebeii verba sunt, cui uni in Jurisconsultos de plebe, seu minorum gentium animadvertere permissum, servato in solos primi subsellii Jurisconsultos Censoris Patritii judicio) *Roffredus ante alios objurgatus est, qui præter opus libellorum aliud edidit, cui titulum insuavem, ac illepidum appinxit* (Quæstiones Sabbathinæ). *Pruritu speciosi, ac novitatem præferentis tituli fortè tactus Batholomæus Brixiensis fecit & suas Quæstiones* Venereales, & Dominicales: *Fecit &* Mercuriales *Joannes Andreæ. Superis grates, quod non eò, si bene memini, progressa est insana libido, ut haberemus ab aliis Quæstiones* Lunares, Martiales, & Jovianas, *queis totum impleretur, quantum est curriculum dierum* (2). De aliis, quos censor subnexuit, alii viderint: De Roffrido, a quo rei exemplum fluxisse divinat, an ejus rectè constet judicium, non una dubitandi, aut etiam contradicendi ratio est. Primùm enim incerta res est, num Roffridus ipse Quæstionibus suis Sabbathinarum titulum adjecerit, vel potius, quia Saturni diebus disputatæ, ut ab diversi argumenti aliis Quæstionibus distinguerentur, ita ab Auditoribus, ac dein posteris, quum demum illæ evulgarentur, appellari cœperint: Haud secus certè sentire V. C. Vincentius Gravina videtur, qui plura à Roffrido relicta scripta commemorat, *inter quæ disputatas Saturni diebus Quæstiones, quas Sabbathinas appellarunt* (3). At appinxerit Roffridus Quæstionibus suis ejusmodi titulum, quantumvis *insuavis* ille, ac *illepidus*, non adeò tamen criminosus, ut ejus auctor *objurgari* dignus censeretur. Maluisset fortasse Censor *Saturnales* appellatas, ne quid in latiarem linguam peccatum videretur? nam & ipse *Lunares*, *Martiales*, *Jovianas* subinde usurpavit. Sed veteri Latio Saturni diem relinquamus, nobisque (quod de diebus aliis, abjectis profanis nominibus, faciendum fuerit) Sabbathum loqui, scribereque libeat, a quo *Sabbathinum*, *Sabbaticumve* derivare quis vetat (4)? Fortasse verò insuetum quid, atque ineptum videre sibi visus est Censor; nam mox quasi inconstans, quem *insuavem*, ac *illepidum* pronunciaverat, mox speciosum, quasi per ironiam titulum vocans novum, *novitatis* sive crimen, sivè vitium eidem affigit. At nugæ sunt: quid enim si hoc alterum accusationis Caput, non in iniquiorem illam *objurgationem*, neque in præsentem duntaxat excusationem, sed ex recepto more, institutoque Majorum in æmulantis Roffridi commendationem, laudemque vertatur? Non solùm à *Diebus*, verùm etiam à *Noctibus*, neque tantùm ab *Hebdomadæ* diebus, sed ab *Anni* quoque temporibus, à *Locis* præterea, ac denique à *Personis*, *Quando* scilicet, *ubi*, & *quibuscum* impensa opera est, lucubrationes suas Sapientissimi quique Veterum elegantissimè inscribendas voluerunt. Ac Agellius quidem, *quoniam* (inquit) *longinquis per hyemem noctibus in Agro terræ Atticæ Commentationes hasce ludere, ac facere exorsi sumus; iccirco eas inscri-*

(1) Hist. Civil. lib. XVI. cap. IV. pag. 392.

(2) Pag. 189. posterioris editionis Neapolitanæ 1752.

(3) De Ortu, & progressu Juris Civil. to. I. pag. 112. Venet. 1739.

(4) Digna sunt lectu, quæ in hanc rem disertissimus Muretus edixit Var. Lect. lib. XV. cap. I.: probavitque omninò Petr. Zornius in Præfat. tom. I. Opusc. Sacr.: *Tibi auctor sum* (inquit Muretus) *ut ne eorum stultitiam imiteris, qui usque eò Antiquitatis studiosi sunt, ut voces quoque Christianæ Religionis proprias refugiant, & in earum locum alias substituant, quarum nonnulla etiam impietatum olent..... qui, ut opinor, nisi sibi metuerent, etiam pro Christo Jovem Opt. Max. dicerent; est enim magis Ciceronianum &c.*

*inscripsimus* Noctium Acticarum, *nihil imitati festivitates inscriptionum, quas plerique alii utriusque linguæ Scriptores in id genus libris fecerunt* (1). Nemo præterea Ciceroni (quicquid de importuna *Philippicarum* appellatione importunior ipse notare quoque voluerit Censor) vitio, insolentiæque unquam vertit, quòd Quæstiones illas, quibus egregia Moralis Philosophiæ documenta prosequitur, a Disputationis, Scriptionisque loco *Tusculanas* appellavit: aut quòd *Lelium*, quum De *Amicitia*, ac *Brutum*, quum de *Claris Oratoribus* adeò præclarè disseruit, ipsas Tractationes, magni Platonis exemplum sectatus, inscribendas maluerit. Sed ne plura ex Antiquitate afferre opus; quandoquidem, quod ad Anni tempora attinet, qui Roffridum à certo *Hebdomadæ* die Libri sui titulum mutuantem, *objurgatum* voluit, is ipse Censor posteriorem eum Librum, eruditis Juris tractationibus instructum, qui Reip. suæ Appendix est, satis hilari, sed nihil ad rem apposito *Feriarum Autumnalium* titulo concinnare amavit.

Stet igitur nullis temerata maculis, nullis impetita cavillationibus Roffridi nostri fama: Virumque revereamur, quem Rom. Jurisprudentiæ apud Italos redivivæ imprimis instauratorem novimus: cui demum illa frequentibus Eruditorum suffragiis laus quæsita jamdudum est, ut quandoquidem veterem illum Papinianum Juris Rom. asylum, ac prope conditorem Urbs Beneventana Civem suum proba fide, certisque tabulis ostendere nequeat, alterum certè (uti ex aliorum sententia superiùs audivimus) in Roffrido Papinianum, quantum & ratio temporum, & Jurisprudentiæ status ferebat, sibi adeptum gratulari, atque aliis ostendere non immeritò possit.

Ac in Roffrido quidem conquiescere mihi mens fuerat, nisi egregium alterum Beneventanorum Ictorum par, Roffrido ipsi tum genere, tum ætate, tum demum ipsâ Doctrinæ præstantia conjunctum, eidem heic adnecti æquè dignum, operam nostram postulasset. Horum prior Roffridus alter est, vel, ut alii malunt, Fridericus majoris Roffridi Discipulus, & ipse Beneventanus, qui præclarum *De Pugna*, *seù Duello* Tractatum, quæstionibus XII. explicatum edidit (2). Odofredus posterior est, magnum quidem suæ ætatis, omniumque sequutorum temporum memoriâ celebratum nomen. Odofredo eadem, quæ Roffrido, patria Beneventum fuit; qua in re frustra plerique, aut Beneventanum, aut Bononiensem malentes, vel dubitationem, vel controversiam facere visi sunt. Nata ex eo pro Bononiensibus opinio videtur, quòd Odofredorum Gens diutissimè, ac summo quidem loco in ea Urbe floruerit: probatque adhuc monumentum, Odofredo ipsi ejus familiæ principi pyramidis instar ante Ædem S. Francisci magnifico opere locatum, cujus hæc sunt verba:



(1) In Præfat. earund. Noct. Attic., quo loco eruditissimus Scriptor posteaquam in aliorum Librorum titulos recensendos latè, jucundèque excurrisset, alios etiam bene multos superesse ait, *nimis lepidos, ac multam concinnitatem redolentes*: *Nos vero* (subdit) *ut captus noster est incuriosè, & immediatè, ac prope etiam subrusticè, ex ipso loco, ac tempore hibernarum Vigiliarum*, Noctes Atticas *inscripsimus*.

(2) Alva de *Pace tenenda* in princ. verb. ex hac Glossa, & in Procem. Feud. col. 2. Guid. Panzirolus *De Clar. Jur. Interpr.* lib. II. cap. XXVII. pag. 118. edit. Lipsf. 1721. Quo etiam loco idem Panzirolus *Bartholomæum* quoque *Beneventanum* consociat (quem synchronum Roffridis, aut certè supparem credere licet, heic propterea non silendum) egregium olim Patavii Juris Civilis Magistrum, cujus Tumulo, seù Sepulcrali *Arcæ lapideæ* in ejus Urbis Æde majori extra Portam Meridionalem positæ hoc inscriptum Epitaphium est:

*Nate Benevento tibi Jus Civile cathedram,*
*Dum coleres Paduam, Bartholomæe dedit.*
*Tu vigil ad causas, tu tradere jura disertus,*
*Tu placidus cunctis dapsilitate tua.*
*Vixisti prudens, prudens moriendo dicasti*
*Huic tumulo Corpus ossibus ampla tuis.*
*Tu proprii Fratris tumulo dare corpus, eidem*
*Mandasti; factum est: Parcat utrique Deus.*

Hujusce nostri Bartholomæi etiam cum laude commeminerunt Scardeonius *De Antiq. Urb. Patav.* pag. 381. Laur. Schraderus *in Monum. Ital.* pag. 5., Nicol. Toppi *Bibl. Neapol.* pag. 37.

DEO TRI. UNI
PYRAMIDEM ET SEPULCHRUM VETUSTATE
CORRUPTUM . QUÆ ALBERTUS GENITORI SUO
ODOFREDO LEGUM PARENTI A. D. MCCLXV
III. NON. DECEMB. POSUERAT . LAURENTIUS
ODOFREDUS DOMINICI ODOFREDI POSTERIORIS
FILIUS . ALBERTI TRINEPOS SUA IMPENSA
IN MELIOREM FACIEM OPERE ET CULTU SPLEN
DIDIORE RESTITUIT . ANN. SAL. MCCCCXCVII.
KAL. SEPTEMP.

In altera verò Sepulcri parte hæc habentur:

HIERONYMUS QUONDAM LAURENTII DE ODOFREDIS
REPARAVIT

Ex Odofredi autem obitu, qui Bononiæ accidit, erectoque ibidem eidem tumulo haud illud certè necessariò consequitur, ubi mortem oppetiit, ibi quoque vitam auspicatum fuisse; nam quòd ipse etiam Bononiæ majorem vitæ partem transegerit, ac præterea in D. Ambrosii Curia, seù Vicinia habitasse ex ejus ore sciamus (1), poterit æque quis, sed non ineptè minùs, argumentari Boneniensem origine fuisse Odofredum. Cur verò post illius obitum Albertus filius Bononiæ perstiterit (unde posteris locati perpetuò in ea Urbe lares) in promptu caussa est: Paternam & ipse disciplinam professus, Jurisconsulti nomine inclarescere perrexit (2), itaut satius sibi fuerit in ea Urbe consistere, ubi ex paternis, suisque meritis nonnihil splendoris, fortunarumque familiæ comparatum erat, quàm ad veterem Patriam redire. At illud semper Benevento Bononia debebit, uti paullò ante Roffridum, ita pariter Odofredum exinde excepisse; atque à Roffrido quidem *Odofredi fluxisse feruntur* (3), primumque ipsum Odofredum Benevento oriundum, & ex Roffrido, aut ex ejus Cognatis genus duxisse, constans vel vetustiorum Scriptorum testimonium, vel doctiorum sententia est (4).

Eadem igitur Patria, eademque, quæ Roffridum, Azonis Schola paullò post Odofredum emisit, egregium ipsum quidem, atque illustrius fortasse & Patriæ, & Scholæ decus, atque ornamentum, cujus ingenii acumine, ac feracissima vi, suis veluti novis incunabulis hactenus enutrita, ociùs adolescere, atque in ingentem explicata molem, sese prodere, excolique Jurisprudentia visa est. In Naturali Philosophia (ita de Odofredo fert Panziroli judicium), & Artibus primùm exactè eruditus, postea Juri sub Ugolino, Jacobo, Balduino, & Azone incubuit. Deinde in Bononiensi Academia magnâ nominis famâ Jus Civile docuit, ubi non semel à Gregorio Montelongo Gregorii Pontificis in Italia Legato de ambiguis Juris quæstionibus consulebatur. Luculenta in Pandectas, & totum Codicem tanta felicitate, & facilitate Commentaria edidit, ut ante ipsum nullus planiùs scripserit, nec ex omnibus Interpretibus alius eo clarior, aut Tyronibus utilior habebatur. Quasdam præterea Azonis præceptoris Summæ edidit Glossas, quæ etiam hodiè extant in titulo *De Pa-*
*ce*

(1) Odofredus in leg. 14. Cod. de Fid. Instrum.

(2) De quo Jo. Baptista de Gazalupis in Hist. Interp. Jur. post Panzirol. pag. 504. hæc scribit: *Albertus Odofredi fuit contemporaneus Dyni: Vid. Consilium subscriptum ab utroque; de quo patebat publico instrumento in Archivio Senensi.*

(3) Guid Panzirolus lib. II. cap. 18. pag. 119. in Roffrido, & in ipso Odofredo pag. 125.

(4) Raphael Volaterranus (qui sub exitum Sæc. XV. scribebat) Anthropol. lib. XXI.; Jo. Fichardus in Vit. Jurisconsult. post Panzirol. pag. 405.: *Eodem hoc tempore floruit Otthofredus, Patria Beneventanus, Jacobi Balderini Discipulus &c.* Bern. Rutilius in Vit. Ictorum tom. 1. Tractat. Juris.; Trithemius de Scriptor. cap. 444.; Bergomensis in Supplem. Chron. ad anno 1240. disertè *Beneventanum* statuunt; ac uterque Trithemius, ac Bergomensis de antiquiore *Odofredo*, seù *Oltrofedo*, alter cap. 425., alter ad an. 1199. etiam meminerunt, quem pariter domo Beneventanum appellant: at vereor, ne non de Roffrido intelligendi sint, quem Odofredi nomine vocarunt. Albertus denique Fabricius, ut alios præteream, de Benevento Odofredi patria indubiè loquitur in Bibl. Lat. med. ætat. lib. XIV. tom. V. pag. 160. edit. Venet. an. 1754.

*ce Constantiæ*: & *Feudorum Compendium* composuit (1): *De Libellis, quibus in Judicio experimur: Restitutione Dotis: Ordine Judiciorum: de Percussione: De Primo, & secundo Decreto: Curatore Bonis dando*; *& Arte Notariatus*, utiles Tractatus eruditè conscripsit. Hactenus Panzirolus (2), cui breviore, sed luculentiore in Odofredum elogio Fichardus ita præiverat: *Eodem hoc tempore floruit Odofredus, patria Beneventanus, Jacobi Balduini discipulus: Professus est Bononiæ magna cum gratia, id quod & ipsius Lecturæ satis ostendunt, quæ vivida quadam energia, & lepida docendi ratione refertæ sunt: non enim legere illum, sed propemodum audire sibi Lector videatur* (3). Concinere superdictis voluit Matth. Gribaldus Mopha, Oldradi, simulac Odofredi laudes hoc disticho eleganter perstringens:

Consilio Oldradus pollet: Clarissima Legum
Commentis præstas sensa, ODOFREDE, tuis (4).

Neque inferiora sunt, quæ de Odofredo recentiorum emunctæ naris Eruditorum habemus judicia (5).

Quæ quum ita sint, nunquam mirari quis desinat, dum ab eodem Reip. Ictorum Censore, a quo paullò ante Roffridus (injuriâ licet) vapulavit, non tam censoriam virgam erectam, quàm cruentum in manibus acceptum stilum aspiciat, quo penè Odofredum confodiat. Ac primùm is Odofredo exprobat, *nil ipsum curare, se totius Græciæ rudem profiteri* (6): Tum, *ridere se ipsum, subdit, cum ait: Grammaticemus aliquantulum* (7): Utque minutiora alia prætercam, Historiæ omnis ignavissimum exsibilat, *suavissimumque præ ceteris* appellat, *quòd eadem navi Æneam, & Romulum in Italiam advenisse*, affirmaverit. Non ego autem is sum, qui Censori Albericum Gentilem, cujus lectione multum is profecisse videtur, duntaxat objiciam, eoque tantum Patrono Odofredi caussam in tuto ponere velim. Est enim meditata Alberici sententia, sex illis celebribus Dialogis suis, quos de Juris Interpretibus lucubravit, pronunciata: Legum studiosum majorem sibi polliceri posse utilitatem ex Veterum lectione, quàm recentiorum Ictorum: Bonum Ictum latinæ linguæ exquisitiori cognitione carere posse: Græcæ autem omninò: uti Dialecticæ usum in Jurisprudentia magnum non esse: Historiam autem neque necessariam, neque utilem: quod tandem ex utriusque classis Ictorum collatione demonstrare conatur (8). Sint enim hæc (ut aliis placet) ex invidioso quodam ingenio, ac contradicendi studio laborante profecta, ac vehementiùs, quàm par erat, disputata: res tamen omnis ad illud caput redit, quod scriptioni suæ Ablericus perpetui instar documenti præposuit: *Esto cum veteribus; novos invisas: conjunge utriusque factionis studia. Esto cum veteribus, quia ipsi verè Jurisconsulti, & verè Juris Interpretes; alia enim nec attingunt, in quibus vel præcipuè sunt isti recentiores. Cum illis Civilem Sapientiam tibi parabis: ex istis ornamenta quædam haberi possunt. Oportet sanè magnum adhibere judicium, & magnam cautionem, ne horum delicatioribus lucubrationibus abripiaris longiùs, quàm par est: nam si ipsos novitios sequi velis, vereor, ut mutetur principale, quod dicitur, in accessorium, & hoc illius locum occupet, atque gradum. Hæc reliquis conjunge, & habes sententiam meam* (9). Hæc quoque ipsa, à qui-

(1) Hoc Compendii Feudorum Opus Odofredo abjudicare videtur Jo. Albertus Fabricius l. l., hæc de illo subdens: *In Codice membranaceo Bibliothecæ Felini extant Friderici I. Constitutiones inscriptæ* De Pace Constantiæ *cum notis, & perpetuis commentariis Odofredi bujus: Quia verò Commentarii ipsi subduntur compendio Feudorum ab Antonio Mincuccio de Prato veteri confecto, ut ex boc ipso Codice intelligo, ideò forte nonnullis obrepsit, ut Feudorum Compendium Odofredo tribuerent.*

(2) De Clar. Jur. Interpr. lib. II. cap. XXXV. pag. 125. edit. Lipsiæ 1721.

(3) Post laudatum Panzirolum ejusd. edit. pag. 405.

(4) In Catalogo Interpretum aliquot Juris Civ. post d. Panzirol. pag. 531.

(5) Omnium vice Cl. Vinc. Gravinam afferre libet, qui in De Ort., & progr. Jur. lib. I. cap. CLVI. sic scribit: *Emisit eadem Azonis Schola Odofredum Bononiensem, vel ut alii credunt Beneventanum, ad ambiguas quasque causas à Gregorio Montelongo Gregorii Pontificis Leguto adbibitum, dum Bononiæ doceret; cujus in interpretando facilitatem, atque utilitatem ex ejus uberrimis in Pandectas, & Codicem Commentariis noscere licebit.* pag. 114. edit. Venet. cum notis Mascovii 1739.

(6) Pag. 98. d. edit. posterioris.

(7) Pag. 152.

(8) Dial. I. *Scævola* pag. 543. edit. Lipsiæ 1721. Post Panzirol.

(9) Sed & deteriora nonnihil tamen humani passus Gentilis habet in Dedicatione libri IV. Lectionum, & Epistolarum, quæ ad Jus Civile pertinent: *Placet* (inquit) *ratio hæc scribendi maximè, quod ipse non ferè admittit, ut nostra plura, aliena pauciora inducamus; & id probandum magis existimo, vel si illa essent modici æris, quàm ineptos, ridiculosque, versicoloresque istos videre psittacos, qui nibil omninò afferunt in commune desue,*

quibus nemo jure diſſentiat, illis conjunge, quæ uno conſenſu Eruditi in Odofredi laudem æqui ipſius æſtimatores conſcripſere; jam habebis iniquum Cenſorem, vel quia de Odofredo nihil, præter ſolas Odofredi labes prodens, ſe uno carpendi ſtudio incubuiſſe demonſtrat; vel quia, quod commune ipſi, omnibuſque Scriptoribus eſſe debet, illud potiori jure Odofredo debitum, Odofredo vindicatum noluit:

*Verum ubi plura nitent in Carmine, non ego paucis*
*Offendar maculis, quas vel incuria fudit,*
*Vel humana parum cavit natura* ..... (1).

At jam ſingula criminationis capita percurramus. In Græcæ linguæ ignorantia uberioris, ſive potiùs elegantioris Doctrinæ deeſſe commendatio, nullum tamen adeſſe crimen debet: nam ſi crimen id habebitur, fuerit potiùs noſtrorum temporum, quorum felicitas plures, qui græciſſare affectant, quàm qui græcè ſciant, enumerare ſolet. Si autem felicioribus omninò temporibus pudori non fuit clariſſimo Uldrico Zaſio, *græcarum literarum ignarum ſe profiteri*, neque Zaſio id impedimento fuit, quin Juriſconſultiſſimus (qui ſi non *mille Budæis græcæ linguæ callentiſſimis*, uti Gentilis cenſet, Budæo certè præſtat) jure meritoque haberetur, uti nemini dubium fuit unquam, quin ejuſmodi æſtimandus ſit Zaſius: An deteriore longè ævo Græcæ Linguæ ignorantia Odofredi doctrinæ, ſatis alioqui probatæ, obeſſe potuit; an etiam celeberrimmo Odofredi nomini obeſſe nunc debeat? Ceterum, ut hanc rem cum Everardo Ottone conficiam, optandum, ut Juris ſtudioſi Græcas Literas ſibi acquirant, ediſcantque *Exemplaria Græca nocturna verſare manu, verſare diurna*; at prioribus illis, qui è barbaricæ ætatis tenebris prodeuntem Juriſprudentiam ſinu ſuo excipientes excolere, ac fovere aggreſſi ſunt, ſi græca ex corruptiſſimis plerumque exemplaribus monſtroſè verterint, aut *Accurſianum* illud profeſſi fuerunt: *Græca ſunt, non leguntur*, vel; *Hic ſequitur Græcum, quod intelligi non poteſt*: non, inquam, illis *pejori Sæculo natis eſt inſultandum, ac ſi patriam prodidiſſent*. Hæc Otto in Vita Papiniani cap. IV.

At Græciæ Hoſpitem Odofredum impunè dimiſerimus: An verò (Cenſor ait) veniam dederimus homini, qui natalis Latii peregrinum ſe prodit? Sed reclamat Odofredus, cauſſamque ſuam, allatis tantùm ante Cenſoris, ſeù æquiorum Sapientum Tribunal Libris ſuis, confeciſſe contendit; in quibus non Latiarem quidem elegantiam, ſed nec Barbaricas ſordes intueri eſt: Scripſit denique Odofredus ſecundâ Minervâ, faventibus Charitibus; id quod (ut iterum cum Fichardo loquar), & ipſius *Lecturæ ſatis oſtendunt, quæ vivida quadam energia, & lepida docendi ratione refertæ ſunt; ita ut non legere illum, ſed propemodum audire Lector ſibi videatur*. Quod verò ſe *aliquantulum grammaticare* velle dixerit, non eo quidem ſenſu dixiſſe intelligendus eſt, ut ad univerſam ſcribendi, loquendique ſeriem, exercitationemque referret: quis enim Grammaticæ expers, non eloquenter quidem, ſed tamen latinè, affluenter, facilique auditorum captu, atque eruditione, uti Odofredus, loqui unquam poterit? ſed id dixit, egitque, ut in Juris interpretatione ad exactiores Grammaticæ Leges ſibi deſcendendum oſtenderet: qua in re nonniſi laude dignus haberi debet, veterum ſcilicet Juriſconſultorum exempla ſequutus, quorum acutiſſimum, diſertiſſimumque Papinianum in ſervandis verborum proprietatibus anxiè ſatis verſatum, teſtatur Lud. Ruſſardus, atque *in Reſponſis ſuis concinnandis ferè nimium* (*ſi quis tamen nimius in eo genere, vel quid nimium eſſe poteſt*) *obſervatorem* dixit Ant. Faber (2). Agitur enim de Legibus, de Teſtamentis, de Stipulationibus, ceteriſque rebus ſcripto traditis, quorum ambiguis verbis rectè interpretandis, aliiſque nativa vi, ſignificationeque donandis, petenda omninò à Grammatica ſubſidia ſunt; quæ quidem Grammatica non ſolùm Quintiliani monitu neceſſaria futuro Oratori, & Juriſconſulto fundamenta præſtare, ſed florenti jam utrique Oratori, & Icto aſſidua Comes, & honorabilis Magiſtra eſſe debet.

Quid

*deſuo, ſi ſuum* AVE *excipiunt, ſuas grammaticationes, græcationes, criticationes, & id generis alia, tam, me hercule, ab Juriſconſulti profeſſione longè poſita, quàm ab homine pſittacus poſitus eſt* homo pictus.

(1) Horat. in Art. Poet. v. 351. Non veterum tantùm Ictorum *quietos* (ut cum ſequioris ævi Legum latoribus loquar ex Valentiniani Novell. De Sepulc.) *Manes funeſtis auſibus ſollicitare* amavit Cenſor, ſed & clari nominis recentiores, vivoſque Ictos vellicare non abſtinuit, ex quibus Everardus Otto in Vita Papiniani ſecundis curis edita Bremæ an. 1743. in nova Præfatione vicem rependens, *nec ipſum Januarium illa, quæ ſplendidè minuta vocat, contempſiſſe*, inquit, *ut plurimis in locis monſtrari poſſet, niſi pauperis eſſet numerum pecus*.

(2) Conjecturarum lib. XVII. cap. 17.

Quid verò? dum Odofredus ita Hiſtoriarum jejunum ſe prodit, ut Romulum Ænææ ſynchronum, comitemque attribuere non dubitarit? Quando, atque ubi hæc dixerit Odofredus, nondum reperio, neque enim Cenſor tabulas profert, aut indicat; ſed jam dixerit: Quale id, quantumque erit piaculum? non magis fortaſſe Odofredus falſus fuerit, quàm falſus Virgilius fuit, qui coævam Ænææ ſuo Didonem nobis obtrudit: Ad hæc jamnunc illa ex Viro doctiſſimo ſatis ad univerſam rem appoſitè, ac verè dicta uſurpabo: ut niſi prioribus illis inſtauratæ Juriſprudentiæ Antiſtitibus — *temporum barbaries Antiquitatis lucem, & ſermonis elegantiam ademiſſet, nullum fortaſſe laborem eruditis recentioribus reliquiſſent. Quo magis mihi ſtomachum faceſſit eorum inſolentiane dicam, an immanitas? qui, quum eorum lectione Legum ſenſus levi labore adipiſcantur; ubi verò aliquid nubeculæ ab iis relinquitur eorum eruditione diluendum, feroces victoria ſtatim perſtrepunt, & chachinnos tollunt; nec verentur Viris, de illis, ac de poſteritate optimè meritis, temporum caliginem vitio vertere, ſive verò laudi ducere naſcendi ſortem. Quæ autem inhumanitas eſt, iis, qui facem prætulerunt in tantis tenebris Juris Civilis, qua ſine vel eruditiſſimi novorum Juriſconſultorum oberraſſent, vitia illa nolle condonare, in quæ deciderunt*, non propter Juris Civilis inſcitiam, ſed ob imperitiam Hiſtoriarum, & Latinæ proprietatis ſibi ab ætate illa denegatæ: *quum tamen iis etiam præſidiis ſpoliati, ingenii acie non rarò collineant, ut non tam eorum errores exagitare, quàm paucitatem illorum in tam crebris peccandi periculis, lubricisque locis admirari debeamus. Quo magis Cujacii modeſtia, probitaſque erit commendanda (immò penitus imitanda), qui quum in Accurſii nomen incidit, non modò parcit a conſuetis eruditorum injuriis, in quibus Duarenus potiſſimùm eſt intemperans* (1); *verùm etiam hominem honorificè appellat*, Optimum *ſcilicet Accurſium* --. Hactenus V. C. Vinc. Gravina, de Accurſio is quidem loquutus (2), qui tamen non invitus hæc a ſe pro Odofredo me mutuatum ſiverit; Par enim utriuſque cauſſa eſt; ſi qua verò amplior ex doctrina Accurſio laus, communis etiam Odofredo noſtro eſſe debet, optimo jure illo, quo Diſcipulum adeò in Juris ſcientia profeciſſe, Magiſtri decus eſt; Accurſium enim, annum agentem quadrageſimum ſub Azonis, & Odofredi diſciplina Juri civili ſe dediſſe, ipſe Reip. Cenſor disertè teſtatur (3).

Viderint itaque Eruditi, quicumque illi ſint, ediſcantque tandem, quantum piaculi illud ſit, in veterum JCtorum nomen, ſcriptaque tot convicia profundere, eoſque portenti inſtar, quo riſum admiſſi amici vix teneant, in ſpectaculum proferre: debacchari, deſævire in eos deſinant, a quorum lectione, ob rationum acumen, rerumque ubertatem Viri maturioris judicii nunquam abhorruerunt, immò vanitatem rident eorum, qui non tam eruditione propria, quàm ineruditorum Interpretum contemptu, atque faſtidio ſe profitentur eruditos. Quod ſi mihi dicere fas ſit, quod ad Juriſprudentiæ diſciplinam modò attinet, contrario vitio paſſim nunc peccari dixerim: Eò enim ventum eſt, ut quod tempus à renata Juriſprudentia ad Alciatum, Cujaciumque effluxit, hiemem quodammodo fuiſſe volunt, perpetuum illud ver evaſiſſe videatur, quo Juriſprudentia illorum ope elegantiùs refloreſcens, à laſciventibus poſtea ingeniis nonniſi floribus ad faſtidium uſque ornatam, ac penè obrutam invita ſe aſpiciat: adeòut illud jam videatur Juriſprudentiæ contigiſſe, ut ſe venuſtam magis, quàm divitem miretur; jamque ipſam tædeat pulchritudinis ſuæ, quæ utilitati detraxit; atque ex perpetuo illo vere ſuo, demum in æſtatem, autumnumque progredi, in illam nempè fructuum ubertatem, ſoliditatemque matureſcere, quibus præcipuè, non ad ſolius eruditionis vel cultum, vel oſtentationem, ſed in commune Reip. commodum referta eſſe debet (4).

Hæc verò ne ſuperciliosis Reip. Literariæ univerſæ eruditis, ſed Beneventanis duntaxat meis dicta intelligantur; quibus, quæ occurrerunt, ad Rem noſtram Literariam pertinentia pro *medio* ævo, hactenus à me illuſtrata ſufficiant; magna illa quidem, ac pro temporum, morum,

(1) Non ſine ingrati animi vitio; eos enim ubique mordet Duarenus, à quorum Commentariis plurima ſumpſit, quæ adſperſâ ſermonis elegantiâ in novam faciem vertebat, Lucretianam illud effari ſolitus: *Floriferis ut apes in ſaltibus omnia libant, omnia nos itidem depaſcimus aurea dicta.*

(2) De Ort., & Progr. Jur. Civil. cap. CLV. pag. 113.

(3) Pag. 91.

(4) Tutiſſima in hanc rem Chriſt. Golfr. Hoffmanni erit ſententia, qua in Præfat. ad Panzirolum de Alb. Gentili differens protulit: *Non eſt* (inquit) *negandum, nos cum Alberico in eo convenire, parum conducere Reip., ſi circa Leges Hiſtoricos modo, aut Criticos agere velimus, cum Juriſprudentia practica ſit diſciplina, & in nuda contemplatione ſyllabarum, aut recenſione factorum non acquieſcat. Omnem autem Hiſtoricam de Legibus Romanis ſcientiam, & Critices Artis principia removere, nihil aliud foret, quàm antiquam barbariem, & cum illa craſſam reducere ignorantiam.*

rum, ac dominantium ratione ſatis præclara, ut in præſentium temporum felicitate luculento exemplo eſſe queant, quo in Literarum, ac ceterarum bonarum Artium ſtudiis alacriùs incitentur; pudori verò ipſis eſſe debeant, ſi longiùs Majorum ſuorum quæſitam ex Re Literaria laudem non ſuperarint; ſuperaſſe autem tunc verè videbuntur, ſi modò aurea illa Senecæ monita altiùs infixa animo proſequantur: *Liberalia Studia noſtra eſſe rudimenta, non opera: ceterum unum Studium liberale eſt, quod liberum facit; hoc Sapientiæ ſublime, forte, magnanimum ..... Magno impendio temporum, magna alienarum aurium moleſtia laudatio hæc conſtat*: O Hominem Literatum! *Simus hoc titulo ruſticiore contenti*, quo ſcilicet omnia ſtudia noſtra ducere nos debent. O Virum Bonum (1)!

DIS-

(1) Epiſt. LXXXVIII. edit. Pariſ. 1613. cum notis Lipſii, Mureti, Fabri, aliorumque.



# DISSERTATIO VII.

## DE BENEVENTANI PRINCIPATUS OCCASU.

*Radelchis II. veterem Longobardorum Principum Prosapiam ad Annum CM. claudit; quam Prosapiam Soror Ageltruda Aug. Imp. Guidonis Conjux plurimùm illustravit. Atenulphus Capuanus Comes à dicto An. CM. Principatu potitus, eundem, sedatis Beneventanorum turbis, & Petro Episcopo ejecto, sibi confirmavit, & ad Posteros suos transmisit. An in hac Atenulphi Prosapia Capuanus Principatus exortus, & à Beneventano discissus. Beneventani Principes plures simul in singulis Generationibus, quorum series ex Veteri Chronico exponitur, atque illustratur. Illorum postremus Landulphus VI. An. MLXXVII. defunctus, Sedi Apostolicæ, cui antea fidelitatem juraverat, Urbis, ac Principatus dominium vacuum reliquit. Quæ fuerint antiqua ejusdem Sedis Apostolicæ jura in Principatum Beneventanum, longiùs, accuratiùsque demonstrantur. S. Leonis PP. IX. fama ob Bellum Northmannis illatum vindicatur. De Northmannis, eorumque Duce Roberto plurima observantur. Illorum res cum Romano Pontifice compositæ, cujus dominio servata Beneventum. Hujus Cives pari (ut semper) cum Regnicolis Jure censendi demonstrantur.*



ITERARIAS nostras lucubrationes, Patriasque simul Medii Ævi Antiquitates ipse demum claudet Beneventani Principatus occasus. Quod argumentum ægrè quidem, sed pertractandum tamen pro Instituti Operis ratione nobis fuit. Veterem itaque Longobardicam Dominationem, Virtutemque, quam superioribus hujus Libri Dissertationibus usque ad Sæculi IX. exitum florentissimam spectavimus, jam exinde sesqui Sæculi, & ampliùs spatio, longâ quadam, ac fortasse ingloriâ senectute ad interitum collabentem, collapsam denique, atque in pulverem, & umbram redactam intueri nunc erit, inani vix Longobardici nominis superstite fama, cui restituendæ, illustrandæque tamdiù, ac tam longo opere laboravimus. Proderit autem id nunc egisse, quod ante omnium oculos positum, rerum humanarum vicissitudines, & quam homines nunquam satis videntur didicisse, terrenæ gloriæ conditionem fragilem, atque caducam vehementiùs docere possit. Proderit quoque ex Longobardicis cineribus, atque ex ipsa pertractandarum rerum serie id subinde enatum, atque augustioribus auspiciis id proditum conspicere, quod Beneventanæ Reip. non solùm solatio, sed majori, quàm olim, honori, ac felicitati esse cœpit; nam sub Apostolicæ Sedis imperium translata, non modò veterem dignitatem servavit incolumem, verùm in novam etiam meliorum temporum, fortunarumque suarum felicitatem provectam aspexit.

Beneventanorum Principum Series usque ad Radelchim II. superiùs deducta fuit, Annusque Æræ Christianæ nongentesimus in itinere sanè longo aliquantisper nobis conquiescendum suasit. Subsistere tunc in eo argumento consilium propterea fuit, quòd translato in novam Stirpem, atque Prosapiam Principatu, nova exurgere à dicto anno CM. ad MLXXVII. Principum series videretur, quam in postremam Longobardicarum Antiquitatum, Operisque meî partem opportuniùs rejicerem. Radelchis igitur II. Principis Radelchis I. ex Adelchi item Principe Nepos, post ejectum patruelem Gaiderisium, ejusdem prioris Radelchis ex Radelchario Nepotem, Principatum adeptus, primùm Ajoni fratri concedere coactus, postea, Græcis ejectis, qui sub Urso puero Ajonis filio Beneventum occuparant, rursus Augustæ Sororis Ageltrudæ operâ regendum suscepit.

De Ageltruda Augusta nonnulla diximus in Diss. III. Cap. VII.; plura nunc de hac Fœmina observabimus; quæ Fœmina non solùm Beneventanorum Principum dignitatem

illustravit, verùm etiam Radelchis Prosapiam honestissimè clausit. Guido ex regio Francorum genere Dux Spoletinus, ante Imperium Ageltrudam Conjugem accepit; Carolo Crasso anno DCCCLXXXVIII. defuncto, Imperator, atque Italiæ Rex renunciatus, Berengarium Ducem Forojuliensem ad eandem Dignitatem aliorum factione electum bello persequutus, Lambertum filium ex ipsa Ageltruda susceptum anno DCCCXCII. socium Imperii adlegit, atque anno DCCCXCIV. successorem habuit usque ad annum DCCCXCIX., quo anno Lambertus in venatione peremptus est. Quare Algeltruda duorum Imperatorum & Conjux, & Mater fuit; filiique tunc juvenis dignitatem virili fortitudine ita sustinere cœpit, ut Urbem Romam in potestatem redactam, in sua custodia aliquando retinuerit: At præcox Filii mors conatus omnes elusit, Imperio adhuc fluctuante, quod tandem anno DCCCCLXII. in Ottonis I., ac deinceps in Germanorum manibus conquievit.

Extat in Chronico Vulturnensi insignis Charta Augusti Guidonis, in qua & Ageltrudæ Conjugis, & certi loci, ubi Lambertum filium peperit, mentio est. Ex Melchiore Goldasto (1) intulit in suos Annales Benedictinos Jo. Mabillonius tanquam rari pretii monumentum (2). At Mabillonio laudandus potiùs erat Magnus Baronius, qui primus in lucem ediderat ad Annum DCCCXCII.. Chartam, quam tot Viri summi veluti certatim Operibus suis insertam voluere, potiori jure nos recudendam, ac domesticum velut monumentum, quo patriis rebus lux, decusque maximum accedit, heic legendam exhibemus:

*In nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis.*

*Wido Imperator Augustus Divina Clementia. Cùm Augustalis sublimitas in omnibus rebus non solùm terrenarum, verùm etiam Ecclesiarum, Monasteriorumve cura, ut perficiantur, Deo favente, sedula intentione oportet esse pervigil, quatenus dignis digna, & præcepto divino inimicis bona præbere dignum est. Et ideo notum sit omnibus tam absentibus, quàm præsentibus nostris fidelibus, quia à Benevento redeuntes nostra cum Conjuge tandem pervenimus Balbam, cui instabat pariendi tempus; angebatur enim maximè, quo loco diverteretur: tandem verò per suggestionem Leonis Venerabilis Abbatis nostri fidelissimi in Cellam sui Monasterii adeò opulentam devenimus, quæ in honorem Sancti Ruffini constructa est in loco, ubi dicitur Campu de Rota. Post tertium diem dilectissimus filius noster Lambertus natus est nobis. Quocirca ut superna Clementia nobis illum ad Imperii gubernacula concedat, per rogum nostræ Conjugis pro merito concedimus in Monasterio Beati Vincentii Martyris Christi Ecclesiam S. Marcelli, quæ est constructa in loco Focinæ cum Servis, & Ancillis, & omnibus suis pertinentiis. Insuper offerimus in præfato Monasterio auri puri libras, quantum idem Karissimus noster pensat Filius. Et ut hæc nostra concessio robur in perpetuum habeat, & ut ab omnibus observetur, veriusque credatur, anulo nostro subter sigllari jussimus. Datum Kal. Novembris Indictione* x. *Actum in Balba* (3).

Qui

(1) Constit. Imperial. T. III. pag. 296.

(2) Mabillon. Annal. Bened. ad annum 891.

(3) Post Baronium, Goldastum, Mabillonium, sinceram hanc Chartam probantes, primus omnium de ejus fide dubitavit Muratorius, qui in notis ad Chronicon Vulturnense T. I. P. II. Script. Ital. pag. 430. plures suspicionis suæ causas adducit, quarum illa præcipua, quòd ex Diplomatis verbis satis indicatur, Lambertum anno eodem 891. in lucem editum, atque in eodem Valvensi agro, & loco, ubi is natus est, donationem fuisse factam: at Lambertus anno sequenti 892. ante diem IV. Martii corona donatus fuit, & anno 899. necatus: non igitur veri id simile, ut vix natus Imperator declararetur, & octennis esset, qui jam pubes, & juvenis interemptus traditur. Sed ejusmodi scrupulum facilè sibi submovisset Muratorius, si cum Baronio verum annum Diplomati tribuisset; idest annum 892., qualem præfert Indictio x. cum Mense Novembri. Non potuit igitur Lambertus Mense Novembri anni 892. natus dici, qui jam à Mense Martio coronam acceperat. Quare si ad annos antecedentes Lamberti Nativitatem retrahamus, Donationem verò nova occasione factam putemus, quum scilicet Guido cum sua Conjuge, & Filio Benevento rediens, iterum per agrum Valvensem transiret, jam monumenti fides præclarè constabit. Constat autem ante annum 892. pluries Guidonem Beneventum accessisse: nihil igitur vetat, ut in eo reditu Lamberti nativitas acciderit, in loco Valvæ, sive Balvæ apud Sulmonam: In secundo autem reditu idem Guido jam factus Imperator, ac recepti olim beneficii memor, rogante Conjuge Ageltruda, eam Donationem fecisse debuit, in qua auri pondus Lamberti pueri corpore pensandum Monasterio Vulturnensi largitus fuit. Futilem autem suspicionis eam causam alteram addit Muratorius ex altero ejusdem Guidonis Diplomate, quod autographum legisse se ait in Tabulario Ecclesiæ Mutinensis, *datum* x. *Kal. Decembris Indictione* x. *anno Incarnationis Domini* DCCCLXXXXI. *Lignaco villa*: Nam præterquamquod ibi legi, seù emendari debet Indictio IX., quæ currebat in Mense Decembri ann. 891., quamobrem anni ferè spatio distat à nostri Diplomatis tempore, quod datum legitur *Kal. Novembris Indictione* x., quæ ad annum sequentem pertinebat; etiamsi idem annus utrique Diplomati tribuatur, viginti tamen interlabentibus diebus, quot à Kalendis Novembris ad x. Kal. Decembris enumerantur, potuit certè Guido à loco Valvæ propè Sulmonam ad Lignacum, seù Liniacum

propè

Quis verò ex binis Guidonibus, qui per ea tempora à Scriptoribus celebrantur, & Imperator, & Vir Ageltrudæ fuerit, intererit quoque, ut accuratiùs explicemus. Duos certè Guidones Erchempertus cap. 79., & Chronographus Cavensis ad annum 894., & 896. commemorant: & sanè ejus, qui Imperator fuit, obitus anno 894. assignatur: tum Guido Dux Spoletinus, ann. 896. expulsis Benevento Græcis, *factus est* (ut inquit Chronographus Cavensis) *Princeps, & Dux, & Marchio*: idest, qui Dux Spoleti, & Marchio Camerini erat, Beneventanum Principatum à Græcorum tyrannide liberatum, sibi conquisivit. Contrà verò Anonymus Salernitanus unum agnoscit Guidonem, quem post Græcorum expulsionem, & Caroli Crassi mortem Italiæ Regno, atque Imperio potitum affirmat. Quod tamen omninò falsum: nam Caroli obitum in annum 888. incidisse, Græcos autem diù post, idest anno 896. expulsos fuisse constat (1). Misso igitur Anonymo Salernitano, qui ex duobus unum compegit Guidonem, Virosque alioqui perspicacissimos in eundem errorem adduxit (2); de ea re sic erit statuendum: Bini omninò fuerunt Guidones, Pater, Filiusque, alter Augustus, atque Imperator, alter Dux tantùm Spoletinus, quos, ut Erchempertus distingueret, *seniorem*, & *juniorem* appellat (3), in eo tamen ipse quoque falsus, quòd Imperium *juniori* attribuat, quo *senior* potitus fuit. Atque hujus *senioris*, atque Imperatoris Guidonis Conjugem, junioris verò Matrem Ageltrudam fuisse constat; itaut post Guidonis Patris obitum Lambertus Imperium, Guido *junior* Ducatum Spoletinum obtinuerint, cui postea juniori Guidoni, ejectis Græcis, Beneventanus Principatus accessit. Rem omnem in apertam lucem proferet Beneventanus noster Anonymus in suo Fragmento Historico, qui post narratas ejusdem Guidonis res Beneventi gestas, hæc statim subdit: *Interea prædictus Marchio Spoletium perrexit, Imperatorem Lambertum, ejusque Matrem Imperatricem cernere cupiens; ibant enim Romam ad Apostolorum Limina, cum quibus & idem ire gestiebat* (4).

Discedens itaque Benevento Guido, Urbem Petro Episcopo gubernandam commisit; qui tamen Beneventanorum animos animadvertens Guidoni adversos, novosque Græcorum motus instare præsentiens, ut ruenti veluti Principatui succurreret, in id consilii devenit, ut Augustam Ageltrudam ad illum administrandum acciret, quippè quæ tum jure hæreditario, tum propria dignitate à præsenti rerum discrimine tueri, servareque potis esset. Rem quoque hanc à nostro Anonymo audire præstat: *Beneventum interea regimine præfati Petri Pontificis gubernabatur, cui eum ipse Marchio* (Guido) *reliquerat, quem Argiva Phalanx, seù latronum manus assiduè incursabat; tamen propè Beneventi mœnia minimè accedebant, quia solicita cura ipsius Præsulis undique plurimum insistebat, ne probis suis Civibus damna inferrent: ideoque etiam cursim misit, ut dicta Augusta Beneventum adveniret.* Advenire autem Augusta Ageltruda non distulit, ac Beneventum ingressa est pridie Kal. Aprilis anni 896., lapsis jam anno uno, & octo mensibus à Græcorum expulsione, ac Guidonis Filii Principatu, statimque ejusdem Principatus administrationem suscepit. At quum nihil tutum Beneventanorum rebus forè prospiceret, nisi de successore deliberaret, posthabitâ Mariti familiâ, ac filiorum amore, Paternam potiùs elegit Prosapiam, in qua non Ursum Principis Ajonis filium, sub quo Græci Beneventum occuparant, adhuc tunc puerum, ac fortasè jam defunctum, sed



propè Veronam satis commodè pervenisse. Nefas igitur fuerit de Monumenti fide dubitare, quam velut per otium Muratorius exagitavit, Viri autem perspicacissimi Baronius, Goldastus, Mabillonius omninò confirmarunt.

(1) Anonymus Salernitanus cap. 152. post narratam Græcorum expulsionem, sic pergit: *Guido Principatum Samnitium* (idest Beneventanum) *obtinuit, & undique ab hostibus liberavit.* Tum cap. 153. *Prædictus Guido ociùs Papiam perrexit, & Carolum defunctum reperit, cursimque quam ambiebat, adeptus est Regalem Dignitatem.*

(2) Cam. Peregrinius in notis ad Erchempertum num. 58. hæc habet: *Guido Spoleti Dux, Frater Lamberti* (*uterque Guidonis senioris filii*) *post obitum Nepotis è Lamberto geniti, Dux factus est, juniorque vocatus, inde Rex, & Imperator Italiæ. Cognatum habuit Radelchisum Beneventanum Principem, cujus Sororem Ageltrudam sibi conjugio copularat.* Falsa omnia ex superiùs dictis jam demonstravimus, si unum tantùm excipias, idest Lambertum, & Guidonem juniorem fratres, atque ex seniore Guidone genitos, cujus senioris Guidonis, qui Imperator verè fuit, Ageltruda Conjux extitit.

(3) Erchempertus num. 58.: *Eodem quoque tempore Guido filius Guidonis Senioris &c.*; & num. 79. *Defuncto autem Lamberto filio Guidonis senioris, filio suo Spoletium reliquit, quo etiam decedente, Guido junior Spoletium, & Camerinum suscepit &c.*

(4) Adde etiam Chronicon illud breve, quod ex Bibliotheca Casinensi Cod. 353. Camillus Peregrinius Appendiculæ loco adjecit Chronico Anonymi Sophiani T. v. Opp. pag. 22.; cujus hæc sunt verba: *Tribus denique annis, novemque mensibus, & diebus* XX. *dominatio Græcorum tenuit Beneventum, Samniique Provinciam: Postea verò præfata Imperatrix anno* I. *mens. octo expletis, postquam Græci Benevento fuerunt expulsi, in eadem ingressa est pridie Kal. Aprilis, & postea* (XIV. *Indict.*) *eadem Imperatrix Mater prædicti Marchensis* (Guidonis) *Radelchim fratrem suum Beneventano Principatui restituit, qui ferè* XII. *annis ab eo fuerat expulsus.*

Radelchim fratrem, ante XII. annos Principatu dejectum, iterum cum Beneventanorum consensu, anno 897. redintegrandum curavit (1).

Extat in eodem Chronico Vulturnensi Charta Judicati, cujus hoc est exordium: *Dum in Beneventano Palatio stetissem ego Lodoicus Castaldeus, & Judex in præsentia Domnæ Ageltrudis Imperatricis Augustæ, & Domni Radelchis Principis, & tunc in eorum præsentia Domnæ Ageltrudis Imperatricis Augustæ, & Domni Radelchis Principis, & tunc in eorum præsentia reclamavit Majo Abbas Monasterii S. Vincentii &c.* (2): ex quo monumento colligimus, Radelchi restituto, adhuc Ageltrudam Principatus administrationem continuasse, quò magis ipsius Radelchis olim ejecti auctoritatem constabiliret. Sed & in altera Charta anni 898. solus Radelchis habetur, dataque legitur *in Benevento septimo anno Imperii Domni Lamberti Imperatoris Augusti, & secundo anno Principatus post restaurationem* (idest restitutionem) *ejusdem Domini nostri gloriosi Principis mense Augusto, prima Indictione* (3); ex quo constat Radelchis restitutionem non anno 898., ut Chronicon S. Sophiæ habet, sed antecedenti anno cum Chronographo Cavensi assignandum; quod etiam ex annis Imperatoris Lamberti adnotatis comprobatur, qui quum Imperii consortium an. 892. à Guidone Patre assequutus sit, eodem anno 898., septimum Imperii annum in Charta signatum agebat (4). Cur verò Radelchis ejusdem Imperatoris annos in suo Diplomate addiderit, grati animi, necessitudinisque potiùs, quàm subjectionis caussa fuisse videtur: Lambertum enim Augustum ex Ageltruda sorore natum, Nepotem habere Radelchis gloriabatur; atque Ageltrudæ Augustæ Sorori is debebat, quòd iterum ad Principatum conscendisset.

At optimæ Sororis consilium, ac Beneventanorum spem fefellit Radelchis biennio circiter post, iterum à Principatu dejectus (5). Posterioris hujus ejectionis caussam Anonymus Salernitanus nobis aperuit, Radelchim, *etsi charitate præcipuum*, tantæ verò *simplicitatis* hominem caussatus, ut subdulo, ac scelesto homini Virialdo familiari suo obnoxius factus, Cives Beneventanos, atque in his potentissimos proceres Roffridum, & Poltefridum in sui odium, ac perniciem provocarit; quare horum factione, conjurantibus aliis, factum est, ut Principatum Atenulpho concedere, ac veteri Principum Prosapiæ inglorium finem imponere coactus fuerit (6).

Ate-

(1) Chronicon Cavense ad an. 897.: *Rachetrudis Augusta post Widonis discessum Radelchisi fratrem suum ad Beneventanum fecit ingredi Principatum post annos* XII. *cum consensu Beneventanorum Procerum*. At Chronicon S.Sophiæ rem ipsam sequuto anno adscribit his verbis: *An. 898. Ind. 1. Radelchis Princeps junior recuperatus in Principem*. De eadem re sic etiam noster Anonymus Historiam suam claudit num. X. *Postea verò præfata Imperatrix anno uno, & octo mensibus expletis, postquam Græci Benevento expulsi sunt, in eadem ingressa est pridie Kal. Aprilis, & paullò post Radelchis fratrem suum Beneventano Principatui restituit, qui ferè* XII. *annis ab eo fuerat expulsus*. Haud secus Anonymus Salernitanus cap. 153. *Beneventum namque Imperatrix Rachetruda domina regendum suscepit, & præfuit Beneventanis anno uno, & octo mensibus: In eandem Urbem ingressa est prid. Kal. Aprilis, & cum consensu Beneventanorum Radelchis germanus suus in Principatum restituitur, qui ferè* XII. *annis ab eo fuerat expulsus*.

(2) Chronicon Vulturnense lib. IV. tom. I. P. II. Scriptor. Ital. pag. 410.

(3) Ibidem pag. 413.

(4) Guidonis Augusti mors ad an. 894. communi sententia referri solet; sed adhuc sequenti anno viventem ostendit ipsius Diploma autographum, quo confirmat omnia Privilegia Monasterii Bobiensis ad preces Conjugis suæ Ageltrudæ anno DCCCXCV., ut testatur Mabillonius Itin. Italic. pag. 217.: non ultra verò eum annum vitam pertraxisse, certum est, ex altero Diplomate Lamberti Filii, ac Successoris favore ejusdem Monasterii, quod idem Mabillonius affert l. l.

(5) Secundi hujus Principatus tempus ad annos duos, & dimidium extendit Chronographus Vulturnensis in exordio Lib. IV. pag. 408., qui sic scribit: *Adveniente Guidone Duce, & Marchione in auxilium Beneventanis, Græci inde miserrimi sunt expulsi, & in Græcias redire compulsi. Dehinc Guido Dux præfuit annis duobus, mensibus sex; & iterum Radelchis annis duobus, & dimidio, quo expulso, Atenulphus, qui præerat Capuæ Comes, à Beneventanis invitatus Princeps constituitur*. At vereor, nenon Chronographus Vulturnensis erraverit, uti de Guidonis Principatu præclarum fit, qui non *annos duos, & menses sex*, ut ipse tradit, sed unum annum, ac menses sex, pari Chronographi Sophiani, & Anonymi Salernitani testimonio, dumtaxat exegit.

(6) Audi Anonymum Salernitanum cap. CLII. *Radelchis in Principatu restituitur, .... qui nihilominus simplex erat, & charitate præcipuus, in tantum, ut dicere suis optimatibus solebat*: Quia si Mons, cui Virginis nomen est, argento purissimo fuisset, non sufficeret in tribus diebus, quia si quis ex vobis exinde tantum poposceret, statam partem tribuerem: *Et pro sua, ut diximus, simplicitate à Beneventanis terque, quaterque* (falsò; nam semel ad id tempus) *à prædicta Urbe fermè fuerat expulsus, & iterum ad dignitatem pristinam illum videlicet revocabant*. Et cap. CLVII. *Radelchis memoratus Princeps Beneventi acriter Beneventanos cruciabat, licet non per se, sed per subjectionem* (fort. suggestionem) *cujusdam Virialdi, qui illos sæpissimè convexabat: Idem Princeps, ut erat simplex, eum pleniter auscultabat &c.* Et cap. CLVIII. *Intempesta noctis vi portarum seras confringunt, Urbemque Beneventum cum magna virtute ingressi sunt, ceterique alii sui consanguinei sibi sociantur: Palatium ascendunt, & Radelchisum Principem comprehendunt, & Ecclesiam, quam Perexcellentissimus Princeps Arichis in honorem Dei Filii construxit, eamque Agiam Sophiam vocavit,*

*hoc*

Atenulphus ex Comitibus Capuanis genus ducens (1), Landulphi Gaſtaldi Theanenſis filius, ac *Calbenſis* ipſe, ideſt Calium Gaſtaldus, *miles ſtrenuus, & validus, ſed ambitioſus*, Capuanum Comitatum invaſerat ab Anno 887. HuncBeneventani plerique adeunt, initoque inter ſe conſilio, menſe Januarii Anni DCCCC. (uti ſtatuit Peregrinius in Chronologia Comitum poſtremorum Capuæ, rectiùs vero proſtridie Kalendas Novembris anni præcedentis 899. ut diſertè tradit Chronographus Cavenſis), Beneventum deducentes, nocte intempeſta, plurimis Civibus, vel neceſſitudine ſibi junctis, vel novarum rerum cupidis, ſibi adſociatis, Urbem ingreſſi, atque in Palatium inrumpentes, Radelchim podagrâ tunc laborantem comprehendunt, atque in S. Sophiæ Templum pertrahentes Principatu ſe abdicare compellunt, atque Atenulphum præſentem, præſtitis Sacramentis, Principem ſalutant (2).

Multis Beneventanorum Procerum, quibus erga Principes ſuos fides, ac Gentis, Patriæque honos cordi erat, factum diſplicuit. Non ipſa Atenulphi Mater, Poltrefridi Beneventani Proceris filia, probavit, quæ, quum rei geſtæ nuncium accepiſſet, ita exclamaſſe traditur: *Ubi ſunt illi ſublimiſſimi Beneventani? cœpit nominari Beneventanorum genealogiam* (ideſt illuſtres Proſapias Principatu dignas): *& quæ debuerat de filio* (Atenulpho) *alacriter permanere, mœſta fuit, & de ſuo ſtegmate condolebat, quia ad hoc venerant, ut ab extero dominarentur*: Ita Anonymus Salernitanus (3). Petrus quoque Beneventanus Epiſcopus, nobis ſuperiùs memoratus, cui Atenulphus, compoſitis recentis Principatus rebus, Capuam rediens, Urbem regendam commiſit, novi aliquid, eo abſente, molitus, vel potius aliorum machinationibus favens, Atenulphi indignationem, atque impotentiam ſubivit. Ex quibus ſatis noſcimus, quantum Beneventani Cives, Principatus ſibi ipſis, ſeù inter ſuos conſervandi ſtudioſiſſimi fuerint, quo & ſuam libertatem, & avitæ gloriæ ornamenta ſuſtinere poſſent: Paucis ante annis, quum Græcis Auguſtis, horumque Patritiis ſubeſſe cœpiſſent (ut alibi diximus) ſe tunc primùm *ſubditos* factos *fremebant, qui præeſſe ceteris gentibus ſoliti videbantur*; itaut excuſſo protinus Græcorum jugo ad Principes ſuos rediſſe ſategerint, Atenulphum autem, quamvis genere Longobardum, Capuæque Comitem,

*hoc eſt Sanctam Sapientiam, quia Dei Filius eſt Sapientia Patris, deducunt, quia podagrico dolore erat vehementer conſtrictus; & undique qui exiliati erant, Urbem adeunt, omneſque in unum conveniunt, & omnis Populus, necnon & Proceres unà omnes Atenulfum Principem ſublimarunt.* Habemus ex hujus Anonymi cap. CLII. ſuperiùs recitato factam Montis *Virginis* mentionem, qui Mons inter Beneventum, & Abellinum altiſſimo, atque abrupto vertice aſſurgit, Æde Sacra Beatiſſimæ Virgini à S. Guilielmo Congregationis Benedictinæ ab eodem Monte appellatæ fundatoris, Sæc. XII. ineunte ædificata, hodieque celeberrimus. Quod primùm Cybelis, dein Virgilii, Virginis tandem nomen Monti factum plerique arbitrantur ex peculiari Beatiſſimæ Virginis cultu ibidem inſtituto, quem magnoperè auxit inſignis antiquitate, & beneficiis ejuſdem Deiparæ Imago, quem Antiochia CPolim, hinc à Balduino II. Neapolim, indeque à Catharina de Valois anno 1310. in dicti Montis Eccleſiam delatam, ac locatam tradunt; de qua re vide Angelum Mancini ejuſdem Congregationis generalem olim Abbatem *in Not. ad Conſt.* I. §. 2., *& Conſt.* XIV. §. 2. At longè ante S. Guilielmi ævum, *Virginis* nomen Monti fuiſſe, præclarè oſtendit dictus Anonymi Salernitani locus, qui Anonymus circa Sæculi X. exitum ſcribebat, atque de eodem *Virginis* vocabulo à Radelchis ævo, ideſt an. 898. teſtimonium fert. Sed & vetuſtiora occurrunt ejuſdem nominis documenta, tum ex Charta anni 851. diviſi Principatus inter Radelchim I., & Siconulphum, in cujus num. X. memoratur *Serra Montis Virginis*, tum ex antiquiori Charta anni 774. Donationis Principis Arichis S. Sophiæ factæ, qui inter alia donat Gualdum in *Monte Virginis*. Majorem adhuc antiquitatem ei nomini tribuiſſe videtur Vincentius Ciarlanti in Hiſtoria Samnii lib. I. cap. X. pag. 25. *Gli Autori molto celebrano un' altro Monte del Sannio, e con ragione, mentre è quello, ch' è nomato* Monte Vergine, *di cui dice il Magini ſopra Tolomeo: Nel Sannio ſono tanto alti Monti, che ſuperano la ſommità dell' Appennino, fra quali uno è il* Monte della Vergine *per lo Tempo di S. Maria nominatiſſimo: E' ſtato ſempre queſto Monte famoſo fin dal tempo della Gentilità, e forſe al tempo degli antichi Sanniti, perchè dove ora è il Tempio della vera Madre del Figliuolo di Dio, era il Tempio dedicato alla falſa Madre delli Dei, ove era con frequente concorſo venerata, come dicono il Biondo, e l' Alberti; di cui fa anche menzione Antonino nell' Itinerario, deſcrivendo la via da Benevento alla Colonna.* At hoc verum erit, ſi Itinerarium Antonini de Monte *Cybelis* loquutum intelligas, non verò *Virginis*, ita enim habet in itinere ab Equo Tutico: *Ad Matrem Magnam* M. P. XVI. cujus Matris Magnæ nomine appellatam ab antiquis Cybelem paſſim legimus.

(1) Vide Chronica bina Comitum Capuæ apud Peregrinium T. III. pag. 211. & pag. 146., & illorum Stemma T. I. pag. 65. poſtremæ editionis Neapol.

(2) Anonymus Salernitanus d. cap. CLVIII. Chronicon etiam Cavenſe idem factum ſic breviter narrat ad an. 899. *Atenulfus Comes Capuæ cum aliquantis ſuis conſortibus Beneventi contra Principem Radelchiſi inſidias molitus eſt, ut illum detronizarent à ſua Sede Principali, & ipſum elevarent in ſuo loco, quod factum eſt in die poſt Kal. Novembris.*

(3) Anonymus Salern. d. cap. CLVIII. Nomen hujus nobiliſſimæ Beneventanæ Fœminæ ſilet Anonymus; at prodit Diploma ejuſdem Atenulphi filii, factum Monaſterio Theanenſi Sanctæ Mariæ, editum inter Opera Peregrinii T. I. pag. 231. quod legitur *datum* XV. *Kal. Octobris Anno* I. *Principatus Domini noſtri Atenulphi eximii Principis Ind.* III. ideſt An. CX. ubi ipſe Atenulphus confirmat *omnes offertiones, & præceptora, quæ in huic loco Sanctæ Mariæ conceſſa, atque firmata ſunt a bona memoria Landone Patruo noſtro, & ejus ucſore Aloara, nec non & à Landonulfo Genitore noſtro & Yſelberga Genetrice noſtra, & Agilpert, & Majelfrit, & Poto Comitibus nepotibus ſuis &c.*

tem, extraneum veluti, ac cui ſubditum tantummodo agere liceret, Principem habere dedignabantur. Atque Atenulphus quidem, ut Capuanum Comitatum ſibi confirmaret, Graimarii Principis Salernitani filiam Landulfo filio ſuo Conjugem aliàs flagitaverat, veterem ſubjectionem pollicitus, *ut eſſet illi ſubditus, ſicut Anteceſſores* Comites Capuani; ſed ea conditio in cauſſa potiùs fuit, ut ejuſmodi nuptiis indignus haberetur, obnitente potiſſimùm Yota uxore præfati Principis Graimarii, Guidonis II. Ducis Spoletini filia, cujus hæc fuere verba: *Ego ſum ex Regali ſtemmate orta, & cum ſubdito noſtro conſanguinitatem anneſtam* (1)? Mirum nunc magis, Longobardam vidiſſe Fœminam, quæ ejuſdem Atenulphi Mater in ſui filii Principatu, tantum abeſt, ut de privata ſuæ domus felicitate gauderet, ut potiùs publicam Beneventanorum ignominiam, ac probrum ingemiſceret: ut non illud mirum ſit, ſacrum Antiſtitem etiam vidiſſe, qui Atenulphi auſis concontraire, Patriæque libertatem vindicare conaretur.

Petrum hunc Beneventum Epiſcopum, ſummo loco Beneventi natum, commemoratum invenio in Diplomate Principis Radelchis anni 889., ubi is Princeps Monaſterio Vulturnenſi facultatem præbet ea bona vindicandi, quæ ob Saracenorum vaſtationem amiſerat: *Dum nos* (inquit) *Vir glorioſiſſimus Radelchis Dei providentia Longobardorum Gentis Princeps in Sacro Palatio noſtro Beneventi habitator conſediſſemus, ad utilitatem Reipublicæ exhibendam, nec non & nobiſcum pariter aſſiſtentibus Petrus Epiſcopus, Abbatibus, Optimatibus, Judicibus, & ceteris nobilibus Longobardis &c.* (2). Sed & ante ſecundum ipſius Radelchis Principatum Petrus Epiſcopatum adminiſtrabat; is enim fuit, cujus conſilio, atque opera Beneventani Græcos, jam propè quadriennium Beneventi dominantes, anno 896. Urbe expulerunt, Guidone Marchione ſuppetias ferente: Ac quum Guido Principatus adminiſtrationem ſuſcepiſſet, ipſum Petrum violatæ fidei falsò inſimulatum exilio multavit, ſed calumniâ detectâ, Beneventum ſummo honore, atque ingenti Civium lætitia revocatum, ita deinceps ſuſpexit, ut abſens Urbis regimen eidem committere non dubitarit: Profuit certè Beneventanis Epiſcopi ſui ſpectata virtus, ardenſque in conſervandam Patriæ libertatem ſtudium, atque in Principum ſuorum proſapiam fides; ea enim occaſione id egit Petrus, ut Guidone abſente, Ageltruda Auguſta (ut ſuperiùs dictum eſt) Principatum ſuſciperet, eique regendo Radelchim fratrem iterum reſtitueret.

Radelchi verò rurſus exturbato, Atenulphoque (uti diximus) rerum potito, novo diſcrimini Petri virtus obnoxia fuit. Sunt, qui Petrum apud Atenulphum affectati Principatus reum convictum tradunt, Anonymi Salernitani verba perperam interpretantes: Anonymus autem ſic habet: *Atenulphus, de quo prædiximus, Princeps, dum aliquo tempore Beneventum degeret, Capuam rediit; Beneventum Petro Epiſcopo, quem ſupra memoravimus, commendavit; ſed ut illam Præſul ille terram gerendam accepiſſet, Beneventani, licet non omnes, jusjurandum illius juraverunt, quatenus illorum præeſſet, & quamvis non haberet ex gente ſua laicam perſonam* (3). At nihil certum ex hiſce Anonymi verbis ſtatui poteſt, ut Petrus Prin-

(1) Idem Anonymus Salern. cap. CLVIII.

(2) Rem totam ex noſtro Anonymo Benevento audire æquum erit, ſic enim T. III. Opp. Peregrinii p. 298. num. V. ſcribit: *Paucis demum elabentibus diebus idem* (Guido) *Marchenſis, ſuaſus, imò impulſus à quibuſdam maliloquis, & invidis Viris, cepit eundem Præſulem, qui ei Beneventum præbuerat* (ideſt auctor fuit Civibus, ut Guido Urbem à Græcis validè cuſtoditam, ac munitam faciliori negotio ingrederetur, quod uti factum ſit, narrat Anonymus Salernitanus cap. CLII.) *extorremque eum Salernum fecit degere per quatuor menſes, de quo ingens moeſtitia erat Beneventi, quoniam quaſi viduatum ipſius videlicet ovile, dolebantque plurimum ejus oves, quia ipſe inſons damnatus fuiſſet, ſed maximè moeſtificabantur, quòd hoc de illo contigerat, quod de nullo Anteceſſorum Præſulum nullæ literæ, nulla ætas meminerat Beneventanum Pontificem captum, & Cathedram ejus taliter viduatam. Poſtea verò idem Marchio agnoſcens flammam invidentiæ adverſus eundem ardentem, & doloſo commento, ivit Salernum; & ſatisfaciens jam dicto Præſuli, etiamque lacrymas largiter fundens, poenituit ſe pro ſua temeritate, eundemque revexit Beneventum, honorificè ipſe ſuæ reſtituit Sedi; quod autem gaudium, quæ fuerint lacrymarum flumina præ gaudio, quis narrare valet, vel deſcribere? cum & Paſtor ovibus, & oves Paſtori reſtituerentur. Deinceps quoque idem Marchenſis miro illum ſemper coluit affectu, dignaque habuit veneratione, fidem ei per omnia adhibens indubitabilem; compererat enim veraciter, quantæ ſtabilitatis, & veritatis ille Vir fuerit erga eum.* Et num. VIII. *Beneventum interea regimine præfati Petri Pontificis gubernabatur, cui eam ipſe Marchio reliquerat, quum Argiva Phalanx* (ideſt Græci paullò ante expulſi) *ſeù latronum manus aſſiduè incurſabat, tamen propè Beneventi moenia minimè accedebant pro ſollicita cura ipſius Præſulis, qui undique plurimum inſiſtebat, ne probis ſuis Civibus damna inferrent: ideoque etiam curſim miſit, ut dicta Auguſta Beneventum adveniret.* Denique num. X. *Poſtea verò præfata Imperatrix, anno uno, & octo menſibus expletis, poſtquam Graii Benevento fuerant expulſi, in eadem ingreſſa eſt pridie Kal. Aprilis, & paullò poſt longè ſuperiùs nominatus Radelchis fratrem ſuum Beneventano Principatui reſtituit, qui ferè* XII. *annis ab eo fuerat expulſus.*

(3) Anonymus Salern. cap. CLIX., ex quo Ughellus hanc

Principatum ſuo nomine, ac jure arripuiſſe dicatur: quin Anonymus ipſe aſſerens, Petrum *non habuiſſe ex gente ſua laicam perſonam*, ideſt propinquis, ſeù conſanguineis caruiſſe, quibus Principatum ipſum deferre poſſet, id potiùs innuit, Petri animum ab ea re omninò alienum fuiſſe. Cives itaque, qui, non ipſo Petro inſtigante, ſed ſua ipſi ſponte *jusjurandum illius juraverunt, quatenus illorum præeſſet*, non eum quidem Principem ſibi conſtituerunt, ſed ejus regimini ſe commiſerunt, ſubdideruntque, donec ejus ope, conſilio, virtute Princeps Beneventanus ſufficeretur loco Atenulphi, qui, Radelchi legitimo Principe ejecto, paucorum, improborumque Civium factione in Principatum, per ſummum ſcelus, invaſerat. Ceterum quanti in hac re Anonymi Salernitani teſtimonium habendum ſit, melioris quidem fidei teſtis oſtendit Chronographus Cavenſis, à quo non ſolùm Petri extantes tunc Nepotes, ac Fratrueles habemus, verùm etiam injuſtam, quam Petrus paſſus eſt, ejectionis cauſam omninò diſcimus: ſic enim habet ad an. CMII.: *Petrus Epiſcopus Beneventanus propter inimicias aliquorum Civium à Principe Atenulpho à ſua Sede pulſus, in Salernum ſe confugiavit cum Nepotibus, & Fratruelibus ſuis, & benignè hic receptus eſt ab omnibus* (1). Quæ fuerint poſthac Petri fata, ignoramus: veri quidem ſimilius eſt, nunquam ab Atenulpho in Patriam redire ei permiſſum, quo præſente à Civibus, Epiſcopi ſui virtute, auctoritateque fretis, nova ſibi diſcrimina parari poſſe pertimeſceret.

Atenulphus igitur, ſublatis Adverſariis, ac Beneventanorum omnium animis timore compreſſis, novam adhuc firmandi ſibi validiùs Principatus, atque in Poſteros ſuos tutiùs tranſmittendi cauſam excogitavit. Atque is quidem probè norat, Radelchis Beneventani Principis familiæ id maximè ſiniſtrum, atque omninò exitiale accidiſſe, ut quotquot ex ea progeniti haberentur, temporariis, atque alternis veluti ſucceſſionibus invicem ſibi factis, dum alter alteri plerumque per inſidias Principatum ſurripere conaretur, aliis tandem invadendum reliquerint. Ac poſt Radelchim quidem Radelgarius primùm illius filius, mox Adelchis, ſive Adalgiſus alter filius, dein Gayderis Radelgarii filius, tum Ajo frater, exin Radelchis Adalgiſi filius, atque poſtea Urſus Ajonis filius, cui rurſus ſuffectus Radelchis, ſinguli Principatum deguſtaſſe potiùs, quàm tenuiſſe viſi ſunt, illumque, veluti prædam cuique domeſtico expoſitam, alter ab altero intercipere conſueverunt. Diverſam itaque ejus rei rationem tenere cœpit Atenulphus, quam Familiæ ſuæ ſervandam tradidit, ut ſcilicet quotquot eſſent Viri, nulla gradus, ætatiſque ratione habita, ii ſimul omnes ejuſdem Principatus conſortes conſtituerentur, illumque æquo imperii jure, paribuſque titulorum, atque inſignium honoribus adminiſtrarent; arbitratus certè, nullam invidiæ occaſionem iis relinqui, qui in communis Familiæ ſocietate, communis quoque Principatus conſortio fruerentur; Principatui verò, quem plures adminiſtrarent, novum veluti robur, atque recens adverſus novas res munimentum comparari.

Sed ejuſmodi œconomiam non omninò felix conſequutus fuit rerum ſucceſſus; perturbataque quoque ad nos pervenit poſtremorum horum Principum Chronologia; quum enim plures ſimul Principatu potirentur, ac perſæpè Pater cum Filio, & Nepote, Nepos cum Patre, Patruoque, Fratres, Patrueleſque ſimul Principes haberentur, iique omnes perpetuò Landulphi, Pandulphique nomine appellarentur, nec ſemel Parentes filiis ſuperſtites extiterint, plerumque id nobis paratur incommodum, ut in ſtatuendo ſingulorum Principum, quo cœperint, quove deſierint, anno, ac præterea in eruendis Diplomatum, per varios eorum Principatus annos ſignatorum, certis temporibus, moleſtiſſimus labor incumbat, quem plerumque ipſa nominum ambiguitas, atque æquivocatio fruſtrari conſuevit. Sed & Principatui ipſi non ſatis felix (ut dixi) illa fuit inſtitutio, ut pluribus ſimul ſubderetur Principibus, qui etſi ejuſdem eſſent Familiæ, atque æquo jure, communique auctoritate rerum ſummam adminiſtrarent, vetuſtæ tamen majeſtatis, dignitatiſque nonnihil amiſiſ-

hanc narrationem compoſuit T. VIII. pag. 69.: *Porro Petrus Epiſcopus, ut Patriæ libertatem vindicaret, cùm Atenulphus Civitate abeſſet, pleroſque Beneventanos induxit, ut ſibi ſervitutem, ac fidelitatem jurarent*: quæ totidem verbis deſcribit Sarnellius in Chronolog. pag. 52.; at uterque falſus, ut ſupra oſtendi.

(1) Chronicon Cavenſe Tom. IV. Opp. Peregrinii pag. 406. Convenit autem id Chronicon cum Anonymo Salernitano de Petri ſeceſſione in Urbem Salernum, honeſtiſſimoque hoſpitio ibidem recepto; ſic enim Anonymus narrationem ſuam claudit: *At illi, qui erant ex genere Poltefrit, unà cum conſanguineis ſuis Principi Atenulpho intimandum miſerunt, ut citius incunctanter Beneventum veniret, qui ſine mora audaci animo fretus illorum præſidiis Beneventum adiit, & ociùs Præſul jam dictum exindè expulit, & aliquantos ex Beneventanis apprehendit, & in carcerem retrudi juſſit. Ille verò Præſul, quamvis cum rubore, Salernum properavit, & aliquandiù ibidem moravit. Waimarius Princeps illum honorificè excepit, victum, dapeſque, & alia neceſſaria tribuit.*

amisisse videbatur, uti de Romano Imperio factum constat, cujus declinatio tum maximè innotuit, quum pluribus simul Augustis parere cœpisset. Adde illud, quod dum alii Principes Beneventi, alii Capuæ considere consueverint, Principatum ipsum quodammodo dissectum ostendebant, quem etiam, novis per ea tempora institutis plurimarum Urbium Comitatibus, non tam servare, quàm extenuare, imminuereque, ac veluti in frusta redigere videbantur.

Incerta adhuc res est, an quemadmodum Salernitanus olim, ita postea Principatus Capuanus post Atenulphi ævum, ex Beneventano reipsa discissus, suo jure, proprioque titulo substitisse dicendus sit. Si Atenulphum, ejusque successores audiemus, contrarium omninò erit affirmandum. Quotquot enim illorum Diplomata habemus (atque plurima passim tum in Chronicis Sophiano, & Vulturnensi legimus, tum etiam originalia plura manibus contrectamus) hunc profectò titulum præseferunt, quo ipsi neque Beneventi, neque Capuæ, sed veteri superiorum Principum exemplo, atque instituto, *Principes Gentis Longobardorum* inscripti leguntur. Fuit certè is mos Beneventanorum Principum, imo & antecessorum Ducum, ut *Summi Duces*, exindè *Principes Gentis Longobardorum* appellarentur: quare id factum sit, alibi observavimus: Verumtamen cur deinde tam *Capuani*, quàm *Salernitani*, *Beneventanique* Dynastæ ita appellari voluerint, etsi eorum nemo omnem obtineret Gentem Longobardorum, *Problema est* (inquit Cam. Peregrinius) *haud facilis resolutionis*, silentibus libris, nullaque firma opitulante conjectura (1); ac subdit, se *quandoque putasse id factum ventosa quadam æmulatione, ne alter dignitate minor altero videretur*: aut etiam *Capuanos, & Salernitanos Principes, qui ex Beneventano Principatu prodierunt, commonstrare voluisse specioso illo titulo eadem integra jura ad se pertinuisse*. Id de Salernitanis Principibus quandam veri speciem habere videtur; siquidem diviso inter Radelchim, & Siconulphum Beneventano Principatu, Siconulphus Principis olim Siconis filius, ac Principis item Sicardi frater, integra universi Principatus pro bono pacis cum Radelchi divisi jura retinere fortasse voluit ea appellatione, qua se non Salernitanum, sed *Longobardorum Gentis Principem* statim se inscribere cœpit in suis Diplomatibus (2): Quo verò modo id ipsum de Capuano Principatu à Peregrinio cogitari, scribique potuerit, non video, præsertim quum Peregrinius ipse, *quo definito tempore* Principatus Capuanus fuerit institutus, *nullibi se legisse* disertè fateatur: & sanè post arreptum ab Atenulpho Principatum Beneventanum, *haud facile se consentire posse* ait Peregrinius, exortum tunc Capuanum; nam certè ejus rei auctor fuisset Atenulphus ipse, qui tamen Beneventanum Principatum, *integrum, sicut acceperat, retinuit, filiisque transmisit Landulpho, atque Atenulpho II., à quibus nec ulla videtur subsequuta discissio*.

Res igitur eò deducenda est, ut quicunque in Longobardico Italico Regno summi essent Duces, aut Principes, Regum suorum, etiam postquam desierint, exemplum, ac prærogativam æmulati existimentur: Regibus autem Longobardicis id solemne fuit, ut posteaquam Italia potiti sunt, non Italiæ se Reges nuncupare voluerint, sed Gentis Longobardorum: Sic Rex Rotharis in Edicti sui Prologo se *septimumdecimum Regem Gentis Longobardorum* nuncupat, quamvis secundus ipse post Alboinum in Italia regnarit, sic deinceps Grimoaldus, Liutprandus, Rachis, Aistulphus in Prologis Legum, quas singuli Edicto Rotharis addiderunt, eundem titulum sibi servarunt: Scilicet id illorum Regum consilium, ac studium fuisse videtur, ut non à Regni Italici exordio, sed ab sua origine, tum suæ Gentis honorem, atque antiquitatem, tum regnandi auctoritatem servatam sibi vellent, cui ne derogatum videretur, aut aliqua induceretur oblivio, non locorum, seù Regionum, quarum recentem dominationem adepti essent, sed Gentilitium nomen retinendum sibi censuerunt: quod certè consilium, novum, ac singularem ei Genti honorem peperit; quandoquidem Carolus Magnus, aliique ex Carolo progeniti, qui, deletis Longobardicis Regibus, Italico Regno potiti sunt, & ipsi quoque *Reges Longobardorum* dici maluerunt; immo Italia ipsa magna ex parte *Longobardiæ* nomen acceperit. Quemadmodum igitur Reges ex propriæ Gentis nomine Regium sibi titulum assumebant, ita qui eidem Genti preærant, in Italia Cistiberina Beneventani Duces eandem nuncupationem usurparunt, nulla quidem Regum suo-

(1) Peregrinius in notis ad Anonymum Salernit. cap. CLVII. T. II. Opp. pag. 273.

(2) Extat in Chronico Vulturnensi T. I. P. II. Scriptor. Ital. pag. 392. Diploma Siconulphi Principis Salernitani, cujus hoc est exordium: *Domnus Vir gloriosissimus Sikenulfus Dei providentia Longobardorum Gentis Princeps. Anno Regni nostri, Deo propitio, decimo*: in qua Charta Siconulphus commutat multas res cum Monasterio Vulturnensi, cui *quinque millia Beneventanorum solidos*, si commutationi factæ contraierit, *compositionem*, seu pœnæ nomine persolutionem promittit.

ſuorum injuriâ, à quibus ipſo Ducis titulo inferiores, ſubditique diſcernebantur: Accepto verò, poſt extinctos in Tranſtiberina Italia Reges, Principum titulo, Principatuſque juribus, atque inſignibus ad extremam uſque ætatem potiori jure eam ſibi nuncupationem ſervarunt, qua Longobardici Regni olim in Italia vigentis auctoritatem, ac quandam veluti ſucceſſionem ſuſtinere nitebantur, aut certè videri volebant.

Ex his itaque non illud definire tutum erit, indiviſum ſcilicet, poſtquam ad Capuanos Comites tranſlatum fuit, Beneventanum Principatum manſiſſe, propterea quod in hac nova Principum proſapia idem, qui olim, titulus ſervatus ſit. Sed maletutum quoque fuerit Principatus diviſionem ex iis Scriptoribus argumentari, qui poſt Sæculum IX. Principum Capuanorum ſpeciatim meminerunt. In Diplomate Johannis PP. XIII., quo Beneventana Sedes Archiepiſcopalis inſtituta fuit, mentio eſt Pandulphi *Principis Beneventanæ, & Capuanæ Urbium*; de quo Diplomate uberrimè egimus in Differt. V. cap. III., ubi pleraque in eam rem, quam modò agimus, in anteceſſum obſervavimus. Apud Chronographos, Sophianum, Cavenſem, Caſinenſem, atque apud Leonem Oſtienſem paſſim eos invenias, qui peculiari *Principum Capuæ* nomine, ſive titulo appellantur, ut ab iis, qui *Beneventi* eſſent Principes, diſcretos tunc, atque omninò diſtinctos intelligas: Ipſe quoque Deſiderius Abbas Caſinenſis, qui & Victor poſtea Papa III. fuit, ex Beneventanorum Principum Familia genus ducens, Pandulphum *Capuanum Principem, Virum potentiſſimum, & ditiſſimum* diſertè commemorat, non ita certè appellaturus, niſi, quod ſibi exploratiſſimum eſſe debebat, Capuanus Principatus ſeorſim à Beneventano per eam ſaltem ætatem conſtitutus, ac ſeparatus haberetur (1). Adde demum Imp. Ottonis II. factum; qui è prælio cum Græcis in Calabria infeliciter geſto, an. 972. *Capuam* (uti Oſtienſis narrat) *reverſus firmavit Principatum relictæ Pandulphi Principis Aloaræ, & Filio ejus Landenulpho* (2); quæ res nihil commune cum Beneventano Principatu habuiſſe videtur. At ex hiſce Scriptorum teſtimoniis nihil certi efficitur, ut Principatum Capuanum à Beneventano diverſum judicemus, dum (niſi ſerâ ætate, ideſt, ex memorato paullò ante Ottonis facto, conjecturam præbente, id admittere quis velit) nullibi conſtat de Capuani Principatus inſtitutione, quam diligentiſſimo Peregrinio prorſus incompertam, nullimodè ſiluiſſent Anonymus Salernitanus, reliquique Synchroni, ſuppareſve noſtrates Scriptores, ac Chronographi, qui minutiora quæque literis ſuis commendare ſategerunt.

Rem itaque ita ſtatuendam arbitror. Ante Atenulphum Comitatus Capuanus jamdiù inſignis evaſerat, tum Territorii amplitudine, tum Comitum ipſorum præſtantiâ, qui non modò hæreditarium ſibi effecerunt, verùm etiam à Principum ſuorum auctoritate quodammodo exemptum. Atenulphus, qui ad Principatum Beneventanum conſcendit, antiquum Comitis abjecit titulum, ſed Comitatum ipſum ſervavit, velut Principatus ſui illuſtrem portionem, quam cum reliquis ejuſdem Principatus Regionibus, eodem, quo deceſſores Beneventani Principes, titulo, atque jure regere cœpit, regendumque filiis ſuis Landulpho, & Atenulpho II. reliquit: quo exemplo, ſivè inſtituto quotquot ex ejus Proſapia viri deinceps prodierunt, in ejuſdem Principatus ſucceſſionem, ſocietatemque admitti conſueverunt. Omnibus itaque una, eademque Principatus Sedes Beneventum, ſed non omnibus perpetuò Beneventi reſidendi voluntas fuit: Capuam plerique habitandam ſibi delegerunt: Quare factum, ut qui Beneventani Principes eſſent, ex diuturno Capuanæ Urbis incolatu, ſenſim, paullatimque apud vulgum Capuani Principes vocitari cœperunt: quam vulgi appellationem antiqua Comitatus Capuani celebritas, atque à Beneventano Principatu diſtinctio confirmare videbatur: Sed & ipſi Scriptores ſequi maluerunt, ne, ſi à vulgari appellatione recederent, reſque omnes ad unos Beneventanos Principes (quorum alii Beneventi, alii Capuæ conſidebant) referrent, narrationibus ſuis obſcuritatem inducerent.

Ita quidem rem ipſam fuiſſe luculenter oſtendit antiquum *Chronicon Ducum, & Principum Beneventi*, quod circa Sæculi XI. finem perdiligenter contextum fuit ab Anonymo Monacho Monaſterii S. Sophiæ, ubi poſt Beneventanorum Ducum, ac ſubindè Principum Catalogum, qui à primo Zottone ad Radelchim II. extiterunt, ſequitur poſtrema Principum Stirps, qui ab Atenulpho I. progeniti ad poſtremum uſque Principem Landulphum VI, diſtinctis ſingulorum Principum ſimul regnantium annis, Conſanguinitatiſque gradibus, ſivè (ut ipſe loquitur Chronographus) *per generationes ſuas* Principatum adminiſtrarunt: Atque hos quidem Atenulphi I. Suc-



(1) Deſiderius Caſinenſ., ſive Victor PP. III. in Dialog. lib. I.

(2) Leo Oſtienſ. Chron. Caſin. Lib. II. cap. IX.

Succeſſores, quos modò *Beneventanos*, modò verò *Capuanos* Principes appellatos à plerifque Scriptoribus ſuperiùs obſervavimus, eoſdem omnes, nulla prorſus Capuæ facta mentione, ſolius Beneventi Principes, quales reverà fuiſſe probè norat, appellavit Chronographus, qui poſt explicatam illorum ſeriem id ſtatim ſubdit: *Principati ſunt in Benevento* CLXXVII. *annis à primo Atenulpho uſque ad noviſſimum ſextum Landulphum*.

Edidit primus omnium iſtud Chronicon Camillus Peregrinius (1), ex Bibliotheca Vaticana deſcriptum diligenti operâ docti Monachi, atque Abbatis Caſinenſis Conſtantini Cajetani ex eodem ipſo Codice, undè alterius æquè Monachi, Abbatiſque Caſinenſis, Viri Clariſſimi, Eruditiſſimique Petri Aloyſii Galletti curâ rursùs deſcriptum nuperrimè recudit Illmus Borgia, qui principem locum ei documento faciens in Appendice Tomi I. *Memorie Iſtoriche di Benevento &c.* Lectorem præmonet id poſterius exemplar exactiſſimè ex eodem Codice Vaticano exceptum *con tanta accuratezza, che toltane la forma del Carattere Longobardico, in cui è ſcritto quel Codice, la noſtra copia, ſiccome niente dall' originale differiſce, così molto di vario vi oſſerverà il Lettore, ſe vorrà farne il confronto con quella del Pellegrini, del Muratori, e del Pratillo*. Jam verò de ea re peſſimè audierant Peregrinius, Muratorius, Pratillus apud eundem eruditum Præſulem, qui paullò antea ſic præfatur: *Queſta Cronologia fu già pubblicata dal dotto compilatore delle Coſe Longobardiche Camillo Pellegrini, e poſcia inſerita dal celebre Ludovico Ant. Muratori nella grande raccolta delli Scrittori* Rerum Italicarum, *ed ultimamente riſtampata dall' erudito Franceſco Maria Pratilli nella nuova edizione della Storia del Pellegrini: Ma ſiccome il Pellegrini non diede queſto aſſai preggevole documento ſenza errori, e confuſioni, così il Muratori, ed il Pratilli, che dopo di eſſo lo hanno pubblicato, non ſi ſono preſi il minimo penſiero in riſtampandolo di darlo corretto, ed emendarlo dai primi errori*. Quum itaque (quod volenti Lectori permittebatur, mihi verò id facere opus fuit) comparationem inſtituerim inter duo ipſa exemplaria, quæ egregium par Caſinatum Monachorum diverſo tempore ex eodem Codice Vaticano deſcripſere, atque alterum Peregrinius olim, alterum nunc laudatus Præſul pervulgarunt, nihil cauſſæ profectò nactus ſum, cur tam acriter Peregrinius *de erroribus, ac confuſionibus* redargueretur, niſi unam fortaſſe illam, qua vetuſtis ejuſmodi mercibus novitatis pretium feciſſe, videri volumus. Habebit Lector heic expoſitum, fidiſſimèque deſcriptum utrumque exemplar, nam ejus, quod noviſſimè editum fuit, meritum illud erit, quòd rudem Codicis orthographiam amuſſim ſervet. Mihi verò commodiùs viſum fuit Peregrinii exemplar potiſſimùm ſequi, quod omninò conſonum, id etiam commodi affert, ut explicatiùs legatur, atque *Generationes* illas ab Atenulpho exortas, quas Chronographus continenti ſermone, ac *confuſim* ſubtexit, in totidem paragraphos, numeroſque diſtinguat, ac veluti ob oculos ponat, notiſque demum ejuſdem Peregrinii (quibus & meas addidi obſervationes) luculentiores efficiat.

I. *Domnus Atenulfus ex Capuano Gaſtaldato jam Comes cum filio Landulfo, & ceteri deinceps per generationes ſuas per numerum Principes* XIII. *Principatum tenuerunt An.* CLXXVII. *Atenulfus regnavit An.* II., *& cum Landulfo filio ſuo regnavit An.* X. *Menſ.* VI., *& facti omnes anni regni iſtius Atenulfi* XI., *& Menſ.* VI. (2).

II. *Poſt hac iſte Landolfus cum Atenolfo fratre ſuo, & cum Atenolfo, & Landolfo filiis ſuis regnaverunt An.* XXVI. (3).

III. *Et poſtea iſte Landolfus junior regnavit An.* IV., *& cum Paldulfo filio ſuo regnavit An.* XX., *& mortuus eſt*.

IV. *Et*

(1) Extat id Chronicon in nupera editione Opp. Peregrinii à Pratillo curata T. V. pag. 19. Ediderat antea Muratorius *Scriptor. Ital.* T. II. P. I. pag. 320 Sed & Peregrinii ignarus protulerat quoque Ughellus cum reliquo Chronico, ſive Tabulario Chartarum Monaſterii S. Sophiæ, in eodem Codice Vaticano contento, adnexuitque Tomo VIII., nunc X. Italiæ Sacræ. Sed quæ in Peregrinium Clariſſimus Borgia notavit, in Ughellum potiùs convertere debebat, qui idem Chronicon non ſolùm erroribus, ac confuſionibus, ſed fœdiſſimis mendis undequaque conſperſum edidit.

(2) Ita legitur in utroque exemplari. At ſi Atenulfus regnavit An. II., & cum Landulfo filio ſuo An. X., & Menſ. VI., non anni XI., ſed XII. ejus Regni, ſive Principatus fuere.

(3) Peregrinius. *Numerus iſte annorum* XXVI. *nulla ſtare poteſt ratione: nec hi Principes annos habuere omnes pares, & communes. Locus igitur eſt vel mancus, vel corruptus, certè implexus*. Non eſſe mancum, vel corruptum oſtendit alterum exemplar totidem verbis conſcriptum; ſed nec implexus videri debet, ſi eoſdem annos non ſingulis Principibus, ſed univerſæ ipſorum *generationi* tribuamus, in qua Principes fuere ſimul Landulfus, & Atenulfus fratres, Atenulfus, & Landulfus Landulfi filii, qui omnes vario licet tempore annos XXVI. impleverunt, ſuperſtite tantùm Landulfo juniore tertiæ *generationis* Capite.

IV. *Et post obitum Landolfi Patris sui regnavit iste Paldolfus cum Landolfo fratre suo An.* VII. *Mens.* VI., *& post mortem fratris sui regnavit cum Landolfo filio suo An.* XII. *Mens.* VI., *& mortuus est idem Paldolfus de mense Martio, & facti sunt omnes anni Principatus ejus* XXXVI., *& Mens.* VI.

V. *Et postea iste Landulfus IV. post mortem Landulfi fratris sui regnavit Mens.* VI., *& med., & fuit ejectus de Benevento, & facti sunt omnes anni Principatus* XII. *Mens.* IX.

VI. *Et Paldolfus nep.... Domini Paldolfi majoris electus est Princeps à Beneventanis, & regnavit An.* V. *Mens.* VIII., *& fecit Principem Landolfum filium suum, & regnavit cum eo An.* XXII. *Mens.* II., *& fecit Principem Paldolfum nepotem suum filium Domini Landolfi, & regnaverunt toti tres anni* XXXIII., *& ejus est* (1) *de Benevento, & mortuus est de Mense Augusti, & facti sunt omnes anni regni Domini Paldolfi* XXXVIII. *Mens.* VIII.

VII. *Et post mortem Domini Paldolfi regnavit Landulfus filius ejus cum Paldolfo filio suo An.* XIX. *Mens.* V., *& mortuus est idem Landolfus mense Septembri, sunt autem anni Principatus ejus* XL. *&* VI. *Mens.*

VIII. *Et quarto anno post mortem Patris sui fecit Principem Landolfum filium suum mense Augusti, regnavit cum eo usque dum venit Dominus Papa Leo in Beneventum Ann.* XIII. *mense Augusti Indict.* IV. *Anno Domini* MLI. *& exiliati sunt.*

IX. *Postmodum autem reversi sunt in Beneventum, & regnavit Dominus Paldolfus An.* XLVIII., *& factus est Monachus in hoc Monasterio S. Sophiæ mense Martii in festivitate S. Benedicti, & vixit An.* XLIII. (2).

X. *Landulfus autem filius ejus regnavit annis* XXXIX. *Mens.* III. *d.... mense Novembris obiit Indictione* I. *An. Domini* MLXXVII. (3).

XI. *Paldolfus* (4) *filius ejus vivente Patre suo, & Abio electus est Princeps mense Augusti Indict.* IX. *Ann. Domini* MLVI. *Regnavit cum Abio suo An.* III. *Mens.* VII., *& post mortem Abii regnavit cum Genitore suo An.* XVII. *Mens.* V. *dies* VII., *occisus est autem à Normannis ad Montem Sarchum* VII. *intrante mense Februario Anno Domini* MLXXII. *Indict.* XII. (5).

XII. *Post cujus obitum supervixit, & regnavit Genitor ejus solus An.* III. *Mens.* XI., *qui fiunt simul Anni* XXXIX. *Mens.* IV. *Horum Principum temporibus venit Gregorius Papa in Beneventum An. Domini* MLXXIII. II. *die intrante mense Augusti, primo anno Pontificatus sui, Indict.* XI. *die S. V.* (6) *suæ Consecrationis* II. *Kal. Julii, die Dominico, Principatus Domini Landolfi*

ALTER Ppp 2

(1) Peregrinius. *Compendiarium esse hoc verbum* ejus *ex integro* ejectus, *intellectu difficile non est.*

(2) Peregrinius. *Scribo* XLVIII. *nam secus minus vixisset, quàm regnasset.* Pratilius ad hanc Peregrinii notam hæc addit: *Fort. melius* LXIII., *nam secus minus vixisset, quàm regnasset.* Illmus Borgia in sua editione, quam inferiùs exhibebimus, hæc ad hunc locum notat: *Non è esatto il computo degli anni, mentre dicendo di sopra, che Pandolfo III. regnò* XLVIII., *e scrivendo poi che ne visse* XLIII. *avrebbe più regnato, che vissuto. Nell' uno, e nell' altro computo vi è errore.* Ita quidem; atque hunc errorem à me emendatum invenies in Differt. II. pag. 102. not. 2. quo loco de Monasterio S.Sophiæ, atque ejusdem Monacho Pandulfo Principe prolixè differui.

(3) Verè hoc anno MLXXVII. (nam heic anticipatione usus est noster Chronographus) obiit iste Landulfus, Pandolfo filio suo superstes, & Beneventanorum Principum postremus, uti ipsemet Chronographus in sequentibus ostendit.

(4) Peregrinius. *Exemplar ad me missum habet Adolfus depravatè.* Sed & *Adolfus* legitur in exemplari recenti manu Clarissimi Galletti descripto, & à Clarissimo Borgia edito; ut videas quàm exactè olim alter Monachus Casinensis Cajetanus autographi Codicis fidem, ac scriptionem servarit.

(5) Peregrinius. *Restituo* MLXXIV. *quo anno erat Indictio* XII., *nam vivebat mense Augusti Indict.* XI., *quod heic adfirmatur num.* XII. Sed & eundem annum refert recens exemplar.

(6) Recens exemplar pro *die S. V.*, ut heic, habet *dies verò.* At utrobique mendum adesse videtur, ex corrupto fortasse originalis Codicis loco: ibi enim dies inscribi debuerunt XXXV. quot effluxerunt à dicta die II. (potius III. Kal. Julii) qua Gregorius fuit consecratus, ad dictam *diem* II. *intrantis mensis Augusti*, quo Beneventum advenit. Constat autem Gregorium VII. x. Kal. Maji anni MLXXVIII. electum, *infra octavam Pentecostes fuisse in Presbyterum ordinatum, & in Natali Apostolorum* (idest 29. Junii) *in Romanum Pontificem consecratum*; ex Cardinale de Aragonia in ejus Vita T. III. Scriptor. Ital. pag. 304. Habes à nostro Chronographo memoratos dies *intrantes* mensis Februarii num. XI., & mensis Augusti num. XII. Notissimus mediæ Ætatis præsertim post annum M. fuit mos, menses singulos in duas partes dividere, quarum prior à primo die, posterior à decimosexto initium ducebat, atque illa *intrans*, hæc *exiens* dicebatur; hoc tamen discrimine, ut *intrans* cum iisdem progredientibus diebus, *exiens* verò sumpto ab ultimo die ejusdem mensis initio, retrogrado ordine numerabatur. Id fortasse ea de causa invectum fuit, ut temporum ruditati consuleretur, quibus difficiliùs videbatur mensem veteri Romanorum more dividere in Nonas, Idus, Kalendasque, atque post Idus, abjecta currentis mensis mentione, reliquos illius dies à Kalendis succedentis mensis numerare: Heinc partem *exeuntem* non à futuris Kalendis, sed ab ultimo ejusdem currentis mensis die, eodem tamen retrogrado ordine numerari placuit. Sed præter *intrantem*, atque *exeuntem* dicebatur etiam Mensis *stans*, *instans*, *astans*, qui tamen non alius, quàm idemmet *exiens* fuisse videtur Cangio, nostri Chronographi Falconis

*dolfi An.* XXXVI., *& Domini Paldolfi filii ejus* XVII. *Poſt cujus adventum ſupervixit idem Paldolfus Princeps Menſ.* VI., *& d.* VI.

XIII. *Poſt ejus obitum vixit Pater ejus An.* III. *Menſ.* XI.

XIV. *Quo moriente menſe Novembri* V. *Kal. Decembris, ſtatim Robertus Dux obſedit Beneventum* XIV. *Kal. Januarii, uſque* VI. *Idus Aprilis, unde expulſus eſt cum omnibus ſuis Indict.* I. *Obiit idem Dux trans mare menſe Julii* VIII. *Indict.* (1).

XV. *Poſt*

conis locum in eam rem afferenti, & Baronium, qui eo uſus fuerat, emendanti: *Apud Falconem Beneventanum* (inquit Cangius in Gloſſario) *Anacletus Pſeudopontifex dicitur obiiſſe anno* 1138. *ſeptimo die ſtante Menſis Januarii, hoc eſt* 25. *ex quo error deprehenditur Baronii, qui perperam hæc verba ad ſeptimum Januarii retulit, ut cùm ſcripſit Innocentium II. Papam à Rogerio Rege captum anno* 1140. *die* 10. *Menſis Julii, cùm Falco, à quo exſcripſit, tradat captum decimo die ſtante Menſis Julii, hoc eſt* 22. *Julii*. Sed multò ante Cangium Baronii errorem deprehenderat Peregrinius in notis ad poſteriorem Falconis locum; Falco ait: *Decimo autem die ſtante Menſis Julii Pontifex ipſe Innocentius captus eſt &c.* ad quæ ſic Peregrinius Tom. IV. pag. 304. *Baronius non habet τὸ* ſtante, *ſed abſolutè legit*, decimo die Menſis Julii, ac proindè id contigiſſe cenſuit 6. Id. Julii: ſed certè Innocentius captus à Rogerio fuit 11. Kal. Auguſti, decem tantùm diebus Julii reſtantibus; nam *quarto die* (inquit Anonymus Caſinenſis) *pace facta confirmavit illi totam terram*: die nimirum 24. prædicti menſis, à quo noſter (ideſt Falco) die tantum diſcrepat: *Die vero illa*, ait, *in qua prædictus Apoſtolicus pacem cum Rege firmavit, B. Jacobi feſtivitas celebratur* . . . Præterea eumdem Rogerium *die ſeptimo ſtante Menſis Maji Salernum transfretaſſe*, ſuperiùs idem Falco ait, à quo ſimul loco Baronius expunxit *τὸ ſtante*. Addit ibidem Peregrinius, non modò in duas, verùm etiam in tres partes unumquemque Menſem fuiſſe diſtinctum, ut ſcilicet alii dies *intranti*, alii *medianti*, alii *exeunti*, ſeù *ſtanti* tribuerentur. Quot dies *intranti*, quotquot *exeunti* menſi cuilibet aſſignandi eſſent, docere videtur *Scriptum*, quod ex veteri Codice MS. S. Emmeramni apud Ratisbonam inter ſua Vetera Analecta intulit Cl. Mabillonius pag. 369. edit. Pariſ. 1723. ubi ſic legitur:

*Menſe Januario intrante dies duo, & exeunte dies ſeptem.*
*Menſe Februario intrante dies novem, & exeunte dies quinque.*
*Martio intrante dies tres, & exeunte dies octo.*
*Menſe Aprili intrante dies decem, & exeunte dies octo.*
*Menſe Majo intrante dies ſex, & exeunte dies octo.*
*Junio intrante dies novem, & exeunte dies decem.*
*Julio intrante dies quatuor, & exeunte dies decem.*
*Auguſto intrante dies ſex, & exeunte dies duodecim.*
*Septembri intrante dies tres, & exeunte dies ſeptem.*
*Octobri intrante dies novem, & exeunte dies undecim.*
*Novembri intrante dies octo, & exeunte dies duo.*
*Decembri intrante dies duodecim, & exeunte dies tredecim.*

Ex quo *Scripto* idem Mabillonius obſervat, *ſi non ubique, ſaltem quibuſdam in locis Menſes non fuiſſe diviſos in duas tantùm partes, itaut primi decem* (potiùs quindecim) *dies Menſi intranti, Menſi verò exeunti reliqui dies aſſignarentur, ſed dies ſolùm aliquot pauciores Menſi tum intranti, tum exeunti fuiſſe aſſignatos*. Supererant itaque inter partem intrantem, & exeuntem medii aliquot dies, quibus alia pars Menſis conſtituebatur, quæ Menſis *mediantis* appellationem accepiſſe videtur. Quæ quum ita ſint, jam quæ ad faciliorem, expeditioremque numerandi modum invecta fuit, difficilior ex multiplici diviſione evaſit paulatim dierum cujuſque Menſis numeratio; quæ & recentiores Scriptores in errorem plerumque induxit. Satiùs igitur, atque omninò commodiùs nobis fuerit infimæ ætatis morem ſequi, ut dies cujuſque Menſis progredientibus numeris à primo ad poſtremum numeremus; ac non ſolùm mediæ ætati, ſed & ipſis cultioribus Romanis priſcis ſuos ſatis implexos numerandi modos relinquamus.

(1) De numerandorum cujuſque Menſis dierum ratione, quæ per mediam ætatem obtinebat, plura ſcitu digna in ſuperiori nota obſervavimus; libet nunc aliqua etiam de Indictionibus dicere, quas Chronographus noſter pro ſueta temporum nota paſſim uſurpat. Indictiones igitur non ante Conſtantini ævum, qui & auctor fuit, in Chronologiæ uſum invectas, atque à primo Menſis Septembris die etiam ante Juſtiniani Imperium inchoatas, quindecimque annorum elapſo ſpatio ad novam numerationem recurrentes facile diſcas à Card. Noriſio in *De Epoch. Syromaced. Diſſertat.* III. *pag.* 171., *& pag.* 180. *edit. Florent.*, à quo & illud rectè animadverſum eſt, ſæpè perperam à librariis, ſive notariis fuiſſe ſignatas. Præcipua hæc deſignandorum temporum per mediam ætatem ratio fuit, quando nondum Anni Æræ Chriſtianæ numerari cœperunt, cœptique cum decurrente tum Indictione adhuc conjungebantur: Diverſus tamen ſcribendarum Indictionum fuit modus; nam alii *auferendi* caſu, ideſt *Indict.* I. V. X. *&c.*, quod probè, ac paſſim ſcriptum invenies; alii *generandi* caſu, ideſt *Indictionis* I. V. X. *&c.* abſolutè, uti noſtri Chronographi Falconis conſuetudo eſt; alii demum *accuſandi* caſu, vel etiam *auferendi* cum præpoſitione *Per* ſcribebant, ideſt *Per Indictionem* I. V. X. *&c.* Cl. Ab. Joh. Chryſ. Trombelli in egregio Libello, quo *Artem* tradit *veterum Codicum ætatem cognoſcendi* Bononiæ 1756., Lapidis lateritii exemplar profert, ad Archetypi formàm, conſecrationis Eccleſiæ S. Blaſii ab Hildefredo Epiſcopo Bononienſi Anno MXLV. factæ, ubi Indictio ſignata habetur ſic:

P̱ IND. XIII. quam ſingulariam literam P. tranſverſam lineolam in inferiore haſta habentem, interpretatur, ut *fortaſsè* ſit POST. Singulare profectò id fuiſſet exemplum Indictionem ſcribendi; ſed non ſolùm nulla adeſt cauſa, ut ſic ſcriberetur, quum nullus annus Indictionis vacuus unquam fuerit, uti de Conſulatibus aliquando evenit, quorum annos per *Poſtconſulatus* notari oportebat; verùm etiam ipſa ſuperiùs memorata conſuetudo ſcribendi Indictiones cum præpoſitione *Per*, omninò vetat, ut illud P. in lapide expreſſum in POST convertatur: & ſanè ipſo illo Anno MXLV. Indictio XIII. decurrebat, ut propterea non POST, ſed PER *Indictionem* ibidem ſcriptum ſtatui debeat. Chartæ quamplures in Parte II. noſtri Chronici Sophiani apud Ughellum conſtanter, atque explicatè in fine habent *Per Indictionem*. Charta Chronici Vulturnenſis T. I. P. II. Scriptor. Ital. pag. 363. habet in fine: *Menſe Martio Per Indictionem prima*. Et alter ſequens: *Menſe Martio Per Indictionem ſecunda*: itaut illud *Per*, currentem Indictionem omninò ſignificaret. Inſignis autem is Lapis reputari debet, ubi poſt Inſcriptionem Pectines, & alia inſtrumenta, quibus S. Blaſius excruciatus fuit, effigiata habentur; quod obiter mihi fuit animadvertendum.

XV. *Post cujus Principis obitum recta est Civitas per Romanam Ecclesiam* (1).
XVI. *Principati sunt in Benevento* CLXXVII. *An. à primo Atenulfo usque ad novissimum VI. Landolfum*.

Percommodum profectò fuit, non solùm hanc integram Chronici Sophiani partem suis verbis loquentem, verùm etiam numeris distinctam exhibuisse, ut uno velut obtutu singulos Principes perspicuos haberemus, qui ex Atenulphi prosapia Beneventanum Principatum ad annos CLXXVII. postremo loco tenuerunt. Sed illud quoque ex eodem Chronico certò discimus, quo præsertim anno Beneventanus Principatus in Romanæ Ecclesiæ ditionem, ac dominium cesserit. Quibus autem juribus, ac quemadmodum id denique factum sit, res est, quam impræsentiarum pro sui dignitate, institutique operis ratione, accuratiùs explicemus.

CPolitanorum Augustorum, qui ob nefariam Iconomachorum hæresim ab orthodoxa religione pertinacissimè defecerant, excusso jugo, ad Romanos Pontifices Italia se convertit. Atque Italia quidem, qua parte Græcis adhuc pareret, ad Romanæ potiùs Ecclesiæ tutelam, dominiumque, quàm ad Longobardos reliquam sui partem dominantes, confugiendum sibi duxit; At Rex Longobardorum Aistulphus, exarchatu Ravennate occupato, mox Urbes illas ad Romanum Ducatum pertinentes, quæ cum aliis plerisque locis Pontifici se subdiderant, invadere molitus, occasionem Stephano III. fecit, opem à Francis adversus utrosque hostes, Græcos scilicet, ac Longobardos, petendi. Pippinus, apud quem Francici Regni administratio erat, non solùm celeres suppetias, verùm etiam, quod populorùm consensu gestum videbatur, id totum, quod jure belli sive à Græcis, sive à Longobardis ablatum foret, præsenti amplissima donatione in Romanorum Pontificum dominium, ac supremum principatum transferendum voluit (2). Sed paullò post, qui Aistulpho successit, Rex Desiderius

(1) Recens exemplar habet: *post cujus Principatus obitus*: in quibus verbis manifestum deprehenditur mendum, quod utrum in ipso Codice sit, vel ex Amanuensis, vel Typographi negligentia, non satis constat. Sed accipe jam ipsum exemplar recenter descriptum, atque editum:

*Radelchis junior iterum sed. an.* II. *m.* VI. *deinde Atenolfus ex Capuano Gastaldato jam Comes cum filio Landulfo, & ceteri deinceps per generationes suas per numerum Principes* XIII. *Principatum autem tenuerunt an.* CLXXVII. *Atenolfus regnavit ann.* II. *& cum Landulfo filio suo regnavit ann.* X. *m.* VI. *& facti sunt omnes an. regni istius Atenolfi* XI. *& m.* VI. *Postea iste Landulfus cum Atenolfo fratre suo, & cum Atenolfo, & Landulfo filiis suis regnaverunt an.* XXVI. *& postea iste Landulfus ..... regnavit an.* IV., *& cum Paldolfo filio suo reg. an.* XX. *& mortuus est. Et post obitum Landolfi patris sui regnavit iste Paldolfus cum Landolfo fratre suo an.* VII. *m.* VI. *& post mortem fri sui reg. cum Landolfo filio suo an.* XII. *m.* VI. *& mortuus est idem Paldolfus de mense Martio, & facti sunt omnes anni principatus ejus* XXXVI. *& m.* VI. *Et postea iste Landulfus quartus post mortem Pandulfi patris sui reg. m.* VI. *& med. & fuit ejectus de ben. & facti sunt omnes anni principatus* XII. *m.* VIIII. *Et Paldolfus nepotem domni Paldolfi majoris electus est princeps à ben. & reg. an.* V. *m.* VIII. *& fecit principem Landolfum filium suum, & reg. cum eo ann.* XXII. *m.* II. *& fecit principem Paldolfum nepotem suum filium domni Landolfi, & regnaverunt tuti* III. *ann.* XXXIII. *& ejectus est de Benevento, & mortuus est de mense Aug. & facti sunt omnes anni regni domni Paldolfi* XXXVIII. *mses* VIII. *& post mortem domni Paldolfi reg. Landulfus filius ejus cum Paldolfo filio suo an.* XVIIII. *m.* V. *& mortuus est eodem Landolfus mse Sep. Sunt autem an. principatus ejus* XL. *&* VI. *menses &* IIII.° *an. post mortem patris sui fecit principem Landolfum filium suum m. Aug. reg. cum eo usque dum venit domnus PP. Leo in ben. an.* XIII. *mse Aug. indictione* IIII. *an. dni mill.* LI. *& exsiliati sunt. Postmodum autem reversi sunt in Beneventum, & regnav. domnus Paldolfus an.* XLVIII. *& factus est monachus in hoc monasterio sancte Sophie me nso Martio in festivitate sancti Benedicti, & vixit an.* XLIII. *Landulfus autem filius ejus reg. an.* XXXVIIII. *m.* III. *de mse Novembri obiit indic.* I. *an. dni mill.* LXXVII. *Aldolfus filius ejus vivente patre suo, & abio electus est princeps mense Aug. indic.* VIIII. *an. dni mill.* LVI. *reg. cum abio suo an.* III. *m.* VII. *& post mortem avii sui reg. cum genitore suo an.* XVII. *m.* V. *& d.* VII. *occisus est autem a Normannis ad montem sarculum* VII. *die intrante mse Februario anno d. mill.* LXXIII. *indic.* XII. *Post cujus obitum supervixit & reg. genitor ejus solus an.* III. *m.* XI. *qui sunt simul an.* XXXVIIII. *m.* IIII. *Horum principum temporibus venit domnus gg. pp. in ben. an. d.* MLXXIII. II. *die intrante mse Aug. primo anno pontificatus sui ind.* XI. *dies vero sue consecrationis.* II. *kal. Julii die dom. principatu domni Landolfi an* XXXVI. *& domni Paldolfi filius ejus* XVII. *post cujus adventum supervixit isdem Paldolfus princeps m.* VI. *& dies* VI. *Post ejus obitum vixit pater ejus an.* III. *m.* XI. *quo moriente m. nov.* V. *kal. Dec. statim Robbertus dux obsedit ben.* XIIII. *kal. Jan. usque* VI. *id. Aprilis unde expulsus est cum omnibus suis ind. prima obiit idem dux transmare mse Julio* VIII. *indic. Post cujus principatus obitus recta est civitas per Romanam Ecclesiam. Principati sunt in ben.* CLXXVII. *an. a primo Atenulfu usque ad novissimum sextum Landolfum.*

(2) Anastasius in Vit. Stephani III. T. III. Scriptor. Ital. P. I. pag. 171. *Et ipsas claves tam Ravennatium Urbis, quàm diversarum Civitatum ipsius Ravennatium Exarchatus unà cum suprascripta donatione de eis à suo Rege concessa in Confessione B. Petri pronus, eidem Apostolo,*

derius in Pontificiam ditionem vehementiùs inrumpens Hadrianum Pontificem compulit, ut decessoris sui Stephani exemplo Caroli Francorum Regis opem expeteret, qui & præsentissimam, & utiliorem, quàm antea, contulit. Ac Carolus quidem Regni, ac paternæ pietatis hæres, Italiam ingressus, non solùm Regis Longobardi audaciam fregit, sed etiam Italicum Regnum, quod ad annos CC. apud Longobardos perstiterat, sibi subjugavit. Inter hæc autem non modò eam Donationem à Pippino genitore factam confirmavit, verùm etiam pluribus aliis insignibus locis adauxit, inter quæ Ecclesiæ Romanæ attribuit *cunctum Ducatum Spoletinum, & Beneventanum* (1).

Ex hisce Ducatibus pristinæ Donationi à Carolo additis, palam illud fit, hoc in ea expeditione fuisse Caroli consilium, ut Longobardorum dominationem, quos fœdifragos, & perpetuos, infestissimosque Romanorum Pontificum hostes reputabat, ex universa Italia deleret: atque id quidem in ipso Regno, quod in transtiberina Italia constitutum erat, omninò assequutus fuit. Ad Beneventanum verò Ducatum quod attinet, cui omnis fere cistiberina Italia parebat, res aliter cessit; nam sivè certis sub legibus, tributique præstatione promissum, sive propria virtute defensum, & propugnatum, mansit deinceps ampliori quoque Principatus appellatione, auctoritateque præclarum Longobardorum nomen, atque imperium. Et sane siquid juris in Ducatu Beneventano quæsitum Carolo fuit tum, quum, icto cum Principe Arichi fœdere, Grimoaldum ejus filium obsidem in Gallias abduxit, vel quum postea eidem Grimoaldo, certis subjectionis sancitis legibus, paterni Principatus successionem permisisset, id certè ejusdem Grimoaldi virtute irritum factum est, qui Regis Pippini ejusdem Caroli filii, detrectatam subjectionem vehementer vindicantis, armis propulsatis, sese in veterem libertatem, justissimamque supremi dominii auctoritatem restituit. An igitur, quæ à Carolo Romanæ Ecclesiæ facta fuit, frustranea evasisse Beneventani Ducatus donatio dicenda erit? Anteaquam nostram de hac re sententiam aperiamus, alia in antecessum proderit observasse.

Ac primùm manifesta res est, nullam omnino Ducatus Beneventani mentionem à Carolo factam in suo Testamento, sivè Charta *Divisionis Regni Francorum inter suos filios, Carolum, Pippinum, & Ludovicum Anno* DCCCVI. celebrata, in qua *trina partitione totum Regni Corpus* dividere Carolus ipse fatetur (2): Pari modo Beneventanum Ducatum idem Carolus præteriit in altera divisione, quam, Pippino sibi præmortuo, inter Bernardum illius filium, & Ludovicum servandam constituit. Scio, Viros doctissimos, gravissimosque in ea fuisse sententia, ut, licet nullum, vel minimum Beneventani Ducatus verbum in utraque Divisione legatur, illud tamen sit optimum argumentum, ut Carolus de eo Ducatu disponere voluisse censendus sit, propterea quod inter alias Provincias *Italiam, quæ & Longobardia dicitur*, Pippino attribuerit (3). Eam Italiæ partem, qua Ducatus Beneventanus continebatur, Longobardiæ nomine aliquando fuisse appellatam, aliàs mihi pluribus argumentis probatum fuit (4). At Carolum Longobardiæ nomine utramque Italiam trans, cisque Tiberim vel intelligere, vel significare tunc voluisse, nullimodè mihi quis persuaserit. Documenta omnia, quæ Cistiberinæ Italiæ, sive Beneventano Ducatui Longobardiæ utique *minoris* appellationem adscribunt, multò posteriora tempore Carolo sunt, ut jam incertum censeri debeat, num Carolus eo nomine Beneventanum Ducatum significare, aut comprehendere potuerit, quam scilicet Italiæ partem nondum per eam ætatem Longobardiæ nomen pervasisset. At quid moror? Carolus namque ipse in eodem Testamento non solùm de Ducatu Beneventano siluisse, sed planè à *toto Regni sui corpore* alienum fuisse demonstravit. Atque is quidem de Pippini parte, cui *Italiam, quæ & Longobardia dici-*

*stolo, ac ejus Vicario Sanctissimo Papæ, atque omnibus ejus successoribus Pontificibus perenniter possidendas tradidit, idest Ravennam, Ariminam, Pisaurum, atque Fanum, Cesenas, Senogallias, Esium, Forum Pompilii, Forum Livii, cum Castro Susdubio, Montemferetri, Hurragio, Montem Lucari, Serram, Castellum S. Mariani, Bobana, Vatinum, Callium, Lunulas, Engutium, seu Comaclum, nec non & Civitatem Narniensem, quæ à Ducatu Spoletano à parte Romanorum per evoluta annorum spatia fuerat invasa &c.*

(1) Idem Anastasius in Vit. Hadriani I. pag. 186. supradictæ editionis.

(2) Vide eand. Chartam T.I. P.II. Scriptor. It. p.115.

(3) Cointius in suis Annal. ad An.806. num. 34., cujus sententiam probare videtur Cl. A. P. Magister, postea amplissimus S. R. E. Cardinalis Joseph Augustinus Orsi in Dissert. *Del dominio temporale de' Romani Pontefici* pag.178. Romæ 1754. qua sententia fretus Illmus Borgia, atque hoc uno argumento ductus adeò certam rem sibi habuit, ut istiusmodi thema capiti XIII. tomi I. *Memor. Istor. di Benevento* inscripserit: *L' Imperadore Carlo Magno nel suo Testamento dispone del Principato Beneventano, tuttochè donato lo avesse alla S.Sede.*

(4) Vide heic pag. 22. not. (3).

*dicitur*, aſſignaverat, ſi fortè Pippinus, Carolo, Ludovicoque fratribus ſuperſtitibus, deceſſiſſet, novam diviſionem inſtituens, ſic loquitur in ejuſdem Teſtamenti cap. VI.: *Si verò Karlo, & Ludovico viventibus, Pippinus debitum humanæ ſortis compleverit, Karlus, & Ludovicus dividant inter ſe Regnum, quod ille habuit, & hæc diviſio tali modo fiat, ut ab ingreſſu Italiæ per Auguſtam Civitatem accipiat Karlus Eborejam, Vercellas, Papiam, & inde per Padum fluvium termino currente uſque ad fines Regenſium, & ipſam Regiam, & Civitatem novam, atque Mutinam uſque ad terminos S. Petri: Has Civitates cum ſuburbanis, & Territoriis ſuis, atque Comitatibus, quæ ad ipſas pertinent, & quidquid inde Romam pergenti ad lævam reſpicit, de Regno quod Pippinus habuit, una cum Ducatu Spoletano, hanc portionem, ſicut prædiximus, accipiet Karlus. Quidquid autem à prædictis Civitatibus, vel Comitatibus Romam eunti ad dextram jacet de prædicto Regno, ideſt portionem, quæ remanſit de Regione tranſpadana, una cum Ducatu Toſcano uſque ad Mare Auſtrale, & uſque ad Provinciam, Ludovicus ad augmentum ſui regni ſortiatur*. Vides jam, quàm præclare, diſtinctimque eam Italiam, *quæ & Longobardia dicitur*, Pippino aſſignatam Carolus per partes ſingulas, ideſt Ducatus, Comitatus, Regiones, Urbes, non ſolùm explicuerit, verùm etiam ſpeciatim deſcribens certis quoque finibus circumſcripſerit. Nihil omninò in hac Longobardia de Beneventano Ducatu memoratum occurrit, immo totum illud eſt, quod Beneventanum Ducatum excipiat, excludatque. Nam hoc ſolum filiis ſuis Carolus conceſſit, quod ab *Ingreſſu Italiæ* Romam euntibus *uſque ad terminos S. Petri* progredi videbatur. Non Romam, non terminos S. Petri tranſgreſſus eſt Carolus: itaque non de tranſtiberina Italia, ideſt de Beneventano Ducatu unquam cogitavit.

Cur verò de Beneventano Ducatu Carolus ſiluiſſe voluit, cauſſa nunc oſtendenda eſt, quam ab aliis obſervatam heic libenter recitabimus: *Nonnulli* (inquit Cointius l. l.) *Carolum, quem de Ducatibus Spoletano, & Tuſcano loquutum audiſti, nihil diſtinctè de Beneventano ſcripſiſſe contendunt, iſtiuſque ſilentii cauſſam hanc prætexunt, quòd idem Carolus anno Chriſti 781. partem Beneventani Ducatus Apoſtolicæ Sedi tradidiſſet, partem alteram Grimoaldus Dux in ſua retineret poteſtate, nec ſe Caroli beneficiarium gereret*. Hæc Cointio minimè placuere, Longobardiæ nomen à Carolo uſurpatum ad Beneventanum Ducatum extendendum opinanti. Sed veræ illa eſſe, Cointium verò minus rectè opinatum facili negotio demonſtrabimus. Quòd enim Grimoaldus nequaquam Caroli beneficiarium ſe gereret, ſatis liquet ex præclaro, atque aliàs nobis memorato Erchemperti loco, cujus verba heic repetiſſe proderit: *Frequenter Karlus cum cunctis liberis, quos jam Reges conſtituerat, & cum univerſo bellatorum agmine Beneventum præliaturus aggreditur; ſed Deo decertante pro nobis, ſub cujus adhuc regimine fovebamur, innumerabilibus de ſuis peſte perditis, cum paucis nonnunquam inglorius revertebatur: unde factum eſt, ut Pipino regnante in Ticino, & Grimoaldo in Benevento præſidente, frequentiſſimum bellum vexarit Beneventanos, itaut nec ad momentum pax interfuerit illis viventibus: Erant enim juvenili ætate potentes, & ad conjunctiones, & bella declivi: Pipinus autem multorum præſidio bellatorum, jugi, continuoque prælio exagitabat eum: Grimoalt verò & Civitatibus munitis, & Primoribus quampluribus conſtipatus, parvipendens, ac deſpectui ducens illius perſequutionem, in nullo cedebat ei. Ajebat itaque per legatos ſuos Pipinus: Volo quidem & ita potenter diſponere conor, ut ſicut Arichis genitor illius ſubjectus fuit quondam Deſiderio Regi Italiæ, ita ſit mihi & Grimoalt.: Quibus è contrario Grimoalt aſſerebat:*

*Liber, & ingenuus ſum natus utroque parente,*
*Semper ero liber, credo, tuente Deo* (1).

Nequicquam igitur de eo Ducatu diſponere Carolus cogitavit, cujus libertatem, ſupremamque auctoritatem Grimoaldus adeò ſtrenuè, invictèque ſibi tuebatur; niſi illud dicamus (quod dicere ineptum videtur) voluiſſe Carolum jus quoddam, ac veluti ſpem obtinendi Beneventani Ducatus Filio relinquere, quem Ducatum diuturno prælio fruſtra ſibi ſubigere conatus fuerat, neque ejus Filii, niſi vi, armiſque, atque adverſo, ut ſemper, vel incerto ſaltem marte conquirere ſibi poſſent. Verum quidem eſt, Grimoaldo defuncto, Grimoaldum alterum illius Theſaurarium, poſteaque Succeſſorem, Tributo ſeptem aureorum millium promiſſo, obnoxium Carolo ſe declaraſſe, vel (uti rectè Erchempertus ſcribit) *fœdus cum Gallis iniiſſe* (2): Quod Tributum & ſequutos Principes Siconem, & Sicardum Caroli Succeſſori-

(1) Erchempert. in Chron. num. VI.

(2) Ibid. num. VII.

cessoribus spopondisse legimus ( etsi in Divisione Principatus inter Radelchim, & Siconolfum Imperatore Ludovico II. præsente, atque arbitro celebrata, nulla Tributi mentio occurrat); id tamen non veteris subjectionis argumentum est, sed novum censeri debet posteriorum aliquot Beneventanorum Principum consilium, qui ( uti narratum alibi est ) non æquo jure, etiam aliquando per nefas Principatu potiti, illius possessionem, conciliatâ sibi Francorum gratiâ, atque auctoritate, sibi contutari, confirmareque studuerunt; administrationem verò ita exercere perrexerunt, ut, levi illo excepto tributo, integrâ libertate, supremâque auctoritate perpetuò fruerentur. Ceterum, si de Testamenti à Carolo facti tempore agitur, nulla tunc Tributi obligatio apud Beneventanos Principes erat, sed ea potiùs erat omnimoda, atque inexpugnabilis Principum libertas, ea denique Beneventani Principatus conditio, ut de eo disponere Carolus non tam noluerit, quàm etiam nequiverit.

Hæc quantumvis vera in seipsis, ac certa videantur, potior tamen prætereundi, silendique à Carolo Beneventani Ducatus caussa altera censeri debet, quòd scilicet in Donatione Ecclesiæ Romanæ facta, jam de illo integrè, distinctèque disposuerat: Id primùm ex eodem ipso Testamento palam fit, ubi Carolus pari modo silet Romanum Ducatum, silet etiam Exarchatum Ravennatem, aliaque omnia, quæ Ecclesiæ Romanæ donaverat, præter unum Spoletinum Ducatum, quem sibi, suisque filiis servatum voluit, non tam proprio emolumento, quàm ut Romanæ Urbi propugnaculi loco esse posset. Eadem igitur ejusdem silentii ratio esse debet, ut quemadmodum Carolus de Romano Ducatu, Ravennateque Exarchatu, re scilicet aliena, atque ad Rom. Ecclesiæ dominium pertinente, nihil amplius disponendum sibi duxerit, ita quidem de Beneventano Ducatu judicandum reliquerit, quem in ejusdem Ecclesiæ dominium, auctoritatemque transtulerat.

Frustra igitur à plerisque quæsitum reperio, cur Carolus post ejusdem Ducatus celebratam Donationem, ejus postea possessionem Sedi Apostolicæ nequaquam tradendam existimarit. Etenim si rem penitiùs inspiciamus, illud nobis satis manifestum fit, nihil magis in Caroli animo fixum fuisse, quàm ut Romani Pontifices Beneventano Ducatu potirentur. Quòd autem id Caroli consilium, studiumque incassum cesserit, Longobardorum virtus in caussa fuit, qui primùm fœdere, dein apertâ vi, animisque imperterritis, sese veteri Principatu spoliari nunquam passi sunt, uti superiùs observavimus. Quàm manifesta, atque efficax implendæ rei, dum facultas esset, Caroli voluntas extiterit, Capuanæ, ac præterea aliarum Urbium Principatus Beneventani, quæ in ejus potestatem pervenerunt, præclarè docet facta protinus Romanis Pontificibus traditio: Capuæ enim substitisse Carolus contentus fuit, tum quum adversus Principem Arichim exercitum duxit, in qua Urbe paullò post fœdera sancita fuerunt. Audi nunc S. Pontificem Hadrianum in Epistola Codicis Carolini LXXXVIII. Carolo sic scribentem: *Meminisse credimus, qualiter vobis per anteriores nostras Apostolicas misimus syllabas de Capuanis, qui ad nos venerunt per vestrum regale adminiculum, quatenus dum ipsas vobis emisimus syllabas, post aliquantos dies præfatos Capuanos in Confessione protectoris vestri B. Petri Apostolorum Principis jurare fecimus in fide ejusdem Dei Apostoli, & nostra, atque vestræ regalis potentiæ.* Nihil præclarius, nihil certius hoc monumento, ut Carolus eam, quam pro rerum, temporumque ratione poterat, Beneventani Principatus partem, Romanis Pontificibus tradendam curaverit: Id ipsum Hadrianus idem confirmat in Epistola ejusdem Codicis XCII. hæc ad eundem Carolum scribens: *Venientes ad nos de Capua, quam B. Petro Apostolorum Principi pro mercede animæ vestræ, atque sempiterna memoria cum ceteris Civitatibus obtulistis, videlicet Gregorius Presbyter, Saductus &c.* Hinc factum arbitror, ut Pandulfus Capuæ Comes, pauco post tempore, magis è re sua fore existimaverit, si Romano Pontifici Johanni VIII., cujus jura ex Caroli donatione quæsita probè norat, subjectionem suam juraret, quàm si Principibus Longobardis obnoxius permaneret, quorum supremum dominium recenti, quò se extulerat, Capuani Comitatus dignitati obfuturum rebatur: Quare & ipse Pandulfus facilè ab eodem Pontifice Capuani Episcopatus divisionem impetravit; quod *ideo factum* narrat Erchempertus n. XLVII., *quia Pandulphus prius se subdiderat dicto Papæ, in cujus vocamine* ( ideſt nomine ) *& Chartæ exaratæ, & nummi figurati sunt*; quæ duo supremi dominii consueta, ac præclarissima esse argumenta, aliàs observavimus. Heinc denique factum arbitror, ut cæteras Civitates, quæ in Ducatu Beneventano in Caroli potestatem redactæ essent, enixè postularet Hadrianus, ut sibi traderentur. Præstat autem eundem adhuc audire Hadrianum Epistola XC.: *Quapropter magnoperè poscentes vestram eminentissimam regalem benevolentiam, quæsumus, ut pro amore fautoris*

*toris vestri B. Petri Clavigeri Regni Cœlorum, nostraque in Christo spiritali paterna dilectione, clariter, atque specialiter per vestros regales honorabiles apices vestris Missis dirigere dignemini, ut nullo modo ad vos remeare audeant, nisi prius sub integritate Civitates in partibus Beneventanis, sicut eas per vestram sacram oblationem B. Petro Apostolo, & nobis contulistis, in omnibus contradere valeant .... Quia sunt alii ex Missis vestris, qui contemnere moliuntur, & fœdare vestram sacram oblationem. Sed, sicut in partibus Tusciæ Civitates, idest Suanam, Tuscanam, Biternum, & Balneum Regis, ceterasque Civitates cum finibus & territoriis earum B. Petro offerentes condonastis, ita in eodem modo Civitates in partibus Beneventanis contradere nobis protinus faciatis* (1).

Quænam fuerint hæ Civitates ad Beneventanum Ducatum pertinentes, scimus ex Ludovico ejusdem Magni Caroli filio, qui post illius obitum rata omnia libentissimè habuit, quæ paterna donatione continebantur, & novo facto Donationis Diplomate etiam enumeranda, ac describenda singillatim voluit. Sic itaque inter alia Ludovicus re, ac cognomine verè Pius: *Item in partibus Campaniæ Soram, Arcem, Aquinum, Arpinum, Theanum, Capuam* (2). Nihil in hoc Ludovici Diplomate habes de Beneventano Ducatu, cujus silentii non illud quidem argumentum est, quòd eum sibi (præter memoratas Civitates) Ludovicus servarit, sed quòd reverà extra suam, Romanæque Ecclesiæ potestatem esset, à Longobardis veteri possessione, auctoritateque detentum, ac propugnatum. Propositum enim Ludovico fuit, in eo Diplomate, seu (uti vocat Ostiensis) *Pacto Constitutionis, & Confirmationis*, ea omnia Romanis Pontificibus confirmare, quæ ex Caroli donatione pleno tunc dominii jure possidebant, vel ipsi debita, apertâ vi, injuriâque ab aliis detinebantur (3). Sed amplius quid à Carolo Calvo concessum postea fuit, qui (uti Eutropius Longobardus narrat) *renovavit Pactum cum*



(1) Ex Missorum itaque avaritia, vel etiam perfidia id quoque fiebat, ne Caroli voluntas effectum sortiretur. Simile de Spoletino Ducatu ab iisdem Caroli Missis patratum invenio, quos Hadrianus in Epistola LVIII. ejusdem Codicis, consilia quædam inter Ducem Spoletinum, & Principem Beneventanum machinantes animadvertens, violatæ fidei, ac detrectati muneris apud Carolum expostulat, ac deinde subdit: *Obsecrantes petimus vestram à Deo fundatam potentiam, ut de tanta, & tali tribulatione, in qua nos ipsi vestri Missi dereliquerunt, velociter per alios fidelissimos, & benignissimos vestros Missos, nos consolari, & lætificari jubeatis; quia & ipsum Spoletinum Ducatum vos præsentialiter obtulistis Protectori vestro B. Petro Principi Apostolorum, per nostram mediocritatem, pro animæ vestræ mercede, & ita obnixè quæsumus, præcellentissime fili, ut nostram deprecationem de prædicta afflictione, & prænominato Spoletino Ducatu celeriùs effectui mancipetis.* Quæres fortasse, cur Carolus, qui Ducatum Spoletinum æquè cum Beneventano Rom. Ecclesiæ donaverat, adhuc in suo Testamento illum Pippino, & post Pippini mortem Ludovico speciatim attribuerit. Respondeo, præter Tributum ex eodem Ducatu Spoletino Romanæ Ecclesiæ pendendum, Territorium quoque Sabinense (uti ex Ludovici ipsius Donatione paullò post facta liquet) quæ ejus Ducatus pars conspicua habebatur, Romanis Pontificibus traditum. Ceterum ea fuisse videtur Caroli mens, atque consilium, ut is Ducatus Romæ proximus à Francorum Ducibus administraretur, qui ad tuendam Ecclesiæ Romanæ libertatem, Pontificiamque Ditionem propugnandam præsto essent, atque ita Pippinus, ac Ludovicus munus Defensorum Ecclesiæ, in eodem Testamento speciatim demandatum, quantociùs exhibere possent.

(2) Invenio heic easdem Urbes, idest Soram, Arcem, Arpinum, memoratas, quas ad Romanum Ducatum pertinentes Gisulphus I. Dux Beneventanus sub Johanne PP. VI. anno DCCII. occuparat; de qua re Paulus Diaconus de Hist. Long. lib. VI. cap. 37. sic narrat: *Hac ætate Gisulphus Beneventanorum Ductor Soram Romanorum Civitatem, Hirpinos, atque Arcem pari modò oppida cepit: Qui Gisulphus tempore Johannis Papæ cum omni sua virtute Campaniam venit, nullusque ei resistere potuit: Ad hunc Pontifex missis Sacerdotibus cum donariis, eum cum exercitu ad propria repedare fecit*: De hac ipsa re plura dixi in Dissert. I. Illud modò ex Ludovici Donatione observandum est, has ipsas Civitates ad Beneventanum Ducatum posteriori tempore pertinuisse, aliter cum Aquino, Theano, Capua Ludovicus non conjunxisset; verique simile est Gisulphum ipsum Pontificis legatione, atque obsecratione *ad propria repedasse*, idest non ultra exercitum protulisse, sed Urbes illas semel captas retinuisse, suoque Ducatui addidisse; ex quo denique Ducatu à Carolo Magno receptæ iterum Romano Ducatui, sive Ecclesiæ cum aliis prædictis Civitatibus traditæ fuerunt.

(3) Hoc Ludovici Diploma nemo sapientissimorum, atque æqui, verique æstimatorum Virorum unquam fuit, eritque, qui in falsitatis suspicionem revocet. Qui sapiens audit, sed non expers præjudiciorum Petrus de Marca in *De Concord. Sac. & Imp. lib.* III. *c.* XI. hæc de illo pronunciat: *Non est prætermittenda gravis difficultas, quæ oritur ex Donatione Ludovici Pii, qui nihil sibi auctoritatis neque in Romanam Provinciam, neque in ceteras reservavit, præter solas preces, & intercessionem suam apud Pontificem, si quis à Judicibus oppressus ad se confugeret. Sed nostræ sententiæ hoc non adversatur, quin etiam Regum nostrorum pietatem commendat.* Perspexit sanè Marca, Ludovicum in ea donatione abdicasse sese eo dominio, quod Carolum M. *sibi in solidum cum Romano Pontifice retinuisse* contendit. Rei novitas, quæ suam sententiam destruebat, nihil suspicionis Viro perspicacissimo attulit, sed Donationis sinceritatem probè agnoscens, rem omnem ad Ludovici *pietatem* referre maluit. Fuere tamen qui à catholica professione alieni, juratique Ecclesiæ, Pontificumque hostes, uti Goldastus, Molinæus, Valchius, vel qui præjudicatæ opinionis, vel intemperantioris Critices, vel etiam partis studio abrepti, uti Pagius, Muratorius, Berettius, Diplomatis sinceritatem in controversiam vocarunt; quibus post Gretserum, Fontaninium, aliosque satis jam factum est à V. C. Cajetano Cennio in *Examine* dicti Diplomatis post Dissertationem Emi Orsi Romæ 1754.

*Romanis Pontificibus ... cuncta illis contulit, quæ voluerunt ... Patrias Samniæ, & Calabriæ simul cum omnibus Civitatibus Beneventi* (1). Contulisse autem Calvus dicendus est non re, sive traditione id, quod Longobardis adhuc possidentibus, ac dominantibus tradere nequibat, sed jus illud, quod antea Romani Pontifices ex Caroli Magni donatione adepti videbantur: Cujus servandi juris solliciti Romani Pontifices deinceps fuerunt, nunquamque destiterunt Beneventanum Ducatum, seu Principatum respicere, uti Romanæ Ecclesiæ Patrimonium, remque B. Petro oblatam, atque sacratam, solemni illa Donatione, qua laudatus Carolus inter alia plura *cunctum Ducatum Spoletinum, & Beneventanum* Romanæ Ecclesiæ, ejusque Pontificum dominio adjudicavit (2). Heinc factum fuit, ut translato à Francis ad Germanos Imperio cum Regno Italiæ, plurimùm sua interesse Romani Pontifices existimarunt, ut non solùm antiquæ Donationes rerum omnium, ac ditionum, quibus jam potiebantur, ab Impp. Ottone I., atque Henrico I. confirmarentur, verùm etiam in utriusque Augusti Diplomate Beneventani Ducatus, etsi à Longobardis etiam tum detenti, expressa, specialisque mentio adderetur; quemadmodum Augustus uterque iisdem Caroli M. verbis *cunctum Ducatum Spoletinum, & Beneventanum* concessit (3).

Hic rerum, juriumque Apostolicæ Sedis in Beneventanum Ducatum status ad Sæculum XI.: quo Sæculo progrediente decrescebat contrà, atque ad occasum properabat Longobardorum Principum potestas, tum Græcis, tum Northmannis Principatum ad sese undique contrahentibus. Northmannorum nomen, quod ex patrio Septemtrione inditum ei Genti fuit, longè ante Sæculum XI. inclaruerat, perpetuis ipsorum incursionibus à Caroli M. ævo in Gallias gestis, ubi tandem ex hostibus infestissimis in fœderatos, atque incolas recepti, sub Rollone duce, cui Carolus Simplex Gislam filiam in matrimonium dedit, Anno 912. lares, dominationemque suam locarunt in ora omni maritima Galliæ, quæ ab Epta fluvio ad mare porrecta, Nothmanniæ nomen ab ipsis accepit. Ex hac igitur Regione sub ann. MII. Northmanni quadraginta ex Hiersolymitana peregrinatione reduces, egregio corporis habitu, belloque strenui, Salernum appulerunt, à Saracenis tunc obsessum, impetratisque à Guaimario Principe armis, equisque, facta plurimorum cæde, reliquis hostibus in fugam conjectis, inopinam, ac mirabilem, Urbique Salernitanæ maximè salutarem victoriam reportarunt. Viros fortissimos in sua stipendia frustrà invitatos, atque amplis muneribus donatos, Princeps Guaimarius redire ad suos permisit, legatos ad Gentem comites addens, quæ ad adeundam Provinciam excitabatur. Rediere post annos ferè sexdecim Northmanni (4); atque Principi Pandulpho sese adjungentes, sub eo, aliisque Principibus stipendia facientes, contra Græcos æquè, ac Saracenos utilem primùm navarunt operam, sed violatâ paullatim militiæ fide, proculcatisque hospitii juribus, fructum victoriæ in propria emolumenta vertere cœperunt: Nam potiti aliquot Apuliæ oppidis, insolentiores effecti, inauditæ hactenus tyrannidis fundamenta jecerunt, nihilò meliores facti, etsi jam Christianæ Religioni addicti, ac moribus Gallorum exculti, quàm quum olim è plaga septemtrionali erumpentes per Gallias grassari solemne haberent. Horrendum planè est quidquid à Northmannis per omne crudelitatis, perfidiæque genus per ea tempora in Apulia patratum Scriptores ejus ævi omnes tradunt. Satis nunc erit, missis nostratibus, Hermannum Contractum audisse (5): nam de eadem re paullò post & S. Brunonem Signiensem, & Sanctissimum Leonem PP. IX. audire nobis opus erit.

Ad

(1) Eutropius Longobardus in Histor. editus à Goldasto, & relatus à Petro de Marca l. l. lib. III. cap. X. num. 6. & cap. XI. num. 11.

(2) Id à pluribus animadversum inquit, confirmatque Emus Orsi in d. Dissert. cap. X. pag. 184. atque in subjecta nota recenset Cointium in Ann. Eccl. Franc. ad an.774. n.5. Ant. Pagi ad eund. an. n.1. & ad an.781. n. 1. & Franc. Pagi in Vit. Hadriani I. num. XI. & XX.

(3) Vid. eadem Diplomata apud Baronium, Ottonis ad an. 966. §. 3. Henrici ad ann. 1014. §. 7.

(4) Scribit Leo Ostiensis Chr. Casin. lib. 1. cap. 31. & 38. anno septimo Atenolfi Abbatis (cujus annum tertium congruere dicit Anno Christi 1014., ut primus ejus Abbatis sit Christi 1012.) Northmannos *Apuliam incursare coepisse*, (hic erit annus 1018.), *cùm ante annos fermè sedecim* (ideſt anno 1002.) *eò primùm advenissent*.

(5) Hermannus Contractus in Chronico ad an. MLIII. *Ea gens* (Northmannorum) *à temporibus prioris Henrici Imperatoris in Calabriæ, Samniæ, Campaniæque partes paullatim ex Gallici oris Oceani confluebat, & quia bellicosior Italicis gentibus videbatur, primò gratanter accepta, valde indigenis contra Græcorum, & Saracenorum incursiones audacter præliando auxiliabatur. Postea vero pluribus eorum ad uberem terram accurrentibus, viribus adaucti, indigenas bello premere, injustam dominationem invadere, heredibus legitimis Castella, prædia, villas, domus, uxores etiam, quibus libuit, vi auferre, res Ecclesiarum diripere, postremò divina, & humana omnia (prout viribus plus poterant) jura confundere, nec jam Apostolico Pontifici, nec ipsi Imperatori, nisi tantùm verbo tenus cedere.*

Ad Sanctissimum itaque Pontificem Leonem tandem pervenimus; qui genere clarissimus, illustrior virtutibus ex Episcopo Tullensi Romanam Cathedram An. MXLIX. conscendens tum Ecclesiam universam diuturnis malis jactatam relevavit, tum cistiberinos quoque Populos in propulsandi, aut etiam confringendi Northmannici jugi spem certam erexit. Primi omnium (ut videtur) Apuli, quorum cervicibus tum maximè Northmanni incubabant, Leonis opem, missa legatione implorarunt: quam rem his verbis Gaufredus Malaterra enarrat: *Apulienses nondum traditionibus exhausti per occultos legatos* IX. *Leonem Pontificem, ut cum exercitu in Apuliam veniat, invitant, dicentes, Apuliam sibi jure competere, & prædecessorum suorum temporibus juris Ecclesiæ Romanæ fuisse, se illi auxilium laturos* (1). Audisti, Apulos, ut se à præsentibus calamitatibus liberarent, non ut tantùm Romanæ Ecclesiæ filios, sed etiam Romanorum Pontificum subditos, Leonis opem simul, & dominationem flagitare, nempè ut is in Apuliam liberandam, suoque juri vindicandam veniat, quæ Regio ad Beneventanum Ducatum pertinens jamdiù ex Caroli M. donatione, ab aliis plerisque Augustis confirmata, in Romanæ Ecclesiæ dominium fuerat translata. Quum verò ob eorundem Northmannorum effrænem audaciam res ipsæ Beneventanorum in summo discrimine versari coepissent, horum quoque legati, non occulti quidem, uti ab Apulis jam oppressis factum fuit, sed palam, splendidèque, uti populum adhuc liberum, principemque decebat, ad Leonem missi sunt. Meminit hujus legationis Wibertus, cujus verba recitare operæ pretium erit: *Ecce adsunt legati nobilium Beneventanorum* (dum scilicet ob inopiam suorum Familiarium Leo tristabatur) *deferentes Xenia Apostolicæ congrua dignitati, ejus benedictionem, atque solatium suppliciter deposcentes promereri: Quos Deo dignus Præsul, ut suam decebat munificentiam, suscepit, sacra benedictione roboravit, non tam lætus de oblatione munerum, quàm Deo rependens grates de devotione fidelium* (2). Ex Wiberti narratione non satis constat, num Beneventani pietatem, religionemque suam erga Rom. Pontificem tunc recèns electum professi tantummodo sint, an etiam sese in Leonis potestatem, Apostolicæque Sedis dominium dediderint: At utramque rem à Beneventanis præstitam præclariùs testatur Nicolaus Rosellius Cardinalis Aragonius, quem in ejusdem Pontificis Vita hæc scribentem libenter audiemus (3): *Interea Northmannorum fortissima gens, quæ Apuliam, atque Calabriam ab invasione Græcorum liberaverat, Beneventum invadere attemptavit: Ea propter nimio timore perterriti ad Domnum Papam Leonem Beneventani accesserunt, ut ejus defensionem, & auxilium contra Northmannos ipsos mererentur habere: Unde factum est, quod per offertionis Chartulam Beneventum B. Petro, & Apostolicæ Sedi tradentes ab eodem Pontifice protectionis auxilium impetrarunt* (4).

Verissima nobis Cardinalem Aragonium tradidisse, vetustissimum, ætatisque supparis, ac fidei integerrimæ patrium monumentum declarat. Extat pluriès mihi memoratum Chronicon Monasterii S. Sophiæ, ab An. DCCLXXXVIII. ad Annum MCXIII. perductum, quo in Chronico ad An. ML. hæc signata habentur: *Beneventum Papæ Leoni conceditur, propter quod pluri-*



(1) Gaufredus Malaterra Hist. Sicul. lib. I. cap. 14. pag. 533. T. V. Scriptor. Italiæ Muratorii.

(2) Wibertus in Vita S. Leonis PP. IX. lib. II. c. III. pag. 293. T. III. P. I. Scriptor. Ital. Hunc Wiberti locum etiam attuli in Dissert. II. cap. VI. ibique interpretationem adjeci, à qua tamen, re diligentiùs investigata, atque Cardinalis Aragonii testimonio liquidiùs explicata, recedendum nunc mihi fuit.

(3) Plures Romanorum Pontificum Vitas ex vetustis, fidissimisque monumentis collegit, congruoque stilo digessit Nicolaus Rosellius Aragonius, qui sub Innocentio VI. floruit, anno 1356. Cardinalium Collegio adlectus. De eo Cardinalis Baronius ad an. 1055. & 1073. monet, præter collectionem Vitarum Pontificiarum, in Vaticana Bibliotheca unà cum aliis ejusdem Cardinalis Aragonii commentariis extare Commentarium De Jurisdictione quadruplici Romanæ Ecclesiæ in Regnum *Siciliæ*. Vitarum collectionem edidit Muratorius *Scriptor. Ital.* T. III. P. I. *pag.* 277.

(4) Eodem loco, quo Wibertus Legationem Beneventanorum ad Leonem narrat, subdit Leonis nomen eximiis honoribus ubique celebratum, ac certatim populos in ejus venerationem, atque obsequium effusos: *Nec mirandum* (inquit) *rationabilem creaturam in ejus resonare laudem, cùm etiam irrationabilia animalia* (*mirum dictu*) *illius prædicando nomen humanam personarent vocem: Nam sicut à veridicis fertur relatoribus, apud Beneventum Gallus frequenti voce ejus nomen repetabat, & naturalem emissurus vocem, cunctis mirantibus,* PAPA LEO, *insonabat*. Cl. Mabillonius, qui hanc Leonis Vitam à Wiberto conscriptam edidit in Annal. Benedict. Sæculo VI. P. II., ad hunc locum observat ex Richerio Chron. Senon. l. 2. cap. 14. hujus Galli occasione nonnullos scripsisse, quòd quacunque transiret Beatus Pontifex, statim Galli voce humana clamarent: *Papa Leo*: Huic narrationi haud fidem suam accommodasse videtur Mabillonius, qui nec de Beneventano *Gallo* sententiam aperuit suam. Non ego, id fieri ab eo potuisse abnuerim, qui Asinæ Balaami humanè loqui dedit, quique Leonis famuli sui sanctitatem ea re testatam quoque voluerit: Sed (ut verum fatear) vocem potiùs Beneventanorum hominum, quàm Beneventani Galli, audire mihi videor, qui scilicet Beneventani homines, Northmannorum metu, Pontificiæque opis spe excitati, frequentibus vocibus *Papam Leonem* per totam Urbem inclamare fortassè cœperunt, uti liberatorem, dominumque suum, ut exindè inter vulgus pervagari illud potuerit, quòd etiam Gallus auditus sit, *Papam Leonem* vociferatus.

*plurima dissidia commissa sunt*. Tum ad Annum sequentem MLI. *Leo Papa misit Legatos suos Beneventum, qui acceperunt Saccummatum à Beneventanis ad.... portam Civitatis ingressi die post Idus Julii*. In recitandis hujus Chronici verbis usus sum editione Operum Peregrinii, curata Neapoli An. 1753. T. IV. p. 170., qua editione suppletum exemplar ejusdem Chronici est, à Cl. Nicolao Aloisia ex MS. Codice Vaticano transmissum Cl. Muratorio, ab eoque vulgatum T. I. Antiq. Med. Ævi p. 254. Quid verò sit illud *Saccummatum*, quod legatos Leonis à Beneventanis accepisse in utraque editione constanter legitur, à laudato Aloisia (qui notis suis locupletatum exemplar ad Muratorium transmisit) ita emendatum invenio, ut in ridiculosius vocabulum *Scaccummattum* convertere maluerit (1). Tu, me arbitro, pro *Saccummatum* tutò legas *Sacramentum*; atque ita quidem & utriusque vocabuli affinitas (2), & ipsa rerum narratarum series legendum suadent; nam si Anno ML. *Beneventum Papæ Leoni conceditur*: & mox Anno sequenti Legati ab eodem Pontifice missi sunt, qui *Urbem ingressi* postridie Idus Julii dicuntur, jam ante dictum ingressum non *Saccummatum*, quod nihil est, sed *Sacramentum* ad portam Civitatis accepisse dicendi sunt.

Quænam autem ea fuere *dissidia*, quæ postquam Beneventum Pontifici Leoni conceditur, subsequuta indicantur, ex superiore æquè Sansophiano Chronico audivimus, unde postremam Principum seriem ab Atenulpho cœptam superiùs accepimus. Ibi enim sic scriptum legimus nu. VIII. *Et quarto anno post mortem Patris sui* (Pandulfus) *fecit Principem Landulfum filium suum mense Augusti. Regnavit cum eo usquedum venit Domnus Papa Leo in Beneventum anno* XIII. *mense Augusti Indictione* IV. *Anno Domini* MLI, *& exiliati sunt*. Ægrè quidem à Principe Pandulfo ferebatur, Beneventanos non in solam Pontificis tutelam, verùm & in dominium quoque se tradidisse: quæ res amittendi Principatus manifestum periculum præferebat; nec certè inter Beneventanos ii deerant, qui Pandulfo faverent: Heinc exorta *dissidia*, nec priùs sedata, quàm prævalentibus prudentiorum Civium viribus, sivè publici boni rationibus, (animos etiam addente Pontificis præsentia, qui post receptum mense Julio per legatos suos Beneventanorum Sacramentum, sequenti mense Augusto Beneventum advenit) dejectus à Principatu Pandulfus cum filio conforte, atque Urbe discedere coactus fuit.

Sed nihil Beneventanis talia proderant, dum interim Northmanni deteriora moliebantur. Subiit itaque Pontifici Germaniam adeundi consilium, ut ab Imp. Henrico II. militares copias impetraret, quibus effrænis Northmannorum audacia cohiberi tantùm posse videbatur. Nec solùm milites Pontifex impetravit, sed id quoque egit, ut Beneventanæ urbis, sive potiùs Principatus jura, pluribus titulis hactenùs quæsita, sibi, Sedique Apostolicæ ad Henrico confirmarentur. At Pontificiæ expeditionis in Northmannos infelix sane fuit exitus, nec tum solùm vita, atque honos, sed apud posteros etiam virtus, ac nomen Leonis in discrimen adducta; de qua re in subjecta nota plura necessariò observanda seposuimus (3).

Ad

(1) Aloisiæ notas habet quoque Neapolitana Peregrinii editio; habet quoque Ill:mus Borgia *Mem. Istor. di Benev.* P. II. cap. II. pag. 7. Aloisiæ interpretationem, suamque facit hisce verbis. *L'Anonimo Cronista di S. Sofia accenna qualche cosa di questi avvenimenti, ma in confuso, e con somma brevità scrivendo all' anno* 1051., *che* Leo Papa misit Legatos suos Beneventum, qui acceperunt saccummatum (*fortassè* scaccummatum) à Beneventanis ... portam Civitatis ingressi die post Idus Julii.

(2) Qui Chartas Charactere Longobardico scriptas norunt, norunt etiam literarum A & C formam vix inter se differre. Facile itaque fuit, ut qui describendi munus habuit, à secunda litera aberrare incipiens, Sacramentum, in Saccummatum incautè transtulerit.

(3) Periclitari certè Pontificis Leonis Vita, atque honos visa sunt, quum in Northmannos exercitum duxit, nisi Deus hostium animis, quamvis victoriâ ferocientibus, debitam Romano Pontifici reverentiam indidisset: Sed & periclitata adhuc Leonis fama est apud posteros gravissimorum aliquot Scriptorum judicio, qui illius consilium, factumque reprobarunt. Sanctus Petrus Damiani imprimis, dum scribens ad Firminum Episcopum in Ecclesiasticorum sui ævi morem, seu vitium invehitur, qui in Castris versari, armaque, & milites ducere gaudebant, *ad hæc*, subdit, *si quis objiciat Leonem bellicis usibus frequenter se implicuisse Pontificem, nihilominus verum esse dico, quod sentio: Quoniam nec Petrus ob hoc Apostolicum obtinet Principatum, quòd negavit: nec David idcirco Prophetiæ meretur oraculum, quòd thorum alieni Viri invasit; cùm mala, vel bona non pro meritis considerantur habentium, sed ex propriis debent qualitatibus judicari. Numquid hoc legitur vel egisse, vel literis docuisse Gregorius, qui tot rapinas, & violentias à Longobardorum feritate est perpessus? Num Ambrosius bellum Arianis, se, suamque Ecclesiam crudeliter infestantibus intulit? Numquid in arma Sanctorum quispiam traditur insurrexisse Pontificum?* Petrum, talia in Leonem vociferatum, non dissimulavit Cardinalis Baronius, immò & strenuè refutavit ad an. 1053. nu. XIV. ejus sententiam Catholicis Dogmatibus adversantem ostendens, quibus hæresis errore notantur omnes, qui ab Ecclesia Romana, Cathedra Petri, e duobus alterum gladium auferunt, nec nisi spiritualem concedunt. Sed Baronii responsione peculiaris Leonis caussa non omninò in tuto posita est; nam cui temporalis gladii potestatem vindicat, ejusdem exercendi justam tum fuisse occasionem non ostendit. Ostendenda autem res erat, de qua post Petrum Damiani sinistrè judicavit Hermannus Contractus, qui

Pon-

Ad traditionem verò Beneventanæ Urbis quod attinet, si Leonem Ostiensem audimus, quasi tunc primùm Beneventum ad Sedis Apostolicæ dominium accessisse dicendum erit: *Tunc temporis* (inquit) *facta est commutatio inter eundem Apostolicum, & Imperatorem, de Benevento, & Episcopio Bambergensi, sicut jam superiùs retulimus*. Superiùs autem post narratam Episcopatus Bambergensis fundationem à priore Henrico factam, qui Vectigalem eum Episcopatum Sedi Apostolicæ effecerat, hæc scripserat: *Postmodum vero Leo nonus Papa, vicariationis*

Pontificii exercitus cladem his causis attribuit: *Sive quia tantum Sacerdotem spiritualis potiùs, quàm pro caducis rebus carnalis pugna decebat, sive quòd nefarios homines quammultos ad se ob impunitatem scelerum, vel quæstum avarum confluentes contra itidem scelestos expugnandos secum ducebat*: Quin ipse demum S. Bruno Signiensis Episcopus, Pontificis Leonis etsi Biographus, atque Encomiastes, Leonem quidem ipsum ea de re vix sibi collaudandum existimavit, nam *collato* (inquit) *modico quidem, sed fortium militum suæ gentis exercitu super Normannos præliaturus vadit, zelum quidem Dei habens, sed non fortassè scientiam; utinam, non ipse per se illùc ivisset*. Si talia ex Petro Damiani, ex Hermanno, & quod magis est, ex Brunone adversus Leonem habemus, quid ex Romanæ Ecclesiæ hostibus expectabimus? Atque expectabam ego quidem Leonis patrocinium ab Illmo Borgia, qui in T. II. (*Memor. Istor. di Benevento*) non solùm ejus Sanctissimi Pontificis Vitam, nusquam antea editam, ex MS. Codice nostræ Bibliothecæ in lucem edidit, sed Leonis studiosissimus nihil diligentiæ prætermisit, ut ejusdem res gestas, ac promerita in Beneventanos, horumque erga illum veteris cultus monumenta omnia è tenebris eruta, magna rerum copia, parique eruditione illustravit. At id, quod maximè omnium intererat, desiderandum nobis reliquit, ut scilicet Leonis famam ea de re exagitatam, illæsam, atque incolumem præstaret, quod facilè ex ea Vita parabatur, quæ eas demum Northmannici Belli à Leone gesti circumstantias nobis prodit, quæ manifestam laudem eidem conciliare videntur. Ut igitur res ipsa probè constet, audiendus primùm Leo ipse est in sua ad Imp. Constantinum Monomachum Epistola (apud Labbeum Concil. T. XI. p. 1351.)

*Illa sollicitudine, qua debeo omnibus Ecclesiis invigilare, videns indisciplinatam, & alienam gentem incredibili, & inaudita rabie, & plusquam pagana impietate adversus Ecclesias Dei insurgere passim, Christianos trucidare, & nonnullos novis, horribilibusque tormentis ad defectionem animæ affligere, nec infanti, aut seni, aut fœminæ fragilitatis aliquo humano respectu parcere, nec inter sanctum, ac profanum aliquam distantiam habere, Sanctorum Basilicas spoliare, incendere, & ad solum usque diruere, sæpissimè perversitatem ejus redargui, obsecravi, prædicavi, opportunè importunèque institi, terrorem divinæ, & humanæ vindictæ denunciavi; sed quia Sapiens ait: Nemo potest corrigere, quem Deus despexerit: adeò obturata, ac obstinata ejus malitia permansit, ut de die in diem adderet pejora pessimis: Unde non tantum exteriora bona pro liberatione ovium Christi cupiens impendere, sed superimpendi ipse percupiens, visum est mihi, ad testimonium nequitiæ eorum, vel si sic expediret, ad repressionem contumaciæ, humanam defensionem undequaque attrahendam fore, audiens ab Apostolo, Principes non sine causa gladium portare, sed Ministros Dei esse, vindices in iram omni facienti malum. Suffultus ergo comitatu, qualem temporis brevitas, & imminens necessitas permisit, gloriosi Ducis, & Magistri Argyroi fidelissimi tui colloquium, & consilium expetendum censui, non ut cujusquam Northmannorum, seù aliquorum hominum interitum optarem, aut mortem tractarem, sed ut saltem humano terrore resipiscerent, qui divina judicia minimè formidant. Interea nobis eorum pervicaciam salutari admonitione frangère tentantibus, & illis ex adversò eorum subjectionem fictè pollicentibus, repentino impetu Comitatum nostrum aggrediuntur; sed adhuc de victoria sua potiùs tristantur, quàm lætantur*. Nemo certè Sanctissimi Pontificis narrationi fidem abnuerit, præstare nunc etiam cogitur, quam ex illius Vita comprobatam intuetur. Audi igitur Biographum, qui post narratas Northmannorum crudelitates, vastationesque lacrimabiles, *ex ea re Pontifex*, inquit, *Leo contristatus nunc per Epistolas, nunc verò per nuntios, ut ab ejusmodi cessarent insania, blandis allocutionibus admonebat. Illi autem solita calliditate usi, ac perfidia præsentibus ejus legatis quicquid ipse vellet se facturos promittebant; sed illis abeuntibus, quod ipsi verbo tenus fallaciter promittebant, deteriores effecti opere demonstrabant. Videns igitur Papa toties se delusum verbis, in Apuliam per semetipsum descendere decrevit. Cui in obsequium tota gens Northmannorum quasi satisfaciens, aliud tamen in corde gerens, obviam perrexit. Ipse vero ut erat vir miræ sanctitatis, illos nunc paternis castigabat minis, nunc verò mixta prece exorabat, ut suis acquiescerent verbis, & ab hujusmodi desisterent factis: sin alias se scirent anathemati subjacere obnoxios, insuper quid Apostolica vis posset experturos. Galli autem subdoli, quod antea ipsius promiserant nuntiis, nunc cum juramento promittebant ei dicentes, se quicquid ipse vellet, esse facturos, etiamsi juberet, ultra mare sine mora profecturos. Audiens hoc Papa, putans alios suæ esse simplicitatis, data licentia simulque benedictione illos abire dimisit. Porro ipse memor ubique dominici gregis convocatis illarum partium Episcopis Synodum fecit, quo facto, quibusque antea dispositis, & ut decet, ordinatis, festinus Romam perrexit. Sed adhuc vix illò pervenerat, cùm diversarum circumquaque provinciarum festinantes legati retrò clamabant dicentes: Heu quid egisti, Papa: heu quid egisti: si jure Papa dici potes, qui nos nefanda traditione tradidisti. Ecce, inquiunt, Normanni pejores prioribus effecti omnia destruunt, omnia diripiunt, locorum desolatio advenit nobis, Urbes munitæ vix defenduntur muris, una misera mors imminet cunctis. Quis ergo dubitet, hæc omnia te consiliante, te faciente, pejora nobis advenisse? Nam ante tuum adventum quoquo modo vivebamus, nunc autem inimicis ad devorandum dati sumus: Miserere nobis, quæsumus, miserere: & si pastor es, oves tuas more pastoris defende, sin autem ipse uno gladio omnes interfice. His auditis Sanctus Leo valdè super hujuscemodi, ne alius putaretur quàm erat, contristatus querelis, quid ageret ignorans, cui apostolico zelo percutere non expediebat, metuens illam propheticam sententiam, qua dicitur: Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio*

*tionis* ( idest *permutationis* ) *ergo*, *Beneventum ab Henrico Conradi filio recipiens*, *prædictum Episcopium Bambergense sub ejus ditione remisit* (1). Rem ipsam generatim indigitavit Hermannus Contractus, qui ad An. 1052. Pontificem Leonem in Germania consistentem, postquam Fuldensem Abbatiam, aliaque loca, & cœnobia, quæ S. Petro antiquitùs donata ferebantur, exegisset, eidem *demum ab Imperatore pleraque in Ultramontanis partibus ad suum jus pertinentia pro Cisalpinis*, *quasi per concambium*, tradita subdit (2). Mirum certè nullum Hermanno verbum hoc loco excidisse de Benevento, de qua urbe paullò ante magnificè loquutus fuerat; cujus etiam Cives An. ML. meminit ab eodem Leone excommunicatos, propterea quod pari juramento, quo alii Cistiberini populi se obstrinxerat, subjicere sese Pontifici, & Imperatori *aperta rebellione* detrectassent (3). Sed ex Hermanni silentio, de Beneventi *concambio*, falsi redarguere Ostiensem non ausim, quem tamen mox explicabimus: Falsum interim Hermannum ipsum, Beneventanos à Leone excommunicatos narrantem, Ostiensis nobis ostendit, qui Beneventanos haud quidem à Leone excommunicatos, sed veriùs ab eo anathemate solutos testatur, quod à decessore Clemente II. subjerant (4): Infligendi anathematis caussa fuit, quòd Henricum in Italia Cistiberina agentem, non solùm agnoscere Dominum recusarint, sed ( quemadmodum Imp. Lothario illius genitori restiterant ) gravissimis injuriis affectum a suis finibus abire coegerint: *Beneventum* ( sic Ostiensis ) *Henricus contendens*, *cùm noluissent eum Cives recipere*, *tam ob suam*, *quàm ob Patris* ( Conradi ) *injuriam totam Civitatem à Romano Pontifice* ( Clemente II. ) *qui cum illo tunc erat*, *excommunicari fecit*, *cunctamque Beneventanam Terram Normannis auctoritate sua confirmans*, *ultra montes exinde est reversus* (5).

Quod igitur ad Beneventi commutationem attinet cum Episcopatu Bambergensi, intelligas velim, cum ipsa Urbe universum quoque Principatum commutatum, idque ab Ostiensis sen-

*prælio in die Domini*, *alio usus est consilio*, *& qui divino non timebant percuti gladio*, *illos mucrone percutere decrevit humano*. *Collectis itaque tam suæ gentis*, *quàm aliarum gentium quos reperire potuit militibus*, *necnon expeditis quibusque peditibus*, *jam in acie miles constitutus*, *iterum in Apuliam descendit experturus belli eventus*. *Cùm igitur ad id pervenisset loci*, *castrametatus est super flumen*, *quod dicitur Stagnum*, *non longè ab oppido*, *cui nomen est Civitas*. *Galli verò ex alia parte non longè ab ejus castris sua posuerunt castra*, *non ut tamen ad invicem videri possent*: *nam quasi collis humilis interjacebat medius*. *Audiens interea Sanctus Leo Gallorum multitudinem non longè differre à suis*, *incertus quid esset*, *nuntios direxit scifcitari quidnam sibi vellet*, *quod facere volebant*. *Illi autem respondentes dixerunt*, *se paratos esse in famulatum Papæ*, *quocumque illos ducere vellet*: *Verumtamen unum fatebantur*, *illis esse molestum*, *& sine sanguinis effusione nullo modo fore futurum*: *videlicet si eorum inimicis* ( Græcis ), *qui adhuc in finibus Apuliæ degebant*, *auxilium præberet*. *Erat enim tunc temporis Argirus quidam Siponti*, *quem Constantinopolitanus Imperator Principem constituerat Apuliæ*. *Cujus Venerabilis Leo auxilium tam in armis*, *quàm in militibus habere cupiebat*. *Auditis autem hujusmodi responsis*, *quid potiùs ageret*, *cogitabat* ..... *Ipse vero quia indignum erat tali interesse negotio*, *compulsus tamen à suis Civitatem ingressus est oppidum*. *Interea Galli assueti malo*, *atque belli perdocti magisterio præfatum jam ascenderant collem*, *quatenus desuper venientes*, *hujus ascendentem irruendo prosternerent hostem*. *Ventum est ergo ad id miserabile negotium &c.*

Hæc tantùm legisse sufficiet, ut quid de ea re judicandum deinceps sit, omninò liqueat. Itaque falsum est, Leonem e Germania reducem, facto velut impetu in Apuliam Northmannos debellaturum descendisse. Extremum omnium id fuit malis in dies succrescentibus paratum remedium, postquam lenimenta omnia incassum cessissent. Immo Pontificio milite jam in Apulia consistente, non de prælio committendo, sed de pace, ac fœderibus consilia, & nuncia Pontificis fuerunt. Falsum itidem exercitus ducem se Pontificem gessisse, *ex cujus parte* ( uti narrat Ostiensis Chr. Casin. lib. 2. cap. 87. ) *Rodulphus in Beneventanum Principem electus*, *& Guarnerius Suevus signa sustollunt*. Adesse quidem Pontifex voluit, ut præsens Nortmannos sola auctoritatis, religionisque vi ad obsequium compelleret, aut, si tandem res ferro transigenda esset, suo militi animos adderet. Cæterum procul ipse à Castris in Urbem *Civitatem* se recepit, rei exitum expectans, quam Deo commendabat; Heinc illa satis vera, & præclara nostri Biographi: *Stultorum ferocitatem compescens*, *sui ovilis bellicosus habebatur custos*, *non quod ipse tamen ab oratione*, *cùm ad talem ventum esset conflictum*, *unquam cessaret*, *sed secundum illud*, *quod scriptum legerat*: Domino præcipiente Moyses orabat, Josus verò, & Israel contra Amalech pugnabat: *Dum Moyses efficitur*, *Amalech ab ejus exercitu cadit præliando*. Hominum testimonium, quo & rei gestæ veritas, & Leonis virtus tunc maximè ostensa nobis constitit, certius etiam fit ex eo miraculo, quo causæ justitiam, Pontificisque factum Deus comprobavit; nam à Leone solo Crucis signo restinctum incendium, quod ad expugnandam Urbem, ubi Pontifex morabatur, Northmanni ingenti conatu excitarunt, idem Biographus narrat. Hæc rei veritati, ac Leonis nomini, ut ab illatis maculis fulgidiùs assurgeret, danda erant, nosque dedimus, ut Beneventanorum studia erga S. Leonem IX. perpetua, & flagrantia adhuc esse probaremus.

(1) Ostiens. in Chron. Casin. lib. II. cap. XLVI. & cap. LXXXIV.

(2) Hermannus Contractus in Chron. ad An. MLII.

(3) Ibidem ad An. ML. *Dominus Papa Synodum post Pascha iterum Romæ collegit*, *& subsequuto tempore ultra Romam progrediens*, *nonnullos eo locorum Principes*, *& Civitates tam sibi*, *quàm Imperatori jurejurando subjecit*, *Beneventanosque adhuc rebellantes excommùnicavit*.

(4) Ostiensis d. cap. 84. *Beneventum deinde Leo profectus* ( anno 1050. ) *ab excommunicatione illam prædecessoris sui Clementis tandem absolvit*.

(5) Idem d. lib. II. cap. LXXX.

fis sententia nequaquam (uti quispiam Scriptor neotericus ineptè argumentatur) esse alienum, Ambiguum certè Ostiensis testimonium est, quem si de sola Urbe loquutum velis, id profectò de sua ætate affirmasse dicendus est, quando solam Urbem cum ejus Territorio, seù Comitatu Romanis Pontificibus immediatè subditam, reliquas verò Principatus Provincias, Siciliæ Regni nomine, auctoritateque, aliis in Feudum concessas intuebatur. Sed verius est, ut Ostiensis *Beneventi* nomine, non solam Urbem, sed Beneventanum ipsum Principatum significarit. Persæpe in eorum temporum Scriptoribus, aliisque monumentis *Beneventanus* Principatus, *Beneventi Patria*, aut *Beneventi Provincia*, aut demum uno verbo Beneventum scribebatur. Turbare autem non debet illa exigua centum Marchiarum argentearum quantitas, quæ pro Episcopatu Bambergensi pendi quotannis solita, longè inferior universi Principatus æstimatione videbatur: Nam primùm, neque Henricus Urbem, quæ Principatus Sedes, Caputque erat, ab ipso Principatu non sine maximo ejus detrimento tam facilè divulsam voluisset, neque (quod Ostiensis non siluisset) illam tradens, reliquum Principatus Corpus sibi servatum declaravit. Præterea Urbem, etsi solam, centum annuis argenti Marchis (Germanicis certè, quarum singulæ solidos 20. pendebant) æstimatam tunc fuisse, opinari stultum est; ut propterea, si ad Henrici jus oculos intendamus (atque intendisse in hac re oportet) tutum, certumque omninò sit affirmare, potuisse scilicet Henricum, immo non sine ingenti suo emolumento voluisse Urbem cum suo Principatu Pontifici tradere, ac *vicariationis ergo*, idest ipsorum vice Episcopatum Bambergensem ab ejus annui Tributi onere exemptum constituere; quandoquidem certæ pensitationis loco ac vice id tantummodo tradebat, quod juris erat alieni, neque sibi, nisi umbratico supremi, sive imperialis dominii jure debitum contendebat.

Et sanè, si Henricus (uti Lotharius Pater) nunquam à Beneventanis impetrare potuerunt, ut sibi subjectionem profiterentur; nec præstandam Beneventani existimabant, qui confirmato quinque jam tunc excurrentium Sæculorum dominio, naturales, quos sibi deligere consueverant, Principes suos habebant; si Beneventani aperta vi (ut nunc scias *injurias* illas ab Ostiense generatim memoratas, videasque simul acerrimos libertatis suæ propugnatores Beneventanos) & Imperatoris Socrum, à Garganica Basilica revertentem (eodem non dissimulante Hermanno) contumeliis afficere (1); & Imperatori adhuc ipsi, ad cujus injuriam (ut Lupus Protospata refert (2)), *sternutas proprii equi absciderunt*, insultare non dubitarunt: Si denique Henricus, subditos Beneventanos habere desperans, anathemate quidem à Pontifice Clemente percellendos, Northmannis verò debellandos, opprimendosque reliquit; nihil profectò Henricus, Benevento, sive Beneventano Principatu tradito, de suo jure amisisse videtur. Itaque de hac re sic statuendum arbitror: Beneventani spontè subditos ab Anno ML. (ut superiùs probatum est) tradiderant sese Leoni Pontifici, qui Apostolicæ Sedis dominium, tum ex antiquis Caroli Magni, ac Successorum Augustorum concessionibus, tum maximè ex ea recenti, spontaneaque traditione quæsitum, ab eodem Henrico novo facto Diplomate, sibi confirmandum curavit; quo quidem Diplomate (quod certè in ea commutatione, sive *concambio*, uti vocant, emitti debuit) id tantummodo præstitisse Henricus videtur, quod Henricus alter, Otto, atque olim Carolus, ejusque Successores contulerunt: id verò addidit, ut etiam Leoni militares Copias (magna tamen ex parte in itinere subductas) suppeditaret, quibus Northmannos coercere posset. Certum id efficitur ex Leonis facto,

(1) Hermanni verba ad An. 1047. hæc sunt: *Imperator Roma egressus nonnulla Castella sibi rebellantia coepit, Provincias illas, prout videbatur, disposuit, Duces Northmannis, qui in illis partibus commorantur, & aliis eo loco Urbibus constituit. Sed Socru Imperatoris de Monte Gargano Beneventum reversa, orto tumultu, Beneventani Cives quibusdam eam injuriis afficiunt: Unde sævam ab Imperatore vindictam metuentes, eique se subdere non præsumentes, rebellionem ineunt; sed Imperator, qui magna ex parte, ut dictum est, exercitum jam dimiserat, & ad aliam, occupato animo, Patriam tendebat, tantam tum temporis Civitatem aggredi distulit, interimque eo infecto negotio redire disposuit.* Jucundum fuit Hermannum audisse, ut ex ipso discas, quanti apud omnes nationes haberetur Beneventum, tum ex loci munitione, tum ex Civium fortitudine, audaciaque ipsa, tum denique ex aliarum rerum majestate; quandoquidem TANTAM tum temporis Civitatem Imp. Henricus post acceptam injuriam, inultam relinquere satiùs habuit.

(2) Lupus Protospata in Chronico inter Opp. Peregrin. T. IV. pag. 39. ad an. 1046. *Deinde dictus Imperator venit Beneventum; Beneventani verò ad ejus injuriam absciderunt sternutas equi ejus*, idest *Nares*, ita à Lupo (inaudito hactenus vocabulo, quod Cangius silet, sed non improprio) ita appellatas; nam è narium vellicatione *sternutamenta* excitantur. Potuit etiam id verbum (corrupto tamen supino) ad Ephippium referri, quo *sterni* equi dicuntur: at prior explicatio magis plurali numero, ac narrationi congruere videtur.

facto, qui ante Northmannicum bellum, eundem exercitus sui ducem constituit Rodulphum, quem (ut tradit Ostiensis) *in Beneventanum Principem jam elegerat* (1).

Postea verò quàm adverso (ut diximus) marte cum Northmannis pugnatum est, atque (ut S. Brunonis Signiensis verba usurpem) *superantur illi, qui pro justitia pugnant, superant illi, qui justitiam impugnant* (2), nihil deinceps de Principe Rodulpho memoriæ proditum invenio, quem vel in eo prælio interiisse, vel potiùs, Leone jubente, Principatu cessisse crediderim (3). Cogitabat quidem prudentissimus Pontifex, nunquam sibi, Sedique Apostolicæ Beneventanorum fidem defuturam: hoc enim elogium idem Signiensis Bruno meritò tribuit Beneventanæ Civitati, dum Leonem è prælio rediisse ait Beneventum, *Civitatem utique Beato Petro fidelem, & familiarem*. At dum Pandulphus, Landulphusque filius Principatu dejecti, atque extorres adviverent, non modò æquum, sed è re quoque sua fore putavit, quamlibet novarum turbarum occasionem præcidere, eosque ad pristinam aviti Principatus administrationem revocare. Ita quidem Chronographus Sophianus, qui Leone Beneventum adveniente Anno MLI. Pandulphum, & Landulphum *exiliatos* narravit n. VIII., mox sequenti n. IX. hæc sufidit: *Postmodum autem reversi sunt Beneventum, & regnavit Domnus Paldolphus Annos* XLVIII. *&c.* Id tamen non aliter à Pontifice permissum, quàm promissa, jurataque Sibi, ac Sedi Apostolicæ subjectione, apud quam supremum Beneventani Principatus dominium pertineret. Pactum ea de re inter Pontificem, & Principes, assentientibus Beneventanis Civibus, atque plaudentibus, solemniter scriptum, celebratumque ad posteritatem minimè evasit; sed omnino extitisse, illudque, qui mox Leoni successere, Pontifices renovandum curasse, manifestè docet ipsum idem Pactum Constitutionis, quod post annos circiter viginti cum eodem Principe Landulpho sancivit Gregorius VII.. Ac Gregorium quidem An. Domini MLXXIII. Beneventum advenisse superiùs ex eodem nostro Chronographo audivimus; qui tamen, quid à Gregorio gestum tunc Beneventi sit, silet, memorat verò Chronographus Cavensis, qui ad eundem annum sic habet: *Alexander Papa defunctus est, & electus Gregorius Monachus S. Benedicti in* IX. *Kal. Majas: Ipse venit Beneventum, ubi Landulfus Princeps illi præstitit omagium* (4): immo etiamnum clamat Pactum ipsum, cujus exemplar ex Regesto Epistolarum ejusdem Pontificis à magno Baronio in Ecclesiasticos Annales relatum, heic descripsisse operæ pretium erit.

*Constitutio, quæ facta est inter Dominum Gregorium PP. VII., & Landulphum Beneventanum Principem.*

*Hæc est Constitutio, quam Dominus Papa Gregorius constituit cum Landulpho Beneventano Principe, & quam Princeps Beneventanus ipse sibi firmiter promisit in Sacro Beneventano Palatio, anno primo Pontificatus ejus duodecima die intrante mense Augusto, Indictione undecima. Si ab hora ipsa in antea Princeps ipse fuisset infidelis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Papæ, suisque Successoribus, vel si in aliquo quæsisset minuere publicam rem Beneventanam, aut aliquam inde absque nutu Papæ, vel absque ordinatis ejus alicui fecisset investitionem: vel si aliquo invenerit studio cum aliquo homine intus, aut foris Civitatem Beneventanam faciendi, aut recipiendi Sacramentum, aut inveniendi divisiones: vel si per se, aut per suppositam personam intus, aut foris Civitatem Beneventanam studuerit qualicunque modo, aut ingenio reddendi malum meritum, aut faciendi damnitatem cuilibet de Fidelibus S. Rom. Ecclesiæ de ea, quæ ad fidelitatem ejusdem S. R. E. egere usque modo, si se juxta Domni Apostolici judicium non potuerit inde defendere, cùm fuerit appellatus, à præsenti amittat suum honorem.*

*Ego*

(1) Ostiensis in Chron. lib. II. cap. 87.

(2) In Vita S. Leonis IX. Scriptor. Ital. T. III. P. II. pag. 351.

(3) Extat in Chronico S. Sophiæ P. VI. pag. 748. apud Ughell. T. VIII. edit. Rom. Diploma cum hoc titulo: *Rodolphus de loco in Vineto*: & mox: *Concessimus nos Dominus Vir gloriosissimus, ac magnificus Dominus Rodolphus Summus Princeps Gentis Beneventanorum tibi Odoaldo Referendario nostro &c. quod autem præceptum, mandatumque concessionis ex jussione, & licentia supernominatæ Potestatis scripsi ego Notarius Civitatis Beneventanæ, & Referendarius sacratissimi nostri Palatii in anno ab Incarnatione Omnipotentis Domini nostri Jesu Christi* ..... Reliqua desiderantur vel temporis edacitate, vel Chronographi sive descriptoris negligentiâ: Sed ipsa Chronologica nota Incarnationis Dominicæ Chartam Sæculi XI. nobis indicat, cui & adscripti anni Pontificatus Leonis esse debuerunt. Advertas etiam, Rodulphum (qui brevi illo Principatus sui spatio hoc Diploma edidit) se non *Longobardorum* (quorum Principes Landolphus, & Pandolphus ejecti ex Urbe tunc fuerant) sed *Beneventanorum Principem* appellare maluisse.

(4) Chronicon Cavense inter Opp. Peregrinii T. IV. pag. 445.

*Ego Johannes Portuensis Episcopus recognoscens subscripsi.*
*Ego Johannes Tusculanensis Episcopus interfui, & subscripsi.*
*Ego Herbertus Prænestinus Episcopus subscripsi.*
*Ego Desiderius Presbyter S. Rom. Ecclesiæ interfui, & subscripsi* (1).
*Ego Petrus Cardinalis Presbyter, & Bibliothecarius S. R. E. interfui, & subscripsi.*

Ingens potiùs emolumentum, atque decus, quàm detrimenti, probrique quicquam accepisse ex ea re videtur Beneventanorum Principum Stirps Longobardica, quæ hactenus supremo aliorum dominio subdi nescia, aut impatiens, Sedem denique Apostolicam dominam agnovit. Siquidem in pristinam ditionis amplitudinem, rerumque felicitatem si non assurgere, stare saltem, perseverareque jam poterat, Summorum Pontificum subnixa viribus, subsidiis, majestate. At post diuturnam, quam in aliis Dynastiis haud facilè invenias, quingentorum, & ampliùs annorum ætatem, Longobardicus tandem Principatus ineluctabilem rerum humanarum vicissitudinem subiisse debuit. Landulphus igitur hoc nomine Sextus, qui Anno MXXXVIII. à Pandulpho Patre in Principatus societatem admissus, Pandulphum filium An. MLVI. ejusdem Principatus Consortem sibi fecerat, exactis Principatus sui annis XXXIX., Filio superstes, quem quadriennio ante ad Montem Sarchum, sive Herculis, octavo ab Urbe lapide, Northmanni interfecerant, anno demum MLXXVII. V Kal. Decembris extremum vitæ diem claudens, Longobardicum Principatum secum tumulavit (2): infe-

Rrr ALTER

(1) Gregorium Pontificem VII. *eodem ordinationis suæ anno ad Monasterium Casinense venisse, ac sociato sibi Desiderio Beneventum perrexisse*, testatur etiam Ostiensis in Chron. Casin. lib. III. cap. 35. Intererat profectò Pontificis, socium adducere Desiderium, qui virtute, ac dignitate præclarissimus, ac Beneventanorum Principum consanguineus, rem ipsam, quam Pontifex cogitabat, maximi scilicet momenti, ut Beneventanos Principes sibi subditos confirmaret, expeditiorem præsentiâ, cohortationeque sua efficeret, quam pro Pontificis voto constitutam, sua quoque subscriptione communivit.

(2) Hunc Longobardorum Principum postremum Landulphum, filium Beneventani Archiepiscopi Roffridi affirmat Ughellus: *nam docet* (inquit pag. 139.) *ejusdem Landulfi confessio in concessione facta ad petitionem Roffridi Archiepiscopi genitoris sui, ut in documento, quod refert Chronicon S. Sophiæ P. VI. tenoris sequentis &c.* Hallucinatus quidem Ughellus fuit, cui facilè veniam dabimus; nullam verò meretur Sarnellius, qui oscitantissimè Ughellum sectatus, ita habet in Chronologiæ suæ pag. 84. *Roffrido Padre dell' ultimo Principe de' Longobardi Landolfo, eletto Arcivescovo IX. sotto Papa Gregorio VII. l' anno 1076., al quale toccò sepellire col figliuolo la gloria del Principato Beneventano.* Non ignorabat Sarnellius (quod ex nostro Chronographo superiùs demonstravimus) postremi Principis Landulphi VI. genitorem fuisse Pandulphum III., sic enim eodem loco statim subdit: *Perciocchè nell' anno 1077. Landolfo VI. avendo regnato col Padre dal 1038, col Padre, e col figlio dal 1056., col figliuolo dal 1059., solo dopo la morte del figliuolo dal 1074., in tutto anni 39., morì, ed in lui si estinse il Principato Beneventano, e la Sereniss. Prosapia de' Longobardi.* Et paullò antea p. 79. *Nello stesso anno 1059. Pandolfo III. Principe si fè Monaco Casinense, e restò undecimo Principe Beneventano Landolfo VI., che regnato avea col Padre dal* 1038. Quantum igitur oscitantiæ Sarnellio fuit, qui Pandulphum III. Landulphi VI. genitorem probè noscens, pluriesque testatus, tanta fiducia, tantaque falsitate alterum genitorem Landulpho VI. attribuit Roffridum Archiepiscopum, quem ingemiscentem adhuc ostendit cum Landulphi filii morte extinctam Longobardorum Principum Prosapiam. Quum igitur Landulphus in suo Diplomate Roffridum *genitorem, ac parentem* appellasse legatur, nolim, ut vel erroris, vel falsitatis eam Chartam redarguas; sed verè ita scriptum tibi persuadeas, eamque rem ad eum morem facilè deduces, quo Principes Administros quospiam suos, sublimi dignitate, ac virtute insignes, *Patres suos*, honoris caussa appellabant. Sic Imp. Alexander in leg. 1. Cod. De Locato: *Ad Dominum Ulpianum Præfectum Prætorio, ac Parentem meum eos remittere curabit.* Imp. Constantinus in leg. 1. Cod. Theod. *De Episc. Judic.* ad Ablavium Præfectum Prætorio missa, sic eum alloquitur: *Ablavi Parens Karissime*; quæ verba in aliis Legibus passim occurrunt his plerumque siglis expressa. P. KA., de quibus vide Brissonium *De Formulis Rom.* lib. III. cap. 62., ex quo plurima in suum Glossarium Cangius derivavit. Hanc in rem pulcherrimè lusit Claudianus in Eutropium Prologo lib. II. vers. 49.

*Direptas quid plangis opes, quas natus habebis?*
*Non aliter poteras Principis esse Pater.*

Scilicet Eutropius Eunuchus, & Consularis, qua ex dignitate *Pater Imperatoris* audiebat, postea ob sua scelera in ordinem redactus, & bonis omnibus Fisco attributis, multatus fuit. Itaque Princeps Landulphus non alia significatione Roffridum Archiepiscopum Parentem, Genitoremque suum appellavit, ut is scilicet honoris esset titulus, qui etiam Roffrido ex suprema, qua fungebatur, Ecclesiastica, seu Pastorali Dignitate congruebat. Nec certè insolens nostris Principibus id fuit, illustres viros, benèque de se meritos variis cognationis naturalis titulis, honoris tamen solius caussâ, appellare. Sic in eodem Chronico P. III. num. 50. Pandulphus vocat Adelferium Comitem filium quondam Dauferii, *dilectum Parentem nostrum*, & num. 42. Radelpotum Gastaldum, *charissimum Parentem nostrum*, & num. 40. Rodfridum Comitem, *dilectum nostrum fratrem*, & num. 46. *Quoniam Landolfus dilectus Gastaldus noster, & Parens noster, ac filii bo. mem Potonis per Dauferium Comitem Barbanum nostrum* (idest *Patruum*, qualem eo nomine vocabant Longobardi, ut ex Lege 164. Regis Rotharis liquet) *nostram deprecatus est excellentiam &c.*: Eodem videlicet more, quo adhuc Romani Imperatores alios in inferiori dignitate constitutos, uti Rectores Provinciarum, Comites &c. *Fratres constitutos* appellabant. De qua re satis fit Cassiodorum audisse in Formula Judicum ad Provinciam mittendorum lib. VI. cap. XX. *Quid de te æstimatum*

infelix potius Pater, quàm Princeps; dum melioribus Beneventanorum fatis, Principatus succeſſionem, liberamque adminiſtrationem Romanis Pontificibus ſupremis dominis relinquebat.

Poſt Landulphi igitur obitum (inquit Chronographus noſter n. xv.) *recta eſt Civitas per Romanam Eccleſiam*; ac cum Civitate ipſa univerſum Beneventanum Principatum Romana Eccleſia regendum ſuſcepit; ineptum enim, immo abſurdum id dicere foret, Romanos Pontifices ſola Urbe contentos, reliquam abjeciſſe, aut neglexiſſe, aliiſque invadendam permiſiſſe Ditionem, quæ principi Urbi tunc inhærebat, atque uti Corpus cum ſuo Capite copulabatur. Heinc, abrogato quidem Principum titulo, mos ille, atque inſtitutum obtinuit, ut Romani Pontifices, eos, qui ſuo nomine Benevento præeſſent, *Rectores* inſtituerent, qui tamen Rectores tum Urbis, tum Principatus adminiſtrationem exercerent; quorum primi ſub dicto Gregorio VII. fuere Stephanus, titulo *Sculdachis* honeſtatus, ac Dacomarius *Præſes*, quem (ut ejus Diploma docet) *ſumma Poteſtas præfecit ad gubernandam Rempublicam, & Populum Beneventi* (1): mox Anſo ejuſdem Dacomarii filius, quem *Rectorem Beneventani Principatus ad fidelitatem Rom. Eccleſiæ*, Petrus Diaconus diſertè appellat (2). Res ex ſe ipſa clamat; nam Principatum Beneventanum in eo ſaltem ſtatu, quo eum Landulphus Princeps moriens reliquerat, Eccleſia Romana regendum cum ipſa Urbe Benevento ſuſcepit; juribus tamen ſibi ſervatis, quæ a tribus retrò ſæculis in cunctum Ducatum Beneventanum, Northmannorum tyrannide magna ex parte tunc oppreſſum, Caroli M., aliorumque Auguſtorum iteratis donationibus, ipſa demum Beneventanorum ſpontanea, ac ſolemni deditione (apud quos, ſi id è re ipſorum publica eſſet, Principes ſuos deligendi, deponendi, ſubſtituendique jus integrum erat) legitimè quæſita, ac comparata præferebat.

Landulphi obitus Northmannos, quibus jus omne in armis, alienaque per omne nefas rapere mos erat, in ſpem occupandæ Beneventanæ Urbis excitavit: Quare Robertus paullò poſt obſidionem admovit, quæ ad quatuor prope menſes deducta, tandem Beneventanorum virtute in irritum ceſſit. Sic Chronographus noſter n. xiv. (*Quo* Landulpho) *moriente menſe Novembri v. Kal. Decembris ſtatim Robertus Dux obſedit Beneventum* xvi. *Kal. Januarii uſque* vi. *Id. Aprilis, unde expulſus eſt cum omnibus ſuis Ind.* i.. Hanc expulſionem virtute Beneventanorum, ut dixi, factam præclarè teſtatur Chronographus Cavenſis, cujus hæc ſunt ad An. 1077 *Landulphus Princeps obiit Beneventi, ad quam Urbem profectus eſt Viſcardus* (3), *qui paullò ante è Byzan-*

*tum ſit, detur adverti, cui tot videntur nobiles potuiſſe poſtponi: additur, quod à Principe Frater vocaris.* Sed ut ad Landulphi Diploma redeam, animadvertenda ejus clauſula eſt, his verbis conſcripta: *Carus Clericus, ac Notarius, atque Scriba ex juſſione ſupranominatæ poteſtatis ſcripſit in anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo ſeptuageſimo ſeptimo, & quarto anno Pontificatus Domni noſtri Summi Pontificis, & univerſalis ſeptimi Papæ Gregorii in Sacratiſſima Sede B. Petri Apoſtoli; & trigeſimo nono anno Principatus Domni Landolfi glorioſi Principis de menſe Martio quintadecima Indictione*: Eodem ſcilicet anno obitus dicti Landulphi menſe Novembri defuncti, qui ſubjectionem ſuam Romano Pontifici præſtitam, illius nomine, Pontificatuſque annis primo loco in eo Diplomate expreſſis, conſtanter profitebatur, atque uſque ad obitum obſequentiſſimè ſervavit.

(1) Chron. S. Sophiæ P. vi. n. 34. apud Ughellum.

(2) Chronicon Caſin. lib. iv. cap. 19.

(3) Robertum ſolo *Viſcardi* cognomine heic, & paſſim appellare amat Chronographus Cavenſis, quod probri potiùs cauſsâ factum videtur. Gaufridus Malaterra in Hiſtor. Sicula lib. i. cap. 3. Northmannorum, ſuæ videlicet gentis mores deſcribens: *eſt* (inquit) *gens aſtutiſſima, injuriarum ultrix, ſpe alias plus lucrandi, patrios agros vilipendens: quæſtus, & dominationis avida: cujuslibet rei ſimulatrix ... quæ quidem, niſi jugo juſtitiæ prematur, effrænatiſſima.* Hos gentis mores in ſe uno collegit Robertus: De eo Leo Oſtienſis initia retexens, ac quaſi gratam vicem reddere affirmans pro ejuſdem in Monaſterium Caſinenſe meritis, turpiſſimum illud narrare orditur, quod quum Robertus in Oppido Roccæ in finibus Calabriæ ſuam ditionem ſtatuiſſet, ac *pauper admodum, eſſet, vicinæ Urbis dominum, quæ Biſinianum vocatur, Petrum videlicet, divitem valdè virum, vocatum ad colloquium cepit, à quo utique viginti millia aureos pro ejus abſolutione recepit. Huic ad fratrem pergenti Girardus de Bono alibergo recurrens, primus omnium illum* Guiſcardum, *quaſi per jocum appellavit.* Hæc de Roberto, ejuſque cognomine Oſtienſis, veritatis magis, quàm beneficiorum ſtudioſus. Oſtienſi libenter addimus Ottonem Friſingenſem, nondum ab aliis fortaſsè obſervatum, qui in *De Geſtis Friderici I. lib.* i. *cap.* iii. hæc de Roberti genere, cognomine, moribus, fortuna conſcribit: *Robertus iſte ex mediocri ſtirpe in Northmannia, ex eorum militum ordine, quos Varvaſoras vulgò ibi dicere ſolent, in plaga, quam Conſtantiam indigenæ dicunt, editus, cum Rogerio fratre, tam Patri famis tempore, morem, ut ajunt, gerens, quàm ob locorum ſterilitatis moleſtiam à natali ſolo progreſſus, multo tempore multas provincias, opportuniorem ad inhabitandam terram quærens, oberravit, unde & ab oberrandi circuitu patria lingua* Guiſcardus, *tanquam oberrator, & gyrator appellatus eſt. Cum ergo non paucis, ut dictum eſt, diebus, multarum Regionum gyrator exiſteret, à citeriore Italia, quæ modo Apulia, ſeu Calabria dicitur, tandem excipitur ... virtute, dolo, arte, ignavi populi victor exi-*

*Byzantio rediverat, ut comprehenderet eam; sed nihil facere potuit ob Civium virtutem, & minas Apostolici, qui iterum anathematizavit eum.* Sed præter Pontificias minas, atque anathemata, quibus Robertus deterreri nesciebat, Beneventanorum *virtutem* maximè adjuvit Rainulphi Comitis (uti tradit Lupus Protospata (1)), sive Jordani Capuani Principis opera, qui cum dicto Rainulpho patruo in Robertum conjuraverant: cui Jordano præstiti auxilii præmium quatuor millia quingenta Byzantiorum aureorum Beneventanos dedisse Petrus Diaconus testatur (2).

Effrænem Roberti alienis assiduè inhiantis animum cohibuit tandem, aut certè vicit, sibique devinxit Pontificis Gregorii prudentia. Anno 1059. Pontifex Nicoalus II. eundem Robertum, & Richardum ob iniquas Calabriæ, Apuliæ, Capuæque invasiones anathemate percussit: Sed postea veniam flagitantes non solùm absolvit, verùm etiam temporum, rerumque præsentes rationes sequutus, regiones illas beneficiario jure possidendas eis concessit. Nihil Roberto optabilius, quàm ut ab Ecclesia Romana legitimum possidendi titulum sibi compararet; nihil etiam Romanæ ipsius Ecclesiæ rebus congruentius, quæ in ejusmodi concessione, recepto fidelitatis Sacramento, certique tributi quotannis solvendi promissione, supremi dominii prærogativam, tum etiam emolumenta sibi servavit. Ejus rei testem Ostiensem, aliosque Scriptores habemus (3); habemus omnium locupletissimum testem, ipsum præstiti juramenti, fidelitatis, tributique solvendi superstes monimentum, à Baronio editum (4).

At tanto Romanæ Ecclesiæ beneficio nihilò melior factus Robertus, Salernum, cui Gisulphus II. Princeps præerat, proculcatis etiam necessitudinis legibus, occupavit. Audi Chronographum Cavensem ad an. 1075. *Viscardus sub prætextu, quod Gisulphus cognatus suus fecisset illum anathematizare à Papa Gregorio, obsedit Salernum post Kal. Aprilis, & post septem menses sumpsit eam. Sed nihil mali fecit in Civitate, solummodo thesaurum suum expoliavit, & armamentariam. Hæc fuerunt in Idib. Dec. Gisulfus Princeps, qui aufugerat in Castra, post* XXXII. *dies pacem firmavit cum cognato suo, & ipse Romam exutus omnibus bonis petiit, ubi à Gregorio Papa factus est Dux Campaniæ* (5). Vides, quæ fuerint ejus *Pacis* conditiones inter Robertum, & Gisulphum. Robertus nulla de causa Salernum aggreditur, expugnat, & Gisulphum *cognatum* Principatu, ac bonis omnibus exutum, vix vita, ac libertate donatum, extra aviti Principatus fines expellit. Quid hac pace iniquius? Sed iniquiora jam audiamus. Gisulphum Salernitanorum Principum Longobardicæ Stirpis postremum, pauperem, ac pro-



*existens, Campaniæ, Apuliæ, Calabriæ, Siciliæ ad ultimum possessor inventus est.* Id verò aliorum sententiâ certum est, *Guiscardi* cognomen ob *vafritiem* Roberto factum, uti tradunt Willelmus Gemetic. l. 7. cap. 3. Robertus de Monte ad an. 1129. Vim ejus vocis expressit Guntherus Ligurini lib. I.

*Cui propter sensus agiles, animique vigorem*
*Cognomen Guiscardus erat...*

& Guillelmus Apulus lib. II. Rer. Northman. T. V. Scriptor. Ital. Muratorii pag. 260.

*Cognomen Guiscardus erat, quia calliditatis*
*Non Cicero tantæ fuit, aut versutus Ulysses.*

Northmannorum lingua, cautus, atque astutus, *Guiscard* appellatur hodieque, si verum dicit Johannes Tiremæus, primus Guillelmi Apuli editor, atque commentator.

(1) Inter Opp. Peregrinii T. IV. pag. 44. Vid. ejusdem Peregrinii notas ad eum locum.

(2) Chronic. Casin. lib. III. cap. 45.

(3) Ostiensis in Chron. lib. III. cap. 15. *Per hos etiam dies Nicolaus Papa Richardo Capuanum Principatum, Roberto Apuliæ, Calabriæ, & Siciliæ Ducatum confirmavit, accepta priùs ab eis cum Sacramento Rom. Ecclesiæ fidelitate, censuque quotannis per juga bovum singula denariis duodecim.* Guillelmus Apulus lib. II. post narrationem aliorum à Nicolao II. in Concilio Melphiensi gestorum, sic canere pergit:

*Finita Synodo, multorum Papa rogatu*
*Robertum donat Nicolaus honore Ducali.*
*Hic Comitum solus, concesso jure Ducatus*
*Est Papæ factus jurando jure Fidelis,*
*Unde sibi Calaber concessus, & Appulus omnis*
*Est locus, & Latio patriæ dominatio gentis.*

(4) Card. Baronius ad An. MLIX. num. 70., & 71. Notanda est formula illa, qua Robertus juramentum suscepit: *Ego Robertus Dei gratia, & S. Petri Dux Apuliæ, & Calabriæ, & utroque subveniente, futurus Siciliæ &c.*

(5) De eodem anno 1075. consentiunt Chronicon alterum S. Sophiæ inter Opp. Peregrinii T. IV. pag. 175.: *Robertus Dux perrexit supra Salernum, quod tenebat Gisulphus Princeps cognatus suus, & sedit super eam à Mense Maji usque in festum S. Luciæ, & in ipsa nocte cepit eandem Civitatem.* Anonymus Casinensis in suo Chronico l. I. pag. 78. ad eundem annum 1075. *Venit hoc anno Robertus Dux super Salernum pridiè nonas Maji, & obsedit eam terra, marique, & cepit eam die Idus Decembris.* Non audiendus itaque Lupus Protospata, qui ad annum 1077. rem ipsam producit, ut Camillus Peregrinius advertit. Corrigendus propterea Muratorius, qui falsos duces sequutus, Salernitanæ Urbis expugnationem à Roberto factam statuens, aberrandi etiam occasionem præbuit Ill.mo Borgiæ, qui in suis Memoriis Histor. Benev. T. II. pag. 84. sic loquitur: *Aveva Roberto tolta questa Città al Principe di Salerno Gisulfo II., che di sopra vedemmo da lui scacciato nel 1077. da Salerno &c.*

profugum Gregorius VII. ( ex sueta Romanæ Ecclesiæ materna benignitate, quæ Principibus majestatis, ac felicitatis suæ fastigio dejectis non solùm solatio fuit, sed asylum quoque, opemque congruam omni ævo præstitit ) liberaliter suscepit, ac Ducatui Campaniæ, quo vitæ reliquum transigere honestè posset, præfecit. Res ipsa Roberti quidem impietatem exprobrabat, qui Gisulphum, cujus ipse Principatu potiretur, apud alios confugium, sustentationem, honorem invenisse intueretur. Sed res non rubori, sed Roberti animo turpioris flagitii occasio fuit. Hostis igitur, cum quo Pacem, ablato tamen Principatu, sanciverat, iterum Gisulphus declaratur. Hostis etiam, qui Gisulphum susceperat, Pontifex pronunciatur: ac mox illata arma, quæ Gisulpho vitam, Pontifici Campaniam auferrent. Post hæc, defuncto, ut diximus, Beneventano Principe Landulpho, Beneventanam Urbem obsedit Robertus, quem interea Pontificis Gregorii anathemata nequicquam deterrebant; neque unquam deterruissent, nisi tantæ compescendæ iniquitatis, inducendæque quietis occasionem Deus præbuisset.

Excitaverat Deus ex ipsa Northmannica Gente virum, dignitate, ac viribus Roberto haud fortasse imparem, Jordanum nempè Principem Capuanum, Roberti adversarium, qui ( ut superiùs diximus ) Beneventanis, in Roberti obsidione, suppetias tulit, quique deinceps plerisque Apuliæ Urbibus auctor fuit, ut à Roberti dominio se subducerent; ut jam sua potius recuperandi, tuendique, quàm aliena ulteriùs occupandi, Robertus cogeretur. Excitavit etiam Deus Desiderium Abbatem Casinensem, superstitem ex Longobardica Beneventanorum Principum familia sobolem, qui non extincti Longobardici Principatûs occasum, cujus jura cum Monastica professione à juventute invictè commutaverat, sed Cistiberinæ Italiæ, Majoribus suis olim subditæ, calamitates miseratus, suam, quam posset, operam avertendis malis adhibendam existimavit; quare Romam adiit, inter Pontificem, ac Robertum statuendæ Pacis sequester (1). Excitavit denique Deus Gregorium ipsum Pontificem, quem, ut Desiderio faciles aures præberet, ingentia illa mala suaserunt, quæ ab Imp. Henrico IV. imminebant: quapropter peculiari Dei providentia tunc factum videtur, ut Robertum illum Guiscardum, quem hostem implacabilem Romanæ Ecclesiæ, & invasorem bonorum ejus Pontifex expertus fuerat, in summo postea rerum discrimine, tum sui ipsius, tum ejusdem Ecclesiæ defensorem fidelissimum habere lætaretur. Res itaque, colloquio Beneventi habito inter Pontificem, & Robertum, ita transacta est: confirmandam Roberto veterem investituram, cui loca alia exinde occupata adderentur, *excepta parte Firmanæ Marchiæ, & Salerno, atque Amalphi, unde adhuc facta non est definitio*: Juramentum fidelitatis præstandum: solvendam denique, quæ antea statuta erat, duodecim denariorum monetæ Papiensis pro unoquoque jugo bovum annuam pensionem. Rei gestæ documentum idem edidit Ecclesiasticorum Annalium parens Baronius: qua in Charta Robertum *Dei gratia, & S. Petri* Apuliæ, & Calabriæ, & Siciliæ Ducem se profiteri, iterum audias; audias etiam ( quod nondum *definitum* Robertus ipse declarat ) concessam quidem à Gregorio regionum omnium cistiberinarum Investituram; sed *de illa terra* ( inquit ), *quam injustè tenes, sicut est Salernus, & Amalphia, & pars Marchiæ Firmanæ, nunc te patienter sustineo in confidentia Dei omnipotentis, & tuæ bonitatis, & tu postea exinde ad honorem Dei, & S. Petri ita te habeas, sicut & te agere, & me suscipere decet sine periculo animæ tuæ, & meæ*.

Qui rerum hactenus gestarum seriem à nobis luculenter expositam, indubiisque testimoniis comprobatam omninò nosti, habes utique Lector, quid de eo neoterico Scriptore nunc sentias, atque decernas; qui altissimum de ea Investitura silentium sibi indicens, unicum Pacis cum Pontifice celebratæ sive negotium, sive exitum agnoscit, Anathematum solutionem Roberto concessam. Addit & is, Robertum posthac de Beneventana Urbe non ampliùs solicitum, eam Urbem Pontifici possidendam dimisisse; qua ex sola dimissione integrum jus illud repetendum censet, quo Romani Pontifices Beneventanæ Urbis dominium adepti tandem sint; ex eaque re fieri, ut Urbs illa extra Regnum posita, Beneventanique nullimodè Regni *naturales*, sive Cives, sed velut exteri, peregrinique sint reputandi (2).

Haud

(1) Card. Baronius An. MLXXX. num. XXXV. seqq.

(2) Auctor Histor. Civil. Neapol. lib. X. cap. IV. T. II. pag. 78.: *I Normanni pacificati col Papa, ottennero da lui l' assoluzione, ed all' incontro Roberto, ridotte le Terre di Monticulo, Carbonara, Pietrapalumbo, Monteverde, Genziano, e Spinazola sotto il suo dominio, più non curò di rinovare l' assedio alla Città di Benevento, ma lasciatala così libera à Gregorio, come la pretendeva; d' allora cominciò questa Città à reggersi per la Chiesa Romana, la quale introducendovi nuova polizia, per Rettori,*

Haud certè Apoſtolicæ Sedi gratulandum erit de novo hoc dominii titulo, quem is Scriptor excogitavit: & mirum certè id ab eo excogitatum, cui, qui fuerint non Urbis tantùm, ſed Beneventani Ducatus vetuſtiſſimi, legitimique tituli, ſatis compertum, atque extitit etiam in ſuas narrationes relatum. Qualis igitur is Titulus eſſe potuit, omni certè Jure tum Naturæ, tum Gentium, tum Civili ignotus, immo cui ea Jura omnia adverſari videntur, ut ſcilicet, quia Robertus nullam prorſus paterni alicujus Principatus poſſeſſionem ſibi vindicare, ſed aliena ſibi rapere, conquirereque ſatagens, Beneventanam Urbem occupare ſuperſederit, ideo eam Urbem in Roman. Pontificum dominium perveniſſe dicatur: Scilicet quum ſua retinere Dominus pergat, beneficium accepiſſe videatur, atque, ſi prædo quis noſtra non auferat, nobis dediſſe cenſendus ſit. Denique Pontifex Regionum illarum, quibus Beneventanus Principatus maxima ex parte conſtabat, Roberto, quò ſibi tam malè parta legitimo quopiam titulo retinere, ac poſſidere poſſet, Inveſtituram indulget: Robertus contrà Pontifici domino tunc ſuo, ac veteri Beneventi domino, ejus Urbis dominium conceſſerit?

Servanda igitur Hiſtoriæ fides eſt, nulloque veritas ſilentio diſſimulanda, vel tenebris obducenda; præſertim, ſi non modò fidiſſimis veterum Scriptorum narrationibus, verùm etiam ipſis ſuperſtitibus rei geſtæ documentis comprobetur. Quamobrem, qui poſt iniquiſſimas invaſiones, ſeſe *Dei gratia*, *& S. Petri* Ducem profitetur, qui à Domino juſtis tum de cauſis non abnuente, Calabriæ, Apuliæ, Siciliæ Inveſtituram recipit, qui Romanæ Eccleſiæ & Fidelitatis ſacramento, & annui Tributi præſtatione ſe obſtringit, nonne Beneficiario jure, atque in Feudum omnia recepiſſe debet? Sed neque omnia eodem titulo, parique Inveſtiturâ tunc concedenda Pontifex exiſtimavit, ut videas, quum ex æquo, ac juſto res tranſigeretur, omnia Pontificis, ideſt Domini arbitratu conſtituta: Nam de Salerno, Amalphi, & Marchiæ Firmanæ parte, quorum locorum ſatis recentes, atque omnium ſceleſtiſſimæ erant invaſiones, nulla Roberto conceditur Inveſtitura, ſed *te patienter ſuſtineo* (inquit Pontifex) *in confidentia Dei, & tuæ bonitatis; & tu poſtea exinde ad honorem Dei, & S. Petri, ita te habeas, ſicut te agere, & me ſuſcipere decet, ſine periculo animæ tuæ, & meæ*. Viciſſim autem Robertus æquiſſimo, ſibique quammmaximè utili, ac ſalutari Pontificis judicio ſe ſubmittens, in ſuo fidelitatis ſacramento, nihil ſibi juris præter Calabriam, Apuliam, Siciliam, in Salerno, Amalphi, Parte Marchiæ Firmanæ ſibi quæſitum declarat, *excepta* (inquit) *parte Firmanæ Marchiæ, & Salerno, atque Amalphi, unde* (ideſt *de quibus*) *adhuc facta non eſt definitio*. Conſtituit ſeipſum Robertus precarium poſſeſſorem, donec Eccleſia Romana, ejuſque Pontifex aliter definiſſet.

Quòd ſi de Salerno, Amalphi, & parte Marchiæ Firmanæ, quas ſibi Robertus reipſa ſubjecerat, ita tranſigi placuit, quid dicendum erit de Beneventana Urbe, ejuſque Principatus parte, quæ nunquam à Roberto ſubacta, Pontificibus dominis tunc temporis integro dominii jure parebat? Nihil de his in Inveſtitura dictum: quo ſilentio nihil eloquentius haberi poteſt, ut illud, quod neceſſariò, evidenterque conſequitur, fidentiſſimè affirmemus, Eccleſiam nempe Romanam in ſignum directi dominii Terrarum Roberto conceſſarum, plenum ſibi dominium, poſſeſſionemque ſervaſſe tum Urbis Beneventanæ, tum partis etiam Principatus, quam ſatis conſtat nunquam à Roberto occupatam, neque Roberto in ea Inveſtitura conceſſam. Heinc igitur factum fuit, ut hæc Inveſtitura Roberto conceſſa, fundamentum, & exemplar evaſerit ſequutarum Inveſtiturarum, quæ poſt Neapolitani, ſive utriuſque Siciliæ Regni erectionem, Eccleſia Romana impertire conſuevit: In quibus Inveſtituris (ſi annui Tributi ſtatuto auri ſignati pondere ſolvendi, mutationem excipias) illud adhuc præcipuum eſt, ut Reges ſereniſſimi *pro Regno Siciliæ, ac tota Terra, quæ eſt citra Farum uſque ad confinia terrarum ipſius Eccleſiæ, Eccleſiæ Romanæ plenum Homagium, Ligium, & Vaſſallagium*, præſtito fidelitatis ſacramento, ſolemni ritu deſpondeant (1): Illud etiam perpetuum, ac ſolemne, ut Eccleſia Romana in ſignum ſui dire-

*tori, che per lo più erano Cardinali, ſi governò in appreſſo. Ecco come la Città di Benevento paſsò in dominio della Chieſa Romana, primachè queſte Provincie foſſero ridotte, ed unite in forma di Regno, e per tal ragione nell' Inveſtiture, che diedero dipoi i Papi del Regno di Napoli, ſi riſerbavano la Città di Benevento, come quella, che non era ivi compreſa, ma fuori di quello, e alla Chieſa Romana ſottopoſta: E quindi è, che i Beneventani ſiano riputati come foreſtieri, e non naturali del Regno.*

(1) Ita planè habet formula juramenti nuperrimè, ideſt anno MDCCLX. præſtiti à Sereniſſimo Rege Ferdinando IV. feliciter regnante, quem publico ejus Regni bono natum, Deus diutiſſimè præſtet incolumem. Atque ejuſdem recentiſſimi juramenti exemplum afferre mihi libuit, ut non ſolùm de veteri rei veritate, ſed præſenti quoque obſervantia omninò liqueat.

directi dominii, non solùm Civitatem Beneventanam in ejus Regni medio positam sibi servet, sed etiam ejus Civitatis Territorium *cum omnibus districtibus, & pertinentiis secundum antiquos fines per Romanos Pontifices distinctos, & in posterum distinguendos* (1).

Atque ex his æquè manifestum fit, quàm injuriosè cum Beneventanis agi velint, quicunque illos à primæva communium cum cæteris Regnicolis jurium possessione dejiciendos contendunt: Quasi non longè melior Beneventanorum caussa sit, quàm Avenionensium, qui in Galliarum finibus positi, atque in Sedis Apostolicæ dominium, & imperium solo emptionis titulo, ac jure translati, Galli tamen & ipsi censentur, & Gallicæ nationis, unde divulsi videbantur, privilegiis omnibus perfruuntur. Melior, inquam, Beneventanorum caussa est, qui nec talibus opus habent exemplis, ut jus suum sibi integrum, atque incolume præstent: Enim verò nemo unquam hominum dixerit, Beneventanos ab Jure Civitatis arceri posse, sive exteros, ac peregrinos inter eam Gentem reputandos, quam quingentorum annorum spatio supremo Principatus jure subditam habuerunt: An enim princeps olim Populus inter Populos olim sibi subditos, quibuscum adhuc vivit, communemque aerem, terramque obtinet, pari saltem Civitatis jure nunc gaudere non debeat? Nec refert, Beneventanos non Regis, sed Pontificis subditos haberi; nam Urbs ipsa in Regni Investituris licet excepta, ut in medio Regni non sit, fieri naturali ratione non potest; immo magis, quia in Regni Investituris excepta, politicâ quoque ratione pars Regni est, eidem directo Domino serviens, qui de reliquis Regni partibus Investituram concedit.

Nec solùm Beneventanis cum ceteris Regnicolis circumquaque positis communis aer, ac terra est: sunt etiam alia plura communionis vincula, quæ tum ex quotidiano rerum omnium ad vitæ societatem pertinentium commercio (2), tum ex mutuis Consanguinitatibus (3), tum denique ex Beneficiis profecta (4), non ipsam tantùm perpetuamque, individuamque utriusque Gentis societatem, sed unum omnium fuisse genus, eandemque esse Nationem demonstrant.

Adde demum, omnibus ferè Regnicolarum oneribus obnoxios Beneventanos; nam tum pro rebus, quibus plurimùm indigent, providendumque ex finitimo Regno sibi est, tum ex Bonis, quæ in ipso Regno possident, consueta Regnicolarum vectigalia solvunt: neque à gratuito Militarium commeatuum hospitio immunitatem sibi vindicant: Quæ res eò magis Beneventanos Regnicolis æquare debet, quando certò scimus, id à Serenissimis Neapolitanis Regibus iterum, atque iterum Beneventanis *Romanæ Ecclesiæ Fidelibus* Privilegii loco datum, ut quos ceteris Regnicolis eodem Civitatis jure omnino pares, sive *in omnibus parificatos*

(1) Ex eadem supradicti juramenti formula.

(2) Eadem Regni moneta in Beneventanorum usu est; quorum etiam Nundinæ inter ceteras Regni Nundinas, Regio Privilegio celebrandas, recensentur. Vicissim quoque tum pecudum, tum rerum omnium ad annonam, vel mercaturam pertinentium, assidua transvectio est: Dum Regiis Edictis, quibus illa extra Regni fines abduci vetantur, Beneventanam Urbem nunquam contineri, uti intra Regnum positam, declaratum à Duce de Ossuna Prorege refert Eliseus Danza in *De Pugna Doctorum Tit. De Instrumentis. Cap. 1. num. 7. & seq.* qui propositis ejus controversiæ momentis, eandem Urbem Regni *nationalem* omninò reputandam, certâ, ac meditatâ sententiâ concludit. Sic, quum in Regiis Tribunalibus nulla sit eorum Instrumentorum fides, quæ extra Regnum celebrata, Magistratus loci adtestatione careant, hanc *solemnitatem* in Instrumentis Beneventi celebratis, tanquam *in Urbe, quæ dum est in Regno, tractari debet de parte Regni*, non requirendam à Magna Curia Vicariæ judicatum, ejusque Curiæ sententiam à Sacro Regio Consilio confirmatam tradit Thorus *in Compendio Decisionum Neap.* P. III. T. I. verb. *Instrumentum*.

(3) Assidua omni retrò ævo fuere, hodièque sunt Beneventanorum ex omnium ordinum familiis cum Regnicolis connubia; ex quibus fit, nullam penè Civium extare Familiam, quæ non cum Regnicolis consanguinitate, vel affinitate aliqua conjuncta sit.

(4) Prætereo heic Epistolam illam (post Marchesium, & Capocium à Summontio recitatam *Histor. Neapol.* P. II. pag. 447.) anno circiter MIX. datam ab Oligano Duce, & Consulibus Neapolitanis ad Mundum Archiepiscopum Beneventanum, qua Civitati Neapolitanæ annonâ laboranti opem à Beneventanis ipsorum nomine expostulat: nam justas de ejusdem Epistolæ fide suspicandi caussas attuli in Dissert. V. cap. III. Præstat nunc sinceriora, ac recentiora hujus rei documenta protulisse: Extat in Archivo Civitatis Beneventanæ originalis Epistola data prid. Kal. Novembris anni 1591. ab Electis Civitatis Neapolis ad Consules Beneventanos, cujus hæc sunt verba: *Trovandosi questa Città in quella strettezza di grano, che à tutti è nota, non ha voluto mancare di avvalersi dell' ajuto, che cotesta Città in tutte le nostre occasioni si è sempre dimostrata amorevole, e perciò avemo fatto elezione della persona del Sig. Marcello Capece Piscicello, eletto del Seggio di Capuana, e nostro Collega, il quale in nome di questa predetta Città debba venire alle Signorie Vostre, ed esporle il nostro desiderio &c.* Haud irrita quidem ea legatio fuit, tum ex præteritis exemplis, quorum eosdem Neapolitanos locupletissimos, gratissimosque testes in eadem Epistola habemus: *in tutte le nostre occasioni si è sempre dimostrata amorevole*: tum ex posterioribus exemplis, quibus eadem Beneventana Civitas non solùm pro viribus, sed etiam non sine Civium suorum incommodis, libentissimè Neapolitanis munificam se probavit.

*ficatos* declararunt, ab illorum tamen oneribus, *ob Apostolicæ Sedis reverentiam*, immunes haberentur (1).

Interim Beneventanus Populus ad immortalem sui nominis gloriam, perpetuamque rerum suarum felicitatem id refert, ut qui Italiæ Cistiberinæ princeps olim Populus diutissima quingentorum annorum dominatione præcelluit, ceteris Provinciis aliorum dominationi concessis, solus ipse servatus sit, qui Apostolicam Sedem agnosceret dominam, ac quum subditi vices agendæ sibi essent, solis Pontificibus Romanis serviret. Hanc autem prærogativam assiduis, atque illustribus Fidei suæ erga eandem Sedem Apostolicam argumentis, atque promeritis prolixiùs exornare, id constans, atque perpetuum id unum fuit ejusdem Populi studium. Ab ipso Pontificiæ Dominationis exordio, atque ab ipsius Sanctissimi Pontificis Leonis IX. ore splendidissima habemus ejus fidei testimonia; nam Leonem morti proximum, sive ad immortalis vitæ beatitudinem transeuntem audire fuit, inter alias preces ita speciatim pro Beneventanis suis Deum orantem: *Fideles tuos Beneventanos, qui in tuo nomine tàm honestè me susceperunt, tamque affluenter mihi servierunt, benedicere, & custodire digneris*. Hæc suppar testis, sanctitate quoque, ac dignitate præcipuus, Bruno Signiensis Episcopus: cujus etiam de Beneventana Civitate præclarum illud est elogium, ut *B. Petro familiarem utique, ac fidelem Civitatem* appellet (2).

Proprius exinde Beneventanorum mos, ac decus esse cœpit, ut *Fidelium B. Petri* nomine non tam appellari, quàm distingui, & condecorari guaderent. Sic passim vocatos apud nostrum Falconem invenias, in cujus Chronico illud etiam occurret, Beneventanos, ex eo quidem, quod B. Petro, ejusque Sedi subderentur, se *in deliciis positos*, uno ore aliquando conclamasse: legimus etiam, Romanos Pontifices Beneventum advenientes (advenire autem, manereque Pontificibus solemnis ad duo sæcula consuetudo fuit) iis honoris, ac lætitiæ significationibus, ea *devotione cordis* Beneventanum Populum suscipere consuevisse, *quasi B. Petrum in carne aspiceret*. Quare Pseudopontifex Anacletus, dum Beneventi consisteret, nulla vel suppliciorum formidine, vel præmiorum spe, obsequium sibi, atque fidem à Beneventanis extorquere valuit, quam illi legitimo Petri Successori Innocentio II. debitum profitebantur; quumque Cardinalis Crescentius Pontificius Rector, ac Landulphus Archiepiscopus Beneventanorum Civium nomine quædam cum Rege Rogerio fœdera, *salva tamen fidelitate B. Peri Apostoli*, iniissent, quòd eam *Fidelitatem* detrimenti aliquid capere posse Beneventani animadvertissent, mox ipsorum in Rectorem, & Archiepiscopum facta seditio, fœdera rescissa, *fidelitas* in tuto posita, atque in pristinam integritatem vindicata.

Sed vice omnium, ac coronidis loco erit exemplum illarum calamitatum, quas Beneventana Civitas ob fidei suæ constantiam erga Apostolicam Sedem ab Imp. Friderico II. passa est.

(1) Post calamitates Beneventanæ Civitati ab Imp. Friderico II. illatas, ac profligatam Tancredi tyrannidem, Neapolitano Regno Sedis Apostolicæ beneficio, ac *liberalitate* ad Andegavenses translato, nihil æquius Carolo I. visum fuit, quàm ut Beneventanos *Rom. Ecclesiæ Fideles*, atque in Regni medio positos, amplissimo Privilegio muneraretur, quo Beneventanos ipsos cum *ceteris* Regnicolis *in omnibus parificatos* declarans, pro ipsorum tamen bonis in Regno possessis *Fidantias remittit*. Id luculentiùs declarat Privilegium Regis Roberti, qui anno 1326. easdem ipsas immunitates, exemptionesque ab laudato Carolo ejus Avo Beneventanis concessas confirmat, uti ex Diplomate relato à Bartholomæo Chioccarello in Indice Archivi Regalis Jurisdictionis pag. 225.: Ex quo Indice (pag. 226. & seq.) constat etiam Regem Alphonsum I., ac Ferdinandum I. anno 1443. 1449. 1451. 1455. ac 1459. non solùm vetera Privilegia rata habuisse, sed amplioribus etiam beneficiis, sive præclarioribus verbis instaurasse, ut scilicet Beneventanis à quibusvis vectigalibus, collectis, oneribusque Fiscalibus, pro suis possessionibus, terris, pecudibusque omnibus ubilibet Regni immunitas deberetur. Sed & Alphonsus idem alio Diplomate, quod originale apud Beneventanos servatur, datumque legitur *in Civitate Beneventi die* 16. *Mens. Januarii*, 4. *Indictione*, *Anno Domini* 1441., post confirmatas omnes *immunitates*, *libertates*, *exemptiones*, *& Constitutiones*, *quas in scriptis habuerunt*, *& habent intus*, *& extra Civitatem per totum Regnum*, *per Pontifices*, *Reges*, *& Principes concessas*, illud etiam spondet, se inviolatè concessa servaturum, neque suis Legibus, Edictisque pro Regno ferendis Beneventanorum Privilegiis derogatum iri, *itaquod Cives*, *& ipsa Civitas Beneventana in quacumque generalitate verborum*, *& quarumcumque Literarum Pragmaticarum*, *aut aliarum jussionum*, *aut alia qualibet forma*, *nisi ea grata forent*, *& acceptabilia dictæ Civitati*, *nullatenus intelligantur*, *nec debeant quomodolibet contineri &c.* Alphonsi Privilegium non modò Ferdinandus filius, verùm etiam Imp. Carolus V. ratum habuere; qui Carolus insertum quoque voluit in suo Diplomate, quod pro Beneventanis dedit die 4. Octobris an. 1533. Post ea Privilegia, quibus nihil etiam sanctius haberi potest, ac debet, mirabuntur profectò omnes, qui audiant, Beneventanos nulla nunc immunitate dignos haberi: sed illud magis mirum, ut qui pares oneribus cum universis Regnicolis esse jubentur, dispares nunc, atque ejusdem Civitatis, sive Nationis jure exclusi dicantur; quod quidem jus nullo privilegio, aut indulgentia, sed origine ipsa, aliisque legitimis titulis superiùs demonstratis omninò debitum, nullo prorsus modò à Beneventanis abjudicari potest.

(2) S. Bruno Signiensis in Vit. S. Leonis PP. IX. T. III. Dissert. II. Scriptor. Ital. Muratorii.

ſa eſt. Quæ ſatis triſtis Beneventanis, ac lacrymanda tunc fuit, jucundiſſima nunc res narratu erit, quam graviſſimi Hiſtorici, nobis ſuperiùs memorati, Cardinalis Nicolai de Aragonia verbis exponere præſtat. Is itaque in Vita Gregorii IX. hæc de Friderico, ac de Benevento conſcribit: *Beneventum utique Civitatem, non minùs fide, quàm dignitate præclaram, quam poſt alta Urbis, & admiranda faſtigia, cunctis illuſtriorem Urbibus, & prima ſuorum mœnium fundamenta, & privilegia libertatis antiquæ, omni exceptione majora teſtantur*, DEVOTIONE PRÆCIPUAM, CONSTANTIA SINGULAREM, AMOENITATE CONSPICUAM, REBUS, ET VIRTUTIBUS OPULENTAM, QUAM IN REGNI CENTRO SEDES APOSTOLICA SUO JUDICIO IN SIGNUM DOMINII RESERVAVIT, *illis premit, & anguſtat doloribus, ut adhibitis in veſtibulo portæ cuſtodibus, intrare, vel exire volentes nova ſolvere pedagia compellerentur, terras excolere, niſi data redemptionis pecunia, non permiſſi, eiſdem in Regni finibus commerciis interdictis, nec ad Matris* (ideſt Romanæ Eccleſiæ) *licet recurrere gremium, niſi qui manus inſequentium evaſerunt: Tali obſidione concluſis hoc ſolum adeſſe videbatur auxilium, ut in manus devolverentur hoſtiles, niſi præſtaret probata* FIDES *obſtaculum, quæ moleſtias alleviat paſſionum* (1). Quid igitur? Antiqua Beneventanorum fides erga Romanam Eccleſiam aſperioribus experiunda erat ſuppliciis? graviorne injuriarum moles conſtantiam fregiſſet? Quid, ſi ab implacabili hoſte, ac Tyranno teterrimo ad Civium cædes, Civitatiſque vaſtationem ventum eſſet? Eadem tunc etiam, dum talia ferre oportuit, invicta Beneventanorum Fides; quæ plurimo Civium ſanguine obſignata, inter Urbis ruinas, ſeipſam, reliquorumque Civium animos non modò non deſeruit, ſed ita tunc quoque erexit, inceditque, ut non impune hoſtibus fuerit, Beneventum vaſtaſſe: Audi eundem Biographum: *Imperator ingreſſus Apuliam, Beneventum Civitatem longo concepto furore vaſtavit; qui ſi rerum fatigati diſpendiis*, FIDEI TAMEN DETRIMENTA NON PASSI, QUIN POTIUS EX MOLESTIA ROBUSTIORES EFFECTI, *plures de Imperiali exercitu congreſſu audaciſſimo peremerunt* (2).


Nihil præclarius, atque ſingularius, quo Beneventanorum Fidem teſtatiſſimam habeamus: Nihil opportunius, atque jucundius, ut hoc demum elogio, quo illuſtris adeò Scriptor, fide, dignitate, gravitate, atque ipſa quoque vetuſtate ſpectatiſſimus, Beneventanos tum ex aliis vetuſtis Originis, Virtutis, Opum, Loci prærogativis, tum ex eorum in Sedem Apoſtolicam Fide, tam verè, quàm magnificentiſſimè concelebravit, factâ veluti coronide, finem huic Diſſertationi, atque Patriis Medii Ævi Antiquitatibus faciam.

MONI-

(1) Tom. III. P. I. Scriptor. Ital. Muratorii pag. 384. L. B. (2) Ibidem pag. 387. L. C.



# MONITUM
## LECTORI





*DUM præsens Liber in ingentem molem, longè Libro altero spissiorem, atque operosiorem, succrevisset, nova mihi, atque ingentior aliorum negotiorum moles inopina supervenit, delatus Reatinæ Ecclesiæ Episcopatus, Opus scilicet, cui ritè exequendo nullæ posthàc interfluent subsecivæ horæ, sed totum ingenium, animumque omnem dicare necesse est, dicasse autem, nunquam fuerit satis. Nihil interim in hoc Libro, Lector, desideraveris, quod non tibi absolutissimam Rerum Longobardicarum tractationem præstabit, saltem, quæ mihi proposita initio fuit, quæque longo jam parta labore tuis in manibus præsens versatur. Illud nunc fortasse à me flagitaveris, ut eam Veterum Monumentorum Appendicem subjiciam, quam in Libri Præfatione tibi exhibendam desponderam. Fidem tamen quod minimè fefellerim meam, non ipsam tantùm provectam Libri molem, novique Muneris conditionem pro justa excusatione nunc obtendam; quandoquidem rei postremo hoc loco exolvendæ satis me jam fecisse ipse idem Liber ostendit. Nam quod attinet ad nostrorum Ducum, Principumque* Chronologiam, *quod ad eorum* Leges, *seù Capitularia, quod denique ad* Sepulcrales *eorundem Tumulos, singula in eodem Libro suis interjecta locis, ex autographis, vulgatisque exemplaribus carptim recitata, ad rectam temporum rationem, ad genuinam lectionis fidem, sinceritatemque restituta, notis adhuc, atque observationibus plurimis illustrata, in promptu tenes: Sub unum verò aspectum heic collegisse, supervacuum videri debet, præsertim quum eandem ipsam Collectionem paratissimam habere queas ex tribus editionibus Operum Cl. Camilli Peregrinii, veteri scilicet ab ipso Auctore, recentissima à Cl. Francisco Pratillo curata, atque illa denique, omnium præstantissima, quam in Tomum* II., *&* V. *Scriptorum Rerum Italicarum Cl Muratorius intulit. Reliqua nunc forent Monumenta alia, atque illa imprimis nondum edita, atque in nostra Ecclesiæ Bibliotheca servata, quæ in hoc Opere passim à me indicata, ac per partes illustrata habentur. At ecce pro me idoneus Vades, immo etiam solutor accedit V. C., ac præstantissimus Præsul Stephanus Borgia, Pontificius olim Beneventi Gubernator, sublimioribus nunc Rom. Curiæ muneribus ob eximia virtutum merita admotus, qui Monumenta illa ferè omnia, aut certè insigniora, hoc ipso tempore, atque uno veluti mecum nisu, pervulgavit in duobus Libris, vernacula lingua conscriptis, quibus Titulus:* Memorie Istoriche della Città di Benevento dal Secolo VIII. al Secolo XVIII., *tertio adhuc superstite mox in lucem edendo, ubi reliqua continenter depromet: itaut, siqua ejusmodi Monumentorum sitis cuipiam sit, demonstratum habeat satis sibi promptum uberrimum fontem, unde explere jam possit. Ac pergratum quidem hoc mihi accidit, ut hæc Viro Summo excudenda dimiserim, quibus is maximum Operi suo pretium conquireret. Tantum itaque abest, ut hanc, quam ipse subingressus fuit, ac nescio qua æmulatione præreptam sibi verebatur, Provinciam pluribus mihi titulis quæsitam eidem inviderim, ut hanc ipsam, & alia plura publici, privatique juris libenter concesserim; pluriès quidem verbis, factisque testatus, etiam atque etiam professus, summo mihi levamini, atque eximio Beneventanæ Urbis honori fore, ut talis, tantusque Patriarum Antiquitatum, præsertim ad Pontificiam Beneventanarum Rerum ætatem pertinentium, accederet illustrator. Illud duntaxat à Viro Summo factum optassem, ut, quum in Præfatione Tomi, seù Partis* I. *sui Operis, & alibi passim, Documentis à se exhibendis præloquens, Bibliothecam Beneventanæ Ecclesiæ magnificè commendaverit, æqua laude, vel memoria saltem dignum Benedictum PP. XIII., olim Archiepiscopum existimasset; qui Archiepiscopus eandem Bibliothecam variis ad id tempus injuriis pessumdatam, singulari studio, ingentique ære suo digessit, refecit, constabilivit, id maximoperè, feliciterque enixus, ut quæ in ea extant autographa, atque insigniora vetusta Diplomata mem-*

*membranacea, non solùm illæsa deinceps permanerent, verùm etiam in peculiares Codices exactè, atque eleganter descripta, promptam cuique & legendi, & describendi tum facultatem, tum voluptatem præberent. Hanc ego laudem (incivile enim est, eos, per quos præcipuè profecerimus, non laudasse, iniquum adhùc siluisse) optimo, beneficentissimoque Archiepiscopo ingenuè, ac perlibenter detuli in Dissert. v. De Ecclesia Beneventana cap. IV., ubi de Bibliotheca eadem prolixè, atque ex instituto disserens, quid munificentiæ præstitum ab ipso sit, singillatim aperui. Hanc etiam laudem, postquam eadem Monumenta alienis curis promeritam lucem aspexere, referendam, sivè etiam vindicandam eidem, æquum duxi: Mihi verò propria edidisse satius nunc erit: Qualia enim cumque illa sint, non inanem fortasse promerendæ ejus laudis spem faciunt, quæ non solùm Patriam & ornasse, & juvisse prober, verùm etiam de gemino Thesauro meo, pro utriusque Libri materia, ac dignitate, nova pariter, & vetera videar protulisse.*

INDEX



# INDEX

## RERUM MEMORABILIUM

*Lit.* p. *paginam : litera* n. *notam ejusd. paginæ indicat.*

### A

C



Car-

Gai-

### H



### I



### L

 ejus

Mo-

N



O

Scholæ

| ERRATA | CORRIGENDA |
|---|---|
| *Pag.*v. *v.*16. elucefere | elucefcere |
| xiv. *v.* 5. Anguftus | Auguftus |
| *Ibid. v.*45. prærogativa | prærogativæ |
| 7. *v.* 3. CammillusPeregrenius | Camillus Peregrinius |
| *Ibid. v.*21. DCXXL. | DLXXI. |
| *Ibid. in not. col.*2. *v.*11. dele | fervandæ |
| 8. *v.*12. cohærentes . Simul | cohærentes fimul |
| 10. *v.*13. æquì | æquè |
| 11. *v.*13. quatraginta | quadraginta |
| 12. *v.*37. Samnitcum | Samniticum |
| *Ibid. v.*41. verum | rerum |
| *Ibid. in not. col.*2. *v.*5. Commetuus | Commeatus |
| 13. *v.*24. (1) | (2) |
| 14. *v.*25. facit | fecit |
| *Ibid.* fepius | fæpius |
| *Ibid. in not. col.*2. *v.*18. Urbis | Urbes |
| *Ibid. v.*24. campefcendum | capeffendum |
| 15. *v.*33. Parphyrogenitus | Porphyrogenitus |
| 22. *v.* 2. fubacta | fubactæ |
| *Ibid. v.*33. Iconomicum | Iconomachum |
| *Ibid. v.*35. ftudia | ftadia |
| 24. *v.* appellavit | appellarit |
| *Ibid. in not. col.*1. *v.*35. pudurit | puduit |
| *Ibid. v.*41. nodo | modo |
| 27. *v.*25. moleftiam | moleftam |
| *Ibid. in not. col.*2. *v.*3. Sacellarium | Saccularium |
| 28. *v.* 3. Idolatriæ | Idololatriæ |
| 31. *in not. col.*2. *v.*2. fuorum | tuorum |
| 32. *v.*33. Prædorum | Prædonum |
| *Ibid. v.*37. volvere | voluere |
| 34. *in not. col.*1. *v.*27. Tolifmanos | Talifmanes |
| *Ibid. v.*36. anathemizatos | anathematizatos |
| *Ibid. v.*42. Muguntinus | Moguntinus |
| *Ibid. v.*46. Phylocteriarum | Philacteriorum |
| 40. *in not. col.*2. *v.*15. infeftiores | infectiores |
| 41. *v.*35. ei | cui |
| 43. *v.*14. interiffet | interiiffet |
| 49. *v.*51. verè | vera |
| 50. *v.*26. nunquam | unquam |
| 56. *v.*21. Grimoldus | Grimoaldus |
| 60. *v.*16. Theodora | Theodorada |
| 62. *v.*37. E fane | Et fane |
| 74. *v.*28. Imaginem | Imaginum |
| 88. *v.* 6. Paturm | Patrum |
| 91. *v.*28. Gifalphum | Gifulphum |
| *Ibid. not.*2. *col.*2. præcarios | precarios |
| 118. *v.*29. Inomachorum | Iconomachorum |
| 132. *v.*34. Radoaldum | Rodoaldum |
| 143. *in not. col.*2. *v.*1. poftumis | poftremis |
| 153. *in not. col.*2. *v.*37. ubi | uti |
| 367. *n.*3. *col.*2. *v.*5. præftant | proftant |
| 375. *not.* (d) *col.*2. ucellatum | Bucellatum |
| 441. *v.*21. volendi | volenti |
| *Ibid. v.*23. editam | edita |
| 444. *v.*27. Auctor | Auctor eft |
| 446. *v.*25. fuiffent | feciffent |

